IDC

# SACRORUM CONCILIORUM NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO,

IN QUA PRÆTER EA QUÆ

PHIL. LABBEUS ET GABR. COSSARTIUS S. J.

*Et noviſſime* NICOLAUS COLETI *in lucem edidere,*

EA OMNIA INSUPER SUIS IN LOCIS OPTIME DISPOSITA EXHIBENTUR, QUÆ

JOANNES DOMINICUS MANSI,

ARCHIEPISCOPUS LUCENSIS EVÙLGAVIT.

EDITIO NOVISSIMA

*AB EODEM OPTIME MERITO PRÆSULE*

POTISSIMUM FAVOREM ETIAM ET OPEM PRÆSTANTE

EM.MO CARDINALI DOMINICO PASSIONEO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO,

ALIISQUE ITEM ERUDITISSIMIS VIRIS MANUS AUXILIATRICES FERENTIBUS, CURATA,
Novorum Conciliorum, novorumque Documentorum Additionibus locupletata,
Ad MSS. Codices Vaticanos, Lucenſes, alioſque recenſita, & perfecta.

ACCEDUNT ETIAM NOTÆ, ET DISSERTATIONES QUAMPLURIMÆ, QUÆ IN CETERIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR.

## TOMUS DECIMUS SEPTIMUS.

*Ab anno DCCCLXXII. uſque ad ann. DCCCLXXXIV. incluſive.*



VENETIIS. MDCCLXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA.
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO*
*(Editio iterata ad Editionis principis exemplar ab Huberto W[illegible] Bibliopola, [illegible] Bernard Palissy 4, Parisiis MDCCCCII)*

# NOI RIFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. D. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Sacrorum Conciliorum &c. Auctore P. Philippo Labbeo Soc. Jeſu curante Nicolao Coleti, & Joanne Dominico Manſi &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 20. Dicembre 1767.

( Sebaſtian Zuſtinian Riform.
( Alviſe Vallareſſo Riform.
( Franceſco Moroſini ſec.do Cav. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 335. al N. 2304.

*Davidde Marcheſini Segr.*

# SYLLABUS
## EORUM, QUÆ IN TOMO XVII. CONTINENTUR.

Quæ hoc Indice ☞ notata ſunt, noſtræ Editioni noviter acceſſere *P. Joannis Dominici Manſi* cura, qui ad Archiepiſcopatum Lucenſem evectus, glorioſe obiit; omiſſis iis, quæ ſorte tipothetarum vitio notari non potuerunt.


| ANNO CHRISTI | | |
|---|---|---|
| 872 ☞ | *CONCILIUM COMPENDIENSE.* | pag. 1 |
| | Vita & Epiſtolæ Joannis Papæ VIII. | *ibid.* |
| | *Ejuſdem Epiſtola* CCCXX. | 3. *& ſeq.* |
| | *Fragmenta quædam aliarum Epiſtolarum ejuſdem Pontificis.* | 241 |
| ☞ | *Alia ejuſdem Pontificis.* | 242 |
| ☞ | Ludovico Imperatori. | *ibid.* |
| ☞ | Marino & Pulchari. | *ibid.* |
| ☞ | Angelbergæ Imperatrici. | 243 |
| ☞ | Damaſol Duci glorioſo. | *ibid.* |
| ☞ | Imperatori & Imperatrici. | *ibid.* |
| ☞ | Neapolitanis, Salernitanis, & Amalphitanis. | *ibid. & ſeq.* |
| ☞ | Luitberto Archiepiſcopo Moguntino. | 244 |
| ☞ | Petro Epiſcopo. | *ibid.* |
| ☞ | Decretum. | *ibid.* |
| ☞ | Epiſtola ad Ludovicum Imperatorem. | *ibid.* |
| ☞ | Ad Angelbergam Imperatricem. | 245 |
| ☞ | Ad Annonem Friſinguenſem Epiſcopum. | *ibid.* |
| ☞ | Ad Roſtagnum Arelatenſem, Sigiboldum Narbonenſem, & Robertum Aquenſem Archiepiſcopos. | *ibid. & ſeq.* |
| ☞ | Excommunicatio in eos, qui de morte Romani Clerici ſuſpecti erant. | 246 |
| ☞ | Epiſtola ad Anſbertum Archiepiſcopum Mediolanenſem. | *ib.* |
| ☞ | Ad Ludovicum Imperatorem. | 247. |
| ☞ | Ad Neapolitanos, Salernitanos, & Amalphitanos. | *ibid.* |
| | *Conſtitutio ipſius de jure Cardinalium.* | 247 |
| | *Appendix ad eas Epiſtolas.* | 248 |
| ☞ | *Appendix altera ad eaſdem.* | 255 |
| ☞ | *CONCILIUM ROMANUM.* | 264 |
| 873 | Conventus Francofordienſis. | 265 |
| | *CONCILIUM OVETENSE.* | *ibid.* |
| | Obſervatio Philippi Labbe. | 268 |
| | Acta ipſius Concilii. | 269 |
| | Adnotatio P. Pagi. | 272 |
| | *CONCILIUM CABILONENSE.* | 274 |
| | *CONCILIUM COLONIENSE* monumentum Synodi magnæ dictum. | 875 |
| | *CONCILIUM SILVANECTENSE.* | 282. |
| | — *DUZIACENSE* II. | *ibid.* |
| 874 | — *RAVENNENSE.* | 298 |
| | — *RHEMENSE.* | *ibid.* |
| 875 | Conventus Cabilonenſis. | 299 |
| | *CONCILIUM ROMANUM.* | 303 |
| | *Inſtitutio Odonis Epiſc. Bellovacenſis.* | *ibid.* |
| 876 | Synodus Ticinenſis. | 306 |
| | Decretum Cleri Laudunenſis. | *ibid.* |
| ☞ | *Ad CONCILIUM TICINENSE.* | *ib.* |
| | *CONCILIUM ROMANUM.* | *ibid.* |
| ☞ | — *ROMANUM.* | *ibid.* |
| | — *PONTIGONENSE.* | *ibid.* |
| | *Capitula ejuſdem Concilii.* | 312 |
| | *Subſcriptiones Epiſcoporum.* | *ibid.* |
| | Acta Concilii Ticinenſis. | 318 |
| | In eadem Præfatio Ludovici Antonii Muratorii. | 318 |
| | *Juramentum Anſberti Archiep.* | 324 |
| | Tituli Capitulorum. | 326 |
| 877 | *Duplex Conventus Compedienſis.* | 332 |
| ☞ | Synodus Colonienſis. | *ibid.* |
| | *CONCILIUM ROMANUM.* | 336 |
| | — *RAVENNÆ.* | *ibid.* |
| | *Statuta ipſius.* | 337 |
| | *Epiſtola hujus Concilii.* | 341 |
| | Adnotatio P. Pagi. | 342 |
| 878 | *CONCILIUM IN NEUSTRIA.* | 343 |
| ☞ | — *ROMANUM.* | *ibid.* |
| | — *TRICASSINUM* II. | 345 |


Actio-

ANNO CHRISTI

878 Actiones Concilii. *ibid.*
Canones conditi a Joanne Papa, & a Synodo Tricaſſina probati & recepti. 350
*CONCILIUM PAPIENSE.* 358
879 — in Confinio Provinciarum Arelat. & Narb. 359
— *ROMANUM* II. *ibid.*
— *ROMANUM* III. *ibid.*
— *ROMANUM* IV. 363
Synodus Heroſolymitana, Antiochena, & Alexandrina. 364.
*Conciliabulum Conſtantinopolitanum.* 366.
Notæ Severini Binii. *ibid.*
Synodus Conſtantinopolitana ex appendice Libelli Synodici. 370
*Pſeudo Synodus Photiana* G. L. 371
Actio Prima. *ibid.*
Actio Secunda. 394
Actio Tertia. 450
Actio Quarta. 475
Actio Quinta. 494
Actio Sexta. 511
Actio Septima. 519
Epiſtola beati Joannis Papæ Romæ, ad ſanctiſſimum Photium Archiepiſc. Conſtantinopoleos. 523
☞ *Ad Pſeudo-Synodum Photianam, Additio.* 527
*CONCILIUM MATALENSE.* 529

ANNO CHRISTI

879 *Synodi ad Boſonem regem deſignatum legatio.* 513
Boſonis regis electi ad Synodum reſponſio. 531
Nota Jacobi Sirmondi S. J. 532
Hincmari Epiſcopi Rhemenſis, Epiſtolæ Synodales. 533
880 *CONCILIUM ROMANUM* V. 535
☞ — *MEDIOLANENSE.* *ibid.*
881 — *ROMANUM* VI. *ibid.*
☞ Romanæ Synodi tres. 537
*CONCILIUM APUD S. MACRAM.* *ibid.*
Tituli Capitulorum. *ibid.*
Præfatio. *ibid.*
882 Capitula VIII. 538. & *ſeq.*
*CONCILIUM ROMANUM* VII. 555
☞ *Ravennatenſe Concilium ſeu Conventus.* *ibid.*
Præceptum Caroli Craſſi pro Brumacenſi Abbatia. 557
Caroli Craſſi Imperatoris Præceptum aliud pro Regenſi eccleſia in eadem Synodo datum. *ibid.*
Decretum Immunitatis. 560
Vita Martini Papæ I. qui perperam Martinus II. nominatur. 561
Privilegium Martini Papæ I. 563
883 *CONCILIUM TOLOSANUM.* 565
884 Vita Hadriani Papæ III. *ibid.*


# APPENDIX

*Cui præmittitur aureus Franciſci de Roye Andegavenſis Anteceſſoris Tractat de Miſſis Dominicis.*


Præfatio Jo. Wendelini Neuhaus. 573 — 513
Dedicatio Auctoris. 517
Præfatio ejuſdem. 815
Index Capitum. 535
— Auctorum adductorum. 555
— Rerum & Verborum 563
Communia de Miſſis Dominicis. 871
De Miſſis Dominicis ad Juſtitiam. 897
De Miſſis Dominicis ad Diſciplinam publicam. 935
De Miſſis Dominicis ad Vectigalia. 965




ANNO CHRISTI 871. 872. Ex ſupplem. Manſi to. I. pag. 1013.

# COMPENDIENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 871. 872.

*In quo de reducendo Carolomanno ad obſequium patris ſui Caroli Calvi actum eſt, & in fautores ejus anathema dictum.*

Anno 871. habitum.

Anno 871.

CUm tam multi diligentiſſimi A ſcriptores celebrata in Gallia concilia collegerint, mirari ſubit tam multos ſimul oculos fugere potuiſſe Compendienſe concilium, cujus, ſin minus concilii nomen, res tamen ipſa extat in expoſtulatione Hincmari Remenſis adverſus Hincmarum Laudunenſem cap. XX. quæ lecta in ſynodo Duziacenſi extat apud Labbe tom. XVI. Ex ea vero conſtat Hincmarum Remenſem cum ſuffraganeis ſuis conveniſſe Compendii, *quando de Carolomanni, & complicibus ejus converſione tractabatur*; qua converſione deſperata, Hincmarus cum ſuffraganeis ſententiam dixit excommunicationis in diœceſanos ſuos, qui perduelli filio favere non deſtitiſſent. Extat ſententia illa inter epiſtolas Hincmari num. XXXII. & ad Remigium Lugdunenſem archiepiſcopum ejuſque ſuffraganeos dirigitur. Fateor equidem Hincmarum Laudunenſem adverſus ſententiam illam eo nomine excepiſſe, quod in ſynodo minime lata fuerit; qua de re in eadem expoſtulatione cap. XXII. Id tamen objecit Hincmarus, quod in concilium quidem epiſcopi conveniſſent, ut de cauſa Carolomanni tractarent; dein ſoluto concilio, cum jam epiſcopi quidam abiiſſent, inter quos epiſcopus Laudunenſis, Hincmarus Re- B menſis cum reliquis, qui nondum abjerant, epiſcopis, ſententiam illam tulit.

ANNO CHRISTI 871.

# VITA ET EPISTOLÆ
# JOANNIS PAPÆ VIII.

ANNO CHRISTI 871.

Ex libro quem ſub nomine Levitæ edidit Serarius.

JOannes * ſedit annos decem, dies duos. Hic C decreto ſuo ſtatuit, ut nulli ducum liceat quemlibet epiſcopum in præſentiam Romani præſulis introducere, vel cenſus ab eo ad ſumptus publicos, ſeu dona quælibet exigere, ſed nec coram laicis epiſcopum conceſſit. Clericos & ſanctimoniales, pupillos & viduas ſub tutela epiſcoporum eſſe decrevit, & eos ad ſæcularia judicia trahi modis omnibus interdixit. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem, excommunicandum eſſe decrevit; perſeverantem vero anathematis vinculo innodandum.

Idem inter cetera de decimis ſacerdotibus dandis ita præcepit. Quas ſcilicet decimas unumquemque fidelem illi ſacerdoti dare cenſuimus, in cujus parochia eum proculdubio conſtat ſub epiſcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab epiſcopo ſuo eſt conſtitutus, manere, & ideo nullum alterius diœceſeos ſacerdotem aut Levitam alteri jure * ea novum debita hujuſmodi audire impudenter, vel temere quærere, aut accipere * damnationem vel donationem. Eum vero, qui aliter dare vel accipere præſumpſerit, eccleſiaſtica communione tamdiu judicamus manere privatum, donec

Locus mendoſus.

* f. Canonum

* for. tantum donationem.

donec ſecundum hoc noſtræ apoſtolicæ auctoritatis capitulum ſtuduerit agere.

Hujus temporibus Lodevvicus imperator ab Adalgiſo Beneventano duce conſtrictus, timore vitæ, jurejurando firmavit, nunquam ſe Beneventi fines ultra intraturum, neque ex periculo injuriæ tunc ſibi illatæ vindictam aliquando exacturum. Ab hoc autem juramento poſtmodum prædictus papa eum Romæ abſolvit auctoritate Dei & ſancti Petri, affirmans nihil ſibi obeſſe, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec ſacramentum eſſe dicendum, quod contra ſalutem reipublicæ, quamvis cum multis execrationibus, fuerit prolatum.

### Nota Severini Binii.

Quando pontifex ... Joannes VIII. Tres imperatores elegit & coronavit. * Edit. Pal. ...

a *Joannes*.) Anno redemptoris 872. decimonono Kalendas Januarii, teſte Aimoino, Joannes patria & natione Romanus ex archidiacono factus eſt pontifex hujus nominis octavus, electione, unctione & coronatione Caroli Calvi, Ludovici Balbi *, & Caroli Craſſi trium imperatorum poſt obitum Ludovici II. ordine prædicto ſuccedentium celeberrimus ut ex notis conciliorum infra cognoſcere poteris.

* Erat hic ... Binius, ut ... Photium communione & honore ſui recepit.

Hic, cum Saraceni totam fere Italiam depopularentur, omni auxilio hominum, in quibus ſpem expellendorum Saracenorum collocaverat, plane deſtitutus, a barbaris & infidelibus pacem & quietem annuo cenſu ac tributo redimere coactus fuit: idque juſto Dei permiſſu contigiſſe videtur, ut ſcilicet hoc exemplo ſuo inſtructus agnoſceret, ſe poſt obitum Ludovici imperatoris II. ſuaſu maleſuadæ carnalis prudentiæ Carolum, a quo contra Saracenos majora quam a Ludovico * fratre ſubſidia expectabat, male elegiſſe, creaſſe & coronaſſe imperatorem, quem propter alieni regni invaſionem, exempla prædeceſſoris ſui Hadriani II. eccleſiaſticis cenſuris merito exagitaſſe debebat. Photium, qui per fraudem & impoſturam admirabilem, quam idem Nicetes prolixius enarrat, cuique Ignatius adhuc vivens reditum ad eccleſiam, prout octava ſynodo conſtitutum fuerat, ſuiſſe denegaverat, Joannes papa, petentibus illud Baſilii imperatoris & Hieroſolymitani patriarchæ legatis, poſt obitum Ignatii ad communionem eccleſiæ recepit, ejuſque reditum ad ſedem patriarchalem non ſine gravi exiſtimationis ſuæ jactura, notaque cathedræ pontificiæ turpiſſima approbavit. Ne Photius ante finem vitæ ad pœnitentiam reciperetur, in concilio œcumenico VIII. non tantum conſtitutum, verum etiam ſingulorum juramento firmatum erat. Non ignarus hujus conſtitutionis ſacratiſſimæ, neque immemor fortaſſe ſui ipſius juramenti pontifex, contumacem hæreticum nulla ratione ad pœnitentiam, multo minus ad dignitatem patriarchalem recepiſſe, ſed potius anathematis ſententia perculiſſe debebat. Impetraverat iſta Photius ſine dubio per interceſſionem Baſilii, per unionis, pacis & concordiæ eccleſiaſticæ, auxiliique contra Saracenos ferendi promiſſionem, perque falſorum plurium enarrationem, quaſi omnes orthodoxi pro ſui reſtitutione intercederent: verum iſta ratione non tam Joannes excuſatur, quam majore ignominia afficitur, ut qui ab eunucho & ſemiviro omni robore enervatus, ſe feminam potius, quam virum eſſe declararit. Si quis cum Baronio crederet, ex hoc facto fabulam de Joanne VIII. non papa, ſed papiſſa, originem ſumpſiſſe, non male fortaſſe ſentiret. Hæc ex Niceta & Aimoino Baron. tom. 10. in vita Joannis.

## EPISTOLA I. JOANNIS PAPÆ VIII.

### AD BOSONEM COMITEM.

Agit gratias, quod ejus opera legati ad imperatorem pervenerint, & illis injuncta confecta ſint; eumque rogat, ut quamprimum auxilia ſibi contra Saracenos mittenda curet.

*Joannes epiſcopus Boſoni illuſtriſſimo comiti.* (a)

De Boſone Regino l. 2. chron. A... 14 ... & aliis in locis.

CAriſſimæ tuæ nobilitati laudes Chriſto Domino referentes, gratias agimus, & hanc præconiis efferentes, in eodem Domino gratulamur, cujus gratia noſtro fultus amore, miſſis apoſtolicæ noſtræ ſedis, facilem aditum perveniendi ad sereniſſimi Domini Caroli ſemper Auguſti ſpiritualis filii noſtri præſentiam, non indebita tribuiſti; & ut ea, quæ ſibi a nobis dicenda injuncta fuerant, aure ſuæ pietatis adverteret, & ad congruentem effectum perduceret, ſuadere curaſti. Quod cum Deus omnipotens imperatoriæ magnitudini, ut fieret, inſpiraverit; te tamen, qui noſtri ſtudii cooperator effectus es, admodum collaudamus, &, ut diximus, gratias tuæ induſtriæ referentes, & pro his & pro aliis retribuere tibi viciſſitudinem non omittemus. Nec non & quidquid honori tuo congruit, vel ad utilitatem tuam creſcere cognoverimus, incunctanter exequi procurabimus, & grato amore, adjuvante Domino, quouſque perficiamus, elaborabimus. Tu vero fili cariſſime, ſicut cœpiſti, ad infidelium noſtrorum, vel ſanctæ Dei eccleſiæ adverſantium tyrannidem funditus abolendam * magis inſiſte; ut qui ſanctam Romanam eccleſiam in multis lædere non formidarunt, tali ſententia, imo judicio percellantur, ut deinceps, quemadmodum es pollicitus, recuperationis locum nunquam inveniant. Ceterum quia pro maxima neceſſitate hujus noſtræ regionis, quam Saraceni pene totam depopulati ſunt, audivimus imperiale adjutorium uſque ad nos eſſe mittendum; gloriam nobilitatis tuæ nimium deprecamur, ut idem adjutorium, vel virorum exercitum, qui utinam jam præſens adeſſet, nullo modo illis in partibus moram pati permittat... veniendo eos exhorteris, ut urgeas, viriliterque quouſque veniant pro Dei noſtroque amore inſiſtas: quia niſi citiſſime venerint, & nobis opem contulerint, pejora prioribus fieri formidamus: ac per hoc domno imperatori peccatum & damnum oriri poterit, & quia eccleſia Dei, vel oves paſcuæ ejus fortiter diſcerpuntur, ipſum nomen Chriſtus, quod abſit, in gentibus blaſphemari. Data Kalendis Septembris, indictione decima.

* Edit. Rom. magis ac magis.

## II. AD LUDOVICUM REGEM.

Diſſenſiones inter ipſum & imperatorem ſcribit ſe non poſſe ſedare, niſi alteram prius audiat partem: interea monet, ut pacem cum omnibus, & præcipue cum imperatore ſervet, & ſubjectos compeſcat.

*Joannes epiſcopus dilecto filio Hludovvico glorioſo regi.*

EPiſtolas tuæ dilectionis, non quidem diverſas ſuſcepimus: quas relegentes, ea in eis reperimus, quæ niſi nos cariſſimi filii noſtri sereniſſimi quoque imperatoris domni Caroli ſemper Auguſti prior querela pulſaret, non ſolum admitteremus, verum etiam priuſquam putares inveſtigaremus, atque diſcuteremus, rectique lance libraminis, quod & facturos nos, Deo juvante, confidimus, penſaremus. Sed quia una pars ſine altera facile audiri non debet, interim deliberative non ſcribimus: quin potius gloriam tuam monemus, & auctoritate apoſtolica obteſtamur, ut pacem cum omnibus, & præcipue cum eodem imperatore conſervans, tibi ſubjectos compeſcas, & ab omnibus ſcandalis, vel factioſis conſpirationibus uſque ad noſtram diſcuſſionem (ſicut per te ſperamus) removeas. Quia nos, qui ſacerdotum

(a) Has epiſtolas iterum recenſui & emendavi ad editionem Romanam *Epiſtolarum SS. Pontificum anni 1519. Manſi*

tum Domini matura volumus eſſe judicia, nec illi, nec tibi contra juſtitiam favere ſtudemus. Hujus rei gratia (mediante ſancti Spiritus gratia) per noſtræ mediocritatis ſtudium, quidquid illud eſt, volumus diffiniri; & quod adhuc ſuſpendendum duximus, jam digna deliberatione, juvante Domino, diſpenſationis noſtræ judicio terminabimus. Data Kalendis Septembris, indictione decima.

## III. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Oſtendit ſe paratum eſſe firmare pactum quod fecerat: rogatque ſibi ad ipſum eunti hoſpitium parari.

*Joannes epiſcopus dilecto filio Guaiferio glorioſo principi.*

De Guaiferio principe Salernitano * Leo epiſcopus Oſtienſis libro 1. chron. Caſſ. c. 41. & 44.

QUia te non ſolum legatorum noſtrorum inter relata fidelium circum eccleſiæ noſtræ Romanæ regimen, cui Chriſto præſidemus auctore, devotum cognovimus, tuumque ſtrenuiſſimum generum Pulcari præfectum, verum etiam cum pro liberatione totius patriæ, ut nobis a Chriſto cura commiſſa eſt, in veſtras partes veniſſemus, pro certo fidelem reperimus: ideoque pactum quod petiſti, ut promiſeramus pontificali vera aſſertione a dilecto filio noſtro Carolo imperatore Auguſto, jure vobis firmandum, poteſtate per revertentes venerabiles legatos eccleſiæ noſtræ accepta juſte ac legaliter adſuturum ſtatuere ſumus parati; ſimulque mihi & novo agmini comitatum volo præparetis, ut dixerim ita hoſpitium, fideleſque noſtros incepta corroborate fidelitate, ac infidelibus, prout poteſtis, frænum redargutionis imponite, noſtrumque adventum, Deo duce, ſperate.

## IV. AD CLERUM, ORDINEM ET PLEBEM SANCTÆ VVALVENSIS eccleſiæ.

Invehitur in quemdam eccleſiæ Vvalvenſis invaſorem, legitimo adhuc ſuperſtite epiſcopo: laudat eos quod illum minime recipiendum duxerunt, ſimul præcipiens, ne unquam eum admittant, alioquin excommunicationis ſententiam minatur.

*Joannes epiſcopus clero, ordini & plebi ſanctæ Vvalvenſis eccleſiæ.*

QUia ſolicitudinis nos, quam pro omnibus Dei eccleſiis circumſpiciendis ſuſcepimus, maxima cura conſtringit, ut vel proviſa vitia reſecemus, vel rumore comperta, ne pullulent, vigilemus; latere vos nolumus perveniſſe ad nos, quod quidam, calcata reverentia canonicæ diſciplinæ, contra omne fas, imo contra legem eccleſiaſticam ſuperſtite veſtro paſtore velit auſu temerario veſtram ſinceritatem corrumpere; & (quod dictu nefas eſt) plebem ipſam invadere, gregemque dominicum, videlicet voſmetipſos diſcerpere, ſchiſmata generare, & Deum in hoc ad iracundiam provocare: habens quaſi auctoritatem ſæcularium id peragendi, & quæ ab eis, imo a nobis, vivente veſtro epiſcopo, jure dari non poteſt, nequiter exercendi. Quod tantum fieri prohibemus, tantumque deteſtantes abominamur, quantum contra canonicæ auctoritatis cenſuram, & contra divinæ legis traditionem, vel veterum A patrum exempla, tale quid attentari cognoſcimus, ut vivente uno epiſcopo, ac ſuperſtite conſiſtente, alter vel non petitus, vel qui peti non poteſt, nec etiam debet, ſedem viventis invadat; & hanc vel ſine noſtro conſultu, ut ita dixerim, expetat: vel quia (ſicut diximus) ſupereſt, in cor ejus aſcendat talia cogitandi. Verum nos primum vobis gratias agimus, quia (ſicut didicimus) veſtro epiſcopo fidem debitam conſervantes, eumdem invaſorem non recipiendum eſſe propoſuiſtis. Deinde noſtri apoſtolatus monitis omnium veſtrum devotionem hortamur, præcipimus, ac ſuademus, ut eodem veſtro epiſcopo vivente, nulli unquam mortalium vos conanti forte decipere, præbeatis aſſenſum, ut vel in modico a fi- B delitate ipſius veſtri epiſcopi qui nunc eſt, ſcilicet venerabilis Arnulfi, quoquomodo diſcedatis: quin potius omnem honorem ac reverentiam juxta ſacros canones ei impendere ſtudeatis, ut * magis, unde vobis gratias referamus, habere poſſimus: ſcientes nos nullo modo in tali nefando opere conſenſuros, ſed potius & factores, & eorum conſentaneos punituros. Verumtamen ſi hanc noſtram legitimam obteſtationem vos in aliquo ab his deviare cognoverimus, & habentes hanc noſtram auctoritatem vos omnium ambitioſorum factionibus contraire minime ſenſerimus, vel ſi quomodocumque talia facere tentanti vos conſenſum præbere ſaltem clanculo, quod abſit, dicerimus; ſciatis quia & vos anathemati ſubmit- C temus, & illum pari ſententia condemnantes, omne ſacerdotalis officii miniſterium, ut unquam nullis præſideat, ei perpetuo adimemus. Data, &c. indictione decima.

* Edit. Rom. magis ac magis

## V. De Neapolitanorum duce ejus fratre queritur, qui ſuis monitis non parebat. Quare hortatur, ut ab eo ſe ſeparet; alioquin cum eo ac ceteris fautoribus anathemati ſubjicietur.

*Joannes epiſcopus* *

MUlta per nos per deceſſoreſque noſtros reverendos pontifices duci Neapolitanorum, imo duci cæcorum, miſſis & epiſtolis diſcurren- D tibus dicta ſunt, quæ locum in ejus corde nullum penitus invenerunt: quia profecto viſcera ipſius verba vitæ æternæ recipere renuerunt: Judæis enim Dominus dicit: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Si quis*, inquit, *diligit me, ſermonem meum ſervabit*; ergo probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. Probatur igitur germanus tuus non diligere Deum, qui mandata ejus participando cum perfidis non cuſtodit. Nam Joannes apoſtolus ait: *Qui dicit quia diligit Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Sed nos poſtremo, nec etiam ſic contempti, quæ ad ſalutem ejus & cunctorum pertinebant, neglexi- mus: unde non angelus, non legatus quilibet, E (ut de redemptore noſtro prophetice dictum eſt) ſed ad ſalvandos eos ipſe per ſemetipſum apoſtolatus noſter adveniens, quid eſt quod debuit facere, & non fecit? licet ipſe, ut cum propheta dicamus, converſus eſt in amaritudinem vitis alienæ, & ſicut aſpides ſurdæ, & obturantes aures ſuas, non audierit vocem incantantium, id eſt prædicantium, nec mutaverit verſutiarum ſuarum colorem, aut varietatem, inſtar Æthiopis & Pardi, quibus perfidorum Iſraelitarum Jeremias duritiam comparavit, unde merito abſciſſi ſunt, ut de talibus apoſtolus optat: *Abſcindantur*, inquiens, *qui vos conturbant*, *a Chriſto*, id eſt a capi-

* Forte Athanaſio epiſcopo Neapolitano, ad quem nonnullæ inſcribuntur epiſtolæ: cujus meminit Leo Oſtienſis, lib. 1. chron. Caſſ. cap. 41. Fuit autem hic nepos & ſucceſſor ſancti Athanaſii, cujus mentio eſt in martyrol. Rom. die 15. Julii

*Joan. 8.* *Joan. 14.* *1. Joan. 2.* *Iſai. 5.* *Pſalm. 57.* *Galat. 5.*

capite & corpore, quod eſt eccleſia Dei vivi, co- A lumna & firmamentum veritatis. Ergo cum ita ſit, prudentia tua moveri non debet, ſi inter tales officium ceſſet doctorum, ſive torpenti deſidia faciente rectorum, ſive impœnitenti exigente crimine ſubjectorum. Divino enim judicio, quamvis occulto, talia fiunt, ſicut in libro B. Job. 12. Job legitur, cum de Deo inter alia fertur: *Ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat, commutans labium veracium, doctrinam ſenum auferens*: cujus ſenſus medulla concepta, procul dubio ſcito quia in optionem unum e duobus a nobis tibi tribuitur: aut enim (ſecundum quod Iſai. 52. ſcriptum eſt) *Exiens exibis de medio ipſorum, & pollutum non tanges*; aut certe, quamdiu cum talibus converſatus fueris, non poteris videri non B talis, ſed eris profecto illis pœna, ſicut conſortio Geneſ. 19 ſimilis. Nam Loth chaos Sodomis fugiens, cunctis necatis civibus, ſalvus ſingulariter redditur. Act. 12. Sic Petrus fugiens, Herodis catenis ereptus, ad ſalvandas gentes eruitur. Sic Paulus, obſervante Act. 9. Damaſci præpoſito, teneri intra clauſtra perfidorum noluit, in ſporta per murum ſummiſſus, Exod. 3. ad certaminis properat campum. Verumtamen ne ſanguis eorum de manibus tuis divinitus requiratur, tamquam ſegnis deſidiſque ſpeculatoris, qui videas gladium lupumque venientem, & taceas: 1 Tim. 4. *Inſta* interim (ut apoſtolus monet) *opportune,* 1 Tim. 4. *importune: obſecra, increpa: nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Qui ſi te audierint, lucrifacies fratres tuos: ſin autem, ſaltem tu ſalvans ſalva C quantocius animam tuam, ſciens proculdubio totius Heſperiæ præſules a nobis in proximo congregandos. Quibus generaliter immittentibus, tam perfido fratri tuo, quam omnibus ſectatoribus & fautoribus ejus perpetuum dicemus modis omnibus anathema, nunquam deinceps penitus diſſolvendum: quod ſi evadere ſatagis, in noſtrique affectus finibus inveniri, in nullo prorſus ab hoc noſtro recedere præcepto patere vel hortatu. Gratias præterea referimus ſuper his, qui per induſtriam tuam redempti ſunt a Domino, quos redemit de manibus inimici: & ſcito nil te nobis acceptius oblaturum, quam eos nimirum, pro quibus ſanguis oblatus eſt Chriſti. Data quinto Idus Septembris, indictione decima.

## VI. AD LEONEM ET PETRUM EPISCOPOS.

Miratur eos ad ſe non reverti incurſionibus Saracenorum laceſſitum: obteſtatur ut quantocius redeant. Quod ſi vim ab aliquo patiantur, præcipit ut fortiter ſe gerant, & id ſibi ſignificent.

*Leoni & Petro epiſcopis*

CUm vobis innumerabiles hujus Dei eccleſiæ neceſſitates non minus quam nobis ſint cognitæ, pro quibus compeſcendis vos ad piiſſimum E Cæſarem deſtinatos ſub magna velocitate ſenſiſtis, miramur vos tanto tempore nobis in tanto periculo conſtitutis, & Saracenorum incurſionibus undique laceratis, ad nos remeare uſque hactenus neglexiſſe. Neque enim vos alicujus violentia magis quam veſtra negligentia credimus retardatos, qui neſcimus ſub quibus argumentoſis ingeniis, conſiliis tamen a nobis anathematizatorum, ac fraudulentiis, more corvi tempore diluvii admittentem ſe minime revertentis, ita legationis veſtræ uſque nunc obliti fuiſtis, ut a Papia per tot dies Romam repetere minime ſtu- A deretis. Cujus rei gratia vos auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum principum, obteſtamur, præſentialiter ad ſanctam ſedem apoſtolicam, quæ vos miſit, epiſcopatuumque veſtrorum ſedes quantocius redeatis. Verum (ſi quod abſit) juxta quod a nobis anathematizatorum ſatellites gloriantur, quorumdam violentiis retinemini, & ad mittentes vos reverti non permittimini. Præcipimus vobis auctoritate Dei & Do- Romanæ eccleſiæ legatorum conſtantia mini noſtri Jeſu Chriſti, ut memores antiquorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatorum; qui nullis minis, nullis terroribus, nulliſque mortibus a ſuis legationibus diſceſſerunt, præſentialiter auctoritate hujus epiſtolæ initium ad nos revertendi facere ſtudeatis, & ſi permiſſi fueritis, ſtatim B ad nos revertamini. Si vero aliquis vos impedierit, violentia quam patimini, cunctis Chriſticolis valeat propalari, nobiſque continuo revelari: quatenus in eo quod contra morem gentium apoſtolicæ ſedis legatio, ecce ſecundo naufragium paſſa eſt, citiſſimum conſilium, confortante nos Domino, præparemus.

## VII. AD BOSONEM COMITEM.

Dolet quod ſibi deprecanti auxilium contra Saracenos non tulerit. Significat urbem magno in diſcrimine verſari, cum ad eam oppugnandam fama ſit magnum exercitum venturum: quare eum rogat, ut quantocius opem ferat. Legatos ab eo detineri miratur.

*Joannes epiſcopus Joanni Boſoni comiti.*

SÆpe gloriam tuam miſſis & literis hortari ac deprecari ſtuduimus, ut manum auxilii porrigens, contra nefandos Saracenos hoſtiliter occurrere tandem ſatageret: ſed, proh dolor, nil hactenus præſidii adipiſci meruimus, adeo ut nec reſponſum, ſicut nec de aliis quibuſque neceſſitatibus, a nobilitate tua recipere hucuſque noſcamur. Quapropter nimis dolentes, gementeſque, iterum iterumque dilectionem tuam monemus, hortamur, & obſecramus, ne differas ultra, nec patiaris populum Domini ab illis divi- D nitus fulminandis Agarenis diſcerpi, qui operuerunt univerſam ſuperficiem terræ, ſicut locuſtæ, ita ut pene cunctis habitatoribus inde ſublatis, & in prædam & gladium traditis, redacta ſit in ſolitudinem, & in cubilia beſtiarum, & (quod eſt adhuc amplius formidandum, atque cavendum) certa relatione didicerimus, ſtolum ampliſſimum in proximo ad expugnandam urbem venturum, id eſt centum naves, ex quibus cum equis ſunt quindecim grandes. Quod quam ingens malum & incomparabile ſit, ſi intente conſideraveritis, advertetis, perditio enim illius urbis totius eſt mundi diſpendium: imo & ipſius Chriſtianæ religionis jactura. Et ideo (ſecundum quod & ſpiritalis filius noſter ſemper Auguſtus neceſſario E tuæ commiſit induſtriæ) omnium ceterarum rerum curis omiſſis, hoc vos convenit toto conſiderare mentis intuitu, & ad auxilium noſtrum non modicum exercitum quantocius deſtinare. Si enim veſtrum divinitus roboratum nobis non porrigitis validum & amplum confeſtim auxilium; ſcitote nihil amplius remanere, niſi ut nobis a vobis deſperatis dimiſſis, vobis etiam ab hac ſancta eccleſia nulla ſpes ultra remaneat. Porro ſi in præſenti neceſſitate nobis aptum & ſufficiens præbueritis auxilium, & nihil differentes, populo Dei, beato Petro ſpeciali prærogativa commiſſo, ſubvenire ſtudueritis; ſcitote in omni op-

por-

portunitate veſ a tanto nos fore promptiores, quanto fuerimus redditi ab hoſte ſecuriores. Ceterum dilectionem tuam miramur legatos retinuiſſe, Leonem epiſcopum cariſſimum nepotem noſtrum apocriſiarium & miſſum apoſtolicæ ſedis, atque Petrum æque epiſcopum, qui cum feſtinantes per vos ad divinitus protectum Auguſtum mitterentur; a vobis & tunc detenti ſunt, & modo nihilo minus non merito retinentur. Quod quia contra decus apoſtolicæ ſedis, quod nunquam factum eſt, profecto non dimittemus, cum hinc certi fuerimus, inultum. Cum enim nos illos pro multiplicibus eccleſię noſtræ neceſſitatibus ſub nimia feſtinatione miſerimus; a vobis quem hoc non latet, non impediri, ſed ad id celerius agendum veſtris, ſicut credidimus, potius debuere fulciri ſubſidiis. Data *ut ſupra*.

## VIII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Imperatoris precibus, cum Burdigalenſis provincia paganis eſſet devaſtata, Frotarium Burdigalentem archiepiſcopum transfert in eccleſiam Bituricenſem.

*Joannes epiſcopus Carolo imperatori.*

PEtitionem veſtram, filiorum cariſſime, quam non obnegando ſed diſpenſando dudum diſtulimus, nunc nos ad votum noſtrum ob id vel maxime, Chriſto præduce, perduxiſſe gaudemus: quod & veſtram gloriam perſeverantem teſtificatricem cognovimus, & provincialium præſulum conſentaneas probationes probavimus, & legatorum noſtrorum ſubtiliſſimas diſquiſitiones advertimus. Quocirca, licet nos multis canonicis teſtimoniis provocati petitionem veſtræ devotionis implere magnopere moliremur, & ſolis majeſtatis veſtræ teſtimonio ſuper exterminio Burdigalenſis provinciæ credere minime cunctaremur: tamen quia pietatis veſtræ teſtimonio comprovincialium quoque præſulum literas convenire, ſicuti rebamur, nuper cognovimus, ſecundum pietatis veſtræ religioſiſſimum libitum, Burdigalenſis diœceſis epiſcopum, fratrem ſcilicet noſtrum Frotarium in Bituricenſem eccleſiam cardinalem fieri decernentes, metropolitanæ dignitatis privilegio iterato munire curavimus; & ſtudii veſtri ſolertiam, quo ſemper idoneos eccleſiæ viros quadam naturalis ingenii nobilitate deligitis, admirantes, congruas literas, his quorum intereſt, ex auctoritate ſedis noſtræ direximus, atque magnanimitatem veſtram, quam iſtius religioſi negotii circa nos incentricem cognovimus, eam nihilo minus executricem fore nec immerito delegamus. Quatenus propter Deum, cujus Filii pretioſo ſanguine tota per mundum redempta conſiſtit eccleſia, ſic iſtius neceſſariæ diſpenſationis inſtituta cuſtodiat, ut a paternis regulis conſtitutis antiquitus in parte altera nunquam omnino diſcedat. Præterea, quod filiolitatis veſtræ petit induſtria, ut quorum ſuggeſtionibus dudum veſtra ſit dilata petitio detegamus, omnino ſciatis, quia nos licet indigni ſimus, tamen quoniam per conſequentiam priorum noſtrorum pontificum maturo cogimur eſſe judicio, cauſam tantæ deliberationis ideo non facile tunc deliberandam credidimus, ne diffiniſſe, quod Deus averterit, minus ordinabiliter videremur. At poſtquam Deus omnipotens petitionem ſerenitatis veſtræ comprovincialium præſulum teſtimonio decoravit, imo teſtimonia præſulum pietatis veſtræ ſuffragio confirmavit, nos religioſam petitionem veſtram complevimus, & ſuggeſtionibus fratrum coepiſcoporumque noſtrorum manus porreximus, & eccleſiæ Dei tantis neceſſitatibus conſulentes, de theſauro pontificalis pectoris ita vobis protulimus, ut a doctrinis deviaſſe veteribus nullo modo videamur. An. Ch. 870.
Data *ut ſupra*.

## IX. AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Nunciat legatos ad imperatorem rediiſſe, quem in epiſcoporum & optimatum conventu Romanæ eccleſiæ jura recognoviſſe, præcipue vero terræ Capuanæ pactum ſuo juri commiſiſſe ſcribit: ideo in ejus partes ſe venturum promittit.

*Joannes epiſcopus Landulfo epiſcopo Capuano.*

SAncta Romana eccleſia, cujus Deo auctore præſidemus regimini, cunctis ab exordio ſibi fideliter ſervientibus dignam in præſenti & in futuro ſæculo ſolita eſt bonæ retributionis mercedem rependere; tibi nihilominus reliquiſque fidelibus ſuis utroque modo, ob veſtræ fidelitatis devotionem, quam illic poſiti plene cognovimus, per omnia maternis viſceribus favebit in proximo. Siquidem noſſe volumus tuæ religionis intentionem: quoniam, Domino cooperante, Leone venerabili epiſcopo nepote noſtro, ac ſanctæ eccleſiæ Romanæ eximio apocriſiario: aliiſque noſtris legatis, quos nuper direxeramus, a cariſſimo filio noſtro Carolo imperatore Auguſto reverſis, vobis, utpote a ſecreto conſiliariis noſtris, ratum ducimus animi ejus, Deo inſpirante, circa eccleſiarum, præſertim Romanæ, quæ caput eſt omnium, exaltationem, affectum patefacere; omne ſane jus poteſtatis antiquitus attributum capitulariter renovamus in conventu epiſcoporum ac optimatum, inviolabiliter conceſſit habendum. Hujus concilii & legatorum meminit Aimoinus l. 5. de geſtis Franc. c. 33.
Inter quæ de terræ veſtræ pacta, prout Chriſto duce voluiſſemus, ſtatuere, noſtro juri poteſtatique commiſit; quatenus id quod pontificali ore nudis verbis diximus, operum oſtendamus patratione, & ut pro animæ veſtræ exhilaratione * patrum notarice ſtylus ſcribentis loquatur, Parate Locus, ut videtur, mendoſus. H
hoſpitium, quia cum novo hoſpitum agmine Dei gratia in veſtras partes ſumus venturi. Frænum coercitionis infidelibus, quantum valetis, imponite, fidelibus quoque futuræ in proximum ſpei ſublevationem promittite: Domini Dei noſtri ſine intermiſſione hortor miſericordiam deprecamini, noſtrumque adventum ſpectate veraciter.

## X. AD ADALARDUM EPISCOPUM VERONENSEM.

Commendat eum ob præclaras virtutes, & jubet ut Romam ad concilium veniat.

*Joannes epiſcopus Adalardo epiſcopo Veronenſi.*

ADvertit plane prudentia tua, quanto & quali circa ſe apoſtolatus noſter flagret affectu, cum tuæ cauſa provectionis non modicum ſumpſerimus laborem, idoneum te Chriſti ſacerdotem merito arbitrantes futurum, & ſpiritualem potius quam ſæculi gloriam ſectaturum, cum & ipſa nimirum nobilitatis ſuæ inſignia, & ſapientiæ ſpecula, talia de te ſperanda tribuerunt: quod quia vindicare ſibi virtutum niſibus & probitate morum ſanctitatem tuam comperimus, Deo innumeras gratias valde gratulanter retulimus, & in hoc, quia ſecundum apoſtolum *ſpes non confundit*, experimenta didicimus: & ideo in proxi- Rom. 5.
mo

A mo, cauſa eccleſiaſticæ ſimul & imperialis opportunitatis, certorum congregaturi epiſcoporum concilium, dilectionem tuam tanto conventui jubemus adeſſe. Accinge igitur ſicut vir lumbos tuos, & aſſume tibi penas ſicut columba, & vola, & veni, & requieſce in ſinu apoſtolicæ dilectionis, ita ut pridie Kalendas Decembris præſentiam tuam liminibus apoſtolicis & noſtris exhibeas prorſus obtutibus. Porro ſi hoc impoſſibile aſſeris VIII. Kalendarum Januariarum: quod hortamur & jubemus expleri, ſi dumtaxat ab apoſtolicæ ſedis communione renuis prorſus arceri: dignum enim non eſt, ut tantæ ſapientiæ vir tanto procul cœtui ſit. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data IV. Nonas Novembris, indictione decima. *An. Ch. 876*

## XI. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Laudat eum de judicio in Emmenum prolato, & hortatur ut cum illo clementer agat.

*Joannes epiſcopus Carolo imperatori.*

SUper judicio veſtro in Emmenum prolato, o rectiſſime imperator, cum cælo tota terra lætatur. Scriptum eſt enim: *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam*. *Pſal. 57.* Cur autem dicimus lætatur, cum ſuper * judicio Salomonis ſcriptum ſit: *Quia audivit omnis Iſrael judicium quod judicaſſet rex & timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum judicium?* *3 Reg. 3. * Ep. Rom. Joannis* C Super quo videlicet judicio ſentiendum merito ducimus, quia lætati quidem benigni, triſtari vero ſunt omnino maligni. Ergo & hic ita datur intelligi, quia nimirum ſuper judicio veſtro lætantur juſti, deterrentur injuſti. Nam & omnipotens Deus, cujus & vos judicium æmulamini, terribilis peccatoribus, & blandus eſt juſtis. Quia igitur ſuper Emmeno jam exhibuiſtis ſeveritatem judicii, quæſumus exhibete de cetero pietatis inſigne. Impoſuiſtis in humeros ejus onus auſteritatis: adhibite jam nunc ad removentem digitum lenitatis. Mementote quia hunc vobis cum Petro Paulus dilectis ſuis, ſicut Philemoni quondam Oneſimum remittit, implorans & obſecrans, quatenus eum ut ſua viſcera ſuſcipiatis. *Ad Philem. 1.* D Quia etſi fortaſſis ad horam aliquando quidem vobis inutilis, exemplum non bonum ceteris tribuens, viſus eſt; nunc autem & vobis, & nobis, & plurimis utilis eſt, longanimitatis formam & patientiæ cunctis oſtendens. Rogamus ergo, ut penes vos non ſibi tam ſuus obſit exceſſus, quam fidei & amoris erga vos habiti proſit affectus. Et quia noxam propriam & pœnam indictam ſibi confiteri non renuit, animadverſione remota quam meruit, patronos veſtros, & ſanctos ſcilicet primos apoſtolos ſe proficue adiiſſe & ſalutaſſe de reliquo ſentiat, & de tanto ſibi collato munere lætetur & gaudeat, ut ubi abundavit peccatum, ſuperabundet ſecundum apoſtolum gratia. E *Rom. 5.* Data pridie Kalendas Novemb. indict. decima.

## XII. AD IMPERATOREM ET IMPERATRICEM.

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

*Joannes epiſcopus ad imperatorem & imperatricem.*

DUm non minus pro miſericordiæ intuitu delinquentibus (a) exhibendo, quam judicii ſeveritate in improbos exercenda, omnipotens Deus gloriam ſerenitatis veſtræ imperiali voluerit ſublimare decore, dignum profecto eſſe rati ſumus paſtorali cura fungentes apud majeſtatis veſtræ excellentiam pro multorum ſalute, vel B vitæ indulgentiam, & præcipue illorum, qui diabolico licet inſtinctu nefanda committentes, ad apoſtolorum principum Petri & Pauli fautorum veſtrorum limina, divina tamen pietate commoti, venire feſtinant, & miſericordiam humili prece implorant, toto mentis anniſu intercedere, atque pro viribus conſolationis opem in quantum fas eſt petentibus impartiri clementer. Unde pro hujus viri, Madelgeri videlicet nomine, qui adverſario incitante quemdam hominem Odelricum vocabulo peremit, ſalute, membrorum omnium integritate, & rerum ſuarum reſtitutione, majeſtati veſtræ ſuggeſſimus, filiorum cariſſime, & pro amore Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctorumque apoſtolorum, quorum li- C mina præfatus Madelgerus adiit, noſtræque paternitatis, quam ſinceriſſimam erga nos habetis, dilectione precamur, quatenus gratiam veſtram plenariam ei reddere non dedignemini eoque cum veſtræ ſerenitatis reſpectu accepto, pro ſuis valeat exceſſibus pœnitentiam fructuoſam accipere, qua commiſſi poſſit piaculi noxias ſordes abluere, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini de omnibus ultricem dantis vindictam. Nam pro tanti itineris labore duriſſimo, quem veniendo perpeſſus eſt, ſicut credimus, aliquantulam de peracto ſcelere indulgentiam meruit, ejus utique interceſſionibus adjutus, cui dictum a Domino conſtat: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cæ-* *Matth. 16.* D *lis. & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Quod cum ita ſit, precamur etiam, ut eum cum parentibus ejus qui defunctus eſt, paciſcere jubeatis, ne majus deinceps malum, quo multorum animæ noceat, perpetretur. Data *ut ſupra*.

## XIII. AD BITURICENSES.

Ut Frotario Burdigalenſi archiepiſcopo, cui tamdiu Bituricenſem eccleſiam committit, quamdiu pagani Burdigalenſem diœceſim obtineant, omnes obediant.

*Joannes epiſcopus clero, & plebi & ordini ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ.*

SUggeſtionis veſtræ relegentes epiſtolam, quod ab apoſtolatus noſtri auctoritate de confratre noſtro Frotario reverendo archiepiſcopo poſtulant, hoc nos aliorum teſtificationibus, & præcipue ſereniſſimi ſemper Auguſti, ſpiritalis quoque filii noſtri relatione comperimus; ſed & legatis

(a) poſt verbum *delinquentibus* additur in edit. Rom. *Vaſſallum veſtrum, quo accepto dumtaxat exhibito quam judicii* &c. *Manſi*.

legatis apoſtolicæ ſedis, Leone videlicet venera- A bili epiſcopo, apocriſiario & miſſo ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſeu Petro æque venerabili epiſcopo, revertentibus, didicimus pene totam provinciam Burdigalenſi metropoli pertinentem, ſicut ab his qui cauſam illam noverunt, iidem noſtri legati diſcere potuerunt, ita eſſe paganorum perſecutionibus deſolatam, ut non ſolum ipſe confrater noſter illic lucri aliquid ſubjectis conferre non poſſit, verum etiam habitatio fidelium inde ſubtracta conſiſtat. Quapropter quia eumdem virum Frotarium reverendum archiepiſcopum probis moribus actibuſque præclaris, & ad lucrum animabus hominum conferendum idoneum eſſe comperimus, ne talis tantuſque vir otio, quo prodeſſe aliis valeat, minime vacet; ejuſdem ſanctæ Bi- B turicenſis eccleſiæ, cui ſubeſtis, ei paſtoralem curam apoſtolica auctoritate committimus, & in ipſa eum incardinandum neceſſario eſſe cenſemus. Cui vos ita decentem obedientiam & canonicam ſubjectionem humiliter exhibete, utpote re vera metropolitani jura tenenti, proprio rectori, & veſtro antiſtiti convenit, & ex noſtra apoſtolica auctoritate diffinitum advertitis, & ecce mandatum habetis: quatenus de bono veſtræ obedientiæ nobis Deo gratias referentibus, & vobis reverentia competenti ipſum præfatum archiepiſcopum excolatis: & ille vobis, tamquam pro vobis rationem Domino redditurus, modeſte præeſſe ſtudens, ut dilectos filios amplectatur. Porro ſciatis, quia ſic iſta non modica interveniente C neceſſitate barbaro modo concedimus, ut tali neceſſitate remota, removeatur etiam id, quod neceſſitas imperat. Data v. Kalendas Novembris, indictione decima.

## XIV. AD EPISCOPOS PROVINCIÆ BITURICENSIS.

Ut Frotario tamquam metropolitano ſuo deinceps obediant.

*Joannes reverentiſſimis & ſanctiſſimis fratribus noſtris epiſcopis per Bituricenſem provinciam conſtitutis.*

QUia Burdigalenſem urbem, ſed & totam pe- D ne provinciam quorumdam veſtrum literis, ſed & Leonis apoſtolicæ ſedis apocriſiarii * expreſſa relatione didicimus diverſis cladibus, ſed præcipue incurſibus Nortmannorum deletam, & in ſolitudinem partim gladiis, partimque captivitate deductam, neceſſaria rerum, ut cum ſancto Papa Gelaſio deceſſore noſtro dolentes gementeſque fateamur, diſpoſitione conſtringimur, & apoſtolicæ ſedis moderamine convenimur, ſic canonum paternorum decreta librare, & retro præſulum deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum pro inſtaurandis eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus. Ecce enim * de civitate ad civita- E tem epiſcopi tranſmigrent, ſancti canones provide ſanciunt. Sed ſi hujuſmodi ſanctiones ſine ulla diſcretione vel diſpenſatione ducimus obſervandas, nullam compaſſionem fratribus exhibemus, quos gentilium gladios paſſos cauſa fidei Chriſtianæ ſervandæ videmus egentes, anguſtiatos, afflictos, hac illacque palantes incedere: præſertim cum nonnulli eorum ita ſint Dei gratia illuſtrati, ut non ſolum ſcientia, ſed & moribus; non ſolum verbo, ſed & exemplo plurimos valeant erudire. De quorum numero quia Frotarius Burdigalenſis dudum antiſtes, ut teſtatur veſtra fraternitas, extat; neceſſario duximus eumdem virum alii eccleſiæ præponendum & incardinandum, Bituricenſi videlicet, quæ & vacans eſſe nobis denunciata eſt, & tanti viri digna regimine: ne per minus idoneum rectorem ſalubre ſalvandarum animarum deſit ei præſidium, & nos e contra ingentis culpæ involvamur annexu, ſi tanto urgente diſcrimine, tantæ minus conſulamus eccleſiæ, propugnatori hanc probabili minime committentes. Prioribus itaque manentibus regulis inconvulſis, quæ ubi nec rerum, nec temporum urget neceſſitas, jure convenit obſervari, vacante ſede, Frotarium fratrem & coepiſcopum noſtrum in ſede Bituricenſi præficiendum ordinavimus ſacerdotem: ita ut in ea incardinatus, & quodammodo auctoritatis apoſtolicæ privilegio radicatus, cetera metropolitana Bituricenſis eccleſiæ ac diœceſeos jura tamquam Deo contemplante obtineat, diſpenſet & ordinet, omni poſthac querimonia invidorum prorſus ablata. Cui vos tamquam proprio metropolitano convenit obedire, & competentem exhibere, ſecundum priſtinum morem, reverentiam & honorem. Sane latere vos nolumus, ſic nos iſta intervenien- C te non modica barbarica neceſſitate nunc concedere, ut tali neceſſitate remota, conſuetudinarie ulterius non requiratur, quod removeatur etiam illud, quod neceſſitas impetraret. Optamus ſanctam fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper valere. Data VII. Kalendas Novembris, indictione decima.

* Edit. Rom. addit ſanctiſſimorum noſtrorum.

* Edit. Rom. addit: ne

## XV. AD EPISCOPUM CARNOTENSEM.

Pro Madelgero qui Oldericum occiderat.

*Joannes epiſcopus reverentiſſimo Giſliberto epiſcopo ſanctæ Carnotenſis eccleſiæ.*

DIlectionis veſtræ reverentiam ſpiritalibus pollere virtutibus procul dubio arbitrantis, his apoſtolatus noſtri literis convenire, ac pro præſente viro Madelgero, qui ſuadente adverſario quemdam hominem Odelricum nomine gladio peremit, unde divina inſpiratione compunctus ad limina ſanctorum apoſtolorum principum Petri ac Pauli, per longa itinerum ſpatia pro ipſius delicti abolitione venire curavit, petere ſtudemus, ut pro amore Dei, & eorum ad quorum ſacratiſſimas eccleſias venit, & pro ſuis exceſſibus Deum deprecatus eſt, necnon & pro noſtræ paternitatis dilectione, illi omnes res proprias, atque beneficium cum propriis honoribus quos abſtuliſtis, cum plenaria gratia reddere non dedignemini, ſicuti dilectionis noſtræ conſortium & caritatem circa te cupis habere ſinceriter illibatam. Data *ut ſupra* (*a*).

XVI.

(*a*) In edit. Romana poſt hæc additur fragmentum, ut apparet, alterius epiſtolæ: *Gloria magnitudinis veſtræ cognoſcat quia Roffredus glorioſus comes monachus Sancti Amantii B. Petro Apoſtolorum Principi* (hic aliquid deeſt) *tribuit. Cujus quoniam quaſdam res Umfredus comes dicitur abſtuliſſe, pietatis veſtræ gloriam ſupplicamus, ut pro amore Sanctorum Apoſtolorum Principum eaſdem res reddi præfato monaſterio præſentaliter faciatis: quatenus fructus veſtræ mercedis maneat in ſæculum ſæculi. Data ut ſupra.* Manſi.

A

## XVI. AD DOMINICUM ET LEONEM EPISCOPOS.

Significat quoſdam qui Romam ad concilium vo-
cati venire neglexerant, ſe excommunicaſſe,
niſi ad certam præſtitutam diem venerint: hor-
tatur ut quamdiu illi abſuerint, eorum officia
exequantur.

*Joannes epiſcopus Dominico Olivolenſi, & Leoni Caprenſi, epiſcopis.*

SAnctitatem veſtram nolumus ignorare, miſiſ-
ſe nos Felici & Petro epiſcopis, & Domini-
co, qui vocatur electus Torcellenſis eccleſiæ, ſeu B
abbati Altinenſis monaſterii, atque archidiacono
Torcellenſis eccleſiæ, nec non & archipresbytero
& archidiacono, atque hujus æquivoco ac nepoti
Laurentio diacono Gradenſis eccleſiæ, quia totiens
a nobis vocati ad concilium Romæ occurrere
contempſerunt, futuram excommunicationis ſen-
tentiam, & eum qui ex his tunc ſaltem venire
diſtulerit, tamdiu poſt Idus Februarias omni ec-
cleſiaſtica communicatione privaſſe, quamdiu in
obſtinatione propria perſeverans, apoſtolicam adi-
re ſedem contempſerit. Alios enim horum no-
ſtro concilio pro communibus eccleſiæ utilitati-
bus volumus intereſſe. Quoſdam autem, quia ſu-
per quibusdam reprehenduntur exceſſibus, de his
ſatisfacturos requirimus. Unde, fratres cariſſimi, C
vos in ſpecula eſſe præcipimus, & ſi quidem præ-
dicti epiſcopi, dextra excelſi corda eorum immu-
tante, ad concilium noſtrum circa Idus occurrerint,
ut prædictum eſt, Februarias; vos per ipſam re-
gionem morati, quæ ſunt veræ religionis peragi-
te: ne quis ſine perfectis Chriſtianitatis ſacramen-
tis abſcedat, neque pœnitens minus reconciliatus
deficiat: & cetera illic interim definite, quæ ad
ſpeciale pertinent epiſcoporum officium. At vero
ſi pater inobedientiæ ſic mentes eorum obſederit,
ut obedire omnino diſpiciant, reſtat ut eo, qui
obaudierit, benignius tractato, qui prænotato tem-
pore ex his omnibus abſuerit, poſt excommunica-
tionem noverit ſe anathematis gladio punien-
dum. Qua de re prævidimus hæc omnia nota fa- D
cere vobis, ut ea ſcientes ad omnium notitiam
perferatis, & hoc ad quod decrevimus exhortari,
magnopere ſtudeatis. Quod ſi vos non audierint;
*Non enim* (ut Dei ad Ezechiel voce dicamus) *volunt*
*audire vos, quia nolunt audire nos*: habete illos, (Ezech. 3.)
& habendos ubique modis omnibus prædicate, ſi-
cut Dominus præcepit haberi eum, qui eccleſiam
non audierit: tantumdem eſt ſi dicatur, ſicuti nos
eos haberi * decreviſſe ſignificavimus. Videte autem,
ne perſona vobis quælibet ſilentium poſſit impone- (* Edit Rom. addit. *ſupra* Matth. 18.)
re: ne quod abſit, tamquam idololatræ judicemini.
*Eſt enim* (Samuel edocente) *quaſi ſcelus idololatriæ,* (1 Reg. 15.)
*nolle acquieſcere*. Si præterea Felix vel Petrus im-
pedimento inevitabili prohibitus, non venerit,
idoneum virum ex diaconibus eccleſiæ ſuæ mit- E
tat per omnia vices ſuas ſupplentem. Jam vero ſi
quoqpomodo potuerint & noluerint, quia idcirco
excomunicationis una cum tanti mali auctoribus
ſunt nexibus irretiti, non ſolum ab eorum vos
communione prorſus arcete, ſed & ab omnibus
qui eis communicaverint (ſunt enim pari omnes
obligatione conſtricti.) Optamus ſanctitatem, &c.
Data Kalend. Decembris, indictione decima.

## XVII. AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

Rogat epiſcopos, qui Romam ad ſynodum evocan-
tur, ſuis ſumptibus alat; quibus, niſi acceſſe-
rint, excommunicationis ſententiam minatur.

*Joannes, Urſo duci Venetiarum.*

CUm pro cauſa venerabilis fratris noſtri Pe-
tri ſanctæ Gradenſis eccleſiæ antiſtitis finien-
da, Dominicum vocatum electum, cui eſſes fi-
lium tuum * ſociandus ad apoſtolicam ſedem mit- (* Pro, *ſociaturus*. Hard.)
tere promiſeras, nec tamen verbum veritas ſubſe-
cuta eſt, valde mirati ſumus: & quod non omni B
ſpiritui, nec in omni negotio credere docente apo-
ſtolo debeamus, patenter advertimus. Exhibitio
enim rerum præteritarum, certitudo eſt futurorum.
Quia vero idem frater & coepiſcopus noſter more
majorum ſedem apoſtolicam appellavit, imo ala-
criter adiit, obſecrans, ut controverſiæ, quæ in-
ter ſe vertitur & prædictum Dominicum, utra-
que coram poſita parte, finem legitimum impo-
namus: ſecundum quod ſe ratio habet, & jus ca-
nonicum dictat, rurſus præcipimus, ut jam dictus
Dominicus, Kalendis ſaltem Februariis Romam
nobis ſatisfacturus, & ſeſe purgaturus occurrat;
ambitionis enim crimine denotatur, ac per hoc
juxta ſacros canones manifeſtum eſt confiteri eum
de crimine, qui purgandi ſe occaſione non utitur. C
Jam vero ſi dixerit ſe non venientibus epiſcopis ve-
nire non poſſe, noverit & epiſcopos nos illius re-
gionis occurrere præcipere, & eumdem Petrum
venerabilem Domini ſacerdotem imitandum tribue-
re, qui cum metropolitanus eſſet, nullis comi-
tantibus ſecum epiſcopis, memoriam apoſtolorum
veniendo, ſicut quondam ſanctus Athanaſius, ho-
noravit: verumtamen & ex epiſcopis duos venire
decernimus, Felicem ſcilicet & Petrum, ut tan-
tum negotium non ſine præſentia regionis epi-
ſcoporum hujus cognitionem habentium diffiniri
quoquomodo videatur; ita ut ſi forte ſe Felix
venire nullo modo poſſe prætenderit, vicarium
ſuum mittat, qui & mittentem ſe jurejuran-
do excuſet, & in ſynodo vice mittentis adim- D
pleat. Petrus autem ſi adeſt, modis omnibus ve-
niat, ſiquidem (ut perhibetis) Conſtantinopolim
mittendi nec mos veſter nos latet, nec tempus.
* Matarius quippe prius huc venire ac redire ad (* Forte, Maturius, & delendum prius Hard.)
propria poterit, quam mari mos & tempus accedat
itineris. Præterea jubemus archidiacono ad nos ve-
nire Torcellenſis eccleſiæ: ſimiliter & Altinenſis ab-
batem monaſterii. Nihilo minus & archipresbyte-
rum & archidiaconum, atque hujus æquivocum &
nepotem Laurentium diaconum Gradenſis eccleſiæ,
quo impræſentiarum ſuper his, quibus impetuntur,
idoneam rationem, canonicamque (ſi nocentes ſunt)
ſubeant ultionem. Quæ omnia ideo gloriæ tuæ
nota fieri volumus, ut illi ad apoſtolicam ſedem,
ſanctamque ſynodum occurſuri, liberalitatis tuæ E
adminiculis ſuſtententur, ſumptibuſque locupleta-
ti laborem itineris facilius ac levius ferant, ſecun-
dum pios principes, qui in talibus munifice ſem-
per erant intenti. Hos autem quos hac auctori- (Principum in epiſcopos munificentia)
tate apoſtolicæ præſentandos ſedi decrevimus, quia
tertio jam commoniti hucuſque occurrere contem-
pſerunt, Romam * diebus Februariis fore ventu- (* Pro, Idibus. Hard.)
ros decrevimus, niſi forte inſtanter properare de-
legerint. Porro * poſt Februarias tamdiu ſit u- (* Forte poſt idus Februarias. Hard.)
nuſquiſque ipſorum cum fautoribus ſuis ex ommu-
nicationis vinculis innodatus, quamdiu ad ſedem
apoſtolicam non occurrens, nullam idoneam ſu-
per

per ſe rationem regulariter exhibuerit; ſciens ſe A anathematis poſtmodum ſententia feriendum. Data Kalendis Decemb. indict. x.

## XVIII. AD FELICEM ET PETRUM EPISCOPOS.

Felici & Petro ſacris interdicit ob non exhibitum Grandenſi archiepiſcopo obſequium; eoſque ſub excommunicationis pœna Romam ad concilium venire, & ſi impediti fuerint, vicarios mittere jubet.

*Joannes, Felici & Petro epiſcopis Mandanaucenſi, & Equilenſi.*

QUam ingrati & inhumani fueritis erga reverendum fratrem noſtrum Petrum eccleſiæ Gradenſis antiſtitem, in hoc maxime datur intelligi, in quo ille pro legibus paternis incolatum arripiens, nullum veſtrum comitem ſuæ peregrinationis habere promeruit: præſertim cum ad limina ſit apoſtolorum profectus, ſedemque adierit, ubi ſemper catholicis ſubvenitur, & ubi plurimi ſanctorum injuriam paſſi, petram, a qua Petrus nomen ſortitus eſt, refugium invenerunt. Additum autem eſt huic rei, quoad majoris contumaciæ veſtræ cumulum demonſtrandum; quia ſcilicet non ſolum cum illo ſtantes ſecundum prophetam, *Minime ex adverſo aſcendiſtis, & oppoſuiſtis murum pro domo Domini*: ſed quaſi rebelles rupto unanimitatis C fœdere tranſiſtis ad hoſtes; & cum non ſitis cum illo, facti profecto eſtis adverſus illum, ſicut Dominus ait: *Qui non eſt mecum, contra me eſt*. in quo & ipſam beſtiarum tranſcendiſtis ſævitiam, parricidalibus adverſus eum utentes conſiliis: pro quibus omnibus apoſtolatus noſtri vos Romam occurrere, & pro his & aliis quæ corrigenda duximus, ſatisfacere, non ſemel apicibus commonuimus, ſed venire hactenus modis omnibus contempſiſtis. Quapropter vos a ſanctis myſteriis interim celebrandis auctoritate ſummi paſtoris arcemus, jubentes, ut Idibus Februariis iſtius indictionis, ſi adeſtis, vel ſi duræ infirmitatis pondere non gravamini, ſynodo noſtræ Romæ celebrandæ intereſſe inexcuſabiliter maturetis; quatenus & ab objectis purgemini, & a D capite, tam ſcilicet apoſtolica ſede, quam metropolitano veſtro in nullo dividamini. *Ne* (quod abſit) *circumveniamini a ſatana*, qui videlicet ſemper diſſenſione gaudet: membra quippe, quæ capite non hærent, inter mortua deputantur. ſicuti procul dubio vos, qui nec apoſtolicæ ſedis, quæ eſt caput omnium Chriſti eccleſiarum, decretis hæretis, nec affectui metropolitani proprii, & patroni atque magiſtri. Jam vero ſi Idibus ſaltem Februariis occurrere contumaciter parvipenditis, tamdiu eſtote poſthac omnis eccleſiæ communione una cum vobis faventibus alieni, quamdiu venire ac ſatisfacere ſuper quibus impetimini, non curatis. Ecce enim venerandos forte canones tenetis præ manibus, qui tales ſanciunt non communicaturos E donec purgentur. Porro ſi quiſquam veſtrum nullo modo ſe poſſe venire prætenderit, vicarium ſuum mittat, qui & mittentem ſe jurejurando excuſet, & in ſynodo vicem mittentis adimpleat. Data Kalendas Decembris, indictione decima

Ab apoſtolica ſede catholicis ſemper ſubvenitur.

Ezech. 13.

Matth. 12.

## XIX. AD DOMINICUM ELECTUM EPISCOPUM TORCELLENSEM.

Invehitur in Dominicum electum epiſcopum, quod bis vocatus Romam non acceſſerit; eumque, niſi venerit conſtituta die, excommunicat.

*Joannes, Dominico vocato electo Torcellenſis eccleſiæ.*

QUia fama crebreſcente Torcellenſem invaſiſſe diceberis eccleſiam, & ſemel & bis decrevimus, te Romam venturum, ut coram poſito fratre noſtro Petro ſanctæ Gradenſis metropolitano antiſtite, una cum epiſcopis qui degunt ſub B ipſo, facta ſuper te diſcuſſione, rumor longe lateque reſperſus, aut innoxius patefactus abſolveretur, aut comprobatus noxius damnaretur, venire modis omnibus conſtituimus. Unde merito a nobis fores damnandus, niſi erga te, petente nobis dilecto nobis Urſo glorioſo duce, minus ſeveritate quam patientia uteremur. Verum quia eatenus non veniſti, excommunicatum te jure a nobis eſſe cognoſceres, in promptu habentibus, ſecundum apoſtolum, ulciſci omnem inobedientiam: verum quia nec ſic interim contempti ſalutem tuam contemnimus, unde tertia ecce te vice vocamus, & Idibus Februariis præſentis decimæ indictionis noſtro concilio Romæ adeſſe mandamus: ita ut ſi tunc non occurreris, tamdiu ſis C cum faventibus tibi deinceps a nobis & a toto Chriſti corpore alienus, quamdiu minus reſipiſcens, obedientiæ nequaquam juſſis noſtris colla ſummiſeris. Porro, ſi in hac indiſciplinatione permanſeris, noveris deinceps tibi veniam denegandam, & ſecundum ſanctos canones nil de abſentia penitus lucraturum, & non ſolum communionis, ſed & honoris jacturam anathemate perculſum ſine fine paſſurum. Data Kalendis Decembris, indictione decima

1. Cor. 10.

## XX. AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

Gratias agit, quod apoſtolicæ ſedis monitis paruerit. Epiſcopos ad ſynodum venire jubet.

*Joannes glorioſo duci Venetiarum.*

GRatias gloriæ tuæ pro benigna devotione tua referimus, quam non ſolum verbis, ſed & operibus erga nos ſtudioſe declaras, & frequenter oſtendis: & ideo nos paterno circa te detinemur affectu; & in his quæ ad tuam tuorumque pertinere ac prodeſſe utilitatem cognoſcimus, prompti & benigni ſemper eſſe curabimus: ita ut in divinis præceptis, ſacriſque canonibus impedire intentionem & ſanctionem noſtram nunquam conſentias: ſed cum tibi de rebus eccleſiaſticis quidquam injungimus, ſicut devotus filius nos obaudias, & adimplere quæ dirigimus, alacri ſemper E animo ſtudeas: quoniam nos tanto in cauſis tuis, & ubi tibi opportunitas fortaſſis evenerit, promptiores tecum nos eſſe, ac benigniores invenies, quanto te nos nolle a mandatis Dei aliquo modo avertere manifeſtius viderimus. Nam tibi, cariſſime, tamquam familiari noſtro familiariter ſcribimus: quia nullius mortalis amorem præponere Dei juſtitiæ poſſumus, qui nimirum evangelium legimus, dicens: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*. Veniant igitur epiſcopi ad ſynodum noſtram, ut ipſis nobis rei veritatem ſignificantibus, cauſam fratris & coepiſcopi noſtri Petri illis præſentibus facilius defini-

Matth. 10.

re valeamus. Is vero qui valida infirmitate vel ſe- A
nectute gravatur, ſi ullo modo venire non poteſt,
vicarium pro ſe ſtrenuum mittat. Ille vero qui
Conſtantinopolim ire refertur, ſi nondum abiit,
nec abire *eis Februarium menſem ſperatur, ab (* in.)
hac communi utilitate nullo modo ſe ſubtrahat;
ſed veniens veniat, ut omni litigio terminato, in
eccleſia Dei non niſi pax & tranquillitas perſeve-
ret. Optamus gloriam tuam ſemper bene valere.
Data VIII. Kalendas Decembris, indictione decima.

## XXI. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Narrat calamitates eccleſiæ illatas a Saracenis, & imperatorem precatur ut auxilium adverſus eos mittat.

*Joannes epiſcopus Carolo imperatori.*

QUanta & qualia per impiam gentem patia-
mur Saracenorum, quid dicam quia ſcri-
bere quilibet ſtylus non ſufficit, cum omnia li-
gna ſilvarum, ſi vertantur in linguas, enarrare non
valeant? Quorum quia ex his quædam veſtra jam
didicit excellentia, prædiſpoſuit exercitum ſuum
ad hæc removenda cum valida manu dirigere.
Quo nos audito, mox elevatis manibus Dominum
collaudavimus, ejuſque clementiam pro imperio ve-
ſtro lætantes protinus exoravimus. Sed quanto,
fili cariſſime, lætati ſumus in his quæ dicta ſunt
nobis, tanto heu triſtati & amaricati, quia quæ dicta
ſunt, rerum non ſunt effectibus conſummata. Re- C
verſi quippe ſunt, ut audivimus, & ſolis paganis
gaudium, nobis autem non niſi tribulationem ine-
narrabilem reliquerunt. Et ecce, proh dolor! ini-
micis crucis Chriſti gratulantibus, ſolus fidelium
cœtus magna mœſtitudine conſumitur. Chriſtia-
norum ſanguis effunditur, devotus Deo populus
continua ſtrage vaſtatur. Nam qui evadit igem vel
gladium, præda efficitur, captivus trahitur, &
exul perpetuus conſtituitur. En civitates, caſtra,
& villæ deſtitutæ habitatoribus perierunt, & epi-
ſcopi hac illacque diſperſi. Sola illis apoſtolorum
principum limina derelicta ſunt in refugium, cum
epiſcopia eorum in ferarum ſint redacta cubilia,
& ipſi vagi & ſine tectis inventi, non jam eis li-
ceat prædicare, ſed mendicare. Ecce, cariſſime, D
pervenit gladius uſque ad animam: ecce dies in
qua clamamus, *Beatæ ſteriles quæ non genuerunt*: (Luc. 23.)
ecce illa periculoſa tempora Pauli voce prædicta.
Libet ergo cum Jeremia clamare: *Quis dabit ca-* (2. Tim. 3.)
*piti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum,* (Jerem. 9.)
ut plangam tantam ac talem miſeriam, tale ac
tantum excidium patriæ? Sed & in triſtitia, quin
potius in ruina domina gentium, regina urbium,
mater eccleſiarum, conſolatio triſtium, portus pe-
riclitantium. Ecce, inquam, revera dies tribula-
tionis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ.
Præterito quippe anno ſeminavimus quidem, ſed
non recollegimus: hoc vero anno, quia non ſe-
minavimus, nec eſt recolligendi fiducia. Quid de
paganis dicimus, cum Chriſtiani nihil melius ope-
rentur? Quidam videlicet ex confinibus & vicinis
noſtris, quos marchiones ſolito nuncupatis. Nam
ut prophetice dicamus: *Reſiduum locuſtæ comedit* (Joel 2.)
*bruchus*. Et quid Saracenis incredulis, qui ſunt fi-
lii ancillæ, forte reliquitur ab illis, qui per fidem
liberæ deberent exiſtere filii? uſque ad terram de-
paſcimur. Quid enim illi faciunt, & iſti pejora
non faciunt? Illi terram occupant; iſti cum Pe-
tro nihil ex civitatibus, vel ex rure dimittunt: il-
li occidunt gladio; iſti ablatis omnibus fame tru-
cidant: illi in captivitate ducunt; iſti ſibi in ſer-
vitutem redigunt. Et cum quæritur quis adverſus
hoſtes dimicet, inveniuntur nulli: cum ſcilicet eo- A
rum oppreſſione retenti, ad mandatum noſtrum
occurrere nulli prorſus inveniantur. Sed cum un-
dique anguſtiati clamamus, non eſt qui audiat,
non eſt qui adjuvet, non eſt qui ſalvum faciat,
niſi tu, fili cariſſime, & imperator clementiſſime,
qui poſt Deum nobis factus es in refugium, &
ſolatium, & auxilium. Quocirca totis præcordiis,
totiſque commoti viſceribus, cum epiſcopis &
presbyteris ac proceribus, totiſque plebis nobis o-
lim commiſſæ reliquiis deprecamur, jube tandem
aperire aures, audire gemitum & ſingultus omni-
um noſtrum, porrigere manum, & præſtare opem
patriæ periclitanti, civitati inter multas miſerias
& ærumnas jacenti, & huic eccleſiæ matri veſtræ,
B a qua non ſolum regnandi, ſed & in Dominum
unum & verum credendi exordium percepiſtis:
quæque in ultimo, ſpreto bono, & magno fratre,
vos more Dei gratuita voluntate, tamquam alte-
rum regem David elegit & præelegit, atque ad im- (Iſai. 10.)
perialia ſceptra provexit. Cogitate itaque, Dei
cultor ſemper Auguſte, a propheta præmoniti, ſi
hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium?
vel ubi relinquetis gloriam veſtram? Perpendite
quia ſi hæc humiliatur, non ſolum gloria impe-
rii veſtri periclitabitur, ſed & ipſa profecto Chri-
ſtianæ religionis cultura maxima ex parte peribit.
Et idcirco talia ſcientes nolite, obſecro, jam dif-
ferre: nolite de die in diem induciis non profu-
turis abuti. Cum proverbiatore clamo, & cum Sa-
C lomone vociferor: *Ne dicatis amico veſtro, vade &* (Eccleſ. 9.)
*revertere, cras enim dabo tibi*. Et alias: *Quod poteſt,* (Prov. 3.)
inquit, *manus tua facere, inſtanter operare*, &c. Ne-
ſcitis namque, ut cum venia veſtra dicam, quid ſu-
perventura pariat dies. Ita ergo, fili Chriſtianiſ-
ſime, de hac eccleſia, nec non & patria velociter
& prudenter excogitate & ordinate: ut ſaltem ipſæ
pauciſſimæ reliquiæ ſalvæ ſint, quæ remanſerunt,
quæque quotidie catervatim gladio & præda diſpe-
reunt. Occurrite ſtrenue, ſubvenite celeriter, &
manu conſolationis veſtræ ab oculis noſtris tan-
dem abſtergite lacrymas: quatenus ſuper illis &
præſentialiter Deo propitio gaudeatis, & in futuro,
frequenti ac laudabili relicta fama ſuperſtite, cum
Chriſto perpetes in cœleſtibus imperetis. Data XVII.
D Kalendas Decemb. indictione decima.

## XXII. AD LAMBERTUM COMITEM.

Ut compeſcat ſibi ſubjectos a malis quæ perpetrabant; quos ſi emendare non potuerit, minatur illos ſe excommunicaturum: legatis multa ei viva voce referenda ſe injunxiſſe ſignificat.

*Joannes epiſcopus Lamberto comiti.*

AB olim (ſi recordaris) ſalutem tuam atque
profectum deſiderantes, & anima te ſalvari,
& corporeis honoribus cumulari quæſivimus & o-
ptavimus. Et quia nunc multo amplius hoc quam
E prius, fili cariſſime, volumus: ſcias paterno affe-
ctu a nobis te diligi, & ut ſpiritualem filium pror-
ſus amplecti: quoniam honorem, atque tuum pro-
fectum, noſtram gloriam eſſe putamus, & de tuæ
proſperitatis augmento in Domino gratulamur:
unde & tu non immemor noſtri, rogamus, ut
ſemper & ut his quæ volumus, & quæ noſtrum
de tuis hominibus pontificium pulſant, emendare
nullatenus prætermittas: non enim ſperamus ut
talia ſcias, qualia ab eiſdem tuis hominibus in
noſtris finibus perpetrantur. Quæ oportet gloriam
tuam ſtudioſe inquirere, & (ſicut condecet) pro
Dei, & noſtro amore omni conamine emendare,
quia

quia tam hominibus S. Petri apoſtoli, quam hominibus Guidonis, tui homines (ſicut fertur) innumera mala faciunt, & rapinas multas exercent. Quæ rogamus ſtatim emendare facias, & tibi ſubjectis ultra tale quid facere non conſentias. Verum ſi id forte emendare te non poſſe fateris, ut cum pace tua dicamus, in pravos atque iniquos homines illos ob tui amoris dilectionem, tuo conſenſu adhibito, noſtri apoſtolatus ſententiam dabimus, & quouſque reſipiſcant, a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſequeſtrabimus: latores vero præſentium miſſos apoſtolicæ ſedis, Acimundum ſcilicet & Vvalpertum venerabiles epiſcopos dilectos noſtros ad tuam nobilitatem direximus, ut hi quod pagina reticuit, viva voce loquentes edicant, & revertentes de tua benevolentia nos lætiores efficiant. Data XIX. Kalendas Januarii, indictione decima.

## XXIII. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Laudat quod ſedis apoſtolicæ legatos benigne exceperit: rogatque ut eccleſiæ Romanæ prædones, qui miſſorum ipſius judicium latentes effugerant, requiri & coerceri jubeat.

*Joannes epiſcopus Carolo imperatori*

INnumeras omnipotenti Deo grates & laudes referimus, qui cor pietatis veſtræ, quod in manu ſua conſiſtit, tanta Spiritus ſancti gratia replere dignatus eſt, quanto ſolicitius vos ſacras aures ad profectum eccleſiæ nobis commiſſæ divinitus inclinantes, & apoſtolicæ ſedis legatos, Leonem videlicet apocriſiarium & miſſum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſeu Petrum, venerabiles epiſcopos, noſtroſque dilectos, ea benignitate, qua ſoliti eſtis, & eo amplius ſuſcepiſtis: & illa quæ vobis pro ſtatu ac exaltatione ſanctæ Dei eccleſiæ ſuggeſſerunt, ad efficacem finem provenire juſſiſtis: Vere enim, filiorum cariſſime, cor veſtrum in manu Dei eſt, quia ejus conſultu univerſa diſponitis, & ſapienter imperium vobis collatum moderari ſtudetis: quia ex utero matris crevit vobiſcum ſapientia, & rectitudo fuit dilecta veſtra amica. Et quia præconiorum veſtrorum humana lingua fari non ſufficit multitudinem, ad illa quæ de infidelibus noſtris & veſtris peracta ſunt epiſtolariter abeamus. Veſtris quidem, benigniſſime imperator, apprime eruditis viris & Deum timentibus, [1] Anſegiſo videlicet reverendo archiepiſcopo, & Adalgario venerabili epiſcopo, communibus quoque fidelibus noſtris, juxta quod petieramus, pro honore atque utilitate ſanctæ matris veſtræ eccleſiæ Romanæ a vobis directis, Romam pervenientibus, & quantum vobis juſtitia placeat, luce clarius agnovimus, & de affectu filiorum, quem erga nos conſervatis, in Domino gratulati ſumus: ſed de infidelibus ſanctæque Romanæ eccleſiæ hoſtibus, quos pro multis ſceleribus, ac pravitatibus ſuis ovile Chriſti non recipit, hunc illucque latitantibus, & nefandiſſimos actus ſuos tegere molientibus, non ut oportuit, neque ſicut veſtri voluerunt legati, de illis potuit adimpleri. Nam ut ita fateamur, a ſibi ſimilibus infidelibus veſtris, & inimicis noſtris, quibuſdam ſcilicet marchionibus, quos iidem veſtri legati narrabunt, occultati & effugati, nec ad ſe percutientes reverſi ſunt, nec alios ſuæ malitiæ inquinamento contaminare deſiſtunt. Proinde clementiam veſtræ celſitudinis imploramus, & per futurum Dei judicium adjuramus, ut eoſdem ſanctæ Dei eccleſiæ hoſtes atque prædones, ſacrilegos quoque ſive tyrannos, ac per hoc a Chriſti collegio ſynodice ſequeſtratos, ſtudioſius requiri jubeatis, & ad lugenda mala, quæ imprætermiſſe hactenus operati ſunt, ſicut jam decreviſtis, exilio deputetis. Quia ſi ipſi, qui tantum Dei eccleſiam macularunt, impune jam veſtram ſanctionem difugerint; vel ſi, quod evenire non debet, in veſtro imperio quibuſcumque, quod turpe eſt dicere, contra veſtram voluntatem eis favorem præſtantibus, tam abſolute diſcurrerint; totum idem veſtrum imperium coinquinabunt; & omni Chriſtianitati diſpendium generabunt: quia cum ſint ipſi oves morbidæ, totum gregem contaminant, & erunt noviſſima illorum pejora prioribus. Ideoque major morbus majori medicina curandus eſt; ne ſi non debita, vel quali decet auſteritate vulnera magnum fœtorem dantia radicitus reſecata fuerint, totum corpus eccleſiæ tabefiat, & nobis hæc ſuſtinentibus miniſterium noſtrum exercere non liceat. Non enim Stephanum & Sergium ad nos fraudulenter venientes recipere noluimus, ſed eos ad veſtram venire juſſimus majeſtatem. Ceterum, fili cariſſime, theſauros eccleſiæ noſtræ, ab eiſdem nefandiſſimis raptos ac fraudatos, ita ſciatis ab ipſis etiam celatos, ut per eos qui hic de ſuis ſatellitibus remanſerunt, inveniri non poſſint: illos vero qui noverunt ubi eos recondiderint, ne detegi poſſent, apud ſe callide retinent: & niſi ipſi capti fuerint, ubi ſunt occultati, nos noſtroſque penitus latet. Verumtamen quid vel quantum ab uno & quantum ab alio, quantumque etiam in domibus eorum repertum ſit, veſtri jam dicti legati & ſcripto & verbis vobis, ſi placet, edicant. Data XVIII. Kalendas Decemb. indictione decima.

### Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Anſegiſo & Adalgario.*) Miſſi ambo Romam a Carolo fuerant cum legatis apoſtolicis poſt ſynodum Pontigonenſem. Aimoinus lib. 5. cap. XXXIII. *Soluta eſt ſynodus. Poſtea imperator legatos muneratos apoſtolicos, Leonem & Petrum, remiſit Romam, & cum eis Anſegiſum Senonenſem epiſcopum, & Adalgarium Auguſtodunenſem epiſcopum.*

## XXIV. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Scribit intellecturum imperatorem ex Adalgario epiſcopo (cui pallium concedit) cur eccleſiæ cauſa ex voto non proceſſerit. Taxat Anſegiſum, & Adalgarii fidem commendat.

*Joannes epiſcopus Carolo imperatori,*

LAudabilem quidem intentionem & pium ſtudium veſtrum pro cauſa eccleſiæ noſtræ, matris videlicet veſtræ, fili cariſſime, viſcerabiliter habitum & bene diſpoſitum agnoſcentes, innumeras Deo gratias, qui totius boni auctor & moderator eſt, quique docet hominem juſtitiam, geſſimus: ſed impedivit nos ſatanas, & ſpes noſtra fruſtrata eſt, cum non ad votum noſtrum & commune propoſitum finis rei proceſſerit. Qualiter autem, vel quo faciente, ita cauſa provenerit, Adalgarius ſanctiſſimus epiſcopus, quem nos veſtri amoris cauſa, ipſiuſque morum probitate non immerito moti, palliatum ad vos ecce remiſimus, a majeſtate veſtra interrogatus, & per fidem, quam vobis ſe illæſam ſervaturum pollicitus eſt, adjuratus edicet. Illud tamen nos interim ad memoriam veſtram reducimus, quod nobis olim de Anſegiſo & Lantberto ſpecialiter quodam præſagio futurorum, tamquam providus revera prænunciaſtis. Eſt enim ita geſtum ut prævidiſtis, & nil vos ante latuit, quod

poſtmodum intellectus noſtri oculus non aſpexerit. Non enim recte cum eo, ſicut epiſcopum decuit, ambulavit: ſed per verſipelles anfractus incedens, multum a via rectitudinis deviavit. Quod cum exhibitum ad lucem veritatis extiterit, penitus evaſurum non credimus impunitum. Cujus ſcilicet certam rei poteritis circumſtantiam procul dubio deprehendere, ſi, ut prætulimus, idem almificus vir ſub teſtificatione vobis promiſſæ fidei adjuratus. vos latere noluerit. Sane noſſe vos volumus, quia cum ſæpe memoratum antiſtitem adeo cognoviſſemus vobis eſſe fidelem, ut crederemus nullis muneribus nulliſque terroribus a ſuæ fidei erga vos habitæ ſinceritate poſſe divelli, adhæſit animæ noſtræ ſalutis filius, & idcirco inter pontificium noſtrum & imperium veſtrum mediatorem illum fore decrevimus, ita ut quaſi vocis utriuſque ſit organum reſeratque veſtra nobis, & quæ noſtra ſunt, vobis annunciet, ut lapis angularis habitus in Chriſto Jeſu, qui eſt pax noſtra, & fecit utraque unum. Data x. 1. Kalendas Decemb. indictione decima.

## XXV. AD DELTUM EPISCOPUM.

Ut vice apoſtolicæ ſedis fungens Venetias pergat, & epiſcopos ejus regionis Romam ad concilium, ſicut juſſerat, venire faciat.

*Joannes reverentiſſimo Delto epiſcopo.*

TUæ dilectionis ſinceritati paſtoralis officii nobis ſolicitudine junctæ, quam in conſortium noſtri laboris aſciſcere decrevimus, cognitum facimus, quia Petrus reverendiſſimus Venetiarum metropoleos antiſtes multis ſuffraganeorum ſuorum gravatus moleſtiis, & canonicæ conſtitutioni repugantibus malis oppreſſus, delegit corde devoto ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli ad limina properare, indeque ſalutis & optatæ conſolationis opem percipere, ubi totius eccleſiæ Chriſtus Deus noſter fundamentum locavit, & religionis atque juſtitiæ caput inſtituit. Et ideo querimoniis ejus aures clementiæ noſtræ, literis tam ipſi Urſo Venetiarum duci, quam ſuffraganeis ejus epiſcopis, quorum ſane inobedientia & temeritate canonicus vigor confuſus, eccleſiæ Dei poteſtas exinanita, & metropolitana dignitas corrupta exiſtit, ut in conſpectu noſtro apoſtolicæque ſedis præſentia, utriuſque partis præſentia exiſtente, liteque diſcuſſa, finem cauſæ debitum æquo imponeremus libramine, literas noſtras direximus: ſed ipſe dux excuſationis verba potius quam quæſitas a nobis perſonas ſtatuto tempore maluit deſtinare. Unde nolentes præfatum fratrem & coepiſcopum noſtrum abſque conſolatione debita relinquere, rati ſumus te vice noſtra illuc dirigere: quatenus divino fretus auxilio, ea quæ prædicto fratri ſunt neceſſaria prudenter peragas, & cum Domini timore cuncta perficias. Has igitur apoſtolatus noſtri literas accipiens, pro utilitate & ſalute eccleſiæ Dei ceu idoneus Chriſti miles laborare ſatage: quoniam dicente apoſtolo, labor noſter non erit inanis in Domino; & ſi ſocii ſumus laboris, erimus profecto & conſolationis. (1. Theſſ. 1.) Chriſto igitur duce, Venetiam perge, Urſoque duci epiſtolam deſtinatam tribue, eamque ut auribus audiendi audiat, inſtanter admone, ne ſtatutis apoſtolicæ ſedis reſiſtere, quin potius humili corde obedire procuret. Alteram vero epiſtolam Felici ſanctæ eccleſiæ Equilenſis epiſcopo, quem ad nos venire jubemus. Tertiam quoque Dominico Olivolenſis eccleſiæ & Leoni Caprenſis eccleſiæ, epiſcopis, quos ibi manere volumus, eiſque ut in his quæ Dei ſunt, te fideliter adjuvent, præcepimus, tribue. Quartam vero Dominico electo eccleſiæ Torcellenſis dare procura: eoſque terribiliter obteſtando atque jubendo, eaſdem epiſtolas in conſpectu totius eccleſiæ & populi, teque præſente legere facito: quibus nimirum perlectis tam eoſdem epiſcopos ſupradictos, hoc eſt Felicem* Matemautenſem, & Petrum Aquilenſem, epiſcopos, nec non Laurentium archidiaconum Gradenſis eccleſiæ, abbatem cœnobii Altinenſis, archidiaconum Roſcellenſem, & archipresbyterum Gradenſem, cum nepote ſuo Laurentio Romam in præſentiam noſtram, ex noſtra apoſtolica auctoritate Idibus Februariis omni mora vel occaſione poſtpoſita, ſecundum tenorem epiſtolæ noſtræ venire præcipe. Nam ſi in prædictis Idibus venire quolibet modo diſtulerint, ſciant ſe omni eccleſiaſtica communione eſſe privatos, atque anathematis vinculis innodatos, quouſque noſtris ſe obtutibus præſentare curaverint. Cumque omnia juxta noſtræ præceptionis affectum, pia & fideli devotione compleveris, ad eccleſiæ tuæ revertere gremium, nobiſque ſub certitudine cuncta renunciare non differas. Ut ſi de cetero aliqua ſuper his agenda ſint arbitrio ſolerti, ut cura debita ſolicitius Deo propitio peragamus.

* Supra ep. 18. Mandamaucenſis eſt, & Equilenſis. Hard.

## AD RICHILDIM AUGUSTAM.

Rogat ut Romanæ eccleſiæ ſuffragetur.

*Joannes epiſcopus Richildi Auguſtæ.*

QUanto amore ſpiritualis filius noſter piiſſimus imperator erga hanc ſanctam matrem ſuam eccleſiam flagret, ex hoc manifeſtiſſime claret, quod cauſam illius apud ſe ſpecialiter exequendam & ordinandam in veſtris proprie manibus collocavit. Cui enim congruentius & præſtantius eam, quam præ ceteris ſpiritualiter diligit, oro, committeret, quam vobis quæ ab eo ſic diligi jubemini, ſicut diligi a Chriſto jubetur eccleſia? Unde magnopere gratulamur de vobis tot audientes præconia, & confidimus in Domino, quia onera quæ portamus, tam a paganis, quam a peſſimis Chriſtianis, veſtri ſtudii humeris alleviabitis, & eritis pro eccleſia Chriſti apud pium conjugem more ſanctæ illius Eſther pro Iſraelitica plebe apud maritum. (Eſther 9.) Quia vero ſæpe ad Chriſtianiſſimum conjugem veſtrum ſemper Auguſtum diverſis pro neceſſitatibus ſive miſſos, ſive apices mittimus, ex hoc jam obſecramus & petimus, vos eſtote pro nobis oſtium, lingua, & manus: imo totum pro nobis ſitis, advocatoris fungentes officiis, & omnia pro nobis in omnibus facite. Ita ut amici quidem & fideles eccleſiæ hujus per vos apud apicem veſtrum locum, apud vos inveniant aditum & ſalubre in neceſſitatibus ſuis omnino remedium: e contra vero, inimici & ſideles per vos confundantur & excludantur: quia & nos pro nobis apud omnes & in omnibus erimus, & præcipue apud beatiſſimos apoſtolorum principes Petrum & Paulum amatores & protectores veſtros: ita ut paterno vos affectu ſemper fovere ſtudentes, & tamquam ſpiritalem filiam dilectionis noſtræ ſinibus collocatam in Chriſto tractare ac tegere perpetuo ſatagentes, apud eos commendare aſſiduis precibus ſtudeamus, & veſtri memoriam ad ſacroſancta corpora ipſorum ſemper deponere ſatagamus. Lætamur autem & jocundamur in Domino, quia beatam vos & felicem dicent omnes generationes; quia pio committente conjuge tam ſalutiferum miniſterium aſſumpſiſtis: per quod ſcilicet & in præſenti ſæculo

nomen

nomen bonum, quod eſt ſuper divitias multas, A & cæleſte acquiretis inter angelos, & non finiendum imperium. Data XVI. Kalend. Decemb. indictione X.

## XXVII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Commendat Wigbodum Parmenſem epiſcopum.

*Joannes epiſcopus Carolo imperatori.*

QUia deſiderandam nobis, & totis viſcerum brachiis amplectendam dilectionem veſtram nihil patimur ignorare eorum quam maxime, quæ ad cumulum gloriæ veſtri noſcuntur culminis per- B tinere, operæ pretium duximus innoteſcere, VVigbodum venerabilem eccleſiæ Parmenſis antiſtitem apoſtolorum adiiſſe limen, & ſedem. tam orationis voto, quam inveniendæ per nos veſtræ gloriæ deſiderio; cujus mentis arcana ſubtilius inveſtigantes, nos plane minime latuiſſe fatemur quod & nunc ſinceræ fidei erga pium imperium veſtrum habendæ teneatur affectu: & hoc jam olim procul dubio rerum effectibus demonſtraſſet, niſi ſibi eſſet a piæ memoriæ priore principe cauſa talis injuncta, quam ſine ſui diſcrimine floccipendere nequiviſſet. Unde rogamus, data venia ſuſcipite nunc illum ut mea viſcera: quia & ſi forte quondam vobis erat inutilis, nunc autem vobis & nobis utilis: quamvis forte non ſit dicendus inutilis, qui fidem ante pro- C miſſam cuſtodiens, ſimile circa vos ſervandæ fidei dedit indicium: præſertim cum ſperans in Domino non perdiderit, ſi mutaverit, fortitudinem, dum ſcilicet nobis hunc informantibus, ſi quopiam contra vos uſus eſt, pro vobis proponat jam totis viribus exercere. Unde non dubitamus illum ſe fortiorem erga fidei veſtræ conſtantiam exhibendum, quam fuerit, quando contra imperium veſtrum perhibebatur ſentire. Ergo clementiſſime Imperator, quia ab infantia crevit vobiſcum miſeratio, recipite illum tamquam ab ipſa beati Petri apoſtoli patroni veſtri confeſſione, & ſuper eo mercedem habere contendite, non imputantes ei quod noviſſimus venerit: quia & bonus ille paterfamilias operarios undecimæ horæ pares feciſſe deſcribitur D [Matth. 9.] his qui tertia hora venere. Sed & vos non minus diligitis militem, qui primo quidem in bello terga dedit, poſtea rediens premit fortiter hoſtem, quam eum qui numquam terga dedit, & numquam aliquid fortiter geſſit. Sed quid multa? cum ecce nos ei apud pium imperium veſtrum, fili cariſſime, fidem dicimus. Ecce nos pro illo vadem offerimus: tantum ſic agat erga eum clementiſſima & ſereniſſima pietas veſtra, ut alii ſub tegmen miſerationis veſtræ, hoc comperto, alacrius confluant, & per interventionem noſtram quaſi per immobilem pontem ad vos certatim tranſitum faciant. Siquidem hic in ſignum eſt ad apoſtolica tecta quoddam politus; cunctos ad vos terrigenas aut bene diſpoſitus invitabit, aut a vobis male tractatus ter- E rebit. Nam difficile eſſe credimus apud pietatem veſtram quemquam per alios obtinere, quod per Petrum & Paulum apoſtolorum eximios non poterit impetrare. Data *ut ſupra*.

## XXVIII. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Laudat ejus fidei coſtantiam erga ſedem apoſtolicam: Adelgiſi & complicum fraudes deteſtatur, ſuumque & aliarum eccleſiarum auxilium contra Saracenos ei pollicetur, & hortatur ut in fide perſiſtat, utque epiſcopum Surrentinum ad ſe mittat.

*Joannes epiſcopus Guaiferio principi Salernitano.*

GLorioſæ nobilitati veſtræ, quam ſpiritualibus ulnis amplectimur, & dilectionis ſemper finibus fovere non mediocriter anhelamus, condignas gratias agimus: quoniam in fidei petra ſtatuens conſtantiæ pedes, nec fluminibus, nec ventis diverſorum eventuum impetu potuit a ſtabilitate ſua demergi, vel a nobis præſtitis ſponſionibus aliquatenus amoveri: fundata enim eſt ſupra petram. Quæ autem de Adelgiſi & complicum ejus prioribus ac modernis fraudulentis actibus indicaſtis, & ipſi veraciter ſenſimus, & ſagacitatem tuam, ut ſe res habet, ſenſiſſe manifeſte cognovimus. Erit [1. Reg. 10] C autem eis ut Saul & Achab, & anima eorum pro anima inimicorum Dei, quoniam virum dignum morte dimittere minime formidarunt; noſque Deo favente cantabimus & pſallemus: *In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* [Pſalm. 7] Et iterum: [Pſalm. 17.] *Lacum aperuit, & fodit eum, & incidit in foveam quam fecit: convertetur dolor ejus in caput ejus*, &c. Interim autem, quantum nos ſuperna virtus adjuvare dignata fuerit, & in conſiliis & in auxiliis vobis ferre præſidium non omittemus, ſed piiſſimum filium noſtrum ſemper Auguſtum ad adjuvandum vos tam per ſe, quam per exercitum ſuum quantocius incitabimus. Simili etiam modo & alios quoſque fideles, & eccleſiæ Chriſti amicos ad hoc ipſum excitare atque hortari ſtudioſius procurabimus, D atque omnia, ſive quæ nos cogitare, ſive quæ vos ſalubriter adinventa nobis intimare maturaveritis, gratulanter agere ingenti cum gaudio feſtinabimus. [Pſal. 26.] Interim autem *ſtate in fide, viriliter omnes agite, & confortetur cor veſtrum*, non * Inſultan, qui ſatan congruentius dicitur, [* In Sultan] ſed ſperantes in Domino: ita ut omnes a paganorum conſortio ſubducatis, & vos ad pacem in invicem, & concordiam uniatis in Chriſto Jeſu Domino noſtro: quidquid ſane conſilii vobis vel accreverit, vel ſalutiferum viſum fuerit, nobis innoteſcere ne pigritemini, ut a libramine noſtro vel tamquam ſalubre approbetur, vel ſi aliter cælitus revelatum fuerit, aliter & diſpenſetur. Etenim nos veſtra damna, noſtra credimus: ſicut e contrario lucra veſtra, E noſtra procul dubio deputamus. Epiſcopum interea Surrentinum ſive per terram, ſive per mare profectum, quia jam minus recepimus, haud parum moleſte tulimus; & niſi ocius mittatur, moleſtius non immerito ſuſtinebimus: at vero, ſi ad nos indifferenter fuerit deſtinatus, tunc magna & ſolita devotionis tuæ recognoſcemus indicia. Et pure profecto circa pontificium noſtrum dilectionis tuæ ſole clarius patebunt inſignia. Optamus gloriam, &c. Data XV. Kalendas Januarii, indictione decima.

## XXIX. AD LANDULPHUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Ejuſdem argumenti.

*Landulpho epiſcopo Capuano.*

SIcut de ſanctitatis tuæ devotione ab olim erga
hanc ſanctam Romanam eccleſiam habita gra-
tulamur, ita de infidelium & de inimicorum ma-
levolentia contriſtamur, nullatenus de omnipoten-
tis Dei miſericordia diffidentes, quod & tibi con-
digna recompenſatio, & illis repentina confuſio
maturetur. Verum, ut condecet, reverentiam tuæ
fraternitatis laudabiliter amplectentes, & gratias a-
B
gimus, & ut in bono perſeverare proficereque de-
certes, apoſtolica manſuetudine deprecamur: Qua-
tenus qui in illis regionibus & ſanctitate decoratus,
& devotione prælatus es, ſis etiam contra tortitu-
dinem regula, & ſicut hactenus feciſſe probaris,
contra infelices felicitas, & contra iniquos æqui-
tas, atque lux contra tenebras: ſciens illius qui de
tenebris dat lucem ſplendeſcere ; ſolatium nobis
& vobis citius affuturum, & nimis diu afflictæ Chri-
ſti eccleſiæ omnipotentem Dominum conſulturum.
Præterea, quod de adjutorio, ſicuti & ingens ne-
ceſſitas omnimodis poſtulat, a nobis conferendo
depoſcis; hoc & nos meditamur, hoc volumus,
& divina gratia protegente, cito nos collaturos
C
confidimus: quia jam calamitatem nobis commiſſi
populi ſuſtinere non poſſumus; jam devaſtationem
terræ illius aſpicere non ſufficimus; tantumque do-
lemus, ut dici non poſſit, ſi omnes artus noſtri
vertantur in linguam. Quapropter vellemus adhi-
bito ſanctitatis tuæ conſultu, neceſſaria ad com-
munem ſecuritatem negotia prævidere: tamen præ-
ter id quod ad præſens difficile poſſe fieri, ut ita
dixerimus, cernitur; cum primum ſe nobis poſſe
præbuerit (quamquam imperialem exercitum nos
cito habituros ſperemus) hanc ipſam neceſſitatem
ſpirituali filio noſtro ſereniſſimo ſemper Auguſto
rurſum ſignificabimus, & ut quantocius nobis po-
tenti virtute ſubveniat, humillimis precibus exhor-
tabimur. Veruntamen prope eſt Dominus omnibus
D
Pſal. 144. invocantibus eum in veritate: voluntatem timen-
tium ſe faciet, orationes eorum exaudiet, & ſal-
vos faciet eos. Data XIV. Kal. Januar. indict. X.

## XXX. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Propter imminentia tum a Saracenis, tum a qui-
buſdam Chriſtianis, graviſſima pericula, enixe
petit, ut promiſſa auxilia quamprimum mittat,
& deſtinatos ea de cauſa legatos commendat.

*Joannes epiſcopus Carolo imperatori.*

CUm nos in eccleſiaſticis curis inſtantia quoti-
E
diana conſtringeret, & hinc inde populi no-
bis commiſſi continuus dolor, qui cuncta noſtra
interiora perculit, perturbaret, illud, ut ita dixe-
rim, inter alia flevimus, quod nunc uſque tam per
terram, quam & navigio, ad vos noſtrum miſ-
ſum dirigere ſummo deſideravimus ſtudio, ut no-
bis veſtrum proſperitatem deſiderantibus & anxie
ſitientibus renunciarentur citiſſime ſanitates, ſed
omnino nequivimus. Hinc fateor, fili cariſſime,
tanta per utrumque iter impedimenta timuimus,
quantum & per paganos, & per iniquos Criſtia-
nos, ſine reſpectu divini timoris, generari mala,
quæ ætas noſtra non meminit, deploramus. Tan-

A
ta enim ſunt, ut intra mœnia urbis reliquiæ po-
puli innumerata paupertate affectæ conſiſtant, &
omnibus forinſecus devaſtatis ac in ſolitudinem
redactis, nihil jam reſtet, niſi, quod Deus avertat,
ipſius urbis excidium. Sed & quantum nos Leo
venerabilis epiſcopus, apocriſiarius & miſſus ſan-
ctæ Romanæ eccleſiæ, communis quoque fidelis, a
veſtro ſervitio rediens, de hoc quod a vobis retu-
lit, poſt ſe veſtrum exercitum contra Agarenos
eſſe mittendum, lætificaverat, tantum hucuſque
eumdem nobis expectantibus, quod conſecuti non
ſumus, validior mœror & ineffabilis anguſtia con-
triſtavit: quia tota Campania ab ipſis Deo odibi-
libus Saracenis funditus devaſtata, jam fluvium
qui a Tiburtina urbe Romam decurrit, furtim
B
tranſeunt, & tam Sabinos, quam ſibi adjacentia
loca prædantur. Sanctorum quoque baſilicas & al-
taria deſtruxerunt, ſacerdotes & ſanctimoniales,
alios quidem captivos duxerunt, alios autem va-
riis mortibus necaverunt, & omnem Chriſti ſan-
guine redemptum populum in circuitu deleverunt.
Et quid dicam? aut quid loquar? cum pervenerit
gladius uſque ad animam, & ſanguis omnium de
terra clamet ad Deum. Ergo, præcellentiſſime Cæ-
ſarum, jam jam noſtræ calamitati ſuccurrite, jam
populi noſtri miſerias relevate, jam veſtræ poten-
tiæ manum porrigite, & hanc terram, cujus vobis
neceſſitates ab ipſo veſtræ vocationis initio notas
fecimus, liberate, ne ſi perdita fuerit, veſtrum
vileſcat imperium, & totæ Chriſtianitati naſcatur
C
diſpendium. Reminiſcimini igitur propter Deum,
reminiſcimini, quia multa ſpe & fiducia freti, di-
vinitus & humanitus ad imperii gubernacula pro-
merenda pro vobis certamina ſumpſimus, nullique
labori pepercimus. Ideoque vicem nobis rependite,
ut ſpes & labor noſter non ſit inanis in Domino:
quia cum hæc fuerit ſemper apud vos ſumma no-
ſtræ petitionis, ſi amplius nobis auxilium veſtrum
ſubtraxeritis, in deſperationem lapſi deficiemus, &
forſitan in aliud conſilium reſumptis aliquantulis
viribus neceſſario tranſcendemus. Non enim, ſi-
cut vos forſitan æſtimatis, mediocre malum tota
noſtra eccleſia patitur, minimis ſtatus reipublicæ
damnis afficitur: ſed alia Saracenorum incurſibus,
alia autem Chriſtianorum ita ſunt exterminata
D
& devaſtata tyrannide, ut non noſtra ſint quæ no-
ſtra fuerunt: quin potius ſolo nomine omnibus
illis utamur, & vel ad defenſionem patriæ, vel ad
aliquam utilitatem noſtræ eccleſiæ, quorumlibet ſo-
latia nunquam inveniamus. Præcipue autem multi,
quos veſtra non ignorat majeſtas, non ſolum nulla
nobis ſolatia conferunt, verum etiam quidquid re-
ſiduum eſt a paganis, imprætermiſſe ſubtrahunt, &
omnem noſtram diſpoſitionem in territorio Roma-
no ſuis violentiis calcant: adeo ut nec victualia nec
ulla quadrupedia in omnibus noſtris remaneat, nec
ullum, qui nobis compatiatur, vel noſtros ſingultus
aut gemitus doleat, oculi noſtri aſpiciant. Sed quia
tanto imperatori pauca ſufficiunt, & ex iſtis jam,
fili cariſſime, quæ nos præ gemitu & afflictione cor-
E
dis loqui non poſſumus, univerſa alia cognoſcetis,
quaſi humo proſtrati veſtram magnificentiam de-
precamur, & per futurum judicium deprecantes,
cum tota noſtra eccleſia veſtro divinitus protecto
imperio totis viribus ſuggerimus, votiſque ſupplici-
bus preces multas effundimus, ut contritæ & omni
humano ſolatio deſtitutæ ſanctæ matri veſtræ Ro-
manæ eccleſiæ defenſionem, debitamque tuitionem,
cunctis remotis occaſionibus, cunctiſque omiſſis dila-
tionibus, omnimodis præbeatis: quia cum jam jux-
ta præcipitium conſiſtamus, niſi manu veſtræ de-
fenſionis, & neceſſariis nobis, ſicut præmiſimus,
imo ſæpius exoravimus, quantocius opibus ſubve-

nire ſtudueritis, ſpe ivendi per Chriſtianos ſublata, aut ipſis paganis ſubjiciemur, aut, quod avertat divina potentia, ab eorum multitudine victi, ad omnem Chriſtianitatis interitum crudeli nece peribimus, ac per hoc & Chriſti nomen in gentibus blaſphemabitur, & veſtræ opinionis anteacta ſtudia oblivioni trademus. Hujus rei gratia ſicut ſupra meminimus, opportunum adjutorium conferentes, nobis veſtrum exercitum ad hoſtilem expeditionem promptiſſimum deſtinate, alioſque Deum per omnia diligentes miſſos, qui vitiorum flammas juſtitiæ tramite uſi compeſcant, nimia celeritate dirigite: quatenus qui innumeris tribulationibus quatimur ac æſtuamus, & pro populi nobis commiſſi miſeriis cruciamur, veſtris conſolationibus refecti lætemur, & per vos tranquillitate percepta, optatam libertatem, ſicut decet, per tam benignum imperatorem conſequi mereamur. Poſtremo ſublimitatem veſtram depoſcimus, ut latores præſentium, Petrum ſcilicet atque Petrum venerabiles epiſcopos, miſſos apoſtolicæ ſedis, noſtroſque dilectos, juxta morem benigne ac pacifice ſuſcipere non dedignemini, & ea quæ piis veſtris auribus pro utilitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ in conſpectu veſtro retulerint, ad congruum ac opportunum effectum pervenire, pro ſanctis apoſtolis veſtris interceſſoribus apud Deum, celeriter ſtudeatis. Data quarto Idus Februarias, indictione decima.

## XXX. AD RICHILDIM AUGUSTAM.

Ut imperatorem conjugem ſuum ad opem eccleſiæ quamprimum ferendam hortetur.

*Joannes epiſcopus Richildi Auguſtæ.*

MUlto peracto jam tempore tam ad ſpiritualis filii noſtri Auguſti, quam ad veſtram inviſendam clementiam, miſſos apoſtolicæ ſedis deſtinare deſideravimus: quatenus & de utriuſque ſoſpitate lætiores efficeremur, & nobis commiſſæ, ſanctæ ſcilicet matris veſtræ, Romanæ eccleſiæ calamitates atque oppreſſiones, quas a Chriſtianis & ab iniquis paganis ſine ceſſatione patimur, ad memoriam reducentes, ab eodem Auguſto conſolationem & optatam opem, ſicut ſperabamus, tandem aliquando conſequi mereremur. Sed omnium viarum aditibus a malis obſeſſis hominibus, plus nos compulit dolor lacrymas fundere, quam locus pateret ad vos noſtros miſſos dirigere: quia ex uno, ſicut diximus, Chriſtiani, ex alio pagani ita nos crudeliter perſequuntur, ut ſolis mœnibus urbis relictis, omnia in circuitu longe lateque conſumpta habeant, & in ſolitudinem prorſus redacta. A quibus per tantum imperatorem relevari jam credebamus, & recuperationem aliquam vel medelam adipiſci ſummopere præſtolabamur: ſed ecce pro peccatis noſtris aliis negotiis implicatus, nobis hactenus diſtulit ferre præſidium. Et quia jam ſuſtinere non poſſumus, gloriam veſtram multipliciter deprecamur, ut vice noſtra fretæ, ſumatis in fœmineo ſexu virile pectus, & pro amore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, quorum ita eſt devaſtatum terminum, ut magis libeat flere, quam dicere, tamdiu apud piiſſimum imperatorem noſtrum inſiſtatis, quouſque & contra paganos opem præbeat, & Chriſtianos compeſcere gaudeat. Quoniam ideo illum tanto diademate ab olim quide[illegible] nobis expectatum ac prælectum decorare curavimus, ut ſanctæ Romanæ eccleſiæ recuperatio & ſecuritas, quam ademptam dolebamus, per pium ſtudium ejus, quo ſemper fruebatur, redi- A ret. Quapropter, cariſſima filia, per Deum vos adjuramus, opportune importune inſiſtite, ut antequam in ipſa urbe Romulea aliud periculum, quod Deus avertat, proveniat, manum ſuæ defenſionis exhibeat, & hanc terram, quæ ſui imperii caput eſt, ad libertatem reducat, ne quando dicant gentes, ubi eſt imperator illius? quatenus & nobis ſpes evadendi, vivendique remaneat, & priuſquam hiems vel ver tranſeat, contra eoſdem paganos Romæ ſint illius exercitus præparata ſubſidia. Alioquin aut omnino peribunt, aut coacti, ut ſolam vitam redimere valeamus, eis qui nobis dominantur, quomodocumque ſubjiciemur. Data IV. Idus Februarias, indictione decima.

## B XXXII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Mittit imperatori palmam, & malis, quibus a Saracenis praviſque Chriſtianis urgebatur expoſitis, auxilia petit.

*Joannes epiſcopus Carolo imperatori.*

INter cetera, quæ vera creſcente religione ab olim eccleſiaſtica facta veſtræ pietati duximus intimanda, virentium vobis palmarum ecce bravium mittimus, quod apoſtolus non omnes qui currunt, ſed unum propter unitatem legitime certantium accipere proteſtatur. *1. Cor. 9.* Quapropter, fili cariſſime, quaſi præſentes, incurvatis genibus & ſummiſſo capite deprecamur & obſecramus, ut ita legitime celſitudo veſtra in hujus ſæculi ſtadio pro Chriſti eccleſia currere, ita decertare contendat, ut non ſolum bravio victrix veſtra dextera adornetur, verum etiam ſacratiſſimum caput diademate gloriæ decoretur: imo pro viſibilibus his & corruptibilibus, non tantum palmam, ſed & coronam accipiat incorruptam. Sed heu, clementiſſime imperator, ecce dum ad alia intenditis, mater veſtra, ſancta videlicet hæc eccleſia, quæ vos ſpiritualiter genuit, periclitatur, & in noviſſimum devenit exitium: hinc inde non ſolum tabernaculis hanc Idumæorum & Iſmaelitarum, & Agarenis quotidiano gladio & captivitate in interitum im- D pellentibus, verum etiam falſis filiis Sarræ, quos optime noſtis, in prædam & direptionem miſerabiliter immittentibus: ita ut & illi ſæpe uſque ad muros urbis quamvis clandeſtinis horis pervenerint, ſed & Tiberinum fluvium, qui olim Albula dicebatur, juxta Sabinorum confinia pertranſierint: & iſti, qui nobis vicini ſunt, ex altera parte ita ſæviant & debacchentur, ut non hominem, non agrum, non jumentum, non pecus, non quidquam ex his quæ ſancti Petri juris exiſtunt, dimittere patiantur, ſed omnia quæ oculo vident, manu diripiant; & mala quæ cogitant, ſine mora perficiant. Hæc ſunt, cariſſime, de innumerabilibus pauca, quæ mater veſtra Romana, proh dolor! diebus veſtris perfert eccleſia; quaſi E non vos ſpecialiter ex omnibus & præ omnibus amaverit, invitaverit & extulerit: vel quaſi nos non vos, auctore Deo, in imperium coronaverimus, & vobiſcum in omnibus, quaſi cum ſapientiſſimo Salomone, ut quondam ille fidelis Sadoch ſacerdos, adverſus alterum ad omnia minime ſteterimus, nec cuncta, quæ pro vobis debuerimus facere, fecerimus: *1. Reg. 1.* ad extremum quaſi non hodieque manui veſtræ ſpeciali voto & prærogativa plenam benedictione palmam, ſicut & cernitis, deſtinemus adverſus viſibiles hoſtes & inviſibiles triumphantem. Optantes enim vos de cunctis adverſariis triumphare, nihil aptius vobis, quam ramos palmarum,

Matth. 21 rum, duximus offerendum, quos & pueri ſterne-bant in via Domino Hieroſolymam venienti, antiquum hoſtem triumphaturo, & mundum victuro. Sed dicuntur multæ vos impedire ſolicitudines Luc. 11 Hoc plane nec nos ignoramus. Verum ut cum Domino fateamur, & hæc oportuit facere, & illa non omittere. Nam vobis, qui in agone contenditis, ut ad bravium ſupernæ vocationis, & ad capeſſendam coronam incorruptam perveniatis, ab omnibus aliis abſtinendum eſt, & legitime, ut prædiximus, decertandum. Quid autem magis legitimum, quam ut præ omnibus & ante omnia Romanæ curam habeatis eccleſiæ, quæ ceterarum magiſtra eſt & mater eccleſiarum, quæ veſtro in tempore tantis ac tam immanibus ſuccumbit ſine ceſſatione periculis: Denique ſi hæc eccleſia, quæ B caput eſt, viget, cetera membra, quamvis languida, recuperandi fiduciam non amittunt: quæ nimirum omni robore carent, ſi contingat ſolum caput forte languere, quanto potius, quod avertat omnipotens, ſi contingat extingui? Unde iterum iterumque totis ſingultibus totiſque imploramus præcordiis, & per Chriſtum Dei filium ſupliciter adjuramus, qui vos ad tantum provexit faſtigium & imperium, vel nunc citatum extendite clementiæ brachium, & periclitanti patriæ, quin potius mundo, auxilii jam jamque porrigite dexteram. Ecce Petrus in commiſſis ovibus mergitur. Erigite ergo eas vos a fructibus, clementiſſime. Sic vos ipſe ab exceſſuum alluvionibus erigat, & vobis cæleſtis atria regni interceſſionum ſuarum clavibus C referet, & vitæ æternæ paſcua invenienda inter angelos ſine termino tribuat, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, &c. Data Idibus Februa- 1 Cor. 2. rii, indictione decima.

## XXXIII. AD AJONEM EPISCOPUM BENEVENTANUM.

Commendat eum de zelo erga ſedem apoſtolicam, monet ut ſibi adjumento ſit in expellendis Saracenis, ſuumque fratrem ad idem faciendum impellat.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo Ajoni epiſcopo Beneventano.*

SUſceptis atque relectis literis ſanctitatis tuæ, gratias omnipotenti Deo retulimus, & pro tuæ devotionis affectu, proque ſolicitudine, quam inquirendo de noſtris eventibus habuiſti, multum in Domino gratulati ſumus. Decet enim, & omnino coram oculis divinæ majeſtatis extat conveniens, ut hi quos fideliores erga ſanctam matrem cunctorum, ſcilicet Romanam, eccleſiam eſſe conſpicimus, noſtris affectibus, & ſi non per corpus, per ſpiritum amplectantur, & fraterna dilectione juxta merita ſingulorum tractentur. De hoc autem quod aſſeris, te de noſtra ſanitate lætari, ſicut e contrario de oppreſſione Saracenorum triſtari, optime quidem (ut ita dixerim) quantum E foris eſt, tangis: ſed quantum intus eſt, juxta tribulationem quam patimur, non advertis. Præcipue cum pro populi nobis commiſſi vaſtatione ſolum nobis ſuperſit ſepulcrum, & pro his qui nobiſcum certare debuerant, & non ſolum inimicis Chriſti faveant, ſed etiam noſtrum laborem impediant, immenſis anguſtiis æſtuemus. Sed in his non ſolum nobis orationibus a vobis ſubveniri precamur, verum etiam quos a communi noſtro certamine deviare cognoſcis, & exemplo operis, & verbo prædicationis revoces, exhortamur. Ceterum licet noſtro itineri Neapolim, nobis pro A maxima noſtræ eccleſiæ neceſſitate nuper advenientibus non adhæſeris: tamen quod per præſentiam non egiſti, per abſentiam, ſi ille calor fidei in te viget, quem credimus, agere prorſus valebis. Bene enim tuo miniſterio cedis, ſi & laborem noſtrum, quem valde debiles corpore pro liberatione Chriſtiani populi tunc aſſumpſimus, opportune advertis, & tribulationis, quam modo patimur, memor ſemper exiſtis. Nam nunquam conſilium fratris tui per aliquos tantum ſubverti potuit, quantum per tuæ ſanctitatis ſolertiam immutatione dexteræ excelſi non poſſit converti. Eja igitur frater cariſſime, accinge epiſcopaliter lumbos tuos, & medullitus fratrum noſtrorum, pro quibus Chriſtus ſuum ſanguinem fudit, neces atque dictu horrendam captivitatem perpende, & inſta opportune, importune, fratremque jam dictum monitis, imo verbis increpatoriis exhortare, ut 2. Tim. 4. noſtros pios conatus ſequatur, & pro Chriſtianis nobis certantibus opem tribuat, voluntatem extendat, & opus te inſtante exhibeat, & miſereatur Deus. Quid nobis proficit Chriſtianum vocabulum, ſi opere Chriſtiano caremus? quid prodeſt nobis cognoviſſe viam juſtitiæ, quando poſt cognitionem retrorſum converſi, cum inimicis Chriſtiani nominis tam libere fœdera copulamus? Ergo (ſicut diximus) beneficiis ſanctæ Romanæ eccleſiæ tua ſanctitas non ingrata nobiſcum laboret, nobiſcum pro ſalute populi Dei in illis partibus cooperatrix exiſtat, & noſtro certamini C favens, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſe devotam nomine & opere ſemper exhibeat. Quia ſi tu, ſicut potes, peregeris, nec fratris tui, nec alicujus hominis factum, noſtrum opus, piumque laborem, Chriſto juvante, apud veſtrates ex toto diſſipare valebit: quin potius incrementum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum augebitur, & labor proficuus apparebit. Data Kalendas Februarii indictione x.

## XXXIV AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM

Reſpondet, abbatem, qui nullo comprobato crimine a regii cœnobii præpoſitura depulſus fuerat, eſſe revocandum; homicidam autem, & D facinoris ſocium ab omni præpoſitura pellendum.

*Joannes epiſcopus Anſperto archiepiſcopo Mediolanenſi.*

LAudamus ſanctimoniam tuam, frater cariſſime, juſtitiæ zelo ferventem: ſed in promotionibus ſive antiſtitis, ſive abbatis, nil profecto aliud gerendum poſſumus exhortari, niſi quod ſacri canones ſanciunt, quos nulli ſacerdotum licitum eſt ignorare, vel quidquam facere, quod patrum poſſit regulis obviari. Verum quia in utroque filii noſtri ſemper Auguſti interfuiſſe E perhibetur aſſenſus, ejus ſuper hoc eſſe videtur expectandus adventus: ad cujus cum tua ſanctitas acceſſerit pietatem, credimus nil eccleſiæ Dei præter paternas regulas illaturam. Moderatio quippe ſedis apoſtolicæ, & univerſalis eccleſiæ diſpoſitio, in hoc periculoſo tempore pene cuncta diſpenſatorie moderanda compellit. Quamvis autem præſenti ſit exuli conſulendum, nihil tamen eſt, non extante ulla neceſſitate, contra canones patrum agendum. Abbas autem qui nullo comprobato crimine a regii eſt cænobii præpoſitura depulſus, ejuſdem piiſſimi principis permiſſu, precibus noſtris tuæ ſociatis induſtriæ,

revo-

revocandus eſt. Non autem ſolum homicidam, ſed & ſocium homicidæ ab omni præpoſitura pellendum decernimus. Hæc perpaucis fraternitati tuæ ſcripſimus, ne ſibi omnino reſcribere ſuperſediſſe videremur. Ceterum, ut cum ſancto Leone papa dicamus, Nos qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe judicia, nihil poſſumus incognitis rebus in cujuſquam partis præjudicium diffinire, priuſquam univerſa quæ geſta ſunt, veraciter audiamus. Si enim (ut ait apoſtolus) mediator unius non eſt, qui ſic unam [Galat. 3.] partem audit, ut alteri parti nihil reſervet *. [* for. aliquid deeſt.] Optamus. &c. Data III. Kalendas Martii, indictione decima.

## XXXV. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI IMPERATORIS CONSTITUTOS.

Monet ut imperatorem hortentur ad opem eccleſiæ Romanæ celeriter ferendam.

*Joannes epiſcopus omnibus archiepiſcopis & epiſcopis in regno imperatoris Caroli conſtitutis.*

PRiſtinis attriti miſeriis, & oppreſſi calamitatibus, dilectiſſimi filii noſtri magni imperatoris Caroli, quaſi de profundis ad Deum clamantes, tamquam ipſius Domini & ſalvatoris noſtri anxii expectabamus adventum, & ut ita dixerim, ejus iteratum pro ſalute noſtra credebamus imminere deſcenſum. Sed, proh dolor! tot ac tantis circumdamur hinc inde periculis, ut tædeat nos etiam vivere. Ecce enim dominicarum ovium ab Agarenis, qui ſunt filii fornicationis, nec non & ab his qui ſolo ſunt nomine Chriſtiani, aliæ gladio trucidantur, aliæ fame pereunt, aliæ vero in prædam & captivitatem ducuntur. Sed & paſtores earum, reverendi epiſcopi, profugiunt, & vagi huc illucque palantes omni penitus egeſtate tabeſcunt. Redacta eſt terra in ſolitudinem, & ablatis ab illa hominibus, ferarum ſaltus effecta eſt; civitates, caſtra, & villæ ſubverſæ, nec ubi earum fuerint ædificia, innuunt. Sed & venerabilia loca deſtruentes, altaria Domini ſuffoderunt, miniſtros & ſervos ejus occiderunt. Facti ſumus, ſecundum Pſalmiſtam, [Pſalm. 43.] in deriſum & contemptum his qui in circuitu [Epheſ. 5.] noſtro ſunt: dum illi aut vicinorum auxilio potiuntur, aut ſaltem pacto, ſecundum apoſtolum, tempus redimunt, quoniam dies mali ſunt. Seminamus pedetentim, quamvis in lacrymis, nec recolligimus; imo jam nec ſeminandi facultas ſuppeditat. Sedet in triſtitia domina orbis, mater eccleſiarum, magiſtra gentium, conſolatio triſtium, & non eſt qui adjuvet, non eſt qui conſoletur eam, niſi tu ſolus, o bone Deus, & ſi non re propter iniquitates noſtras, ſed ſpe, [Rom. 5.] quæ ſecundum apoſtolum non confundit. Quæ, fratres cariſſimi, partim vobis ſignificamus, (nam ſi per ſingula ſcribere tentaſſemus, facilius nobis charta quam ſermo deficeret) ut ſicut unum corpus ſumus in capite Chriſto, & alter alterius membra, ita nobiſcum pariter condoleatis & [1. Cor. 12.] compatiamini: quia *ſi quid unum patitur membrum*, ut Doctor gentium ait, *compatiuntur omnia* [2. Tim. 2.] *membra: & ſi compatimur, & conregnabimus*. Condolentes autem nobis, & compatientes, accedatis ad Chriſtianiſſimum filium noſtrum, & conſilium Domini ab eo non abſcondatis; ſuggerentes, & exhortantes, ut perpendat, quis & quam terribilis ſit ille, qui hunc ante ſæcula huic præfuturum regioni prædeſtinaverit, & quam diſtricte ab eo exacturus ſit quod commiſit: qui



ſcilicet tam pretioſi ſanguinis fuſione quod credidit emit. Meminerit etiam, quia & nos illum præ ceteris propinquis & æmulis ejus amavimus, elegimus, & prætulimus. Unde & eum adverſus omnes hoſtes eccleſiæ non ſolum defenſorem, ſed & patronum & advocatum noſtrum exiſtere propoſuimus: ut quod ei nos apud Deum eſſe ſatagimus, ipſe inter homines pro nobis fieri non detrectet: præcipue ut accelerans nobis ſubveniat, & ſine mora contra perfidos Chriſtianos & infideles ſuccurrat. In quo ſanctæ fraternitati veſtræ præ omnibus laborandum eſt: pro commiſſo ſcilicet ſibi ſacerdotali officio, & quia, ut cum propheta veridico fateamur, ſi hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, vel ubi [Iſai. 10.] relinquetis gloriam veſtram? Data III. Kalendas Martii, indict. x.

## XXXVI. AD LANDULPHUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Mittit legatos, ut Docibilis Hypatus petierat: hortatur ut det operam una cum legatis, ut pactum cum Saracenis initum diſſolvatur; ſe quidquid ab eo conſtitutum fuerit, approbaturum.

*Landulpho epiſcopo Capuano.*

NOverit induſtria tua, nos tam Sergii magiſtri militum, quam Docibilis Hypati epiſtolas ſuſcepiſſe: quibus cognovimus eos excuſabiles ſe velle coram nobis reddere tentaviſſe ſuper contracto infando fœdere, quod cum Saracenis impie pepigerunt, nec abſolverunt; in tantum, ut gerulus earum referret jam fuiſſe diruptum, niſi dilectio tua pro reverentia noſtri, noſtrum in hoc expectandum arbitrium judicaſſet. Quamvis nec hæc ipſa ex toto crediderimus, eo quod de his nullam tuam ſuſceperimus. Verum quia nos prædictus Docibilis Hypatus, ut miſſos noſtros pro tanto bono, & omni eccleſiæ profuturo perficiendo, Cajetam mitteremus, obnixe rogavit; ne negligentia noſtra diffamaret tantam humani generis ſalutem poſtpoſitam, miſimus illuc VValbertum Portuenſem, & Eugenium Oſtienſem, ſanctiſſimos epiſcopos dilectos & conſiliarios noſtros, ut ſive cum magiſtro militum, ſive cum miſſis ejus loquentes, pactum illud, quod perditionis eſt cauſa, diſſolvi per omnia ſuaderent, in tuæ maximæ ſapientiæ illos fiducia deſtinantes. Quapropter hortamur, ut ſolertia tua tanto in hoc laboret, quanto non ſolum a nobis condignam viciſſitudinem, ſed & ab ipſo Deo & Domino noſtro coronam ſe percepturam in cæleſtibus non poterit dubitare. Admonemus itaque, *inſta opportune, importune*, ut tam impio diſciſſo fœdere, pax [2. Tim. 4. Philip. 4.] Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, nobis tandem cælitus reſtituatur. Si qua vero inter hæc ſe ingerit inimica Deo contentio, tuæ ſapientiæ manibus detergatur: nulla ſimultas, nulla rerum vel gloriæ cupiditas a tanto lucro atque profectu vos ſubtrahat; quia, quidquid illud eſt, pacifice poterit poſt modicum dirimi, & cum caritate, nobis quoque mediantibus, diffiniri. Certet ergo, laboret, & ſatagat induſtria tua, & in his vice noſtra utatur; quidquid agendum, quidquid communi ex placito fuerit conſtruendum, vice noſtra faciat atque conſtituat. Alacriter enim quod tua dilectio conſtituerit, & immobili placito fixerit, adimplere atque perficere procurabimus, nihil ut in hoc hæſitet dile-

ctio tua magnopere commonentes. Prædictis autem miſſis noſtris miſſos tuos indifferenter & abſque mora Cajetam dirigere procurato, qui de his omnibus cum eis ſalubriter tractare valeant, & quæ ſunt agenda, perficere. Optamus, &c. Data Idus Martii, indictione x.

## XXXVII. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM.

Frotarium ab eccleſia Burdigalenſi a paganis devaſtata transfert ad Bituricenſem.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Frotario, dudum quidem Burdigalenſi, nunc autem Bituricenſi archiepiſcopo.*

AD hoc nos divina proviſio ſupernaque moderatio eccleſiis ſuis voluit præeſſe rectores, ut diſperſa congregare, & ſervare congregata ſummo ſtudio procuremus, * non ſolum earumdem eccleſiarum ſolicitudinem, ſed & ipſorum quoque rectorum habeamus induſtriam, & exerceamus ſolertiam: quatenus ſicut rectoribus deſtitutis eccleſiis alios ſubrogantes conſulimus, ita rectoribus vacantibus eccleſias Domini committentes, providam curam nos earumdem eccleſiarum gerere demonſtremus: maxime his, qui cum robuſti præliatores Domini ſint, intra otioſitatis anguſtiam arceri renuunt, & per hoc expeditius contra vitia certaminum exercitia quærunt. Quia igitur Burdigalenſem eccleſiam, totamque pene ſub ejus habitam regimine diœceſim, ita paganorum frequentes gladii, prædæque continuæ conſumpſit irruptio, ut pene omne illic epiſcopale vacet officium; neceſſario prævidimus, Dei omnipotentis auctoritate, beatorumque Petri ac Pauli apoſtolorum principum fraternitatem tuam, cujus vacatio defectus eſt fidei, & fere virtutum omnium detrimenta, in eccleſia Bituricenſi, quæ vacare paſtorali cura dignoſcitur, ab hac præſenti decima indictione præferre ſimul & incardinatam præficere, habito in eadem Bituricenſi eccleſia totius jure metropoleos ac diœceſeos priſcis temporibus a ſacris canonibus præſtituto, & in illa eccleſia eatenus conſervato: ita ut paſtor ejuſdem ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ, rector & antiſtes ex hoc revera dicaris, habearis, & Chriſto propitio percolaris, ea quæ Dei ſunt jugiter agens, & utilitati proximorum ſemper intendens. Qui vero contra hujus apoſtolici privilegii noſtri ſtatutum, quod neceſſitate barbarica, & diſpenſatione cogente loci & temporis, exemplo etiam majorum protulimus, agere forte tentaverit, divinis myſteriis tandiu privetur, quamdiu minime reſipiſcens, apoſtolico præcepto per fruſtra permanſerit inobediens. Data &c. indictione x.

** Forte, & non ſolum. Mard.*

## XXXVIII. AD DOCIBILEM ET JOANNEM.

Hortatur ut det operam, ne Chriſtiani fœdus cum Saracenis faciant.

*Joannes epiſcopus Decibili & Joanni Hypatis.*

*De Docibile Leo, ep. Oſtienſ., lib. 1. c. 14.*

DEvotioni tuæ pro labore fidei Chriſtianæ, quam excolis, gratiarum actionibus perſolutis, iterum & iterum exhortamur, ut magis ac magis ſatagere & decertare, & cœptum laborem ad perfectam ducere actionem procures: ut Chriſtiani nominis viri paganorum fœdera fugiant, & ſolum in Deum, qui eos creavit, & non in diaboli membra, quæ ſunt filii fornicationis & vaſa iræ, ſpem ſuam ponere diſcant. Quod cum egeris, ſalvabis animam tuam, & operies multitudinem peccatorum. Dicit enim beatus Jacobus: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ſuam a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Data v. Idus Aprilis, indict. x. *Jacob. 5.*

## XXXIX. AD PULCHAREM PRÆFECTURIUM AMALFITANUM.

Monet ut fœdus cum Saracenis initum diſſolvendum curet.

*Joannes epiſcopus Pulchari Præfecturio Amalfitano.*

*De Pulchare Leo, ubi ſupra.*

ADmonemus ut in omni virtute tua & ſapientia tua labores atque decertes, ut illi homines paganorum diſrumpere pacta procurent. Quod ſi fecerint, nil vobis vel illis denegabimus eorum quæ rite facere poſſumus, & pro nulla cauſa vel homine nos a communi veſtra & eorum ſalute ſeu auxilio ſeparabimus, nec illos aliquando dimittemus: at vero ſi illi hoc facere recuſaverint, & conſpicis eos nobis de die in diem tantummodo velle illudere; ſaltem tu fac ſecundum conſilium tuum, quod ſcilicet inſpirante Deo, ex prudenti corde ſalutiferum protuliſti. Quidquid autem de his factum, vel non factum fuerit, aut faciendum extiterit, tuis nobis vel miſſis, vel litteris citius indicabis; ut quæ deinceps nobis neceſſario ſunt agenda, facilius & expeditius agamus, præparemus & ordinemus. Data v. Idus Aprilis, indict. x.

## XL. AD SERGIUM MAGISTRUM NEAPOLITANUM.

Dolet ipſum ſæpe monitum fœdus cum Saracenis ſolvere noluiſſe: præcipit, ut tandem pareat: ſin minus, minatur ſe iterum eum excommunicaturum: pollicetur, ſi fideles legatos miſerit, benigne ſe ſuſcepturum.

*Joannes epiſcopus Sergio magiſtro Neapolitano.*

*De Sergio Leo lib. 1. cap. 42.*

DUm verbi Dei ſemen in pectore tuo etiam per memetipſum poſt crebros miſſos & litteras ſeminaſſem, expectabam non verborum folia, ſed fructus operum promereri: ſed quia ſuper hac parte ſpes noſtra fruſtrata eſt, cogor in vocem Domini per Iſaiam prophetam adverſus Iſraeliticam plebem prorumpere, clamans: *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruſcas?* *Iſai. 5.* Verum quia, ut cum apoſtolo dicam, *eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium eſt;* *Philip. 3.* ſemel te tuoſque adhuc admonere non abnuo, ut ab infidelium conſortio declinetis, & a tam profano tandem aliquando fœdere recedatis. Quod ſi nos audieritis, non ſolum bona quæ cupitis, affluentius ex nobis habebitis, ſed & magna præmia cælitus aſſequemini: ſin autem, non ſolum nos ſpirituali vos iterato gladio percellemus, ſed & hi, qui non ſine cauſa materiales gladios portant, cum ſint ſanctæ eccleſiæ validi defenſores, & fervidi zelatores, cunctis adverſis & proſperis conculcatis, adverſus vos protinus arma corripient, & vindices contra vos impugnatores ejus celerius properabunt. Quæ nos ſcientes, quia vos anima & cor-

& corpore ſalvos reddere cupimus, hæc vobis denunciamus, & cavenda præcipimus. Ceterum miramur, quomodo vos in literis veſtris, quas in ipſa paſchali feſtivitate ſuſcepimus, inculpabiles tentetis aſtruere, cum piaculum veſtrum totus qui deſertus eſt mundus, & ſanguis de terra, qui effuſus eſt, clamet: præveniente autem gratia Dei, cito credimus fore, ut & vos reſipiſcentes a vinculo quo annexi tenemini, convenientius abſolvamini, & de tua tuorumque ſalute ipſi cum cæleſtibus choris pari gaudio perfruamur. Porro ſi miſſos deſtinatis fideles, quibus credere procul dubio valeamus, libenti eos & benigno ſuſcipiemus affectu; & quidquid deſiderio vel voto veſtro cederit, gratanter adminiſtrabimus, fidentes, quod nil impoſſibile, nil allegaturi ſint inconveniens: e contra vero ſi ſine tenus pacti jugum cum infidelibus ducere proponitis, ſcitote profecto quia (ut cum apoſtolo fatear) *in virga veniam ad vos*. Data v. Idus Aprilis, indictione decima.

Cor. 4.

## XLI. AD EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Queritur Neapolitanos cum infidelibus fœdus iniiſſe, nec ab ipſo eorum antiſtite ad viam veritatis revocari. Quare hortatur, ut ipſe & illi reſipiſcant: præterea pollicetur ſe benigne ſuſcepturum Neapolitani ducis legatos, ſi miſerit; paratumque ad omnia ſe fore, quæ pro eccleſiæ Dei utilitate perficienda retulerint.

*Joannes epiſcopus ad epiſcopum Neapolitanum.*

RElectis literis tuis, quas cœpto jam paſchalis feſtivitatis officio in die magno ſuſcepimus, nihil quo lætificaremur, reperimus: unde ingens triſtitia, & continuus dolor cordi noſtro crevit, & multiplicatus nos vehementer affligit; quia populum civitatis veſtræ, quæ olim Dei, nunc autem principis tenebrarum effecta eſt, derelicto penitus creatoris ſui amore, videmus jugum cum infidelibus ducere: teque ideo fore obnoxium, quoniam in medio populi polluta labia habentis, pollutum & complicem habitare, nec toto annixu te velle murum pro domo Domini (ſicut idoneum Chriſti athletam oportet) contemplamur opponere. Cum nos pro hujuſmodi cauſa te ad tanti honoris culmen perducere procul dubio ſtuderemus: quatenus te adjutorem & fidelem cooperatorem habentes; oves Domini de tam immani profundo, quo ab humani generis inimico ſubmerſas & retentas jacere conſpiciebamus, abſtrahere, atque ad ſuperna relevare poſſemus: ut de illorum ſimul ſalute par apud retributorem omnium Deum pro communi certamine meritum haberemus. Sed ecce neglecta paſtoralis officii cura, poſtpoſito divini timore judicii, cum illis, quos aut corrigere, & ad viam veritatis revocare, aut eos quaſi gregem morbidum tot diſciplinæ ſalubris verberibus caſtigatum, ſalutem propriam nolentem recipere, vitare, atque de medio eorum, ſicut jam olim tibi ex divina auctoritate præcipimus, exire debueras, nec amplius cum prævaricatoribus, & conſortium infidelium habentibus habitare præſumeres, ut tuæ devotionis ſinceritate manifeſtius apparente, reverentiam tuam, quam ſacerdotii ſummi decoravimus infulis, in ſocietate corporis Chriſti nobiſcum haberemus conjunctam. Nos enim aſſidua quamvis corporis incommoditate tunc detenti eſſemus, volentes Neapolitanam civitatem, ceu populum Domini, & oves paſcua ejus nobis in ipſo apoſtolorum principe commiſſas cum omni devotione ſalvare, non recuſavimus laborem: quin potius poſuimus animas noſtras in manibus noſtris, dominicaque voce admoniti venimus confirmare illos in beneplacito Dei, ceu fratres, & ut filios cariſſimos coram Domino adjuvare; ſed obdurato ipſi corde, noſtras preces & monita recipere, atque ut aſpides ſurdæ audire deſpexerunt; teque ſecundum eorum votum, & deſiderium antiſtitem (quod non merebantur) ordinare non prætermiſimus, multis ſuper hoc aliis, & etiam bonis promiſſis, ſi noſtræ voluntatis deſiderium devota mente compleſſent: nunc autem vel illis incorrectis exiſtentibus, & ad percutientem ſe redire nolentibus, vel tibi cum ipſis habitanti, & idcirco a divinis omnibus cum eis pariter ſequeſtrato; quo pacto antequam reſipiſcentes ad viam ſalutis & juſtitiæ revertamini, parcere, aut a nexu eccleſiaſtici vos judicii valemus abſolvere? Abſolvite ergo vos prius colligationes impietatis, & fœdus impium, quod cum inimicis Chriſti habetis compoſitum, & nos illico miſericordiam, quam Deus noſter eccleſiæ ſuæ in Spiritu ſancto dedit facere poſſe, nullatenus vobis jam converſis tribuere omittemus: nam ſicut vere ſatisfactionis confeſſoribus parcendum eſt, dicente Domino: *Cum converſus ingemueris, ſalvaberis; & adhuc te loquente, dicam, Ecce adſum:* ita vero in ſcelere impio manentibus miſerendum non eſt: quoniam miſericordiam aliquam vobiſcum ante fructum dignum pœnitentiæ facere omnino nequimus, eo quod miſericordia ſine controverſia quæri debet, ut ſalus ſit diſciplinæ: nam dicente ſancto Gregorio: *Sæpe pietas per immoderatam miſericordiam errare ſolet, ſi fortaſſe pepercit quæ parcenda non ſunt; peccata enim, quæ feriri gehennæ ignibus poſſunt, diſciplinæ ſunt verbere corrigenda, ſed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad æternum ſupplicium pertrahit*; unde vobis reſipiſcentibus ne in futuro pereatis, parcere optamus. Præterea ſi frater tuus, Neapolitanorum videlicet dux, per ſuos idoneos legatos nobis optata, & ea quæ oportet veraci relatu perficienda direxerit, eos gratiſſime recipientes, quidquid ratione ſagaci retulerint, perficere pro eccleſiæ Dei utilitate atque ſalute procul dubio parati erimus. Age igitur, & deſudare pro communi proſperitate, imo pro ſalute tua, & civium tuorum non deſiſtas, arguens, obſecrans & increpans cum omni imperio: ut labor tuus fructum deſiderabilem in domo Domini pro quo digne remunereris afferat. Data *ut ſupra*.

Ezech. 13. — Ezech. 33. — S. Gregorius lib. 1. ſuper Ezechielem, homil. 19.

## XLII. AD CAROLUM REGEM.

Monet ut bona ablata a monaſterio ſanctimonialium reſtituenda curet: quod niſi intra ſexaginta dies fecerit, & per legatum id ſibi nunciaverit, vel cauſam cur non ſint reſtituta, non reddiderit, eum excommunicat.

*Joannes epiſcopus Carolo * glorioſo regi.*

CUm generoſitatem tuam tanta claritas proſapiæ regalis extollat, miramur & obſtupeſcimus, quomodo hanc tam ſiniſter longe lateque diſcurrens rumor obnubilet, aſſerens & affirmans te Italiam ingreſſum ad monaſterium acceſſiſſe ancillarum Dei apud Brixiam conſtitutum; indeque cum illic ipſe morareris, tyrannice aurum ablatum, tam ipſius venerabilis monaſterii, quam dile-

* Hic Carolus, qui Craſſus nominatus eſt, poſtmodum imperator creatus, fuit filius Ludovici Germaniæ regis, Ludovici Pii nepos, Caroli Magni pronepos, ad

quem nonnullæ infra ſcribuntur epiſtolæ. De quo Ado Viennenſis in fine chronicorum, Regino lib. 2. chronicorum, Aimoinus lib. 5 cap. 40. & alii.

Dan. 2.

Pſalm. 61.

dilectæ filiæ noſtræ Angelbergæ Dei cultricis: A quod ſibi ad ipſius præcipue cœnobii ſuſtentationem procul dubio reſervaverat: unde mœrore vehementer afficimur, dolentes gloriam tuam ad tam immane ſacrilegii genus dilapſam, & inſtar cujuſdam gentilis regis vaſa domus Dei ad uſus proprios inflexiſſe conatam. Atque ideo dilectionem tuam in Chriſti viſceribus eſſe cupientes, monemus, & ſacris convenimus eloquiis cum pſalmiſta fatentes: *Nolite ſperare in iniquitate, & in rapinis nolite concupiſcere*. Si qua ergo a prædicto pio loco, ſive gloria tua ſciente, ſive neſciente ablata ſunt; induſtria tua diligentiſſime requirantur, & inventa in eo ſine mora ſub omni integritate reſtituantur: ne, quod abſit, ſi aliter egeris, & Deum contra te ad iracundiam B provoces, & decus tuæ regiæ nobilitatis offuſces, atque nos ad hæc ſeverius ſecundum miniſterium noſtrum punienda commoveas. Denique niſi poſt lectam hanc noſtri apoſtolatus epiſtolam, intra ſexaginta dierum ſpatium, theſaurum illum ſine aliqua diminutione reddere propoſueris; ita ut miſſus tuus Romam in præſentiam noſtram veniens, ſive reddideris, ſive nec reddideris, quidve hic agendum delegeris, veram & idoneam expoſuerit rationem, euſque ſis extunc excommunicatus, quouſque ab omni te rapinæ communione reddideris alienum: durioribus deinceps te ſciens verberibus erudiendum, ſi his interim levibus tactus reſipiſcere forte contempſeris. Amamus enim te more paterno, & ab hac ſecunda C idolorum ſervitute volumus ſcire liberum & immunem. Etenim *avaritia*, ſecundum apoſtolum, *eſt ſervitus idolorum*. Optamus, &c. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione decima.

Galat. 5.

## XLIII. AD ENGILBERGAM.

Conſolatur eam ob mortem mariti, atque monet ut Carolo imperatori fidem ſervet, ſeque ejus interceſſorem apud eumdem Auguſtum futurum pollicetur.

*Joannes epiſcopus dilectæ filiæ Engilbergæ Chriſto dicatæ.*

Engilberga uxor fuit Ludovici ſecundi imperatoris, ad quam aliquot infra ſcribuntur epiſtolæ. Ejuſdem meminit Aimoinus l. 5. c. 28. & Leo Marſicanus lib. 1. cap. 38.

1. Cor. 13.

Rom. 5.

2. Cor. 4.

EO nos, filia cariſſima, nec alio circa dilectionem veſtram flagrare affectu noveris, quo fuimus, quo etiam olim perſiſtere propoſuimus: neſcit enim dilectio viciſſitudinum obumbrationem, nec defectum patitur, cum, ſecundum apoſtolum, nunquam excidat. Hujus rei gratia conſolatoriis his, & exhortatoriis prudentiam veſtram literis commonemus, ne deficiatis in tribulationibus, ſcientes, docente apoſtolo, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit: omnia enim quæ videntur, temporalia ſunt; quæ vero non videntur, æterna*. In his ergo configi, in his debes totis radicibus inhærere cariſſima: unde ſapientia veſtra ſanctos, qui E patientia in mundo claritate quaſi luminaria refulſerunt, præ oculis habeat, & ita inoffenſis ad palmam ſupernæ vocationis greſſibus tendat, quam videlicet habituri ſunt illi, qui oraculo dominico imbuti, in patientia ſua ponunt animas ſuas. Nihil enim inimica mors, vel manus abſtulit, quod vita, quæ Chriſtus eſt, & ipſius provida dextera in melius non tranſtulit, atque reſtituit. Abſtulit mortalem illa maritum, ſed iſta ſeipſam æternum contulit ſponſum: unde quæ terreni vocabamini uxor, Patris cæleſtis jam regis multo præſtantius dicimini conjux. Adem-

Luc. 21.

ptum eſt corruptibile diadema, ſed præparatur incorrupta corona. Remota ſunt decoramenta quæ veteraſcunt: ſed repoſita ſunt vobis ornamenta, quæ non marceſcunt: & quid plura? pro ærumnoſo & phantaſtico regno, percipietis felix & verum imperium: & revera hæc eſt immutatio dexteræ Excelſi. Verum cum ſapienti vobis Pſal. 76. & quæ noſtis de paucis plura penſare pauca ſufficiant; his ita prælibatis, dilectionem veſtram merito commonemus, ut ſpirituali filio noſtro Carolo piiſſimo imperatori, puræ fidei ac ſinceræ devotionis exhibens ſemper integritatem, omnes ad ejus manſuetudinem attrahat, & ſalubribus monitis inviolabilem ei fidem ſervare demonſtret. *Non enim eſt poteſtas*, ut apoſtolus ait, *niſi* Rom. 13. *a Deo*. Et: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*: nos autem, quia illum divinitus, ut credimus, acti ſemel elegimus, perpetuo tamquam filium cariſſimum omni conatu diligimus, ita ut ipſius amicos & inimicos, noſtros amicos & inimicos exiſtere teneamus: ſi qua vero ſunt vobis ab ejus clementia impetranda, per nos credimus, cum vobis libuerit, indifficulter obtinere valebitis. Quod & nos libentiſſime pro memoria priſcæ benignitatis veſtræ geremus, & idem pius Auguſtus pro Dei ſanctorumque apoſtolorum, ſed & noſtri dilectione animo gratanti concedet. Optamus dilectionem veſtram bene in Chriſto valere, dilectiſſima filia. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione decima.

## XLIV. AD VVIGBODUM EPISCOPUM PARMENSEM.

Hortatur ut quoſcumque poteſt ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ defenſionem excitet, & ad ſe cum ſuis veniat, ut communi conſilio Saraceni ab Italia expellantur: mittit deſideratas epiſtolas, quas afferendas curet iis, quibus ſcribuntur.

*Joannes epiſcopus VVigbodo epiſcopo Parmenſi.*

DEvotionis tuæ affectus non inſcii grates condignas referimus: quia vero ſanctitatem do- D lere tuam cognoſcimus pro eo quod a nobis nihil ſibi laboris injungatur; nil eſſe noveris aliud, niſi quia novimus te multis hujus temporis procellarum fluctibus irretitum. Verum quia nobis multa incumbit neceſſitas, & tua promptiſſima claret alacritas; hortamur, ut quoſcumque potes, & quomodocumque potes, ad defenſionem hujus ſanctæ principalis eccleſiæ filiorum excites, incites, & prout neceſſitas urget, impellas: ſed & ipſe cum his, qui tibi adhærent, ad colloquium noſtrum accelerare ne pigriteris, quatenus communi conſilio, auxiliante Deo, gens impia noſtris eliminetur e finibus: hoc eſt quod exigimus, hoc eſt quod ante ſpeciali voto depoſcimus. Quæ vero de mittendis quibuſque literis E noſtris ſuggerere voluiſti, votis tuis (prout temporis qualitas, & cauſarum diſpenſatio conceſſit) gratanter annuimus; & non ſolum hoc, ſed & quæ poſſumus, tanto circa ſanctimoniam tuam exhibere libentius volumus, quanto hanc præteritis illis in partibus conſtitutam alacrius & inſtantius quæ noſtra ſunt exequi contemplamur. Epiſtolæ autem ipſæ quibus miſſæ ſint, ſuperſcriptio earum monſtrabit, quas ipſe procul dubio ad eos, quibus directæ ſunt, facies aſportari. Eſto itaque ſiſus in nobis, & viriliter age, Pſal. 26. & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum, & accinge ſicut vir lumbos tuos, & accelera,

ut

ut dilectionem tuam ſuperius commonuimus. Optamus ſanctitatem tuam, &c. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione X.

## XLV. AD AJONEM EPISCOPUM BENEVENTANUM.

Laudat ejus promptum ad eccleſiæ defenſionem ſtudium: tum hortatur ut contra Saracenos opem ferat, & fœdus cum illis ictum diſſolvendum curet.

*Joannes epiſcopus Ajoni epiſcopo Beneventano.*

PErſpectis apicibus ſanctitatis tuæ, quantum in te divini amoris ardor efferveat, luce clarius recognovimus; & quantum erga ſanctam Romanam eccleſiam devotus exiſtas nihilo minus advertentes, pro tanta tibi benignitate multiplices gratias agimus, & ſanctimoniam tuam ad noſtri profectum certaminis dignis pollere ſucceſſibus ab omnipotentis clementia poſtulamus. Vere etenim frater cariſſime laudibus es extollendus, qui tribulationes noſtras, quas pro populo nobis commiſſo patimur, quaſi præſentes intuens, nobiſcum gemens & dolens, ad has auferendas providum commilitonem & cooperatorem noſtrum non indebite te velle eſſe in omnibus aſſeveras. Nec aliud itaque de tua ſanctitate credimus, nec aliud ſuſpicamur, niſi ut quamvis corpore abſens ſis, ſpiritu a noſtris ſingultibus C nunquam deſis; & quam dolendum ſit, quod fideles cum infidelibus tam pernicioſe junguntur, liquidius & ipſe perpendas; hujus rei gratia, quia multis ſtudere loquelis, ne magis multiplicare verba, quam gemitus videamur, non expedit; præcipue quia tua fraternitas ipſos inviſibiles mœrores noſtros, ſicut in literis tuis conſpicimus, non ignorat per illum, qui te ſacerdotem ſuum conſtituit, tuam reverentiam adjuramus, ſuadenteſque modis omnibus deprecamur, & auctoritate principum apoſtolorum, fraterno freti amore præcipimus, ut omnibus viribus tuis, omnique poſſe tuo labores, tam ſcilicet cum germano fratre, quam cum aliis Chriſticolis in hoc opem ferre valentibus, ut impia Agarenorum D fœdera, quæ Neapolitani, vel ſui conſocii cum inimicis Chriſti nominis inierant, Chriſto miſerante quantocius deſtruantur; & pax atque concordia fidelium per eumdem Chriſtum Dominum reformetur: quatenus corpus ſanctæ Dei eccleſiæ, pro qua ſanguis fuſus eſt Chriſti, in ſuis membris non laceretur, & quæ ſit vera religio, atque perfecta caritas agnoſcatur: quia licet vos, vel omnis forte mundus mala quæ imminent lugeat; nos tamen tantum præ omnibus affligimur, ac dolemus, quantum præ omnibus ſolicitudinem, atque curam regendarum Chriſti ovium nos ſuſcepiſſe perpendimus. Ideoque quia plus omnibus laboramus, ut per vos labor noſter uſque ad effectum proficiat, ſpecialiter deprecamur. E Inter hæc autem cariſſimum fratrem quæſumus exhortare, ut epiſtolam noſtram ad primum Græcorum illuc venientium cito tranſmittat, & ſuis eum deprecationibus moneat, ut omni amota occaſione, vel decem dromones in adjutorium noſtrum ſtatim dirigere nunquam omittat: quia nos, cooperante gratia Chriſti, tam cum cariſſimo filio noſtro Lamberto glorioſo duce, qui nobis in omnibus hæret, quam cum aliis Dominum timentibus deſudabimus, ut & impium fœdus cum Agarenis habitum diſſolvatur, & libertas, vel aliquanta ſecuritas Chriſtiani populi re- A naſcatur. Poſtremo, quia, ſicut diximus, plus omnibus neceſſario laboramus, nullum laborem, nullamque tolerabilem moleſtiam corporis recuſabimus, quo minus adjuvante Domino pro tantis neceſſitatibus pro vobis cum præveniente Chriſto laborem noſtrum viriliter inſiſtamus: forſan omnipotens Deus, adhibitis tuis laboribus, tantorum pereuntium miſerebitur, & dolores noſtros auferens, fœdera cum iniquis Paganis a veſtratibus facta diſſolvet: ubi rogemus cunctis conatibus ſudes, qui tanto de profectu tui certaminis lætari ſperamus, quanto te in hoc opere cooperatorem noſtrum habere confidimus. Interim magnopere poſtulamus, ut quidquid ſive de dromonibus dirigendis, ſive de impiis peccatis B ſolvendis per tuam ſolertiam, vel per fratris tui obedientiam effectui fuerit datum, citiſſime nobis ſancta tua fraternitas ſcriptis ſignificare procuret. Data XV. Kalendas Maii, indictione decima.

## XLVI. AD GREGORIUM IMPERIALEM PÆDAGOGUM.

Gratulatur imperatorem contra Saracenos claſſem ad eccleſiæ defenſionem miſiſſe; cumque ducem conſtituiſſe: tum monet, ut decem * achelandia ad litora a piratis Saracenis expurganda mittat.

* al. chelandia, quæ e navium militarium genere ſunt.

*Joannes epiſcopus Gregorio imperiali pædagogo.*

GLoriam tuam hac apoſtolatus noſtri epiſtola miſſa primitus exhortamur, ut divinitus datas ſanitates deſiderabilis filii noſtri Baſilii tranquilliſſimi imperatoris nobis ſignifices. Cupimus enim valde ſalutem ejus animæ ſimul & corporis ſemper audire, tamquam piiſſimi propugnatoris orthodoxæ fidei. Gratulati autem ſumus audientes gloriam tuam directam cum Deo conſervandis exercitibus a prædicto divinitus protegendo imperatore, in partes Beneventanorum veniſſe, tam quia, gratias Deo, ipſius divinitus provectum imperium in defenſionem Chriſtianitatis pio zelo ſuccenſum, claſſes & militarem validam manum contra inimicos crucis Chriſti mittere procuravit; quam quod te præ ceteris ad tantum opus cum Dei auxilio peragendum elegit, quem audivimus in omnibus ſtrenuum, & Dei cultorem induſtrium. De cetero credimus ſcire jam magnificentiam tuam, qualiter quædam latrunculorum Agarenorum ſagenæ occultis irruptionibus litora noſtra devaſtent: & quia palam auſum non habent, furtivis deprædationibus plurima huic ſanctæ Dei Romanæ eccleſiæ damna multipliciter inferant. Quapropter bene viſum eſt nobis literas noſtras tibi tranſmittere, ut vel decem bona & expedita achelandia ad portum noſtrum tranſmittas, ad litora noſtra de illis furibus & piratis Arabibus expurganda: quod citius & ſine aliquo impedimento agere poterunt, adjuvante dextera Excelſi, quæ principibus apoſtolorum intercedentibus concertabit, & auxiliabitur illis: in quo, mihi crede, gratum animum piiſſimo imperatori facies, ſi in hoc admonitiones noſtras audieris: quia cum ſit Chriſtianiſſimus Dei amator, & eccleſiarum Domini fervidus propugnator; non poteris illum tibi gratiorem reddere, quam ſi tantum hanc ſanctam eccleſiam per te ſtudueris adjuvare, quæ prima eccleſiarum magiſtra & caput eſt, maxime cum in hoc facto eidem a Deo protecto ſemper Auguſto, & in hoc ſæculo gloriam, & in futuro acqui-

acquiras ſine fine coronam. Deus omnipotens te & A qui tecum ſunt protegat, & contra inimicos Chriſti potenti dextera tueatur. Data xv. Kalendas Maii, indictione decima.

## XLVII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Nunciat ſe Adelardum epiſcopum Veronenſem excommunicaſſe, quod Nonantulanum monaſterium invaſiſſet.

*Joannes epiſcopus ad imperatorem.*

SAcris veſtræ imperialis clementiæ auribus glorioſiſſime imperator Auguſte Adelardi Vero- B nenſis epiſcopi inobedientiam, & temerariam præſumptionem, quam non ſolum in noſtro contemptu, ſed etiam in veſtræ celſitudinis peregit injuriam, præſentibus referre apicibus jure curavimus & merito: nam ſuperna vos majeſtas ſanctæ ſuæ eccleſiæ nobis commiſſæ patronum invictum, defenſorem potentem, & ſtrenuum adjutorem conceſſit, ut in omnibus eccleſiaſticis utilitatibus, unde perpetuam habere gloriam mereamini, quaſi vindicem Dei habeamus miniſtrum. Igitur cum eumdem Adelardum Epiſcopum venerabile monaſterium Nonantulæ ſitum; quod pro Dei, tantique loci reverentia, nullus unquam epiſcoporum, vel judicum in beneficium quæſivit, timorem divinum parvipendendo, C contra ſacras præceſſorum noſtrorum, noſtrique privilegii inſtitutiones, quibus de propria ſemper congregatione abbatem fieri jubetur, callide petiiſſe, ac per hoc illicita præſumpſiſſe, omnimodis reperiſſemus; auctoritate apoſtolica eum excommunicare ſtuduimus; * ut eaque ipſe tenere canonicis eum correptionibus, prout nobis auctoritas apoſtolica ſuffragatur, procul dubio arguemus, ut digno verbere caſtigatus, & canonico nexu ligatus obedientiam diſcat ſervare, qui abſolutus eccleſiaſticis, atque canonicis noluit obedire præceptis. Data ut ſupra.

* Deeſt aliquid.

## XLVIII. AD JOANNEM ANSPERTUM ET VVAIPERTUM ARCHIEPISCOPOS.

Ejuſdem argumenti.

*Joannes epiſcopus Joanni Ravennati, Anſperto Mediolanenſi, & * VVaiperto Aquileienſi archiepiſcopis*

* l. Valperto. Concil. Nicæn. C 12.

SAncti magnique Nicæni concilii præcepta ſecuti quæ jubent, regularem epiſtolam per unamquamque provinciam obtineri, ne hi qui abjiciuntur ab aliis recipiantur; fraternitati veſtræ notum eſſe volumus Adelardum Veronenſem epiſcopum auctoritate ſedis apoſtolicæ privilegii communione privatum: quoniam cœnobium Nonantulæ, quod ſemper apoſtolicæ ſedis, & E noſtræ ipſius auctoritatis privilegio munitum nullius invaſionis uſurpatione detinebatur, ſed ſolius hucuſque abbatis e gremio fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, ſubripuit, ſuiſque uſibus, coarctatis extrema egeſtate monachis, applicavit: & eatenus etiam poſt frequens interdictum noſtrum opprimere, ſæcularumque manibus diſpartitum prodere non formidat, contra ſanctorum patrum regulas, nec non & adverſus apoſtolicæ ſedis & totius ſanctæ ſynodi ſententiam, quam miſſis per ſingulas provincias literis notam vobis omnibus fecimus, A in communionem poſt noſtram quoque prohibitionem per miſſos noſtros, & apices ſæpiſſime deſtinatam, paſſim recipit, & in cunctis pravitatibus ejus conſcius, & fautor apparuit. Excommunicavimus igitur prædictum Adelardum Veronenſem epiſcopum, donec in præſentiam ſedis apoſtolicæ veniens, de prædictorum exceſſuum qualitate, idoneam ſatisfactionem coram poſitus exhibuerit, quæ ſi contempſerit exiſtens interim, exiſtet per omnia communione jure privatus, pari vinculo irretiens omnes qui ſibi communicaverint, vel contra interdictum noſtrum auſu temerario faverint: unde vos cautos reddere volumus, ſi non vultis ipſi eidem ſecundum regulas ſacras ſubjacere judicio. Optamus fraternitatem, &c.

## XLIX. AD CLERUM VERONENSEM.

Ejuſdem argumenti.

*Joannes epiſcopus univerſo clero eccleſiæ Veronenſis.*

EXperientiæ veſtræ notum eſſe volumus, Adelardum epiſcopum veſtrum auctoritate ſedis apoſtolicæ communione privatum, quoniam cœnobium Nonantulæ, quod ſemper apoſtolicæ ſedis, & noſtræ ipſius auctoritatis privilegio munitum nullius invaſionis uſurpatione detinebatur; ſed ſolius hucuſque abbatis e gremio fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, ſubripuit, ſuiſque uſibus, coarctatis extrema egeſtate monachis, applicavit, & eatenus etiam poſt frequens interdictum noſtrum opprimere, ſæculariumque manibus diſpertitum prodere non formidat, contra ſanctorum patrum regulas, nec non & adverſus apoſtolicæ ſedis, & totius ſanctæ ſynodi ſententiam, in communionem poſt noſtram quoque prohibitionem per miſſos noſtros & apices ſæpiſſime deſtinatam paſſim recepit, & in cunctis pravitatibus ejus conſcius & fautor apparuit. Excommunicatum igitur eum ſcitote, donec in præſentiam ſedis apoſtolicæ veniens, de prædictorum exceſſuum qualitate idoneam D ſatisfactionem coram poſitus exhibuerit. Quæ ſi contempſerit exiſtens interim, exiſtet per omnia communione jure privatus, pari vinculo irretiens omnes, qui ſibi communicaverint, vel contra interdictum noſtrum auſu temerario faverint: unde vos cautos reddere volumus, ſi non vultis ipſi eidem ſecundum regulas ſubjacere judicio. Optamus vos, &c. Data iv. Kalendas Maii, indictione x.

## L. AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Monet ut ſibi ſignificet, an Neapolitanorum dux fœdus cum Saracenis initum frangere velit, & det operam ut idem dux Gauferius & Pulchar una ſecum Trajectum ſe conferant, quo ipſe eſt iturus; paratum ſe ad ea quæ promiſerat, & majora conceſſurum, ſi ipſe dux in ſententia perſiſtat.

*Joannes epiſcopus Landulfo epiſcopo Capuano.*

STudeat ſanctitas tua certiſſime ſcire, ſi Neapolitanorum dux præſentialiter vult pactum Saracenorum irrumpere, & fœdere Chriſti, quod in regenerationis unda pepigit, vel a nunc, ſicut debitum eſt, veraciter inhærere: & ſiquidem talem

talem nunc animum habere cognoveris, hoc nobis præſentialiter indicato. Age ut idem dux Neapolitanus, & Guaiferius glorioſus princeps, ac Pulchar præfecturius ad Trajectum una tecum accelerent; ubi etiam nos accedentes, quæ Deo ſunt placabilia, ſtatuemus. Parati enim ſumus non ſolum quæ dicta ſunt, ſed & majora concedere, tantum ut ejuſdem magiſtri militum ſermo ita ſit fidelis & ſtabilis, & omni certitudine præmunitus, ut ſecuritas ex utraque parte firma maneat, & ſine dubitatione certa perſiſtat: quod ſi quæ repromittunt, aut adimplere nolle aut prolongare velle illos cognoveris: non tibi ſit licentia hoc a noſtra ſcientia occultandi; ſed quidquid veraciter ſine dolo per omnia indicandi. De his ergo ſtude præſentialiter nos pleniter ac citiſſime literis tuis inſtruere; ut quod deinceps Deus dictaverit, cum ipſius auxilio ſine mora incipere & perficere procuremus. De quibus ipſe præ ceteris curam arripe, qui nimirum ſpeciali prærogativa noſtrorum viſcerum præ ceteris foveris in antro. Data IV. Kalendas Maii, indictione X.

## LI. AD PULCHARIM PRÆFECTURIUM.

Ejuſdem argumenti.

*Joannes epiſcopus Pulchari præfecturio.*

SI vere utique magiſter militum pactum Saracenorum propoſuit rumpere, hortamur ut Trajectum cum inclyto ſocero tuo adeas, ubi quoque & noſtra reperta præſentia, quidquid rationabiliter quæritur, quidquid neceſſarium, ſeu poſſibile poſtulatur, gratantiſſime confeſtim admittet: ſed & ampliora facere nullo modo recuſabimus, ut omnes, ſecundum apoſtolum, lucrifacere valeamus. In quo induſtria tua tanto ſolicitius elaboret, quanto liquidius ſibi per hoc cæleſte præmium a Domino Deo tribui non ignorat. Alioquin adverſus eum, quæ digne poſſumus agere, indubitabiliter & indifferenter exercere, Chriſto propitio, nullatenus omittemus. Data IV. Kal. Maii, indictione X.

2. Cor. 9.

## LII. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Ejuſdem argumenti.

*Joannes epiſcopus Guaiferio principi Salernitano.*

QUia Neapolitanorum ducis legatos ſecundum ipſius & veſtra ſcripta præſtolati, nec contemplati ſumus, iterato excellentiæ tuæ ſcribere cogimur, ut illum a perfidis ſeparatum, piis ſanctæ matris eccleſiæ gremiis reſtituamus. In quo quia jam plurimum laboraſti, induſtriam tuam item itemque laborare ſine tenus exhortamur. Quod ſi iniquam colligationem ſtatim dirumpere præparatur, cum hoc certiſſime ſcierimus, per noſmetipſos ad Trajectum properabimus, & hoc quod quæritur, & quodve jam promiſſum eſt, etiam amplius libentiſſime largiemur, clariori dumtaxat certitudine, ac fidei veritate inter utramque partem compoſita; ubi quoque tuam ſanctiſſimique Landulfi antiſtitis, & prædicti ducis, nec non & Pulcharis glorioſi præfecturii adeſſe præſentiam cupimus. Et ut agatur ſolertiam tuam ſatagere flagitamus. Quod ſi adeo idem dux ſecundum duritiam ſuam, & cor impœnitens theſaurizat ſibi iram in die iræ, ut aut protelare, aut penitus ſuæ ipſius & multorum ſalutis cauſam contemnere velit, & hoc ipſum ſtatim cognoſcere cupimus: quoniam nobis nec humanum, nec divinum deficiet prorſus conſilium & auxilium; quod plane reddere ei ſecundum opus ſuum, & ſecundum fructum adinventionum ſuarum...... toto corde deſiderant, in adventu illius exultent: quia & omnipotens Deus blandus juſtis, & terribilis apparebit injuſtis. Veſtra itaque dilectiſſima caritas devotiſſimam ſe ſuper hoc nobis exhibeat, & quouſque vires ſuppeditant, laborare non ceſſet, ut dum veſtris hortatibus hæc noſtra poſtulatio ad effectum pervenerit, dignas vobis gratias referamus, & apud ſanctos apoſtolos in orationibus noſtris memoriam habeamus. Data III. Kalendas Junii, indictione decima.

Rom. 2.

## LIII. AD ANSPERTUM ET ANTONIUM EPISCOPOS.

Ut Ravennam ad ſynodum accedant; quod niſi paruerint, minatur eos ſe excommunicaturum.

*Joannes epiſcopus Anſperto Mediolanenſi archiepiſcopo, & Antonio epiſcopo Brixienſi.*

QUia diverſis ac multiplicibus eccleſias Dei nobis commiſſas incommodis perturbatas, rebuſque propriis incunctanter privatas, & earum antiſtitum honorem diminutum fore videmus; ipſarum, ſecundum apoſtolum, ſolicitudine quotidiana compulſi, neceſſario rati ſumus pro illarum ſtatu, ac priſtina redintegratione generalem, Deo favente, ſynodum celebrare: quam ſecundum antiquam conſuetudinem cum Romæ agere debuiſſemus, non recuſantes tanti laborem itineris; pro ſuavitate tamen venerabilium confratrum noſtrorum epiſcoporum, quos in conſortium noſtrum literis miſſis aſcivimus, octavum Kalendarum Juliarum, Ravennæ, auxiliante Domino, erimus procul dubio celebraturi. Ad quam videlicet fraternitatem veſtram omni occaſione poſtpoſita, omnique tarditate prætermiſſa his præſentibus venire jubemus apicibus, quatenus communi multorum fratrum noſtrorum conſenſu atque decreto eccleſia Dei nobis commiſſa propriæ dignitatis jura, quæ a quibuſdam inique agentibus ſunt uſurpata, ſub integritate recipientes, malorum omnium tandem ſecuri effecti, miniſterium pontificale, quod nimirum pro gregis dominici nobis commiſſi ſalute, Deo largiente, ſuſcepimus, ut dignum eſt glorificare poſſimus: quapropter iterato te ſermone ad eamdem, ut dictum eſt, ſynodum venire præcipimus. Nam ſi præfato die ad ipſum venerandum concilium quoquomodo properare forte contempſeritis, & pro eccleſiæ Chriſti Dei noſtri utilitate, quæ inſtanti tempore plurimum eſt neceſſaria, debitum nobiſcum laborem ſumere ſpreveritis, ſciatis pro certo communionis noſtræ futurum nullo modo eſſe conſortes, ſed potius canonicæ auctoritatis cenſura, utpote tranſgreſſores improbos, feriendum atque damnandum. Optamus reverentiam veſtram in Chriſto bene valere. Data VIII. Kal. Junii, indictione decima.

2. Cor. 11.

Antiqua conſuetudo Romæ concilia celebrandi.

LIV.

## LIV. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Auxilium contra Saracenos implorat, qui devaſtata Campania, omnia Romæ ſuburbana depopulabantur.

*Joannes epiſcopus ad imperatorem.*

DIvina ideo majeſtas excellentiam veſtram præ ceteris elegit Romani imperii altitudine ſublimare, Auguſtalique voluit diademate coronare, ut Deo noſtro clementer auxiliante potentiæ veſtræ brachio triumphali eccleſiam Chriſti B voce ſupra petram veræ fidei fundatam tueremini ſemper, & ab immani crudelique Paganorum infeſtatione, qui nos jam more latronum undique circumdantes omnia noſtra igne gladioque devaſtant, pio mentis defenderetis intuitu. Sed quia nobis procul exiſtentibus, tot dura & importabilia, pro quibus jam veſtram Auguſtalem imploravimus majeſtatem, ſupra modum quotidie patimur, quippe cum tota jam depopulata Campania nil habeamus, nilque nobis, aut venerabilibus monaſteriis, ceteriſque piis locis, neque ſenatui Romano, unde corporaliter ſuſtentari poſſimus, remanſerit: omnibus etiam Romæ ſuburbanis adeo deprædatis, ut nullus in ipſis jam habitator, vel cujuslibet ætatis incola videatur conſiſtere. Pro quibus ſane malis innumeris ingenti mœrore afflicti, doloreque turbati, nec ſomnum oculis, nec cibum ore capere poſſumus: ſed pro requie laborem aſſiduum, & pro corporali dapium dulcedine, mentis amaritudinem patimur. Idcirco veſtram imperialem majeſtatem, totius ſapientiæ luce ſplendide irradiatam, ſancta Romana eccleſia, quæ religioſo vos utero genuit, meo quidem ſermone, ſed ſuo venerabili ſuppliciter nimis precatur affectu, ut omni dilatione remota, omnique ejus cura aſſumpta, nunc ad ſuam defenſionem & totius patriæ liberationem adjutor clemens, defenſor potens, & ſalvator invictus venire dignemini, quia niſi veſtra deſideratiſſima nobis affuerit præſentia, nullum defenſionis auxilium, nullumque neceſſariæ ſalutis remedium poterimus habere. Nos enim, cum omnis ſedis apoſtolicæ ordine ſacro; cum religioſis & Deum timentibus viris, pro veſtræ gloriæ proſperitate, continuaque mentis & corporis ſalute, omnipotentem Dominum, cujus eſt ſalus omnis & vita, totis deprecabimur niſibus, ut nec temporis fervor, nec loci natura inſolita, nec moleſtia quælibet veſtro inſigni corpori nocitura contingat. Quamobrem nihil horum quæ ſine Dei procul dubio non evenient nutu dubitantes, quin potius in Domini miſeratione totis viribus confidentes, non ſolum corpoream incolumitatem, verum etiam & perpetuam animæ veſtræ merebimini adipiſci ſalutem & gloriam. Dignetur igitur piiſſima ſerenitas veſtra, clementiſſime imperator Auguſte, pro tantæ ſedis liberatione, tantorumque hominum Chriſti cruore redemptorum ſalvatione, noſtras & eccleſiæ noſtræ preces audire, ſingultus proſpicere, & tanti gemitus lacrymas inceſſanter effuſas attendere: quatenus more ſolito, & ſolitæ pietatis viſcere nobis compatientes, opem conſolationis citiſſime petentibus tribuentes, prout opportunum eſt, nos adjuvare ſatagatis, quia poſt Deum unica ſpes ſalutis & liberationis noſtræ fiducia vos procul dubio eſtis. Ideo per voſmetipſos properantes, congruum & opportunum nobis præbere au-

A xilium non differatis: ut & Dominus, qui elegit vos caput orbis, & dominum fecit, auxilium ſuum vobis de ſancto mittere ſemper dignetur, amantiſſime fili. Data VIII. Kalendas Junii, indictione decima.

## LV. AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

Inobedientiam accuſat, & monetur epiſcopos Venetiæ ad ſynodum Ravennæ celebrandam accedere curet, & ipſe quoque vel veniat, vel legatos mittat.

*Joannes epiſcopus Urſo duci Venetiæ.*

MUltis eſſes nimirum juſtæ correptionis a nobis increpationibus ſubmittendus, niſi apoſtolica moderatio circa te minus ſeveritate quam patientia uteretur. Exceptis enim exceſſibus illis, quos per inobedientiam prius contraxeras, ad extremum etiam legationem B. Petri indignam tuis oculis judicaſti, cum hoc nec gentilis quiſquam facile feciſſe clareſcat: maxime cum ea, quæ dilectioni tuæ mittebamus, paterna eſſent monita, non inimici odientis verbera. Sed iſta diſſimulantes, innoteſcimus dilectioni tuæ, nos octavo Kalendas Julias Ravennæ ſynodum totius Italiæ ſacerdotum celebraturos: cui intereſſe volumus & marinæ Venetiæ antiſtites, qui adhuc ſupereſſe noſcuntur, una C cum perſonis ad epiſcopatum electis; & illis, quas tibi jam per diverſas epiſtolas ſignificavimus. Quapropter bene profecto facies, ſi eos ad prædictam venire ſynodum non impedieris, ſed modis omnibus incitaveris. Non enim ruinam eorum cupimus, abſit, ſed illius ſtatum reformare provinciæ, & quidquid inter eos & metropolitanum quæſtionis & controverſiæ vertitur, canonice diffinire. Itaque indubitanter veniant: & tam ſancto numeroſoque fratrum deeſſe nullo modo patiantur collegio. Non enim, mihi crede, in aliquo minorati, quod avertat Dominus, ſed potius augmentati, Chriſto propitio, ad propria revertentur. Sin autem communi omnium decreto, cum eccleſiam non audiſſe claruerint, D erunt procul dubio, quemadmodum ſacroſanctum de hujuſcemodi præcipit evangelium. Illud autem ipſe pro certo ſcito, quia nihil pro ullo mortalium imminui eccleſiæ tuæ cupimus; ſed decus & genium tuum veluti ſpectabilis, & Deum timentis viri, conſervari volumus & optamus. Unde monemus, ut & ipſe ad nos Ravennam proficiſci ne pigriteris: ſin autem, ſaltem virum quemquam induſtrium nobis gloriæ tuæ injuncta legatione fungentem dirigere non detrectes. Data VI. Kalendas Junii, indictione X.

*Matth. 18.*

## LVI. AD PETRUM ET LEONEM EPISCOPOS VENETIÆ.

E Ut Ravennam ad concilium proficiſcantur, in quo componendæ ſunt controverſiæ, quæ cum metropolitano nonnullis intercedunt.

*Joannes epiſcopus Petro & Leoni epiſcopis Venetiæ.*

UNiverſale tandem aliquando nos celebrare concilium, multiplex & multifaria nos eccleſiarum neceſſitas cogit; & ideo pro hac moderanda vel diſpenſanda, octavo Kalendas Julias hujus indictionis, totius Italiæ apud urbem Ravennam convenire juſſimus ſacerdotes, ad quorum

rum

rum videlicet ſacratum collegium, pontificio noſtro mediante, veſtram quoque ſanctitatem occurrere commonemus, una cum his, qui loco ſunt epiſcoporum decedentium ſubrogati. Et illis nihilo minus, quos Urſo glorioſo duci, & vobis ſcribentes, noſtris ſæpius & expreſſius ſignificavimus ſyllabis, atque, ut abſolute regulariterque fateamur, omnibus qui ſe læſos exiſtimant: quos generaliter auctoritate apoſtolica ſanctitas veſtra ſecum properaturos advocare profecto debebit. Itaque fratres indubitanter accedite, ut præter communem utilitatem, quæ in ſynodo eſt procul dubio componenda, quidquid inter fratrem & coepiſcopum noſtrum, Petrum videlicet metropolitanum veſtrum, & prædictos controverſiæ vertitur, canonicum finem accipiat, & pax & tranquillitas eccleſiis veſtris, ſicut condecet, reformetur. Non ergo cariſſimi tam ſancto numeroſoque fratrum deeſſe collegio patimini: quia nos, mihi credite, nullius veſtrum caſum exquirimus; abſit. Verumtamen niſi ad hanc ſaltem præſignatam univerſalem ſynodum acceſſeritis, communi cunctorum ſententia canonicis legibus ſubdemini, & pro tanta inobedientia merito puniemini. *Eſt enim*, Samuele ſancto docente, *quaſi peccatum ariolandi, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* Data VI. Kal. Junii, indict. X.

1. Reg. 15.

## LVII. AD ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut cum ſuis ſuffraganeis ad concilium accedat.

*Joannes archiepiſcopo Ravennati.*

Quia jam ad periculoſa pervenimus ab Apoſtolo quin potius a Domino prædicta, proh dolor! tempora: *Surgit enim gens contra gentem, & ſunt inter alia inimici hominis domeſtici ejus*: creverunt inopinabiliter mala, & non ſolum extrinſecus rabie infidelium barbarorum atterimur: ſed & intrinſecus perverſitate nequam Chriſtianorum afficimur. Verum quanto crebreſcunt mala pravorum, tanto creſcere debent bona rectorum. Quæ profecto fieri nequeunt, niſi per commune fratrum collegium in idipſum corpore ſimul & mente convenientium. Eſt enim eccleſia Dei propter concordiam tam viſibilibus, quam inviſibilibus hoſtibus omnino terribilis, & velut caſtrorum acies ordinata. Quapropter tam pro eccleſiaſticis quibuſdam neceſſitatibus, quam pro ſtatu & pro correctione reipublicæ, auctoritate apoſtolica decrevimus reverendorum fratrum & coepiſcoporum noſtrorum Italici regni univerſale, id eſt, totius provinciæ, advocare concilium; locum autem nuſquam ad hoc gerendum aptiorem & faciliorem, quam apud Ravennam undique confluentibus inveniri poſſe perſpeximus. Occurrat igitur alacriter cum ſuffraganeis ſuis, quos ipſa convenire commoneat ad deſignatam urbem ſanctitatis fraternitas, & tanto deeſſe conventui, quem ſcilicet ibidem 8. Kalendas Julias celebraturi ſumus, nullo modo perferat, quo pullulantia in agro dominico zizania communi ſtudio radicitus amputentur; & ſalubrium virtutum germina ſocio pro his certamine penitus inſerantur. Fratres præterea & coepiſcopos noſtros, qui ſub beatitudine veſtra degunt, ad eamdem univerſalem ſynodum hortatu ſanctitatis veſtræ venire præcipimus. Quiſquis autem occurrere ſanctitati tuæ forte contempſerit, canonicis ſe noverit increpationibus procul dubio ſubmittendum, in promptu, ſecundum apoſtolum, nobis habentibus omnem ulciſci prorſus inobedientiam. Hanc vero apoſtolatus noſtri epiſtolam vel exemplaria illius, beatitudo veſtra in diœceſi ſua omnibus indifferenter epiſcopis parare faciat; ne aliquod poſſit ab inobedientia excuſationis, quod non expedit, velamen obtendi.

2. Tim. 3. — Luc. 21. Matth. 7. — Cant. 6. — 2. Cor. 10.

## LVIII. AD AQUILEJEUS.

Quæ de eo ſiniſtre ferebantur, in generali concilio canonice terminanda ſignificat.

*Ad * Aquilejeus.*

Novimus veſtram beatitudinem a nonnullis de quibuſdam ſiniſterius diffamari, quod profecto in ſynodali eſt conventu * interius & perſpicacius ventilandum, & ſecundum ſui qualitatem, regulari cenſura modis omnibus finiendum. Sed credimus, divina favente gratia, vos coram poſitos, ita inſontes inveniendos, ut veritas exagitata non de vobis cœni, quod abſit, ſed unguenti commoti jucundum reddat odorem; niſi forte abſentia procurata, vera quæ dicuntur de vobis comprobet, & pœnam merito irroget: quæ ſi adeſſet, magiſtra juſtitia forſitan retuliſſet. Data VI. Kalendas Junii, indictione decima.

* l. Aquilejenſes. — * for. interius.

## LIX. AD ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Certum præfigit diem, quo Ravennæ cum omnibus ſuis ſuffraganeis affuturus ſit: quod ſi quis parere contempſerit, excommunicationem illi minatur.

** Joannis archiepiſcopo Ravennati.*

Iter quod pro diſſolvendo fœdere olim a Neapolitanis cum Saracenis inito Trajectum ſecimus, nos a præfinito die ſynodi retardavit, ſed quia auctore Deo, ipſo diſciſſo quies aliqua reddita comprobatur, ecce de itinere ſcribimus nos certiſſime ſextodecimo Kalendas Auguſtas Ravennæ futuros, ubi ſanctitas tua per ſe cum omnibus ſuffraganeis ſuis epiſcopis, quos ipſa convocare debet, adeſſe duodecimo Kalendarum Auguſtarum omni remota excuſatione procuret; ut communi tractatu communia eccleſiarum exorta zizania generaliter evellantur. Si quis autem in hac parte collegium veſtrum putaverit declinandum, communionis noſtræ a ſe noverit conſortium modis omnibus adimendum: nobis procul dubio, ſecundum apoſtolum, in promptu habentibus ulciſci omnem inobedientiam. Data *ut ſupra*, indictione X.

* Forte, Joannes ut in ep. 57. N. — 2. Cor. 10.

## LX. AD EUMDEM.

Scribit ſe juſſiſſe, ut omnes Italiæ epiſcopi, & præcipue Venetiarum, ad ſynodum Ravennæ celebrandam accedant.

*a Joanni b archiepiſcopo Ravennati.*

SCire volumus gloriam tuam pro multis neceſſitatibus ſanctæ Dei eccleſiæ, ſicut jam te non latere credendum eſt, undecimo Kalendas Auguſtas iſtius decimæ indictionis, Ravennæ, gratia ſancti Spiritus ſuffragante, ſynodum nos cum confratribus & coepiſcopis noſtris inſtituiſſe fore modis omnibus celebrandam; Ad quam, ſi- B cut nos multis utilitatibus omiſſis, nec laborem eumdem itineris, nec intemperantiam aeris recuſantes, c occurremus; ita omnes hinc & inde vocatos ſumus antiſtites advenire, ut quidquid in ſancta Dei eccleſia perperam per zizaniorum ſatores crevisse dignoſcetur, hoc communi tractatu per noſtrum commune ſtudium radicitus extirpetur. Idcirco tuam nobilitatem ignorare non patimur, quod epiſcopos Venetiarum, & electos vocatoſque epiſcopos vacantium ſedium ad eamdem ſynodum, ſicut jam eos vocavimus, occurri & iterato decreverimus: ut inter reverendum quoque metropolitanum veſtrum & vos omnis altercatio diſcutiatur, examinetur, & coram ſancta ſynodo canonice terminetur. Alioquin tam a nobis quam C a ſancta ſynodo, ſi inobedientes jam toties per epiſtolam vocati extiterint, tamquam contemptores, ſynodicam ſententiam incurrere merebuntur: quia cum ſit illinc Ravennam brevior via, de labore itineris excuſationem habere non poterunt. Data XIV. Kalendas Auguſti, indictione decima.

*a forte Urſo Venetiarum duci, ut ex epiſtola 15. apparet.*

*b Rom… occurremus*

## LXI. AD LAMBERTUM GLORIOSUM COMITEM.

Significat Romanorum procerum obſides dari non poſſe: monet ne ad urbem veniat, quia ipſe eum excipere non poteſt.

*Joannes epiſcopus Lamberto glorioſo comiti.*

REmeantibus nobis, Deo præduce, Romam, convocavimus totam eccleſiam, & illud quod nobis de obſidibus Romanorum procerum dandis edixeras, in conventu fidelium ſanctæ Dei eccleſiæ neceſſario contulimus: ſed heu quid dicam? cum tantum totam eamdem eccleſiam contra nos incitaverimus, ac ſi pro melle, eam felle potaſſe videremur. Romanorum filios ſub iſto cælo non legitur fuiſſe obſides datos, quanto minus illorum, qui fidelitatem Auguſtalem & mente cuſtodiunt, & opere Deo juvante perficiunt? Præcipue cum nos c miſeremur, ſi hoc ex Auguſtali juſſu proceſſerit, & ipſum imperatorem non credamus ſuum nos velle ſecretum latuiſſe. Tale quippe conſilium non alius adinvenit, niſi ille qui hanc terram conturbare moliatur, & ineffabile damnum populo Dei generare verſutis fraudibus machinatur: qui pacem & quietem odio habet, & diſſenſionibus utique gaudet. Quamvis antea Romani ovilis ſenatus mortem eligant, quam hanc inauditam & peſſimam rem fieri quocumque modo conſentiant.

*c … dubi…*

A Quapropter, quia omnino eſt impoſſibile, & tale quid omnis inclytus audiens in maximam ſuſpicionem prorupit, atque ſimpliciter non fuiſſe dictum modis omnibus æſtimavit: mandamus dilectioni tuæ, quam abſentem ſicut præſentem amplectimur, ut huc nullo modo fatigeris, quia modo te nullatenus recipere poſſumus, nec tectum aliquid nunc agendum fore neceſſe putamus. Cum autem, Deo juvante, ad unam concordiam & unam quietem reipublicæ cauſa recīderit, & litis figmenta, quæ tamquam telas aranearum putamus contra Auguſtalem majeſtatem oborta, ſopita extiterint: nos & nobilitatem tuam recipiemus, & ea quæ ad communem utilitatem pertinere cognoverimus, tecum & tra- B ctare, & utpote cum tantæ prudentiæ viro peragere ſumma dilectione curabimus. Antea autem nullo modo te venire oportet; quia nullo modo te, ſicut diximus, recipere fili cariſſime poſſumus. Data XII. Kalendas Novembris, indictione XI.

## LXII. AD VVIDONEM EPISCOPUM INIVENSEM.

Cauſam Leontardi cujuſdam, qui homicidium cum aliis commiſerat, ei delegat: hortatur, ut quoniam graviſſimam illi antea pœnitentiam conſtituerat, modo leviorem conſtituat.

*VVidoni epiſcopo Inivenſi.*

LEontardus quidam tuæ diœceſeos homo, ſingultibus & gemitu tritus ſanctam ſedem apoſtolicam, & noſtram humilitatem adiit, referens ſe primo quidem homicidii incidiſſe reatum; & a ſanctitate tua pœnitentiam accepiſſe, quam & peregerit; & ea peracta, miſerationem & reconciliationem eccleſiaſticam tuo judicio promeruerit. Poſt vero cum aliis ſuis concivibus quoſdam prædones publica ſanctione juſſus ſit inſequi, ut ſi eos capere potuiſſent, modis omnibus interimere non admitterent. Contra quos iſte cum aliis proficiſcens, aſſerit quod uno ex illis capto, oculos comprehenſores ejus eruerint, ac D per hoc ipſe prædo neſandus vitam finierit. Hoc itaque facto præfatus Leontardus pœnitentiam ſuſcepturus, ad tuam præſentiam veniens, hujuſcemodi dixit ſe fuiſſe tuo judicio judicatum: Sanctam videlicet communionem niſi ad exitum vitæ non percepturum: carnes & vinum, exceptis diebus dominicis, & ſanctorum feſtivitatibus, non ſumpturum: comam non raſurum: uxorem non accepturum: cum hominibus non converſaturum: in cinere & cilicio gemiturum: ſervis, rebuſque ſuis non dominaturum: ſeniorem beneficium non habiturum, & aliis his ſimilibus forte fruendis non frui turum. Quæ omnia audientes, & intimo corde penſantes, invenimus aliquid gravius te, quam expediit, ſi ita eſt, judi- E caſſe. Hujus rei gratia omne hujus judicium tibi dimittimus, & ut noſtra ſuper hoc vice ad mitiorem in eo proferendam ſententiam perfruaris, modis omnibus exhortamur: quatenus pro amore apoſtolorum & noſtro, & laborem itineris, & lacrymabilem prædicti latoris intentionem, vel pœnitentiæ amaritudinem omnino conſiderans, mitius cum eo agere non detrectes, & eo quod ad ſanctos apoſtolos fecit confugium in his, quæ oportuerit, ne forte in deſperationem laba-

1 *Forte*, Joannes Urſo Venetiarum duci, *ut ſignificat vox illa* gloriam tuam, *quam & in Epiſtola*. Hard.

labatur, miſereri illius nunquam omittas; quia Dominus, ſicut per prophetam loquitur, miſericordiam vult, & non ſacrificium. Ideoque monemus, rogamus, ut miſericordiam ei impendas: quatenus de impenſione miſericordiæ audientes, ſanctitati tuæ multimodas gratias referamus. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data III. Kal. Novembres, indictione XI.

Oſea 6

## LXIII. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Dolet de Caroli imperatoris obitu: hortatur ut promiſſa pro Romanæ eccleſiæ dignitate impleat: legatos ſe miſſurum pollicetur: ejus precibus Theotmaro archiepiſcopo pallium mittit: quem apoſtolicæ ſedis reditus, quos apud Bajoariam habet, Romam annuatim tranſmittere jubet.

*Carolomanno.*

Carolomannus fuit Ludovici Germaniæ regis filius, ac Ludovici Pii imperatoris nepos, ad quem aliquot infra ſcribuntur epiſtolæ, & de quo Ado in fine chronicorum, Aimoinus lib. 5. c. 28. Regino lib. 2. chron.

APicibus igitur, glorioſe fili, veſtræ dilectionis ſuſceptis cum parte gratulationis, veſtra incolumitate proſperitatiſque ſucceſſu. Caroli imperatoris morte audita, nimio triſtitiæ fateor mœrore, ex latere ſumus attriti, ſed ſubito undam mentis noſtræ cogitatione ad divinum judicium aliquatenus ſuſtollentes, in illud apoſtoli obſtupefacti cogimur voce erumpere, dicentes: *O profundum divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* quod idcirco dicimus, quatenus ſedula cordis meditatio humanæ fragilitatis in hoc mari magno curſum vitæ inſtabilis intueri non deſinat, atque ad ea gaudia quæ ſunt fixa & immobilia, noſtra actio, gratia Chriſti duce, anhelare contenta bonis operibus nunquam deſiſtat. De cauſa ſane veſtri ad nos adventus, veſtraque ſublimiſſima promiſſione, Romanæ eccleſiæ ſupra omnes qui fuerunt ante vos, ejuſdem exaltatione, cum hoc opere compleveritis, aderit ille veſtri retributor, qui per controverſiam juramenti confirmans modulos humanæ locutionis, ait: *Vivo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me, glorificabo.* Dum a colloquio, ut dicitis, fratrum veſtrorum fueritis reverſi, legatos ex latere noſtro ad vos ſolemniter dirigemus, cumque pagina capitulariter continente ea, quæ vos matri veſtræ Romanæ eccleſiæ, veſtroque protectori beato Petro apoſtolo perpetualiter debetis concedere. Quibus peractis demum rurſus ordinabiliter & honorifice mittemus, qui vos cum tota decentia, utpote tantum regem ad limina apoſtolorum ductare ſtudeant, unaque convenientes de ſtatu reipublicæ, totiuſque Chriſtiani populi ſalvatione ſalubriter tractare, Deo opitulante, ac ordinare valeamus. Inter quæ quæſo fili cariſſime, * quoque infideles noſtros, noſtræque vitæ inſidiantes, quoquomodo, vel ſignificatione poteritis cognoſcere, nullum apud vos, veſtroſque fideles valeant aliquatenus locum, vel aditum invenire, ne immunda eorum præſentia aliqua conſortii macula regium culmen contagiet. Pallium vero, veſtra petitione inclinati, Theotmaro archiepiſcopo conſuetudinaliter dirigentes, optamus ut hoc decore interius fulgeat in oculis interni judicis, quo nitet exterius humanis obtutibus, cuique quæſo committite ea, quæ apud Bagoariam beatus Petrus apoſtolus habet, uti nobis annualiter reditus ejus Romam tranſmittat. Data menſe Novembri, indictione XI.

Rom. 11.

Reg. 2.

* edit. Rom. quoſquot.

## LXIV. AD THEOTMARUM ARCHIEPISCOPUM JUVANNENSEM.

Pallium ei concedit: mandat ut reditus, quos Romana eccleſia apud Bagoariam habet, Romam mittat.

*Theotmaro archiepiſcopo Juvanenſi.*

IDcirco tuam fraternitatem tanto pallii decore ſtuduimus decorare, ut Chriſto opitulante, & ante Dei oculos bonis & ſanctis actibus polleas, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, a qua potus præclari poculi ſumis, devotus ſemper fidelis exiſtas, ejus in futurum effectus particeps, cujus locata perpetualiter fundamentis conſiſtit, & apud Carolomannum regem dilectum filium noſtrum quotidianus interventor pro Romana eccleſia hortamur exiſtas. Inter hæc ea, quæ beatus Petrus apoſtolus apud Bajoariorum terram jure proprietatis poſſidet, tuæ induſtriæ ſagacitatique committimus: quatenus amodo & deinceps annuos eorum reditus Romam ſine mora tranſmittas. Data menſe Novembri, indictione XI.

## LXV. AD EDEREDUM ARCHIEPISCOPUM ANGLORUM.

Laudat ejus pium erga ſedem apoſtolicam animum, dolet de adverſis: monet ut pro eccleſia fortiter ſe gerat: oſtendit uxores non eſſe dimittendas: nunciat ſe ad regem ſcripſiſſe, ut debito eum honore proſequatur; demum ejus eccleſiæ privilegia confirmat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Ederedo archiepiſcopo gentis Anglorum.*

VEſtris relectis apicibus, quanta veræ dilectionis & ſinceritatis fides, qua Chriſtum Deum veſtrum proximumque diligitis, in vobis conſiſtat; & pia devotione circa ſedem apoſtolicam ferveat, evidenti dumtaxat intellectu perſpicimus; cum more anteceſſorum veſtrorum, & cauſas veſtræ eccleſiæ neceſſarias noſtro præſulatui, quaſi ſuo doctori referre, & a ſede apoſtolica ſuper quibuſdam ſuis quas patitur adverſitatibus conſultum, & auctoritatis munimen accipere quæſiſtis; in qua Deus omnipotens totius eccleſiæ poſuit fundamentum. Et quia dura quædam in præſentis ſæculi vita, quæ vere tentatio eſt ſuper terram, poſiti quotidie ſuſtinetis, non ſolum flemus noſtra, quæ ſimiliter patimur, ſed condolemus & vobis, talia proh dolor! patientibus, quoniam omni jam mundo in maligno poſito, multis, ubique adverſariis adverſus Chriſti famulos exiſtentibus, quanto majores & ſupra modum crebriores tentationes quotidie imminuerint circa nos, tanto Chriſti freti ſolatio valentiores eſſe debemus: noſtra ſacra narrante ſerie: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe; ipſeque Deus benedictus in ſæcula, qui non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus,* dicente apoſtolo, *ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere.* Nos tamen pro inſtantis temporis neceſſitate hortamur, & monemus fraternitatem veſtram, ut omni ſæculi timore poſtpoſito, ſicut idoneus

Jacob. 1.

1. Cor. 10.

Dei miniſter opponas te murum pro domo Do- A
mini & zelo illius accenſus, non ſolum regi,
ſed omnibus in ea perverſe aliquid agere volen-
tibus, ſtrenue reſiſtere non prætermittas, hono-
rificans miniſterium tuum, quamdiu divina ſi-
neris voluntate ſummo ſacerdotio fungi, popu-
lumque Domini tibi commiſſum ſanctæ doctrinæ
pabulo paſcere, ſacerdotes ſcilicet, & eccleſiaſti-
cos viros, ac fœminas, nec non viduas, & ſan-
ctimoniales juxta ordinem ſuum pro viribus re-
gere, tuerique, ut paſtor idoneus coram Domi-
no appareas prompta mente procures: quoniam
nos apoſtolicæ ſedis apicibus admonere exhorta-
rique curavimus regem veſtrum, ut tibi pro Je-
ſu Chriſti Domini noſtri amore in omnibus,
quæ ſanctæ eccleſiæ tibi commiſſæ utilia ſunt, B
obediens & adjutor devotus, ſicut anteceſſores
ſuos piiſſimos reges Anglorum, narrante hiſto-
ria, fuiſſe recolimus, exiſtere non prætermittat:
ſi & regnum ſibi temporaliter conceſſum volue-
rit retinere ſecurum, & vitam poſtmodum re-
gni percipere ſempiterni. His autem, quos aſſe-
ris uxores proprias contra præceptum Domini re-
linquere, præcipimus, neque virum ab uxore,
neque uxorem a viro, niſi cauſa fornicationis
diſcedere: quod ſi ob hoc diſceſſerit, manere
innuptum, vel innuptam, aut ſibi mutuo recon-
ciliari: quoniam dicente Domino, *quod Deus con-*
Matth. 19. *junxit, homo non ſeparet*, & ideo cum priorem
legitimo ſibi matrimonio junctam quiſquam de-
ſerere nequeat, nulla ratione illi prorſus conce- C
ditur aliam vivente priore conducere: quod ſi
fecerit, & non emendare ſub ſatisfactione ſtu-
duerit, ab eccleſiæ conſortio maneat ſeparatus.
Sed neque de propria cognatione ſecundum ſan-
S. Greg. lib. 11. epiſt. 31. cti præceſſoris noſtri Gregorii doctoris gentis ve-
ſtræ decretale ſtatutum, cuiquam ducere permit-
tas. Nos namque ſedis tuæ privilegium, quam
vice beati Auguſtini a ſancto Gregorio pro mul-
torum ſalute, & converſione illuc directi regis,
illibatum tibi volumus procul dubio conſervare,
& ut ab omnibus ordinibus, tam eccleſiaſticis,
quam ſæcularibus cuſtodiatur in perpetuum, ſe-
cundum ipſius ſancti præceſſoris noſtri Gregorii
* forte decreſ, ſtatutum, aut quid ſimile. * cujus ſapientiæ radius eccleſiam Chriſti per- D
orbem diffuſam irradiat, ſancimus, atque præci-
pimus. Et quidquid adverſi a quocumque homi
ne de parte tua nobis fuerit relatum, ante ve-
ram cognitionem nullatenus credimus: quin po-
tius etiam regem veſtrum admonuimus, ut di-
gnum honorem tibi pro amore Jeſu Chriſti Do-
mini noſtri impendat, & omnia privilegii tui ju-
ra perpetua ſtabilitate & conſervare ac indimi-
nuta cuſtodire procuret, ſi gratiam & benedi-
ctionem ſedis apoſtolicæ, ſicut anteceſſores ejus
bene faciendo habere meruerunt, pari modo vo-
luerit iſte habere. Data *ut ſupra*.

## LXVI. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Commendat zelum fidei, quem oſtenderat adverſus Sergium eccleſiæ Dei hoſtem. hortatur ut in dies magis pro eccleſiæ ſibi commiſſæ defenſione laboret; Petrum diaconum ei commendat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Athanaſio epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Neapolitanæ dilecto confratri noſtro.*

INnumeras gratiarum actiones veſtræ Deo dile-
ctæ agimus almitati, digniſque apoſtolico vos
ore laudibus præ ceteris merito collaudamus;
quoniam ſecundum Domini vocem dicentis; *Si* Matth. 5.
*oculus tuus, vel manus tua ſcandalizat te, erue*
*eam, & projice a te*, fratrem tuum erga eccle- Loquitur de Sergio, ut conſtat ex epiſtola proxima, cujus Leo Oſtienſis meminit lib. 1. c. 41
ſiam Dei impie agentem, & circa Dominum non
recto itinere gradientem, velut ſecundum Holo-
fernem, ſancta Chriſti Dei noſtri auſu temera-
rio impugnantem; & hæreditatem patriam more
ſacrilego perſequentem, tanti honoris regimine
indignum judicans, ultionis divinæ percutere ja-
culo ſtuduiſti: nec peperciſti carni tuæ propter
Dominum dicentem: *Qui diliget patrem, aut ma-* Matth. 10.
*trem, aut fratrem pluſquam me, non eſt me dignus:*
in quo nimium vos Deo per omnia dignos fo-
re cognoſcimus, quia membrum corporis tui
B multo contagio fœtens libenter abſcidere, pro-
culque abjicere ſanctitas tua fideli devotione cu-
ravit: & quia nuncuſque viris ſæcularibus ſecun-
dum ſe, & non ſecundum Deum in urbe Nea-
politana principantibus, multa ſcandala & per-
turbationes multas, homicidia & oculorum eru-
tiones intra eam, vel foris peragentibus, dignum
Deo de his juſte judicante peractum eſt, ut
iniqua jam ceſſaret dominatio, finem haberet
peccatum, & conſurgeret vir de domo Domini,
qui timorem Dei præ oculis habens regat popu-
lum Chriſti in omni juſtitia & ſanctitate, in
omni veritate & manſuetudine, ut paſtor ido-
neus, & non velut mercenarius deſerat & diſper-
dat: & ideo ea quæ veſtræ dignitati, vel honori
C congrua ac neceſſaria ſunt, perpetua nihilo mi-
nus ſtabilitate confirmamus; tantum ampliori
nunc ſtudio, curaque multiplici pro defenſione
ſanctæ Dei eccleſiæ tibi commiſſæ ſtare ac deſu-
dare, quatenus ſalva ſecuraque conſiſtat, ut pro-
cures, his noſtris apoſtolicis prudentiam veſtram
exhortamur apicibus. Nos namque, aliis omni-
bus mancoſis datis, mille quadringentos vobis
dare debemus, quos veſtræ dilectioni, aut ini-
tio quadrageſimæ aut in die ſanctæ reſurrectio-
nis vobis procul dubio dirigemus. Porro hunc
Petrum venerabilem diaconum veſtrum, quia
eum veſtræ eccleſiæ, & civitati Neapolitanæ in
omnibus fidelem eſſe cognoſcimus, vobis in
omnibus commendamus, & pro noſtro eum
D amore benigne ſemper retinere dignemini. Data
*ut ſupra*.

## LXVII. AD NEAPOLITANOS.

Laudat eos, quod zelo divino accenſi Sergium a ſe abjecerint, & Athanaſium epiſcopum ſuæ reipublicæ rectorem elegerint: præcipit ut ei pareant, offerens ſe una cum ipſo eorum commodis conſulturum.

*Omnibus eximiis judicibus, & univerſo populo Neapolitanæ civitatis.*

E QUanta veræ fidei devotione circa Deum
creatorem & ſalvatorem mundi atque erga
eccleſiam Chriſti ferveatis, luce clarius ec-
ce cognoſcimus, cum tantæ impietatis virum,
perditionis ſcilicet filium, & totius iniquitatis
vas vobis inique dominantem, Sergium nempe
magiſtrum militum, ſecundum videlicet Holo-
fernem, zelo repleti divino, abjicere, ac velut
membrum fœtidum a corpore Chriſti abſcidere,
proculque abjicere ſtuduiſtis ſecundum Domini
præceptum dicentis: *Si oculus tuus, vel manus* Matth. 5.
*tua ſcandalizat te, erue eum, & projice a te*: &
quia illo abjecto paſtorem & epiſcopum anima-
rum veſtrarum, Athanaſium videlicet, dilectum
con-

confratrem, & unanimem filium noſtrum habere judicem elegiſtis, innumeras veſtræ dilectæ prudentiæ, & unanimitati gratias agimus, quoniam, ſicut Dei miniſtri, iram Domini exercituum, quæ jam meritis imminebat illius, in eo ulciſci procuraſtis, qui nimirum multa & inaudita mala pluſquam omnes patres ſuos in civitate Neopolitana, & in finibus noſtris nequiter facere non dubitavit, cum innumeram hominum multitudinem, infantum & mulierum catervam gladio, fame, atque captivitate crudeliter peremiſſet. His igitur noſtris apoſtolicis literis nobilitatem veſtram filioli mei monemus atque hortamur, ut præfatum Athanaſium confratrem noſtrum venerabilem epiſcopum veſtrum, ſicut divina inſpiratione docti loco rectoris habere elegiſtis, fideli mente ac devotione cum omni honore habere ſtudeatis: quoniam nos cum illo in omni veſtro adjutorio, in omni veſtra utilitate prompti exiſtimus, parique voto vos adjuvare deſideramus: tantum ſtate viriliter obedientes illi in omnibus, velut filii cariſſimi. Porro quia jam, aliis omnibus datis mancoſis, mille quadringentos vobis dare debemus, ne turbemini: quia eos vel in initio quadrageſimæ, vel in die ſanctæ reſurrectionis, vobis procul dubio dirigemus. Vos tantum ut filii cariſſimi adverſus infideles & communes inimicos totis viribus pro defenſione eccleſiæ Dei deſudare ſatagite: quatenus, & Dei gratiam, & noſtram ſemper benedictionem habeatis. Bene vos optamus in Domino. Data *ut ſupra*.

## LXVIII. AD LAMBERTUM COMITEM.

Scribit ſe in Galliam velle proficiſci, ideo ſub excommunicationis pœna præcipit, ne ſe abſente Romanæ eccleſiæ territorio, vel Romæ aliquod damnum inferat.

*Nobili viro Lamberto glorioſo comiti.*

SAgacitati ac prudentiæ veſtræ notum eſſe volumus, quia non ſolum pro aſſiduis Paganorum infeſtationbus, quas ecce jam biennium nemine defenſionis nobis præbente ſolatium patimur: ſed etiam pro innumeris, & ſupra modum gravibus oppreſſionibus quæ nobis una cum dominico grege divinitus commiſſo in pace, quam Chriſtus Deus noſter ſe diligentes habere jubet, conſiſtentibus, ab adverſariis illata ſunt, & quotidie inferuntur, in gremio ſedis apoſtolicæ quæ caput eſt orbis & omnium mater fidelium, quiete ac ſecuriter manere nobis minime licet. Ideo Franciam per iter marinum proficiſci, glorioſumque Carolomannum regem adire, atque optatam illius contemplari præſentiam cupimus, pro ſalute ſcilicet ac defenſione terræ ſancti Petri, & totius Chriſtianitatis ſuppliciter deprecantes: quatenus Dei omnipotentis ſolatio, & regia virtute nobis, prout opportunum eſt, ſolati ante poſſimus ſalubri proſperoque ſucceſſu regere atque tueri territorium, & populum Domini pretioſo cruore redemptum: ne pro aliquo eorum per noſtram deſidiam vel incuriam pereunte, diſtrictam Domino cogamur reddere rationem. Ideo monemus & his noſtri apoſtolatus literis dilectionem veſtram pio intuitu exhortamur, ut nobis abeuntibus Franciam pro defenſione ſanctæ Dei eccleſiæ, & reipublicæ ſtabilitate, nullam contrarietatem, vel inimicitiam exerceatis in toto territorio principis apoſtolorum, neque urbis Romæ, quæ eſt civitas ſacerdotalis & regia, per ſacram beati Petri ſedem, aliquas adverſitates, vel inſidias præparetis, neque faciatis, facereque volentibus ullo modo conſentiatis. Quia ſi per vos, aut per vobis ſubjectos homines eadem urbs Roma perturbationem aliquam, vel dehoneſtationem habuerit, vel adverſa quælibet ſuſtinuerit, pro certo ſcitote, quia canonicis vos correptionibus cum victrici ſancti Spiritus auctoritate omnimodis redarguemus, & ab apoſtolicæ ſedis communione merito ſeparabimus. Data *ut ſupra*.

## LXIX. AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Monet ut conſentiat cum Athanaſio epiſcopo Neapolitano ad eccleſiæ Romanæ defenſionem: & curet pactum cum Amalfitanis factum, ab ipſis obſervari.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Landulfo epiſcopo Capuano.*

QUanto ſtudio tua dilectio, tuaque benigna fraternitas erga defenſionem, ac liberationem obſequiumque ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui, Deo auctore, culmine præſidemus, laboraverit, totiſque niſibus cordis in parte noſtri operis deſudaverit; ſedula reminiſcimur procul dubio recordatione: tuaque ob hoc retributio, tam apud Deum, quam apud nos erit in promptu indubitanter parata. Quapropter, quia te valde idoneum in tantis habemus expertum, monemus, atque hortamur eſſe unanimem cum Athanaſio Neapolitano epiſcopo in cauſſa præſenti Romanæ eccleſiæ, quoniam * liquidum in Salomone didicimus: *Funiculus triplex difficilis erit*; eidemque noſtro hortatu, & admonitione in omnibus fraternus auxiliator exiſtere nunquam deſinas, inter hæc tua benigna fraternitate, & dilecti filii noſtri Guaiferii principis, mediante, pactum in decem millium * mancuſorum cum Amalfitanis eatenus fecimus, ut a Trajecto uſque Centumcellas nobis navali labore indeſinenter auxilium ferrent. Sed hactenus id in nullo demonſtraverunt: inſuper quædam ſtudio calliditatis aſtruunt; quia utrique abbates, Joannes videlicet ac Anaſtaſius, quos illuc ex noſtra parte direximus, non in decem millium tantum mancuſorum, ſed in duodecim millium placitaſſe, quod iidem abbates coram noſtra præſentia non ſe feciſſe jurejurando refellunt. Ideoque veſtra eos prudentia, & ab hac injuſta petitione compeſcat, & in ſervitio ſalubri commonitione confirmet: quatenus noſtra benedictione poſiti, animo & corpore ex Chriſto Domino ſalvi exiſtant. Data *ut ſupra*.

* Edit. Rom. *liquidum & ſcriptum* * *Eccle.*

* *al. mancoſorum.*

## LXX. AD ARCHIEPISCOPUM EBREDUNENSEM.

Reprehendit quod alium epiſcopum, præter eum quem clerus & populus elegerat, in Vencienſi eccleſia conſecraverit: præcipit ut cum utroque Romam veniat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Ariberto archiepiſcopo Ebredunenſi.*

SI canonica in conſecrandis epiſcopis ſtatuta ſervaſſes, nunquam, ſicut auditu didicimus, & quodam diacono, nomine Vvaldeno, ſuper tuam dilectionem reclamante, ſe canonice a plebe & populo Vencenſi electo, & a tua ſagacitate abje-

abjecto, de conſecrato controverſia quælibet na-
ſceretur, qua veſtra merito reprehenderetur fra-
ternitas. At nunc, quia mortuo Vencienſi epiſco-
po, non præfatum ſacerdotem, quem ut dictum
eſt clerus & populus civitatis elegerat, piæque
memoriæ Carolus imperator ſuo conſenſu firma-
verat, conſecraſti, * eodem Auguſto de præſenti
vita ſubtracto alterum non juxta normam cano-
nicam electum ex adverſo venientem, nec per
oſtium ſed aliunde introeuntem, tuo tantum li-
bitu ordinaſſe accuſaris. In quo te non leviter
incurriſſe omnino videmus: quia dicente præde-
ceſſore noſtro papa Cœleſtino: Nullus invitis de-
tur epiſcopus, cleri, plebis, & ordinis conſen-
ſum & deſiderium requirere debuiſti. Cujus et-
iam auctoritate clerici habent facultatem reſiſten-
di, ſi ſe viderint prægravari: ut quos ſibi inge-
ri ex tranſverſo cognoverint, non timeant refu-
tare: quoniam etſi non debitum præmium, vel
liberum de eo, qui eos recturus eſt, debent ha-
bere judicium. Nam & ſancto Leone dicente:
Nulla ratio ſinit, ut inter epiſcopos habeantur,
qui nec a clericis ſunt electi, nec a plebibus ex-
petiti. Unde cum ſæpe quæſtio de male accepto
honore naſcatur, quis ambigat nequaquam iſtis
eſſe tribuendum, quod non doceatur fuiſſe col-
latum? Eodem etiam capitulo xxxv. canonum
ſuorum jubente, Nullus, ut dictum eſt, non pe-
tentibus eſt ordinandus antiſtes, ne civitas epiſco-
pum non optatum aut contemnat aut odiat: ac
per hoc fiat minus religioſa quam convenit, cui
non licuit habere quem voluit. His ita ſtatutis,
nec in eccleſia Dei tibi commiſſa ſcandalum ma-
neat vel ſchiſma exiſtat, dilectioni tuæ jubemus,
ut cum eodem a te conſecrato epiſcopo, & illo
qui ſe canonice aſſerit fuiſſe electum, de præ-
ſenti Romam venire procures, quatenus in præ-
ſentia noſtra & ſedis apoſtolicæ tanti cauſa ne-
gotii diligenter inquiſita & examinata legitimum
Deo favente finem percipiat. Obedire igitur te
oportet huic noſtræ præceptioni pro eccleſiæ Dei
pace directæ. Nam ſi aliter feceris, ſcito quia
nos talem illicitam præſumptionem impunitam
nullatenus relinquemus. Data *ut ſupra*.

* *Forte*, ſed eodem. H.

Epiſt. I. epiſcopis Vienenſi, & Narbonenſi.

Epiſt. 91. Ruſtico Narbonenſi.

Epiſt. 88. Anaſtaſio Theſſalonicenſi.

## LXXI. AD CUNIPERTUM COMITEM.

Præcipit ut bona Romanæ eccleſiæ, quæ
occupaverat, reſtituat.

*Dilecto filio Cuniperto glorioſo comiti.*

AUditu didicimus, etiam & veraciter ſcimus,
quod cortem ſancti Petri, quæ eſt in Alui-
ſcutia, contra Deum & noſtram voluntatem te-
neatis invaſam, & unde cenſum ac functionem
annuam eccleſia principis apoſtolorum pro lumi-
nariis habere ſolita erat; nunc veſtra fortia, &
avaritia faciente, nil recipere, nilque poteſt ha-
bere. Unde ex auctoritate Dei, & ſancti Petri,
ac noſtra, vobis præcipimus, ut non habeatis li-
centiam ipſam cortem amplius retinere: nec in
ejus rebus & pertinentiis vos intromittatis, ſi
gratiam Dei & beatorum apoſtolorum Petri &
Pauli, noſtramque benedictionem cupitis habe-
re; Sinatiſque homines ſancti Petri, qui ibi
ſunt, eamdem cortem ſecuriter retinere. Nam
ſi ipſam cortem deinceps tenere contra noſtram
voluntatem præſumpſeritis, aliquamque ibi for-
tiam, vel violentiam feceritis; ſcitote quod
omni vos eccleſiaſtica communione atque a cor-
pore & ſanguine Domini noſtri canonice ſepara-
bimus, ſicut invaſorem rerum eccleſiaſticarum.
Data *ut ſupra*.

## LXXII. AD LAMBERTUM COMITEM.

Monet ne Romam eam ob cauſam veniat, ut
apoſtolicæ ſedis hoſtibus auxilium ferat: quod
ſi alia de cauſa venerit, honorifice ſe eum
excepturum promittit: plura legatis injungit,
quibus fidem adhiberi jubet: Adelbertum Ro-
manæ eccleſiæ hoſtem ſe non poſſe ait in
communionem recipere.

*Dilecto filio Lamberto glorioſo comiti.*

B DIlectionis & amicitiæ veſtræ amorem, ac
ſinceritatem quaſi quoddam inſolubilis cari-
tatis pignus tenentes; tanto de inimicorum no-
ſtrorum callidis aſtutiis, vel præparatis cum apo-
ſtolica ſede ſecuri exiſtimus inſidiis, quanto no-
bilitatis veſtræ potentiam, una cum Chriſti au-
xilio nobis coniunctam in omnibus proſperis,
ſeu adverſis eſſe procul dubio credimus: quo-
niam & nos vobiſcum in cunctis, quæ veſtræ
gloriæ ſunt congrua, vel neceſſaria exiſtere prom-
pti optamus. Et ideo eminentiam veſtram quæ
relatione quorumdam didicimus latere nolentes,
utpote ſpiritali filio noſtro referre indubitanter
curamus. Audivimus namque quod inimicis &
infidelibus noſtris per cujuſdam exhortationem
C cupiatis ferre ſolatium, atque Romam venientes
ſuis eos rebus, & beneficiis contra noſtram et-
iam voluntatem inconvenienter reſtituere de-
beatis: quod nullus imperatorum, vel regum,
aut comes anteceſſoribus noſtris feciſſe recoli-
tur. Unde valde miramur, ſi hoc verum eſt,
quomodo tantæ amicitiæ inter nos toties habitæ
atque promiſſæ obliti eſtis; cum poſt Deum vos
modo in omnibus neceſſitatibus, & utilitatibus,
eccleſiæ ſancti Petri habeamus unicum adjuto-
rem atque fideliſſimum defenſorem. Et ideo li-
cet quidam vobis agere talia ſedi apoſtolicæ no-
biſque contraria ſuadeant, nos tamen in veſtræ
fidei devotione, quam erga beatiſſimos principes
apoſtolorum Petrum ac Paulum, & noſtram pa-
D ternitatem habetis, plurimum confidentes, quaſi
dilecto filio, & unanimi amico mandamus, ut
pro Dei & noſtro amore, pro cauſa inimicorum
noſtrorum aliquatenus reſtituenda, cum bis jam
ac ter ſynodico ſint ipſi judicio condemnati, Ro-
mam nunc non veniatis; quia valde turbati ac
triſtes ob hoc exiſtentes, vos, ſicut decet & nos
cupimus, honorifice recipere non poſſumus.
Quamombrem veſtra prudentia tantæ perverſitatis
conſilium deſtruat, atque contra ipſos inimicos
noſtros totis viribus inſurgere, & pari nobiſcum
voluntate, ſicut oportet, eos confundere procu-
retis; ut nos, ſicut per vos credimus, ſecuri &
quieti, Dei & veſtrum maneamus auxilium. Alia
vero pro cauſa, ſi ad limina ſancti Petri, &
E noſtram apoſtolicam nunc aut poſtea vultis ve-
nire præſentiam: vos prompto atque gratiſſimo
animo, prout oportet, honorifice recipiemus,
vobiſcum pariter gaudentes, & exultantes in Do-
mino. Plura quidem vobis ſuper his ſcribere-
mus, ſed quia idoneos, ac reverendos fideles no-
ſtros, veſtroſque devotos amicos, Gaudericum
videlicet & Zachariam epiſcopos delicioſos &
conſiliarios noſtros vobis direximus, qui veſtræ
gloriæ ea quæ literis deſunt, verbis poterunt
enarrare, omiſimus ſcribere; quibus ſane, quæ
verbo tenus dixerint, quaſi nobis credere non
dubitetis. Agite igitur ſicut vos in omnibus no-
ſtris

ſtris credimus habere procul dubio adjutorem, & unanimem in Chriſto amicum. Adelbertus autem marchio ad nos ſi venerit, pro certo ſcitote, quia cum nullo modo recipiemus, quia multas nobis contrarietates fecit, & manifeſtus in omnibus inimicus apparuit. Præterea, ſicut nobis mandatis, ut pro inſtantis temporis cauſa, extra urbem Romam exeuntes, vobiſcum alicubi loqueremur; libenter quidem hoc facere voluiſſemus, ſi utile ac neceſſarium eſſe videretur: ut ſimul loquamur non vobis grave ſit ad nos quaſi filius dilectus venire, quatenus ea quæ congrua ſunt viſa pariter conſideremus. Data *ut ſupra*.

## LXXIII. AD EUMDEM.

Graviter eum reprehendit quod in literis quas ſcripſit, honorem debitum apoſtolicæ ſedi non habuerit, & ne legati abſque ejus conſenſu mitterentur poſtulaverit.

*Nobili viro Lamberto glorioſo comiti.*

SEdem apoſtolicam, quam Deus omnipotens ſupra petram ſui nominis fundare dignatus eſt, non ſolum reges & principes terræ, verum etiam imperatores Auguſti, & totius orbis domini ſuis apicibus, utpote caput omnium eccleſiarum Dei, honoraverunt, dignisque præconiis ejus pontifices, vicarios ſcilicet beati Petri apoſtolorum principis laudaverunt, votiſque ſupplicibus deprecari ſtuduerunt; & uſque in finem ſæculi, Petri manente nomine ac memoria, ſupplicare non deſinent. Quapropter audientes literas tuas quas mandaſtis, mirati valde fuimus ſuper earum verbis inconvenientibus, quæ nec debitas ſancto Petro laudes reſonant, nec eccleſiaſticis concordant regulis, vel doctrinis; cum nobis illa verba mandaſtis, quæ ſæcularibus viris, & comparibus tuis ſcribere ſolitus es, hoc eſt, cum dicis nobis, Tuæ nobilitatis, vel cum dicis nobis, Monemus nobilitatem veſtram: in quo luce clarius mentem veſtram cognoſcimus erga nos minime devotam, ſicut putabamus exiſtere. Idcirco noſtræ paternitati, tam vilibus verbis, & inconvenientibus ſermonibus ſcribere audaci potius quam ſincera mente voluiſtis: & mirum non eſt, quia de amaro fonte dulcis aqua non hauritur. Porro quia dixiſtis, quod ſine conſenſu tuo noſtras legationes nuſquam mittere deberemus, uſuſque hoc non fuerit, nec literis legitur, nec a quoquam ſuperſtite unquam fuiſſe reminiſcitur factum: & ideo ſedes apoſtolica libera ſemper exiſtens liberam ubique ſuam mittit legationem, habens Domini auctoritatem dicentis: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* (Luc. 22.) De his autem quæ olim dicta ſunt inter nos, pro diverſis ac multiplicibus contrariis, & adverſitatibus, nec non & corporis incommoditatibus, quas quotidie patimur, nobis aliquid conſiderare, vel pertractare non licet. Nos tamen, ſi prudentiam veſtram in noſtris profectibus, & utilitatibus eccleſiæ Romanæ cognoviſſemus devotam exiſtere, noſtramque voluntatem prompte perficere, loco vos filii dilectique cuperemus retinere amici; & ea quæ veſtræ ſaluti ac proſperitati eſſent utilia, grato ſane animo perficeremus: ſed quia vos, nobis relictis, in partem contrariam inclinatos videmus; non ſolum obſtupeſcimus, ſed etiam a veſtræ amicitiæ nos ſimiliter declinamus conſortio, quod pro Dei amore valde retinere volumus carum. Hanc præterea epiſtolam noſtram ſecundum morem per Longobardum fidelem veſtrum, & literarum delatorem veſtrarum, vobis mandare voluimus; ſed ille a nobis eas recipere, veſtræque noluit deferre ſagacitati: ſed ſicut & antiquus uſus exigit, & ratio manifeſta fieri declarat. Data *ut ſupra*. (Aliquid deeſt)

## LXXIV. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Hortatur ut in ſua integritate perſeveret, & Amalfitanos corripiat, quod auxilium navale non miſerint, & nimia calliditate in ſe utuntur.

*Amantiſſimo filio Guaiferio principi.*

DEvotionem igitur animi tui ex die qua te cognovi paucis verbis explicare non poſſum? hoc tamen veraciter ſcimus, quia * apud nos tibi omnia ſalva reſervantur tempore opportuno. Idcirco monentes hortamur, & rogando jubemus, uti in ſemel tua percepta bonitate perſeveres. Quoniam ſcriptum eſt: *Non tardat Dominus promiſſum ſuum, donec adimpleatur quod locutus eſt:* (2. Petr. 3.) & ideo noſſe gloriam tuam cupimus, quia ex parte Amalfitanorum nullum nobis juxta condictum placitum ſtuduerunt præbere adjutorium navali certamine a Trajecto uſque Centumcellas. Inſuper quadam calliditate aſſerunt, non in decem millium tantum mancuſorum, ſed & in duodecim millium fuiſſe noſtram promiſſionem: quod verum nullo modo conſtat, cum & ipſi abbates, quos illuc pro noſtra parte direximus, jurejurando non ſe dixiſſe fateantur. De his vero aliiſque ſimilibus, quantum in nobis eſt, per gloriam tuæ nobilitatis, correptionem omnemque ſperamus ſtudii emendationem: quod quæſo facere mature acceleres. Optamus. Data *ut ſupra*.

* Edit. Rom. *apud Deum & apud nos.*

## LXXV. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

*Miſſa per Eugenium & Paulum epiſcopos menſe Aprili die* XVI. *indictione* XI.

Dolet quod Græcos ſequatur: hortatur ad Romanæ eccleſiæ gremium redeundum: tum de dono miſſo gratias agit: poſtremo Sergium quemdam per ſubreptionem ad ſacerdotium & epiſcopatum promotum, depoſitum fuiſſe ſignificat.

*Michaeli regi Bulgarum.*

SPiritualibus te viſceribus edito gaudebamus, & pro ſalvatione tua gratias agebamus: ſed nunc aſtutia malignorum decepto, triſtamur & ingemiſcimus, verentes & pertimeſcentes, ne ſi forte Græcos ſecuti fueritis, cum illi in diverſas hæreſes & ſchiſmata ſolito more ceciderint, vos quoque cum ipſis in erroris profunda ruatis: & ſicut ſerpens ſeduxit Evam aſtutia ſua, ita ſenſus veſtri corrumpantur, & excidant a ſimplicitate & caſtitate quæ eſt in Chriſto Jeſu. (Geneſ. 3.) Nam te fili, Moſaicis rogo verbis, *interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, ſeniores tuos, & dicent tibi*, (Deut. 32.) ſi aliquando Græci ſine hac, vel illa hæreſi fuerint: & cum non inveneritis eos ab aliqua hæreſi aliquando liberos extitiſſe, oportet vos

eorum fraudes & conſortia fugere ; ne cum illi (A) erraverint, vos erretis, & cum illi ad blaſphemiam verſi fuerint, & vos etiam fidei rectæ blaſphematores inveniamini : nec erit qui vos poſtmodum corrigat vel ab errore reducat : & hoc eſt, mihi credite, fili cariſſime, quod dolemus, hoc eſt unde nocte & die pro vobis ſoliciti ſumus ; non gloriam ex vobis, vel honorem aut cenſum procul dubio expectantes, cum vos potius & non veſtra quæramus : nam non patriæ regimen & reipublicæ moderamen adipiſci cupimus : ſed diœceſeos ejuſdem regionis curam & diſpoſitionem more priſco reſumere volumus, ut ſolicitudinem, quam univerſis debemus eccleſiis, tanto pro eadem diœceſi ſolertius exerceamus, quanto ad ordinationem ſpecialius veſtram hanc antiquitus pertinuiſſe non ignoramus, (B) tantoque pro veſtræ ſalutis cuſtodia inſtantius vigilare valeamus, quanto ut confirmet hoc Deus quod operatus eſt in nobis enixius nobis optandum eſt, & diſtrictius a nobis divinitus exigendum, clarius ſcimus, ſi circa inſtructionem & munitionem veſtram deſides, quod abſit, fuerimus inventi. *Pſal. 67.* Revertimini ergo ad beatum Petrum apoſtolorum primum, quem amaſtis, quem elegiſtis, quem quæſiſtis, cujuſque in neceſſitatibus patrocinium percepiſtis, & fluenta doctrinæ ſalubriter & convenienter hauſiſtis ; cujuſque vos protectioni cum ſubjectis omnibus commendaſtis & tradidiſtis. *Bene quidem currebatis*, cum apoſtolo clamamus, *quis vos faſcinavit veritati non obedire?* *Galat. 3.* Sed & ipſe per ſe Do- (C) minus dicit : *Nemo mittens manum ſuam in aratrum & converſus retrorſum, aptus eſt in regno cælorum :* *Luc. 9.* non autem dicimus quod non una ſit fides, unum baptiſma, unus Deus noſter pariter & illorum : *Epheſ. 4.* ſed quia in eis ſæpe præſule Conſtantinopolitano vel imperatore, aut plerumque utroque auctore facto hæreſeos, plures qui ſub ipſis ſunt adulatione aut certe timore, illis efficiuntur conſimiles : & væ tunc eis eſt, qui ſocietatem ſequuntur eorum. Dic itaque rogo cariſſime fili, quid faceres tu, vel populus tuus, ſi tempore Pneumatomachi Macedonii Conſtantinopolitani antiſtitis, quando & impius illic imperabat Conſtantius, eſſetis eorum ſocietate fruentes ; nonne dogma ejus contra Spiritum ſanctum (D) blaſphemans cum illis ſequeremini? *quod peccatum*, atteſtante Domino, *non remittitur neque hic, neque in futuro*. *Matth. 12.* Nonne ſi horum pollutam ſocietatem haberetis, & pravam doctrinam nihilo minus haberetis? ac per hoc & vos cum illis quaſi faſciculi colligati ad comburendum æterno igni reſervaremini in die judicii cruciandi ? Credimus autem, quod jam vos non lateat, nunquam apoſtolicam beati Petri ſedem ab aliis ſenſibus reprehenſam, cum ipſa alias omnes, & præcipue Conſtantinopolitanam ſæpiſſime reprehendens, aut ab errore liberaverit, aut certe in his qui reſipiſcere noluerunt, ſententiæ ſuæ judicio condemnaverit. *Romana eccleſia non quam in errorem [illegible] aliis autem ab errore liberavit.* Noli ergo ſequi Græcos, fili cariſſime, quia argumentis ſemper fallacibus ſtudent, (E) ſemper doloſis intendunt verſutiis, ne forte vobis quod genti contigit Gothorum contingat : quæ cum a Paganorum errore cuperet liberari, Chriſtique fidei ſociari, in epiſcopum incidit formam pietatis habentem, virtutem autem ejus abnegantem : qui eos dum a paganiſmo liberat, Arii blaſphemiis implicat : ſicque illi, dum incaute quærunt errorem fugere, in errorem incidunt ; & cæcum ducem ſequentes, cum illo cæci facti in Arianæ pravitatis præcipitia delabuntur : *Socrates lib. [illegible] Theodoret. [illegible] Sozomenus [illegible]* & hoc eſt, unde Græcorum cavenda eſſe prædicamus conſortia : *Corrumpunt* enim, ut Paulus apoſtolus (A) ait, *mores bonos colloquia mala.* *1. Cor. 15.* Qui etſi aliquando loquuntur aliquid boni, noli mirari, quia & dæmones confitebantur Filium Dei : *Matth. 18.* ſed ipſe illos potius tacere præcipiebat, ne qui eos audiret vera prædicantes, ſequeretur errantes. Convertimini igitur ad beatum Petrum apoſtolorum principem, qui primus cognovit, & confeſſus eſt Filium Dei : qui oves dominicas regendas accepit, & ut has ad æternæ paſcua vitæ introducere poſſet, & hic ligandi ſolvendique poteſtatem, & illic reſerandi eis claves cæleſtis regni promeruit. Igitur ſcitote, cariſſime, ſi ex hoc ad Græcos, *1. Tim. 5.* quod avertat Dominus, converſio veſtra fuerit, partem veſtram divinitus cum his ponendam, qui primam fidem irritam faciunt, & cum his, (B) quorum libenter amplectimini portionem. Porro ſi nos audieritis, & ad ſancti Petri gremium redieritis, ut filios vos amantiſſimos expanſis ſinibus recipiemus, & exertis brachiis amplectemur, & in viſceribus Chriſti dilectionis ſemper habebimus ; & ſi qua ſunt ſancta, ſi qua ſalubria, ſi qua congrua, vobis & pro vobis offerre atque impendere non ceſſabimus. Xenium nobis ex vobis tranſmiſſum, quondam religioſi habitus Urſo deferente, ſuſcepimus ; de quo benignitati veſtræ gratias agentes, Deum laudavimus, qui te nobis devote munus offerre docuit ; temetipſum cito totum, ut confidimus, & perfectum daturus. Ceterum gloria veſtra ſciat Sergium eunuchum, qui cum genere Sclavus eſſet, & multis pravitatibus (C) irretitus, ſacerdotium per ſurreptionem obtinuit ; & poſt etiam ſuper aliis detectus & convictus exceſſibus, ab epiſcopo tunc ſuo depoſitus fuiſſe dignoſcitur, & poſt indigne ſatis a Georgio, qui falſo ſibi epiſcopi nomen uſurpat, ad epiſcopatum Belogradenſem provectus eſt, apoſtolorum principum, & ſanctorum canonum auctoritate, etiam noſtri eſſe ſententia decreti depoſitum : quod tam vobis quam veſtræ omnium generalitati canonice patefacimus ; ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur : ne, quod non optamus, ſimili cum eis pœna judicii teneantur aſtricti. *Nicæn. c. 5.* Data XVI. die menſis Aprilis, indictione XI. *An. Ch. 878.*

## LXXVI. AD PETRUM COMITEM.

(D) *Miſſa per Paulum & Eugenium epiſcopos menſe Aprili, die XVI. indictione XI.*

Hortatur ut Michaelem regem ad Romanæ eccleſiæ gremium revocet.

*Petro comiti.*

Dilectiſſimo filio noſtro Michaeli Chriſtianiſſimo regi apoſtolatus noſtri mittentes epiſtolam, dignum duximus ut & tuæ quoque gloriæ ſcriberemus, & gemitus noſtri cordis aperiremus, quos aſſidue patimur, ſuſpirantes & ſtupo- (E) re nimio admirantes, quomodo ipſe ſapientiſſimus rex, & vos ipſi averti potueritis, & a recta ſemita declinare, atque a ſede beati Petri apoſtolorum ſummi recedere ; cui, ſicut evangelium refert, non caro & ſanguis, id eſt humana ſapientia, ſed ipſe per ſe Pater Filium proprium revelavit, *Matth. 16.* cum alii hunc Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum de prophetis exiſtimarent. Scribimus ergo tibi tamquam familiari & cariſſimo nobis ; tu enim in hac cauſa primus ipſi regi præcurſor & dux auctore Deo fuiſti : tu inter illum & nos medius diſcurriſti, &, Deo gratias, cuncta, quæ ad ſalutem gentis illius acta ſunt,

non

A non ſine tuo certamine acta ſunt, & quot & quantos labores pro inſtructione veſtri nos aſſumpſerimus, ipſe non neſcis. Et bene quidem in nobis delectabimini, & ſpiritualibus gaudiis, & profectibus fruebamini: ſed neſcimus quis vos de cetero deceperit; quis organum factus diaboli, Geneſ. 3. qui olim per ſerpentem Evam ſeduxit, vos a recto itinere callida ſuaſione retraxerit; unde non parum dolemus, nec leviter anxiamur; & idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejuſdem dilecti filii noſtri regis; cui & Dominus ipſe ad aures præcordiorum loquatur, ut 1. Tim. 5. primam fidem non faciat irritam, ut ante ſe gradiens, retro nequaquam reſpiciat, viam qua ambulabat, non deſerat, evangelicam legat hiſtoriam, & videat ibi præcipue ſoli Petro, B aliis iſta vel illa opinantibus, Chriſtum Dei vivi Filium revelatum, Luc. 22. & ſingulariter dictum: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*. Ergo ſi iſtis vel illis falſa putantibus, Petro veritas præcipue revelata eſt: & ſi pro fide Petri oratum ſingulariter eſt a Filio ne deficeret; conſideret ſapiens rex quam laudabiliter primum fecerit urbem quærens, ad quam iſte talis & tantus apoſtolus venit & prædicavit; cui Patre revelante, veritas Filii patefacta eſt, & cujus fides, quia Filius rogavit, non defecit. Ad hanc quippe Romanam urbem poſt Antiochiæ, quam in tranſitu viſitavit, fundatam eccleſiam, tamquam ad mundi dominam properavit: & illic conſequenter Filium Dei vivi, quem non carne vel ſanguine, ut præ- C diximus, ſed eo revelante ſicut veraciter cognovit, veraciter & prædicavit: ſuper quam etiam ſolidam confeſſionis petram, ſuam Dominus eccleſiam fabricavit: & hæc eſt petra illa, ſupra quam, ut Salomon ait, ſerpentis non invenitur veſtigium. Pro hac itaque puriſſima fide beatus Petrus Romæ moratus, in hac ſtabilivit eccleſiam, & ſede apoſtolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis aſſumpſit: ſicque ſanctam Romanam eccleſiam in hac fide fundatam pro- Rom. 15. prio ſanguine cum Paulo, qui ab Jeruſalem uſque ad Illyricam regionem ſcilicet, in qua nunc vos habitatis, evangelio replevit, Domino Deo conſecravit, & dedicavit; qua fide tanto intra Rom. 1. breve tempus Romani creverunt & floruerunt, ut D * prælatus egregius apoſtolus mox in principio epiſtolarum ſuarum pro ea Deo gratias agere, & denunciare præconia videatur. Hanc itaque fidem ſuggere ſemper, & ſuade, cariſſime, pio regi ſitire: hanc non alibi præcipue quærere niſi Romæ, ubi plantata eſt & radicata a B. Petro, qui hanc ut ſupra oſtendimus, ſicut veraciter cognovit veraciter & prædicavit: quoniam ſicut a qua nunquam Fides Romanæ eccleſiæ. poteſt alibi tam munda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte unde originem protrahit, inveniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, ſicut in eccleſiæ noſtræ vivario, ubi eam non tecta perſtillantia, quibus litigioſa mulier, id eſt hæretica pravitas, comparatur; ſed ille polorum claviger ubertim & puriſſime congregavit, E qui ex ipſo fonte vivo hanc cælitus hauſit, & limpidiſſimam conſervandam mandavit. Hæc, cariſſime, pio regi loquere, & exhortare in Chriſto Jeſu, ut pro accepto & multiplicato familiaritatis talento in gaudium Domini noſtri merearis intrare. Nos vero, ſi nos audieritis, quia vos tamquam fratres & filios ſummo amore diligimus, de lucro veſtri gaudebimus, & ſuperexultabimus: ſin autem, Matth. 18. dicemus omni eccleſiæ, & ſicut Dominus præcepit, vos tamquam ethnicos, & publicanos habebimus: & tunc vos videritis, cum in varias errorum tentationes incideritis. Miſſa per Paulum, & Eugenium reverendiſſimos & ſanctos epiſcopos. An. Ch. 878. Data Menſe Aprili, die XVI. indictione undecima.

## LXXVII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Ejuſdem argumenti, ſuntque fere eadem verba quæ in ſuperiore.

*Michaeli glorioſo regi Bulgarum.*

Hæc epiſtola non videtur Michaeli ſcripta.

CHriſtianiſſimo regi apoſtolatus noſtri mittentes epiſtolam, dignum duximus ut & tuæ B quoque gloriæ ſcriberemus, & gemitus ac dolores noſtri cordis aperiremus, quos aſſidue patimur ſuſpirantes, & triſtes penitus incedentes & ſtupore nimio admirantes, quomodo ipſe ſapientiſſimus rex, & vos ipſi averti potueritis, & a recta ſemita declinare, & a ſede beati Petri apoſtolorum principis omnino recedere; cui, ſicut evangelium refert, non caro & ſanguis, id eſt humana ſapientia, ſed ipſe per ſe Pater Filium Matth. 16. proprium revelavit, cum alii hunc Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis exiſtimarent. Scribimus ergo tamquam fratri ejus & cariſſimo noſtro. Nam cuncta, quæ ad ſalutem gentis veſtræ a nobis acta ſunt, & quot & quantos labores pro inſtructione veſtri nos aſ- C ſumpſerimus, ipſe profecto non neſcis. Et bene quidem primum in nobis delectabimini, & ſpiritalibus gaudiis, & profectibus fruebamini: ſed neſcimus quis vos de cetero faſcinaverit, quis deceperit; quis organum factus diaboli, qui olim per ſerpentem Evam ſeduxit, vos a recto itinere callida ſuaſione retraxerit. Unde non parum dolemus, nec leviter anxiamur: & idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejuſdem dilecti filii noſtri regis, cui & Dominus ipſe potius ad aures præcordiorum loquetur, ut primam fidem non faciat irritam, ut ante ſe gra- 1. Tim. 5. diens, retro nequaquam reſpiciat, viam qua ambulabat, non deſerat, evangelicam legat hiſtoriam, & videat ibi præcipue ſoli Petro Chri- D ſtum Dei vivi Filium revelatum. Ad hujus ergo beatiſſimi Petri ſedem alacri pectore rex Chriſtianiſſimus redeat; & ſicut cervus, cum quid ſumpſerit noxium, deſiderat ad fontes aquarum: ita deſideret & ſitiat anima ipſius ad ſalutifera Pſalm. 41. ejus doctrinæ fluenta. In quo pio tua laboret opere præ cunctis ſolertia, ut non ſolum fratrem cariſſimum lucrifacias, ſed & de ſalute omnium veſtrum ipſe mercedum præmia conſequaris. Nihil enim placet Deo plus his, qui ab errore converti faciunt homines; vel qui ad juſtitiam erudiunt plurimos. Et ideo pro tam ſancto labore, beato Petro clavigero regni cæleſtis interceden- Jac. 5. te, operies, ſicut ſcriptum eſt, multitudinem peccatorum, & ſtabilieris quaſi cæli firmamentum, E & dies æternitatis. Sed & nos interim te in devotorum numero filiorum habebimus, & confeſſionibus apoſtolorum principum memoriam tui jugiter commendare nullatenus omittemus. Data menſe Aprili, indictione XI.

* Forte, præfatus. Hard.

## LXXVIII. AD IGNATIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

Tertio jam commonet, ne Bulgarum regionem ad eccleſiam Romanam jam antiquitus pertinentem uſurpet, & eo, vel ab ejus ſuffraganeis in ea regione conſecratos epiſcopos intra 30. dies illinc educat; & niſi poſt duos menſes paruerit, dominici corporis & ſanguinis communione, & ſi perſeveraverit in contumacia, patriarchali etiam dignitate privat.

*Reverentiſſimo confratri noſtro Ignatio patriarchæ Co[nſt]antinopolitano.*

SEcundo jam ſedis apoſtolicæ literis probatis admonitus, & per miſſos ejus conteſtatoriis conventus hortatibus, jure tibi Conſtantinopolitanæ diœceſeos, quod per ejuſdem primæ ſedis auctoritatem & favorem annuente Deo receperas, rite contentus, ultra præfixos tibi ex canonibus limites præſumptionis pedem non tenderes, nec antiquos terminos quos poſuerunt patres tui aliqua uſurpatione transferres. Nullus autem ignorat regionem Bulgarum a ſanctæ memoriæ Damaſo papa, & deinceps uſque ad paganorum irruptionem a ſedis apoſtolicæ præſulibus, quantum ad eccleſiaſticæ proviſionis attinet privilegium, moderatam. Præſertim cum hoc nonnulla ſcripta, ſed præcipue diverſorum pontificum Romanorum res geſtæ quæ in archivis antiquitus noſtræ reſervantur eccleſiæ, clarius atteſtentur. De his autem quæ bellica clades & graviſſimi hoſtilitatis incurſus intuliſſe noſcuntur, nil præſtantius ſentiendum eſt, quam quod clariſſima eccleſiæ tuba ſanctus videlicet Leo noſtræ ſedis antiſtes edocuit & decrevit, cum ait: Adhibenda, inquiens, curatio eſt, ut vulnera quæ adverſione hoſtilitatis illata ſunt, religionis maxime ratione ſanentur. Qui ſtatu rerum auxiliante Domino in meliora converſo iterum dicit: Remotis malis quæ hoſtilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit, reformetur: omnique ſtudio procurandum eſt, ut recipiat unuſquiſque quod proprium eſt, & rurſus: Quod bellica neceſſitate turbatum eſt, pacis remedio reformetur. Sed hæc reverentiſſime frater omnia clauſis oculis relegiſti, ſanctorumque patrum decreta calcaneo temerario conculcaſti, ac multiplicium tibi beneficiorum ſedis apoſtolicæ præſtitorum oblitus, contra eamdem ſanctam ſedem, benefactricem videlicet tuam, & erectus es, priſcam diœceſim in regione Bulgarica conſtitutam illicita pervaſione ſubripiens, & in alienam meſſem contra divinas leges mittere falcem non renuens. Unde merito poſt primam & ſecundam commonitionem a noſtræ te debueramus communionis contubernio ſequeſtrare, *in promptu habentes*, ſecundum apoſtolum, *omnem ulciſci inobedientiam*: qui etiam dicit: *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, ut non commiſceamini cum eo*: ſed quia ſedis apoſtolicæ moderatione utentes, ſpiritu lenitatis potius quam ſeveritatis erga correptionis tuæ flagramus affectum, ecce tertio canonice per miſſos & ſyllabas commonemus, & hortamur, & proteſtamur, ut nullam omnino moram perpeſſa, ſtrenuos viros in regionem Bulgarum dirigat, qui per totam patriam peragrantes, quoſcumque illic repererint qui a te vel a ſubjectis tibi conſecrationis munus accepiſſe dicuntur, ſine quavis dilatione reducant: ita ut intra triginta dierum ſpatium nullus epiſcopus, nullus omnino cleri- A cus, qui tuæ ordinationis, imo inordinationis ſunt, inter omnes Bulgarum fines inveniatur. Non enim patimur eos, quos ibidem tu illicite conſtituiſti, quos & ab apoſtolica eſſe jam ſede hujus rei gratia conſtat excommunicatos, errore ſuæ prævaricationis corda novorum Domini famulorum inficere: quos videlicet in fide inſtructionis manu plantavimus, & aqua ſalutaris fontis doctrinarum rigavimus, atque horum auctori Deo ad incrementum ſpiritus dandum, ut ſit ipſe in omnibus primatum tenens, obtulimus. Porro ſi intra triginta intervalla dierum omnes, quos vel tu, vel epiſcopi tui conſecraſſe in aliquo gradu putantur eccleſiæ, a totius regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, & temetipſum ab omni B eccleſiaſtico illius jure diœceſeos non ſubduxeris, tamdiu ſancto corpore, ac pretioſo ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti poſt duos menſes a die numerandos qua hujus epiſtolæ tomum acceperis, eſto privatus, quamdiu his obſtinatus decretis noſtris, minime obedientiæ colla ſubmiſeris. Jam vero ſi pertinaciter in hac indiſciplinatione, atque pervaſione permanſeris, & epiſcopos & quotquot illic vel illi vel tu conſecraſſe videris, foras illinc minus expuleris, omnipotentis Dei judicio & beatorum apoſtolorum principum auctoritate, noſtræque mediocritatis ſententia, omni patriarchatus eſto dignitate, quam favore noſtro receperas, alienus & exors, nullo penitus ſummi ſacerdotii privilegio præditus vel potitus. C Data menſe Aprili, indictione XI. miſſa per Paulum, & Eugenium epiſcopos.

Ep. 4. 61.

Cor. 10

Tim. 3.

## LXXIX. AD EPISCOPOS ET CLERICOS GRÆCOS.

Declarat eos excommunicatos quod Bulgarum regiones invadentes illicitas ibi ordinationes fecerint; dignitate etiam privandos, niſi intra XXX. dies ex omni Bulgarica regione deceſſerint. Si quis autem paruerit, reſtituendum ei epiſcopatum decernit quem in Græcia habebat; & ſi nullum antea habebat, vacantem, ſi dignus eſt, eidem conferri jubet.

D *Omnibus epiſcopis & ceteris clericis Græcis Bulgariæ diœceſeos invaſoribus, ac per hoc excommunicatis.*

MIramur vos & vehementer obſtupeſcimus ſanctorum patrum canones obturatis oculis relegiſſe, & calcata conſcientia terminos æternos a patribus poſitos tranſtuliſſe, & in alienam meſſem judicii falcem miſiſſe in Illyrici provincias, quas nunc Bulgarum natio retinet ingredientes, & ordinationes illicitas perpetrantes, cum & ſacra concilia ſub ſede beati Petri apoſtolorum principis, has olim provincias deguiſſe patenter innuant, & rerum geſtarum a ſancto Damaſo papa conſcripta manifeſte denuncient. Et ſtatu cauE ſarum Deo auxiliante in melius jam pridem converſo ſedes apoſtolica ſit ab eis qui hanc habitant regionem recognita, requiſita & multis precibus invitata: noſque illuc epiſcopos, & inferioris ordinis ſacerdotes cum præceptis ſedis apoſtolicæ miſerimus, & multos labores pro inſtructione illius regionis arripuerimus. Nam & ſi quidam veſtrum clandeſtina illuc forte venerunt, apte de illis dicere poſſumus illud Domini dictum aſſeverantes: *Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt & latrones*. Joann. 10. Ipſe quippe Dominus per prophetam dicit: *Veniebant & ego non mittebam eos*. Nam quidam veſtrum pro criminibus ſuis fugientes:

qui-

quidam autem ambitus & avaritiæ cauſa illuc ac- A
ceſſuri profecti ſunt; non autem vocati, nec in-
vocati: licet nec ſic in veſtram vos diœceſim ad
aliquam diſpoſitionem faciendam introire conve-
nerit. Quia igitur contra ſacras vos multipliciter
egiſſe regulas deprehendimus; excommunicavi-
mus vos, & eſtis excommunicati. Quiſquis autem
ex vobis intra triginta dierum ſpatium cognitæ
hujus apoſtolicæ ſanctionis, omni Bulgaricæ re-
gioni non cedens, in ea quamlibet ordinationem
vel diſpoſitionem patrare ultra prædictum ſpatium
obſtinate præſumpſerit: ſanctorum patrum aucto-
ritate, noſtrique judicii ſententia proprio caret
officio, non niſi reſipiſcens pœnam evaſurus, aut
veniam aliquo modo ſperaturus. Si quis autem
veſtrum humiliter ac obedienter his ſalubribus B
monitis noſtris parens, Bulgaricæ locum dederit
diœceſi; noverit nos decreviſſe ſibi epiſcopatum
reſtitui quem eum in regione Græcorum prius
habuiſſe conſtiterit: porro & ſi nunquam habuit,
vacantem illi tribui; ſi tamen talis perſona ſit,
cui nulla in hoc regula patrum valeat obviare.

An. Ch. 878. Miſſa per Paulum & Eugenium epiſcopos. Da-
ta XVI. die menſis Aprilis, indictione XI.

## LXXX. AD BASILIUM IMPERATOREM.

*Miſſa per Eugenium & Paulum reverendiſſimos Epiſcopos.*

Dolet Conſtantinopolitanam eccleſiam ſchiſmate C
adhuc laborare: qua de re legatos mittit.

*Dilectiſſimo nobis & deſiderabili filio Baſilio Chriſtianiſſimo & tranquilliſſimo imperatori.*

BEnedictus Deus & pater Domini noſtri Jeſu — 2. Cor. 1.
Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus to-
tius conſolationis, qui miſertus & conſolatus eſt
nos in præſenti ſæculo nequam: Viſitans & re-
demptionem faciens tam pium, tamque benignum — Luc. 1.
imperii veſtri cornu ſalutis erigendo in domo
David, Chriſti videlicet pueri ſui. Vos enim,
fili cariſſime, minus imperatoria dignitate, ſe-
cundum apoſtolum qui ait: *Æmulamini chariſma-* — 1. Cor. 12.
*ta meliora*, contenti, etiam angelorum eſtis mi- D
niſterium imitati, dum pacem in terra bonæ vo-
luntatis hominibus exoptatis, & beatos per id,
ac cælum vos viſuros luce clarius demonſtratis.
Utraque ſiquidem epiſtola veſtro pontificio no-
ſtro miſſa hujus vos flagrare deſiderio patenter
inſinuat, & hanc vos ad ſtatum eccleſiæ, unde
pravorum diſſenſione repulſa eſt, inhianter velle
reducere, indicio evidenti demonſtrat. A Deo
quippe provectum imperium veſtrum; quod eo
auctore juſtitia & triumphis ornatis, minus ni-
mirum validum, minuſque glorioſum putatis,
niſi etiam ſumma condecorare pace ſeu concor-
dia ſatagatis. Nos autem, dilectiſſime, audien-
tes in Conſtantinopolitanam eccleſiam diſſenſio-
nis adhuc ſcandala fluctuare, nonnulloſque reli- E
gioſi habitus viros hac illacque diſperſos atque
dejectos ignominioſe tractari: merito ingemiſci-
mus & multa mœſtitia fatigamur, præcipue pa-
cem ſentimus illic continua contentione turba-
tam, quam per multos ſedis apoſtolicæ labores
jam credebamus ædificatam, & ſacratos quoſdam
diverſas injurias didicimus paſſos, quos ab omni
oppreſſionis faſce ſperabamus ereptos. Portamus
quippe omnium onera qui gravantur; imo por-
tat hæc in nobis amator veſter beatus Petrus
apoſtolus qui nos in omnibus ſolicitudinis ſuæ
protegit ac tuetur hæredes: ſed quia & profeſſio-

A nis noſtræ officio, cum Jeremia nihilo minus di-
citur: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper* — Jerem. 1.
*regna, ut evellas & deſtruas, & diſperdas, & diſ-*
*ſipes, & plantes*, etiam veſtra pietas ab apoſtola-
tu noſtro pro hoc ipſo perſonas poſtulat. Ecce
ſtrenuos e latere noſtro viros dirigimus, qui ſi
qua illic inter hæc diligenti ſtudio deprehendant
& his radicitus, ſecundum Domini mandatum,
evulſis, deſtructis, diſperſis & diſſipatis, pacem
& unitatem & caritatem & congruenter ædificent
ſimul & plantent. Nam quomodo habere pote-
runt caritatem, qui dividunt unitatem? nos au-
tem pro Chriſto legatione procul dubio fungi-
mur, cum paci eccleſiæ ſtudium impendere pro-
curamus. Quia vero Deo amabiles viros, quos
B nominatim literis expetitis, quibuſdam incom-
modis impeditos deſtinare nequimus; miſimus
Paulum & Eugenium ſanctiſſimos & reverendos
epiſcopos, dilectoſque conſiliarios noſtros, quo-
rum nobis & fides probata, & ſcientia manifeſta
eſt: quibus ſcripto dedimus in mandatis, ut omni-
bus ſimultatibus ſopitis atque ſedatis, quæ ad
pacem ſunt, ſanctorum magiſtra regula patrum,
toto conamine conſtruant, & omni contentione
ſublata, juſtitiæ tribuant Deo propitio palmam;
hoc dumtaxat ad laudem Dei agentes, & ad
præconiorum veſtrorum cumulum, ſicut vos age-
re de die in diem decet, addentes. Verumtamen
ignorare pium imperium veſtrum nolumus, nos
apoſtolicæ ſedis præcepiſſe legatis, ut cauſa tan-
C tum viſitationis, glorioſum ejuſdem provinciæ * — * Forte loquitur de rege Bulgarorum.
principem adeant, & de optata memoria ei apo-
ſtolorum, ut condecet, expletis officiis perſaluta-
tionis edicant. Ideoque rogamus, ut aditu eis
annitentibus vobis conceſſo, talem illis induſtrium
virum * qui eos uſque ad prædictum principem — * deeſt, tradatis, aut quid ſimile.
ſalvos ducat atque reducat, facta in ſcriptis de
ea minime iterum uſurpanda profeſſione. Opta-
mus vos per multos annos in Chriſto bene vale-
re, & de barbaricis jugiter hoſtibus triumphare,
ſpiritualis & deſiderabilis & Chriſtianiſſime fili — An. Ch. 878.
ſemper Auguſte. Data indictione XI.

## LXXXI. AD EUMDEM.

D Ut legatis a ſe miſſis fidem adhibeat, & opem
Romanæ eccleſiæ ferat.

*Dilecto filio ſemper in Domino triumphanti Baſilio piiſſimo imperatori Auguſto.*

SCimus venerabilis imperator, ſcimus & om-
nimodo novimus vos prudentia pollere, æqui-
tatem diligere, pietatem extollere, directiones
plantare, & vitia evellere. Scimus & liquido
credimus vos ſanctæ Romanæ eccleſiæ vigorem
& decus velle augere, tribulationes gemere, an-
guſtias dolere, & neceſſitates pio intuitu, quan-
tum ad vos pertinet, amovere. Hujus rei gra-
tia maximam de vobis fiduciam aſſumentes, quid-
E quid eamdem ſanctam matrem veſtram Roma-
nam eccleſiam oppido affligit & lacerat, vobis
ſingulari quadam ſpe committimus audiendum &
corrigendum. Tamen ne vos, quos ſecretorum
noſtrorum conſcios eſſe cupimus, lateat quod his
diebus contra Dei voluntatem, contraque ſalu-
tem totius Chriſtianæ fidei, ac contra privile-
gium ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſeu contra mo-
rem reique publicæ ſtatum Romæ peractum eſt;
his miſſis noſtris Paulo & Eugenio epiſcopis ver-
bo tenus vobis dicenda commiſimus. Quæ vos
ita credere deprecamur ac ſi nos vobiſcum lo-
quamur; & credentes, ſi nobis ferre opem, vel
ali-

aliquam conſolationem valeatis, & veluti dilectus A filius reverendæ matri aſſolet, omnimodo confeſſe ratis depoſcimus. Habebitis enim pro his ſanctos apoſtolos adjutores, & nos poſſidebitis devotiores veſtros apud Dominum ſemper interceſſores. Data IV. Kalendas * Martii indictione XI.

* ſ. Maii, ut conſtat ex ſuperioribus.

## LXXXIII. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Monet ut quantocius ad ſynodum in Galliam cum ſuffraganeis accedat: queritur de perfidia Lamberti Spoletani comitis.

*Anſperto venerabili archiepiſcopo Mediolanenſi.*

PRo innumeris igitur & multiplicibus oppreſſionum anguſtiis totius ſanctæ eccleſiæ in orbe terrarum diffuſæ, ſynodum univerſalem, Chriſto opitulante, in Francia, (quia in Italia, perſecutione malorum graſſante * (Petrum presbyterum cardinis noſtri, quem ad Carolomannum regem dirigimus, fraternitati veſtræ plurimum commendamus) minime potuimus,) ſumus celebraturi; ad quam fraternitatem veſtram quantocius omni mora poſtpoſita occurrere admonemus, cum cunctis coepiſcopis, ac ſuffraganeis veſtris, exceptis his quos ſacri canones pro incommodis cauſis ſtare patiuntur. Quoniam in ea, Chriſto cooperante, omnium eccleſiarum ſperamus erigi ſtatum atque vigorem. Hoc iterum C iterumque monemus, hortamur, expreſſeque mandamus, ut nulla vobis mora, nullumque tempus præpediat, donec nobis veſtrum adventum in præſentia præbeatis; * id eſt Lamberti perfidi Spoletani ducis Widonis filii, ejuſque complicis Adelberti marchionis, vel ut melius patriæ proditoris, qui clandeſtina fraude pacifice venire ſe ſimulans, in dolo ad portam urbis cuſtodes deputans, ſacramque civitatem tyrannus invaſit, noſque cum fidelibus noſtris intra eccleſiam beati Petri apoſtolorum principis inaudito atque horrende coarctare inter cetera mala *. Data *ut ſupra*. (a)

* Hæc verba non cohærent ſequentibus.

* Ut cauſam communis hoſtis una mecum judicetis. *Hæc vel alia hujuſmodi verba hic deeſſe videntur.* De Lamberto & Adelberto Aimoin l. 5. c. 37.

* *Videtur hic deeſſe*, conatus eſt.

## LXXXIII. AD ANGELBERGAM D AUGUSTAM.

Ut in Romanæ eccleſiæ fide perſeveret: præſentium latorem commendat.

*Dilectiſſimæ filiæ Angelbergæ imperatrici Auguſtæ.*

REminiſcentes omnium bonorum veſtrorum, quotidie Deo noſtro gratiarum actiones referimus, qui veſtrum animum tanta ſolicitudine circa devotionem ab exordio ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſpirituali flammæ aduſtione peruſſit. Sed nunc filia mea cariſſima, & in Chriſto devota, quæſo vires ſolicita ingenii acutiſſimi, & in hoc in opportuno tempore ſolita bonitate concurre: E quatenus cœptum bonum uſque ad conſummationem operis perductum æterni retributoris præmia recipere valeatis. Latorem quoque præſentium Petrum cardinis noſtri presbyterum, quæſo in omnibus habeas commendatum, veſtroque conſilio prudentiſſimo iter illius ſolita pietate diſponite: quatenus Deo duce ad nos poſſit redire incolumis. Data *ut ſupra*.

## LXXXIV. AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Exponit mala quæ a Lamberto comite Romæ ſunt perpetrata: ſeque in Gallia ad implorandum auxilium adverſus eum iturum oſtendit.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Joanni archiepiſcopo Ravennati confratri noſtro.*

UNanimitatis veſtræ fraternitatem ignorare non patimur quæ & qualia his retro diebus a Lamberto Spoletano comite mala & multiplices paſſi ſumus injurias, quales nullus anteceſſorum B noſtrorum pontificum a quoquam Deum colente ſuſtinuiſſe recolitur. Igitur omne pene territorium S. Petri ſuis tyrannice devaſtantibus hominibus, cum immenſa populi multitudine Romam venit: nos autem illum quaſi dilectum amicum apud beatum Petrum apoſtolorum principem honorifice recepimus: ſed ipſe quaſi ovili pelle indutus, ſolita repletus nequitia, munereque corruptus ingenti, contra nos inſurgere non dubitavit. Nam portas civitatis Romanæ violenter, imoque fraudulenter cepit, totamque urbem Romam; ac per dies plurimos homines ſuos ita arctius retinere fecit, ut nec proceres Romanorum, nec epiſcopi, & ſacerdotes, neque etiam familiares noſtri ad nos niſi maxima ſupplicatione exeundi facultatem haberent. Cibaria etiam noſtra nobis venire inſtantiſſime prohibebant. Venerabiles item epiſcopos, presbyteros atque diaconos religioſos monachos cum hymnis & canticis ſpiritualibus, ſacriſque litaniis ad eccleſiam principis apoſtolorum venientes, heu proh dolor! more paganorum conturbaverunt, & fuſtibus cædentes nequiter diſperſerunt, non ſinentes illos exire, debitumque Deo ſacrificium offerre. Inimicos quoque, atque infideles S. Romanæ eccleſiæ & noſtros, quos una cum veſtro conſenſu & ſubſcriptione bis ac tertio jam excommunicatos damnatoſque habemus, ſuper nos temere conduxit: eoſque in urbe Roma ſine noſtra voluntate immiſit. His itaque nos præjudiciis, & injuriis multiplicibus gravati, cum tota ſede apoſtolica triſtes adeo per dies multos extitimus, ut nequaquam nobis aliud agere niſi flere liceret: nam ipſis diebus nec veſtis fuit ſuper altare ſancti Petri, nec aliquod ibi nocturnum vel diurnum officium ex more celebratum. Nunc etiam minatur nobis pejora inferre, niſi ejus obtemperemus humiliter voluntati. Unde ſanctitatem veſtram pio fraternæ dilectionis affectu conjunctam hortamur, ut pro tantis afflictionibus, & miſeriis capiti noſtro illatis, ex totis præcordiis veſtris nobiſcum pariter condoleatis, & contra evidentiſſimum, & immanem inimicum noſtrum conſurgere toto annifu ſtudeatis. Nos namque illius non valentes ſuſtinere tantas inſidias, quia per terram ire nequivimus, per marinum iter Deo propitio in Franciam proficiſci debemus: glorioſos ſcilicet reges deprecaturi, ut eccleſiam ſancti Petri, & civitatem Romanam totius mundi caput & dominam, a tantis oppreſſionibus, & calamitatibus liberent, ſalvam & quietam ſinant manere, potentique manu ab hoſtium quas patimur inſidiis tueantur; nec nos ob aliud illuc ituros, niſi pro communi ſalute, procul dubio credite. Sed ſicut veridico mul-

Aimoinus lib. v. c. 37.

(a) In editione Romana in principio hujus Epiſtolæ ſic legitur: *Ad Archiepiſcopum de Mediolano; ad Patriarcham de Foro-Julii; Ad Joannem de Papia.*

multorum relatu didicimus, cum nos de urbe A
Roma fuerimus egreſſi, cœptumque iter egeri-
mus, audimus eumdem Lambertum ſatellites ſuos
velle colligere, Romamque rurſus expugnaturum
adire. Nos vero hoc ſcientes, anathematis ſen-
tentiam in eum, & in omnes ſequaces ejus, ſi
contra urbem Romam, & eccleſiam Romanam
aliquam rurſus veniens contrarietatem, vel mo-
leſtiam, aut perturbationem inferre quolibet mo-
do præſumpſerit, in eccleſia beati Pauli doctoris
gentium protulimus. Et idcirco nullus veſtrum
ejus iniquis operibus faveat: quin potius libere
arguat, ſi apoſtolicæ ſedis vultis ſemper fulciri
auxilio. Quapropter hæc omnia, ut veſtris ſuf-
fraganeis epiſcopis cognita faciatis, incunctanter
hortamur ſanctimoniam veſtram; quatenus ipſi, B
qui membra corporis Chriſti exiſtunt, vobiſcum
pariter pro apoſtolicæ ſedis exaltatione ſtudeant
deſudare.

## LXXXV. AD BERENGARIUM COMITEM.

Rogat ut imperatori nunciet quæ a Lamberto
Romæ perpetrata ſint, detque operam
ut eum compeſcat.

*Dilecto filio Berengario glorioſo comiti regia
proſapia orto.*

LEctis nobilitatis veſtræ literis, quia ſincerita-
tem ac devotionem more ſcilicet parentum C
veſtrorum circa nos pro amore Jeſu Chriſti Do-
mini & beati Petri apoſtolorum principis reve-
rentia, vos habere ingentem reperimus; multa
veſtræ mellifluæ locutionis dulcedine ſumus om-
nino repleti, ita ut cum pſalmiſta dicere poſſi-
Pſal. 118. mus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Hu-
jus namque bonitatis decus eximium, ex mori-
bus piæ memoriæ nobiliſſimi quondam genitoris
veſtri vos trahere indubitanter cognoſcimus, qui
dignum ſemper honorem & piam reverentiam an-
teceſſoribus noſtris, ſacris videlicet pontificibus
exhibere tota mentis alacritate ſtudebat: & ideo
pulchræ juventutis veſtræ florem de radice juſta
prodeuntem Dominus exercituum pietatis ſuæ gra-
tia cuſtodiet incolumem, facietque proſpere vige- D
re in omnibus, & ad proſperum uſque finem per-
ducet. Quapropter, fili cariſſime, ſæpe voluimus
veſtræ ſcribere dilectioni, non ſolum noſtram vo-
bis ſalutem innoteſcendo, ſed & de veſtra proſ-
peritate, atque incolumitate audire cupiendo: ſed
non ſolum paganorum crebris ubique incurſioni-
bus, verum etiam Chriſtianorum inſidiis circum-
dati nequivimus. At nunc, quoniam Deo diſpo-
nente tempus evenit opportunum, excellentiæ ve-
ſtræ quæ & qualia ſumus nos cum tota eccleſia
& civitate Romana perpeſſi a Lamberto comite,
veluti filio cariſſimo & fideli amico referimus.
Cum itaque prædicto Lamberto multa quotidie
bona feciſſemus, dignumque impendiſſemus hono-
rem ſupra quam anteceſſores noſtri parentibus il- E
lius feciſſent; ipſe pro bonis mala retribuens,
collecta populi multitudine omnem territorium
ſancti Petri invaſit, & quod defendere debet ab
hoſtibus, tyrannice dominatur invaſum: venitque
Romam, & quaſi inimicus portam civitatis Ro-
manæ violenter capiens, & ſatellites ſuos per dies
plurimos retinere fecit, ac ſic tantam civitatem
invaſam retinuit: ita ſane, ut nobis apud bea-
Urbs Romæ in poteſtate Romani pontificis. tum Petrum conſiſtentibus, nullam urbis Romæ
poteſtatem a piis imperatoribus beato Petro prin-
cipi apoſtolorum, ejuſque vicariis traditam habe-
remus. Sacras autem litanias, epiſcopos, & ſa-
cerdotes, atque ſervos Dei, ex more celebran-
tes, & ad eccleſiam ſancti Petri venire volentes,
fuſtibus cædere, ac diſpergere fecit, intulitque
nobis contraria, quanta nulli præceſſorum noſtro-
rum unquam facta fuerunt: exiſtitque paratus no-
bis iterum majora inferre, cujus rei cauſa, ne-
ſcimus. Quamobrem, quia noſtrum miniſterium
eſt, pro totius Chriſtianitatis ſalute Dominum
aſſidue deprecari, ut oves, quas Chriſtus Deus
noſter nobis in beato Petro commendavit, jugi-
bus votis & precibus ad æternæ vitæ paſcua per-
ducere valeamus; voluiſſemus debitam habere
quietem: ſed illo a pravis cogitationibus, & acti-
bus ſe non retrahente, quin potius nos cum ini-
micis, & infidelibus noſtris, quos bis jam & ter
excommunicatos, & anathematizatos habemus,
juncto, rurſum turbare volente: rogamus nobili-
tatem veſtram, ut pro amore Dei, & ſancti Pe-
tri, ac noſtro, hæc omnia & Carolomanno glo-
rioſo regi & ſpirituali filio noſtro cognita facia-
tis: quatenus miſſis apicibus ſuis eum a tali præ-
ſumptione compeſcat, & quod tempore parentum
illius ſedes apoſtolica non ſuſtinuit, ejus non pa-
tiatur diebus, & veſtris ſimiliter literis eumdem
admonete, corripiteque Lambertum, ut nullam
de cetero contrarietatem nobis ingerere præſu-
mat, eo quod nec Deo, nec alicui Deum timen-
ti, ejus temeritatis placeat effectus. Si vero idem
Lambertus nos perſequi non omiſerit, nos jam
dicto regi fideles amici eſſe quomodo poſſumus?
quia ejus ſe voluntate jactat talia agere: & ideo
nos adjuvare, ſicut ſupra dictum eſt, procurate:
nam nos ea quæ veſtræ fuerint placita volunta-
ti libentiſſime perficere ſtudebimus, eo quod vos
loco amantiſſimi filii, quamdiu vixerimus, reti-
nere, noſtræque eccleſiæ cauſas neceſſarias per vos
perficere optamus. Præterea homines veſtros,
qui orationis cauſa pro ſuis delictis Dominum mi-
ſericordem precaturi venere ad limina ſancti Pe-
tri, pro veſtro ingenti amore benigne recepimus,
noſtriſque apoſtolicis benedictionibus confirmavi-
mus, ac per eos noſtræ incolumitatis ſalutem, ſi-
cut petiſtis, cognitam fieri decrevimus; & peti-
mus ut cito nos veſtris literis lætificari non præ-
termittatis. Deus omnipotens gloriam veſtram
longa per tempora illibatam cuſtodiat, cariſſime
fili.

## LXXXVI. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Dolet Angelbergam moleſtiis affici, & queritur
de injuriis quas Lambertus eccleſiæ Romanæ
inflixit: rogat ut conſervet benevolentiam
quam erga ipſum habere ſolebat.

*Dilectæ ac ſpiritali filiæ Angelbergæ ex imperatrice
Deo dicatæ.*

QUia multum devotione & mentis alacritate Orationes pro defunctis.
dominum & ſeniorem divæ memoriæ Lu-
dovicum quondam Chriſtianiſſimum impe-
ratorem ſpiritalem filium noſtrum dileximus, nul-
latenus prætermittimus ejus memoriam in ſacris
orationibus noſtris apud Dominum quotidie face-
re & quamdiu vixerimus facturos eſſe ſcitote,
veſtrique memores dilectiſſima filia ſimiliter ſu-
mus. Nam Deo teſte veſtram proſperitatem &
ſalutem ſemper cupimus vigere incolumem & au-
dire: & ſuper tot ac tantis adverſitatibus, quas
a filiis hujus ſæculi vos ſuſtinuiſſe cognoſcimus,
ingenti vobis dolore compatimur & condolemus;
quoniam quidem paterno vos diligentes affectu
mœro-

mœrorem veſtrum noſtrum putamus, & tranquillitatem vitæ veſtræ noſtram eſſe gaudemus: quia & vos pro talibus nefandis & inauditis malis, quæ nulla veterum ſcriptura decantat, nulla hiſtoria narrat, beati Petri apoſtolorum principis vicarium a quolibet imperatore vel rege unquam ſuſtinuiſſe, nos his diebus a Lamberto Spoletano comite pati audientes, ſimili eſſe mœrore afflictos incunctanter agnoſcimus: unde veſtram hortamur dilectionem ut circa nos pium mentis affectum conſervantes, ea quæ utilitati noſtræ congrua vel neceſſaria eſſe perſpicitis, pro viribus agere non prætermittatis. Quia & nos, Deo propitio, ſecundum datam nobis divinitus poteſtatem vobis auxilium, & optatam in omnibus conſolationem conferre avide cupimus, & ſub beati Petri apoſtoli vos, ſi opus fuerit, tuitione protegere, & illæſam, ceu filiam cariſſimam, conſervare ſtudebimus; ſi ad ipſius apoſtolorum principis limina vobis venire contigerit. *Interim confortare in Domino: qui conſolatur vos in omnibus, nec patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* (1. Cor. 10.) De cetero autem ea quæ mandaſtis multis impedimentis occupati, quæ prælatus comes cum multiplicibus inſidiis nobis præparat cupitque inferre quotidie, perficere nequivimus: at Deo tranquillitatem vitamque præbente cuncta quæ veſtræ voluntati utilia ſunt, lubenti animo perficiemus, quibus veſter honor & gloriæ vigor incunctanter appareat integer. Dextera Domini vos in omnibus illæſam conſervare dignetur. Data *ut ſupra*.

## LXXXVIII. AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

Deplorat mortem Caroli imperatoris patris ejus: hortatur ut pacem habeat cum regibus conſanguineis ſuis, & eccleſiæ inimicos perſequatur, præcipue Lambertum ducem, cujus diras infeſtationes commemorat: denique in Galliam ſe venturum, ibique ſynodum celebraturum ſignificat.

*Ludovico glorioſo regi, filio divæ memoriæ Caroli II. imperatoris Auguſti.*

QUanto deinde amore dilectionis, pro tantorum bonorum virtutibus, & pro omnipotentis Dei quotidianis genitorem veſtrum dilexerimus cultibus, horum, Chriſto conſcientiæ noſtræ teſte, abſque lacrymarum effuſione factorum reminiſci nullatenus poſſumus. Et quamquam gaudendum ſit, quoniam eumdem, poſt felicis curſum operis, inter angelorum cœtum paradiſi ſuſceperint præmia vitæ perennis, flendum nihilominus convenit, quod tantum adjutorem eccleſiarum Domini diffuſarum in orbe præſentia corporali, heu proh dolor! amiſerimus. Præſertim cum hoc in tempore ſancta Romana eccleſia, mater omnium, quæ meæ mediocritati commiſſa eſt, Jeſu æterni diſpoſitione conſilii, (1. Cor. 10.) in quo, ut cum apoſtolo pace quorumcumque dixerim, fines ſæculorum devenerunt, in tot perſecutionibus atque adverſitatibus diu laceſſita, domeſticorum debacchatione fatigetur, ut cogar cum propheta erumpens exclamare: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*: (Pſal. 68. Pſal. 119.) & rurſus: *Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua doloſa.* Sed vos, fili cariſſime, hortor ac moneo paterno amoris affectu, ejus imitari in eccleſiarum exaltatione veſtigia vitæ ſpiritalis, cujus floris decore natus regia dignitate exiſtis. Primum ut pacis unitatem vincuſumque caritatis cum fratribus veſtris, nimirum Lodovici regis Bajoariorum filiis, cumque fidelibus Chriſtianis tenens, demum contra inſanientis rabiem, atque tyrannos, paterno provocatus exemplo, virtutem roboris, Chriſti auctoritate, in defenſionem matris veſtræ, a qua & potum prædicationis in proavis, & inſulam imperii accepiſtis, medullitus viriliterque effundere valeatis. Quia, quod dici ſine lacrymarum imbre nullo modo poteſt, prodiit in hoc tempore apud nos ex maſſa peccati radix ac fomes nequiſſimæ perditionis Lambertus Vvidonis quondam Spoletani ducis horrendus filius, fatemur membrum antichriſti, qui adverſatur & extollitur derogando adverſus ortum regalis progeniei, & ſe turpis lucri cupidum clandeſtina machinatione, rapacitatis ardore, nunc huc atque illuc tervigerſando, cum mœcha ſorore Rotilde, cumque complice ſuo infido Adelberto marchione, imo patriæ prædone, ad faſcem, ut vera fama volitat, impudenter, quod Deus avertat, ſuſtollere Romani imperii; & nunc, utpote abominatio deſolationis, atque perditionis filius, caput ſcorpii & aſpidis ſurdæ, deſtruit dilapidans, perque nequam ſuos diſperdit prædones omnem terminum ſancti Petri ac Pauli protectorum veſtrorum, ubi & pro qua re omnes pene noſtri fideles in paupertatem ac neceſſitatem redacti videntur, ſacramentiſque ut ſibi conſpirent, & ne ad noſtram occurrant juſſionem, omnis territorii ſanctorum apoſtolorum homines conſtringere non omiſit. Nunc etiam Tarentum legatione directa Paganis, donaque tranſmittens, atque ab eis accipiens ſuppliciter deprecatus eſt, ut ſibi, cum ſignificatum fuiſſet, phalangæ Agarenæ ad perniciem Chriſtiani populi quantocius deferant auxilia. Qualiter denique fraude nequitiæ, & per perjurium, in ſinu eccleſiæ noſtræ nos deceperit, urbemque ſacram invaſerit, hic ea ideo prætereundo ſilemus, quia in alio opuſculo ad omnium Chriſtianorum notitiam, quos idcirco anathematis vinculis innodavimus, nonnulla conſcripta teneamus. Pro qua re, domine fili cariſſime, contra nova & inaudita in Chriſtianis mala, novum jam feſſus & fatigatus certaminis laborem, navalis ſcilicet periculi, fluctuſque maris, aſſumere * deſiderans, me tantis periculis ad vos veniendo pro eccleſiarum ſanctarum omnium liberatione, juxta apoſtolum, non faciens animam meam pretioſiorem quam me. Et ecce, quantum ad mei miniſterii regimen ſpectat, non recuſo pro Chriſti Domini ovium, ope ejus, liberatione mori, detrimentumque ſufferre. Vos quæſo obnixe, vos, fili cariſſime, lacrymas meas arduumque laborem aſpicite, & ad defenſionem ſanctæ matris veſtræ, veſtrum animum fideliumque veſtrorum adhortatione continua præparate, & mecum unanimiter lupis rapacibus bacu. s redargutionis ſtudete tenere: quatenus, duce Unigeniti gratia, poſt longa temporum ſpatia, cooperatores effecti noſtri certaminis, de purpur terreni imperii ad coronam venire valeatis perpetuam: & epiſtolas reliquas, quas confratribus veſtris, Carolomanno videlicet, & Ludovico, atque Carolo juniori, dirigimus pro talium adhortatione, precamur gloriæ veſtræ decentiam, eaſdem illis ſine mora deſtinare dignemini, omnibuſque reverentiſſimis archiepiſcopis, & clero totius ordinis regni veſtri, paterna peto adhortatione ſignificari præcipite, quoniam Domino miſerante apud vos ſynodum celebraturi ſumus cunctis populis Chriſtianis perneceſſariam. Quæcumque noſſe vos cupimus, ſane deinceps ſumus acturi de negotiis eccle-

* Edit. Rom. legit *aſſumere iter de tranſmeantis periculis* &c

eccleſiaſticis. Te quoque, cariſſime fili, auctoritate ſancti Spiritus Dei noſtri, ad vicem genitoris veſtri domni Caroli perpetui imperatoris Auguſti, a ſecretis conſtituo meum conſiliarium, qui, ut dici aſſolet, pars animæ meæ fuit, & quæque agenda ſunt, coge adunaque conſilium: quia in fonte tui cordis primum intingendus calamus, deinde manus noſtra formabit characteris apices.

## LXXXVIII. AD LUDOVICUM BAJOARIORUM REGIS FILIUM.

Hortatur ad ſervandam pacem cum patruelibus: invehitur in Lambertum Spoletanum ducem: rogat epiſcopis ſignificet ut ad ſynodum accedant.

*Hludovico Bajoariorum regis filio.*

Prov. 10. SCriptum enimvero in Salomone legimus: *Filius ſapiens lætificat patrem, & eſt gaudium matris quæ genuit eum*: quapropter, quoniam te, Ludovico filio Caroli, Ludovico filio Ludovici regis, æternitatis præſcientiæ ſuæ conſilio omnipotens Deus ex regum, imperatorumque eſt dignatus producere proſapia, & tunc illum plene lætificare contenditis, ſi veſtræ matri ejuſque immaculatæ ſponſæ adverſus inſidiantium ictus, atque illius laceratores tota virtute concurritis, omni quoque nixu more parentum, proavorumque veſtrorum auxilii conſolationem conferre ſpreta perſonarum acceptione quarumlibet quantocius feſtinatis, ſancti Spiritus per Salomonem verbis teſtantibus; *Frater & amicus in anguſtiis comprobatur*: (Prov. 17.) & bene nobis filiatio adoptionis veſtræ ſpiritualis favere valebit, ſi pacis & unanimitatis cum fratribus veſtris, Chriſto opifice, concorditer tenere conſulte ſatagitis vinculum: quia in veſtra pace, fatemur, totius Chriſtiani populi ſalus conſiſtit, qua demum neceſſitate, quave fatigati anguſtia, relicta ſede propria apoſtolici culminis, compulſi ſumus Franciam petere, voſque paterno affectu depoſcere, quatenus una nobiſcum poſiti de communi ſalvatione ſanctæ Romanæ eccleſiæ & reipublicæ ſtatu tractaremus, in pauciſſimis nunc patefacimus: quia in alio opuſculo, qualiter nefarie ſit peractum, ad omnium Chriſtianorum notitiam reſervatur conſcriptum; quod luce clarius advertitis. Lambertus Spoletanus perfidus dux Vvidonis quondam ſtirps, perditionis filius, in quantam ſuperbiam pro cupiditate, ut fama vera ſe habet, Romani imperii eruperit, in noſtris tribulationibus atque anguſtiis procul dubio cognoſcetis ad liquidum: Romam ſiquidem clandeſtina fraude devotum venire ſe ſimulans, a nobis velut filius pacis benigne ſuſceptus, quid virulenti conſilii corde * geſtiens in craſtinum ſequentis diei diluculum demonſtravit: nam deputatis cuſtodibus verum etiam ſatellitibus ad portam urbis, quæ ad beati Petri apoſtolorum principis euntibus pandit iter, nullum noſtrorum fidelium ad nos egredi patiens, cibos deferentes coercens, aſſerit Carolomannum regem ſibi talia horrenda facere præcepiſſe. Quod idcirco non poſſumus credere: quoniam ex veſtra progenie nullus cervicem ſuperbe contra hanc extulit ſedem: ſed propter Deum ſuppliciter colla ſubmiſit. Nos fili cariſſime pro Domini eccleſia & ejus ovibus animam ponere cupientes, ecce marinos fluctus undaſque ſalis ad vos veniendo per difficile iter aſſumpſimus, vobiſcumque ſimul poſiti Domino miſerante univerſalem ſynodum celebrare diſponimus totius ſanctæ eccleſiæ, vobis obſecundantibus, provectum, & exaltationem loco percongruo ſatagemus peragere. Quod quæſo regni veſtri omnibus archiepiſcopis, coepiſcopiſque noſtris innoteſcere dignemini, eoſdemque nobis adeſſe, continua maturitate accelerare monete. Data *ut ſupra*.

* f. gereret.

## LXXXIX. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Ejuſdem pene argumenti.

*Dilecto filio Carolomanno glorioſo regi.*

QUanta denique exaltatione ſponſionis veſtræ ſanctam Romanam eccleſiam, videlicet matrem veſtram omniumque Chriſtianorum, quæ vos & lacte ſuæ prædicationis ab uberibus & ad imperialia a proavis ſceptra ſanguine regum excellenter produxit, ſublevare curetis; & epiſtolari textu, & internuntiis nuper ad nos directis reminiſcimur pleniter, fontemque ubertim cordis veſtri ſolita pietate parentum veſtrorum circa omnipotentis Dei famulatum miſeratione abundare reperimus: veſtrum quoque ad prædictam matrem veſtram, uti gloria culminis veſtri ſpoponderit, tanto avidius, enixiuſque quotidiana præſtolatione adventum expectavimus, quanto pro augmento mercedis veſtræ nos, noſtramque eccleſiam in tot adverſantibus laborantem, ſuper omnes imperatores atque reges, qui ante vos fuerunt, exaltare ac beatificare omnimodo promiſiſtis. Sed heu proh dolor! feſſo mihi paganorum perſecutione, ac gladio, atque * exactionis cenſus viginti quinque millium in argento mancuſorum annualiter, imo prædictæ veſtræ matri additus civilis mu[illegible]o anguſtiæ eſt, qui pene nos funditus peremiſſet, niſi ſubita miſeratione illius ſolaremur auxilio, qui fidelibus pollicens inquit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. (Matth. 28.) Exierunt quidam ex nobis, ſed non fuerunt ex nobis, confitemur * neque ex nobis, qui tanta Romanam eccleſiam dehoneſtatione, urbemque ſacram, nos quoque fatigaverunt atque oppreſſerunt, ut ſimile, nec in Chriſtianis regibus factum reminiſci ullo modo poſſit. Lambertum fateor, atque Adelbertum electos marchiones, qui hoſtili manu occultaque fraude qualiter nos affecere, culminis veſtri gloriam latere nulla potuit ratione: quod ad omnium veſtrum notitiam in ſuo ſcriptum tenetur opuſculo. Nobis enimvero ad vos inter cetera mala iter clauſere venire cupientibus; qua neceſſitate compulſi, navale, animam præ manibus habentes, aſſumpſimus laborioſe periculum, & commodum duximus Franciam ire, veſtramque fraternam compagem in pacis & unanimitatis vinculum conſolidare: veſtræ matris ſæpe dictæ liberationem ſanctæ Romanæ eccleſiæ neceſſario quærere. Vos ſiquidem illuc, omneſque veſtrorum regnorum epiſcopos ad ſynodum celebrandam venire hortamur. Data de civitate Genuenſi, & directa gloriæ veſtræ per Anſpertum Mediolanenſem confratrem & coepiſcopum noſtrum.

* Præſentem latorem Petrum cardinis eccleſiæ noſtræ presbyterum gloriæ veſtræ plurimum commendamus, eumque ad nos quæſumus cum veſtris miſſis, atque opitulatione feſtinanter remittite. * Sabbatinum epiſcopum primum & poſtea per Anſpertum Mediolanenſem, de qua multum miramur, cur non jam a vobis reſponſum vel miſſos accepimus: nos cum foret poſſibile primum, ſaltim per legatos vobiſcum loqui cuperemus: deinde cum reliquis fratribus veſtris: quod quia veſtra infirmitate, quam nimium dolemus, eſt

* Forte exactione. H.

* Forte melius, neque ex vobis. H

* Forte [illegible] epiſtolæ.

* deſunt aliqua.

eſt prætermiſſum, nunc apud Trecas, Chriſto opitulante, ſynodum ſumus celebraturi, loquemurque cum Ludovico, & reliquis veſtris fratribus, & poſt Kalendas Auguſtas ad vos revertemur: tantum locum nobis dicendo ad tempus mandate, quo nobis debeatis occurrere, & laborem pro veſtra matre ſancta Romana eccleſia non recuſate aſſumere; quia *ſi fueritis ſocii laboris, ſimul eritis & conſolationis*: & in hoc quæſo perficiendo non ſit ulla dilatio. Data *ut ſupra*.

1. Cor. 1.

## XC. AD CAROLUM REGEM.

Excuſat ſe quod ad eum legatum non miſerit, intercluſa ſibi via a Lamberto ejuſque fautoribus, qui urbem Romam tenebant obſeſſam.

*Carolo glorioſo regi dilecto filio.*

IGitur gloriæ veſtræ literarum ſerie recepta & lecta, ut de more anteceſſorum regum videlicet, & imperatorum, veſtrorumque dumtaxat parentum erga Romanam eccleſiam, cujus lac veſtram prolem hactenus educaverit, in cunctis omnia vos deſiderare & aſſequi novimus; paterno affectu gratias agimus, & qualiter ſcripſiſtis imo tenemus. Ceterum pontificium noſtrum veſtra percunctari dilectio ſtuduit, cur vobis non miſimus ob quid taliter veniſſemus: Et vobis, & fratribus veſtris glorioſis regibus, antequam ex urbe exiremus, mittere voluimus, ſed officientibus Lamberto & Adelberto, fautoribuſque eorum anathematizatis, mittere nequivimus. Nec mirum, ſi ipſi nobis viam ſuſtulerint, cum & ipſius beati Petri apoſtolorum principis eccleſiam, veſtram denique matrem, & omnium Dei eccleſiarum tutricem, armis triginta diebus circumdatam tenere non formidaverint: ita ut nec ibi aliquam alicui lucernam illuminare, nec laudes Deo conferre liceret, præter poſtquam urbem exivimus; fratribus veſtris glorioſis regibus mittere ſategimus, ut vobis ſuper talibus intimaremus: ſed cum vos magis juxta audimus, ita mittere cogitavimus. Quo loco ab ipſis ſignificatur pro pacis & unitatis tranquillitatiſque omnium Dei eccleſiarum negotio; primo venimus, quo vos quatuor reges unum legitimumque velle, annuente Deo, nihilo minus faciamus, ut pſalmiſta cecinit: *Ecce quam bonum & quam jucundum eſt habitare fratres in unum*, & reliqua. Dehinc volumus ut ita conventi noſtras oppreſſiones audire compatiamini. Quapropter, fili cariſſime, quoniam te valde illuxit *. Data *ut ſupra*.

Pſal. 132.

* Deeſt aliquid.

## XCI. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Scribit in anniverſario die Ludovici ejus viri ſacra pro eo ſe facturum, rogat ut in ſui defenſione perſeveret; & ſynodum Trecis ſe habiturum ſignificat.

*Dilectæ filiæ Angelbergæ imperatrici divæ memoriæ quondam domni Ludovici piiſſimi imperatoris conjugi.*

QUia intimaſti pontificio noſtro anniverſalem magnæ recordationis domni Ludovici imperatoris fieri, & ut pro eo proprias orationes celebraremus rogaſti; gaudemus, & impigre ſuo pro merito modis omnibus faciemus. Ceterum rogamus, ut, ceu hactenus in noſtris fuiſtis ſolicita, haud ſecus & nunc & perpetuo eſſe, prout credimus, non differatis: quatenus veſtro labore veſtroque conſulto cito ad propriam ſedem, ut congruit, cum gaudio per merita apoſtolorum principum reverti mereamur. Porro vos ſcire cupimus quia apud Trecas in Kalendis Auguſti una cum rege Ludovico imperatoris Caroli filio, & cum univerſis Galliæ epiſcopis ſynodum univerſalem celebrabimus: dehinc Carolomannum regem, ſuoſque germanos alloquemur, ut pari omnium conſilio conſolationem noſtræ eccleſiæ reperiamus.

## XCIII. AD EAMDEM.

Arelatem ſe veniſſe ſignificat, ibique omnia proſpera reperiſſe: hortatur ut Romanæ eccleſiæ commodis proſpiciat.

*Dilectiſſimæ filiæ domnæ Andelbergæ imperatrici piæ memoriæ domni Ludovici invictiſſimi imperatoris conjugi ſereniſſimæ Auguſtæ.*

CUm erga Romanæ eccleſiæ privilegia immenſo velle, immenſo & opere decus imperii veſtri decertare, & ad perfectum ducere ſemper * adhaurimus & amemus, Chriſto favente, perpetuo magnitudinem tantæ veſtræ devotionis ſcire cupimus: Ecce Arelatem regni delitiarum veſtrarum ſani intravimus, ſummo arbitre permittente, per interceſſionem apoſtolorum principum: illicque Boſonem principem generum veſtrum, communem & filiam domnam Hermengardam alloquentes, omnia proſpera & jugiter deſiderata invenimus, & pro amore veſtro, veſtri nuper & piiſſimi conjugis, illos tamquam filios amplectentes, pro eorum conſulto, illorum cum honore cuncta faciemus: quoniam ceu per vos, haud ſecus per iſtos conſolationem & defenſionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ quærimus, eoſdemque permiſſu Dei ad majores excelſioreſque gradus modis omnibus, ſalvo noſtro honore, promovere nihilo minus deſideramus: Quapropter monentes hortamur ut tanto labori faveatis, ejuſque perfectionem, priſco veſtro conſilio perfruentes, certis literis per ſingula nobis, & illis ſine mora intimare minime differatis. Ceterum rogamus, ut Joanni archiepiſcopo Ravennati mittatis epiſtolas ex noſtra parte conſolatorias, incitantes ut pro nobis orationes faciat, & contra Dei inimicos ſe præparare nequaquam formidet, & noſtris fidelibus Romæ legatos conſolando tranſmittat: & vos, ſi fas eſt, aut mihi apud vos eſt impetrandi facultas, Leoni epiſcopo miſſo & apocriſiario noſtro, & Petro, ſuper iſta, ceteriſque fidelibus literas veſtras mittite, conſortantes ipſos ut ſcitis & vultis.

* for. amaverimus, aut anhelaverimus.

Hermengarda, ſive Hermingardis filia Ludovici II. imperatoris meminit Regino lib. 2. chron. Aimoinus l. 5. c. 32.

## XCIV. AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM. (a)

Suas illi vices in Gallia, & pallii uſum concedit.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo fratri Roſtagno archiepiſcopo Arelatenſi.*

O Quam bona eſt caritas, quæ abſentia per imaginem præſentia ſibimetipſi exhibet per amo-

S. Gregorii l. 4. epiſt. 50.

(a) In editione Romana & ex ea in collectionem epiſtolarum Joannis VIII. hujus epiſtolæ portio incipiens ab *itaque fraternitati* &c. ponitur tamquam nova epiſtola ad Archiepiſcopum Arelatenſem miſſa. Illam nos in hac collectione omiſimus tamquam ſupervacaneam. *Manſi*.

amorem! diviſa uni., conf. ſa ordinat, inæqualia A ſociat, imperfecta conſummat; quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat: *Coloſſ. 3.* quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, ſed tamen eas caritas etiam ligat, ut ab amantis mente diſſolvi jam nequeat. Hac itaque virtute, frater cariſſime, plenum te eſſe reperiens, cum pro ſanctarum Dei eccleſiarum reſtauratione in Arelatenſium civitate corporalem præſentiam exhibuiſſem, ſicut mihi de te multorum teſtimoniorum fama vera longe lateque narraret. Quod vero juxta antiquum morem uſum pallii ac vices ſedis apoſtolicæ poſtulaſti, abſit ne aut tranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus noſtris ac pallio quæſiſſe te ſuſpicer. Sed quia cunctis liquet, unde in Gallia- B rum regionibus fides ſancta prodierit, cum priſcam conſuetudinem ſedis apoſtolicæ veſtra fraternitas repetit, quid aliud quam bona ſoboles ad ſinum matris recurrit? Libenti ergo animo poſtulata concedimus ne aut veſtræ eccleſiæ quidquam de debito honore ſubtrahere, aut condignam petitionem veſtri contempſiſſe videamur. Sed jam nunc ſtudio majore res indiget, ut cum honor creſcit, etiam ſolicitudo proficiat, & erga ceterorum cuſtodiam vigilantia excreſcat: vitæ quoque merita ſubjectis in exemplum veniant, & nunquam ſua per ſuſcepti honoris gratiam, ſed lucra cæleſtis patriæ veſtra fraternitas exquirat. Noſtis enim quid beatus apoſtolus gemens dicat: *Philip. 2.* *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt* C *Jeſu Chriſti*. Quibuſdam namque narrantibus agnovi, quod in Galliarum vel Germaniarum partibus nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi datione perveniat. Quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuncio, quia cum ſacerdotalis ordo intus cecidit, *Matth. 21.* foris quoque diu ſtare non poterit. Scimus quippe ex evangelio quid redemptor noſter per ſemetipſum fecerit: quia ingreſſus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere eſt de ſancto Spiritu, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo ut prædixi malo jam innuitur quid ſequatur, quia in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt, eorum Deo judice cathedræ D ceciderunt, qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam ipſe quoque qui pretio ad ſacrum ordinem perducitur, jam in ipſa provectus ſui radice vitiatus, paratior eſt aliis venumdare quod emit. Ubi eſt quod ſcriptum *Matth. 10.* eſt? *Gratis accepiſtis, gratis date*. Et cum prima contra ſanctam Dei eccleſiam Simoniaca hæreſis ſit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat? Itaque fraternitati tuæ vices noſtras in eccleſiis quæ ſub regno Galliarum ſunt juxta antiquum morem Deo auctore committimus: ſingulis quidem metropolitis ſecundum priſcam conſuetudinem proprio honore ſervato. Pallium quoque conceſſimus quo E fraternitas tua decoretur. Sicubi autem longius epiſcoporum quiſquam pergere forte voluerit, ſine tuæ ſanctitatis auctoritate ei ad loca alia tranſire non liceat. Si qua vero inquiſitio de fide, vel fortaſſe aliarum rerum inter epiſcopos cauſa emerſerit quæ diſcerni difficilius poſſit, collectis duodecim epiſcopis ventiletur atque decidatur; ſin autem decidi nequiverit, diſcuſſa veritate ad noſtrum judicium referatur *. Proh dolor! cum in Galliæ partibus eſſemus, inter cetera unum valde prohibendum invenimus: metropolitæ, antequam pallium a ſede apoſtolica ſuſcipiant, conſecrationem facere præſumunt: quod anteceſſores noſtri & nos canonico decreto ne fieret interdiximus. Unde fraternitatem tuam ſanctam per Galliam noſtram vicem tenentem hortamur, quatenus ſuper hoc ſolicitudinem habeas, & ne iſtud adoleat, auctoritate prohibeas: & ut ſecundum antiquum morem quærere feſtinent moneas, incites, atque præcipias: & ſi ipſi obediant, nec ne, noſtro apoſtolatui ſuper omnia renuncies, ſi poteſt in nativitate apoſtolorum, aut per vos, aut per noſtrum legatum aliquem certis literis intimare ne differas. Omnipotens autem Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honoremque perceptum vos in moribus ſervare concedat. Data *ut ſupra*.

* *Huc uſque S. Greg.*

## XCV. AD UNIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

Ut Roſtagno Arelatenſi epiſcopo, cui vices ſuas in Gallia commiſit, omnes obediant.

*Omnibus reverentiſſimis & ſanctiſſimis epiſcopis & fratribus per Gallias conſtitutis.*

AD hoc divinæ diſpenſationis proviſio gradus *S. Gregorii lib. 9 ep. 52.* & diverſos conſtituit ordines inter ſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus diligentiam impenderent, una concordiæ fieret a diverſitate contextio, & recte officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim univerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi hujuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſervaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non poteſt, cæleſtium militiarum exempla nos inſtruunt: quia dum ſint angeli, ſint archangeli, liquet quia non æquales ſunt, ſed in poteſtate & ordine, ſicut noſtis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui ſine peccato ſunt, iſta conſtat eſſe diſtinctio, quis hominum abnuat huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere, cui novit etiam angelos obedire? Hinc etenim pax, & caritas mutua ſe vice complectitur, & manet firma concordiæ in alterna & Deo placita dilectione ſinceritas. Quia igitur unumquodque tunc ſalubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem poſſit recurri præpoſitus: idcirco opportunum eſſe perſpeximus, in eccleſiis quæ ſub regno Galliarum ſecundum antiquam conſuetudinem ſunt, fratri noſtro Roſtagno Arelatenſis civitatis epiſcopo vices noſtras tribuere: quatenus & catholicæ fidei integritas, id eſt ſanctarum quatuor ſynodorum, Deo protegente ſolicita devotione ſervetur; & ſi inter fratres conſacerdoteſque noſtros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis ſuæ vigore, vicibus nempe ſedis apoſtolicæ functus, diſcreta moderatione compeſcat. Cui etiam injunximus, ut ſi quarumdam cauſarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præſentia opus ſit, congregatis ſibi numero competenti fratribus & coepiſcopis noſtris, ſalubriter ſervata hoc æquitate diſcutiat, & canonica auctoritate definiat. Si quam vero contentionem, quod longe faciat divina potentia, de fidei cauſa evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine judicio ſedis apoſtolicæ indigeat, examinata diligentius veritate relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari. Cui etiam injunximus, ut nullum archiepiſcopum in his partibus ſine pallio a Romano pon-

pontifice directo conſecrationem facere permittat. & facientes noſtra auctoritate arguat. Et quoniam neceſſe eſt, ut ad eum cui noſtras vices indulſimus, quoties oportere perſpexerit, pro facienda collatione aptis debeant epiſcopi temporibus convenire; hortamur ut nullus mandatis ejus inobediens eſſe præſumat, nec communi congregationi intereſſe poſtponat, niſi aut corporis infirmitas quempiam fortaſſe vetuerit, aut cujuſdam eum cauſæ juſtæ excuſatio minime venire permiſerit. Hi tamen qui prohibente aliqua neceſſitate nequierint in ſynodum convenire, loco ſuo presbyterum aut diaconum dirigant: quatenus quæ a noſtro vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum, qui abſens eſt, per ipſum quem miſerit, fida relatione perveniant, ut inconvulſa firmitate ſerventur, & nullius ea audeant occaſionis excuſatione violare. Hoc etiam vos pariter prævidimus admonendos, ut nullus veſtrum ad longinquiora loca ſine præfati fratris & coepiſcopi noſtri Roſtagni auctoritate tentet aliquo modo proficiſci: ſcientes quia & prædeceſſorum noſtrorum, qui vices ſuas ejus prædeceſſoribus conceſſerunt, ſic procul dubio mandata definiunt. Hortamur præterea ut de officio ſuo ſit quiſque veſtrum ſolicitus, & qui promiſſam cupit patriæ mercedem portionis accipere, commiſſum ſibi gregem ſolicitudine & oratione cuſtodiat: ne lupus inſidians oves creditas invadendo dilaniet; & ſit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres cariſſimi, & totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, ut dilectionem veſtram boni amoris ſui conſtantia faciat magis magiſque ferveſcere, atque in pace eccleſiæ & una vos concedat manere concordia. Nunciatum vero nobis eſt quia per Simoniacam hæreſim ad ſacros ordines quidam adducuntur, & hoc ſancto fratri & coepiſcopo noſtro Roſtagno per omnia prohibendum mandavimus: quod ut fraternitas veſtra cognoſcat & cuſtodiat, ipſa vobis eſt epiſtola relegenda. Data *ut ſupra*.

## XCVI. AD ISAAC EPISCOPUM LINGONENSEM.

Ut Trecas ad ſynodum veniat, & Cabilonum aliquos mittat qui pontificem eo deducant.

*Reverentiſſimo Iſaac venerabili epiſcopo Lingonenſi.*

QUod ſanctitati tuæ notum eſſe non ambigimus, pro ſanctarum eccleſiarum ſtatu ad Galliarum partes devenimus. Quapropter, Domino auxiliante, apud Trecas ſynodum ſumus celebraturi, ad quam ſanctitatem tuam volumus omnino adeſſe. Prius tamen venerabilitas tua nobis miſſos Cabilonum dirigere ſtudeat, qui iter noſtrum recto tramite ad prædictum dirigant locum: & per parochiam veſtram nobis congruas manſionaticas præparate, id eſt in villa Marmania, in pago Alhenſi. Data *ut ſupra*.

## XCVII. AD OMNES CHRISTIANOS.

Excommunicat eos qui ſibi equos & argenteum vas furati fuerant, niſi intra tres dies reſtituant.

*Omnibus epiſcopis, comitibus, & cuncto populo Chriſtiano.*

NOtum ſit quia dum pro pace & unitate ſanctarum Dei eccleſiarum in Gallias veniſſemus, apud Cabilonum civitatem ad injuriam ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtram, multam inhonorationem ſuſtinuimus. Inter quæ equi noſtri nocturno ſilentio noſtris hominibus ſecure quieſcentibus, a concivibus prædictæ civitatis latrocinanter furati ſunt. Quapropter nos, qui ſecundum officium miniſterii noſtri pullulantia vitia gladio ſpiritali reſecare mature debemus, hoc malum cæleſti mucrone percutimus: ita ut niſi prædicti equi, & alia furta, noſtris hominibus intra tertium diem reddita fuerint, prædictos fures, cum omnibus conſentaneis ſuis, eo quod latronibus latebras præbeant, & excommunicabimus, & anathemati ſubmittemus. Inter hæc Aduvardum presbyterum, qui nobis in monaſterio Flaviniaco miniſtravit, cujus homines ſcutellam argenteam ſancti Petri, neſcio utrum conſenſu illius, an non, furati ſunt, pro ſacrilegio furti excommunicamus, & pari ſententia ut ſupra, niſi eam reddiderit, conſtringimus. Data *ut ſupra*.

## XCVIII. AD EPISCOPOS SUFFRAGANEOS ARCHIEPISCOPI ARELATENSIS.

Jubet ut cum archiepiſcopo ſuo, ſimul ac vocati fuerint, ad Trecenſem ſynodum veniant.

*Omnibus venerabilibus epiſcopis ſuffraganeis coepiſcopi & confratris noſtri Roſtagni Arelatenſis.*

NOtum ſit omnium ſanctitati, quia Domino opitulante perneceſſariam univerſam ſynodum ſumus celebraturi: ad quam, mox ut vos prædictus archiepiſcopus veſter apoſtolatus noſtri literis convocaverit, omni poſtpoſita occaſione, obedientiæ vicino greſſu occurrere ſatagatis: quoniam ſicut in communi conventu, gratia Chriſti duce, paternis parentibus juſſis erit exaltatio; ita, quod non optamus, ſubtrahentibus ſe ab hoc magno collegio eſt ſubſecutura confuſio. Apud urbem Lingonenſem IV. Non. Junias. *Similiter Otteramno archiepiſcopo Viennenſi, Aureliano archiepiſcopo Lugdunenſi, Rotberto archiepiſcopo Aquenſi, Teutranno archiepiſcopo Tarantaſienſi, Sigibodo archiepiſcopo Narbonenſi; Ariberto archiepiſcopo Ebredunenſi.*

## XCIX. AD DIVERSARUM SEDIUM ARCHIEPISCOPOS.

*Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi, Anſegiſo archiepiſcopo Senonenſi, Frotario archiepiſcopo Bituricenſi, Jo: archiepiſcopo Rothomagenſi, Adelardo archiepiſcopo Turonenſi, a paribus.*

CAnonica inſtituta ſervantes, oportet nos, quotieſcumque eccleſiæ ingerunt paſſiones, ſacerdotum collegia aggregare, ut his ſimul convenientibus, ſalubre univerſæ eccleſiæ concilium, & totius Chriſtianitatis fidem eidem imponant, & æquitatum omnium * moderamina queant congrue dilaniari. Idcirco veſtram hortamur ſanctitatem, dum de Ludovici glorioſi regis adventu audieritis, quando ad nos venire conaverit, in eo loco celebraturi concilium incerte tenemus, ſed vos audientes comperietis, mox ut præſentes ſuſceperitis noſtras apoſtolicas literas, omni mora ſepoſita ad nos venire non differatis. Ita profecto de veſtræ unanimitatis & pacis concordia mentis jucunditas uberius multiplicetur, ut conventus univerſorum, & veſtræ devotionis concurſus, nec ſolum ad favorem hominum, ſed eccle-

* *al.* moderamine q. c. dilimari, *id eſt* examinari.

eccleſiis ad laudem potiſſimum proficiat creato- A ris. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data IV. Idus Junias, ind. XI. An. Chr. 878.

## C. AD TEUTRANNUM TARANTASIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Monet ut ſibi cum ſuffraganeis ſuis obviam veniat, & Adalbertum ſynodo adeſſe jubeat, ut rationem reddat eorum de quibus Bernarius epiſcopus queſtus fuerat.

*Venerabili archiepiſcopo Teutranno.*

MIramur fraternitatem tuam, cur noſtrum in has partes audiens adventum, nos ob re- B verentiam beati Petri apoſtolorum principis, & noſtram, more ceterorum venerabilium archiepiſcoporum minime conſolari & occurrere ſtuduiſti. Qua admiratione jam diu ſuſpenſi, monemus fraternitatem tuam, ut nobis citius occurrere cum tuis ſuffraganeis, quos tecum adducere præſentialiter poteris, non differas, ut ſimul de utilitate eccleſiæ tuæ tractare valeamus. Innoteſcimus denique, quia venerabilis frater & coepiſcopus noſter Bernarius, noſtram nuper adiens præſentiam, reclamavit ſe ſuper fratre Adalberto ſuffraganeo tuo, de quo jam Romæ proclamaverat, & libellum ſuæ reclamationis oſtenderat. Unde tibi, & Viennenſi archiepiſcopo, epiſtolas direximus, ut amborum querimonias ventilantes, C quæ canonum ſunt inſtituta dijudicaretis: inſuper Arelatenſem archiepiſcopum, Valentinenſem quoque & Vivarienſem epiſcopos, huic aſſertioni teſtes adeſſe juſſimus. Sed quia variis præpedientibus cauſis hactenus eorum indiſcuſſa manet cauſatio, jam præcipimus monendi auctoritate, ut ubicumque a nobis fuerit ſynodus indicta, canonice eum tibi adeſſe jubeas, paratum in omnibus ad rationem reddendam. Quod ſi defuerit, vide ne ejus in te retorqueatur ſententia: ipſe vero ſciat, a ſe de abſentia ſua lucrum non percipiendum. Data *ut ſupra*.

## CI. AD HINCMARUM RHEMORUM ARCHIEPISCOPUM.

Ut ad ſynodum Trecenſem abſque mora cum ſuffraganeis ſuis veniat.

*Hincmaro venerabili Rhemorum epiſcopo.*

FAma tuæ fraternitatis longo exacto jam tempore bona notitia nos quoque celeberrime lætificavit: quantoque te deſiderio contemplari cupimus, explicare verbis nullatenus poſſumus, præſertim cum cauſa exigendæ utilitatis eccleſiaſticæ petere has partes decreverimus. Quapropter præſentiam religioſæ ſanctitatis veſtræ diu deſideratam miramur a te nobis hactenus dilatari. Unde apoſtolica atque paterna auctoritate monemus, ad E ſynodum præſentem, quam Deo auctore Trecis ſumus celebraturi, abſque mora cum cunctis ſuffraganeis diœceſeos veſtræ ſtudeatis occurrere. Ad locum prænominatum iterum iterumque hortamur omni poſtpoſita tarditate quantocius properate venire, quoniam antequam ipſe nobis carior atque utilior veneris, ſanctarum Dei eccleſiarum cauſas tractare differimus. Tantum monemus, rumpe moras, & ſatage properare celerrime, atque agiliter. Data *ut ſupra*.

## CII. AD MIRONEM ET HUNCFRIDUM FRATRES.

Mironem & Huncfridum multorum ſcelerum reos ad ſynodum venire jubet.

*Mironi & Huncfrido germano ſuo.*

QUanta ad apoſtolatum noſtrum relatione quarumdam tranſgreſſionum veſtrarum mala atque perverſa fuerunt nunciata, hæc fateor lacrymabiliter nominamus, apoſtolicaque auctoritate citiſſime corrigenda jubemus, ſi ſancti Spiritus poteſtate non vis tu, Miro, merito nequitiæ tuæ ab omni conſortio Chriſtianitatis ſeparari, & infernis flammis in perpetuum condemnari. Septimaniæ terram univerſam redegiſti in ſolitudinem: eccleſias, ut aſſerunt, miniſtris expoliaſti: caſtella ipſius terræ callide ac fraudulenter invaſiſti. Qua compulſi neceſſitate homines Bernardi glorioſi marchionis, cum multitudine hominum tuæ rabiei occurſando, aliqua in eadem terra perperam egerunt: ut velut Jeroboam filius Nabath, 3. Reg. 14. qui peccavit & peccare fecit Iſrael, auctor omnium peccantium exiſtas. Ideoque ad univerſalem ſynodum noſtram, quam Deo auctore in proximo ſumus celebraturi, Lugdunum venire te occaſione omni poſtpoſita volumus, ſi funditus, ut dictum eſt, non vis gladio divino mulctari. Lindoinum quoque vicecomitem audimus poteſtate, uti horrende denuncio, uti ſacerdotali in parochia Sigebodi Narbonenſis archiepiſcopi, presbyteroſque tuos in ejus exteris ſubrogare eccleſiis. quod concite tuæ vitæ conſulentes corrigere & emendare mandamus. Te vero Huncfridum ex diaconatus officio, & venerabili monachico habitu, apoſtatam audimus & dolemus effectum. Quapropter vel ſera te pœnitentia per Domini miſericordiam libera, & ad monaſterium quanto citius confuge: vel ſi de tua confidis conſcientia, ad ſynodum noſtram de illatis tibi atque objectis te purgandum occurre: ne ſi prætermiſeris, anathematis vinculo, utpote apoſtata & rebellis, alligeris. Data *ut ſupra*.

D

## CIII. AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM.

Ut ad ſynodum cum ſuffraganeis ſuis quamprimum veniat.

*Roſtagno venerabili archiepiſcopo Arelatenſi.*

QUia omnipotentis Dei miſeratione univerſalem ſynodum ſumus celebraturi in proximo, te, omneſque tuos coepiſcopos ſuffraganeos, volumus, auctoritate apoſtolica admonemus, expreſſeque mandamus, ad hanc omni poſtpoſita occaſione quantocius præſentare, exceptis eis obſtaculis, quibus remorandi licentiam ſacri canones tribuunt. Alias, quod non optamus, quicumque ſe a tanto hac vice collegio ſubtraxerit, particeps de reliquo noſtræ communionis eſſe nullatenus valebit. Data *ut ſupra*.

## CIV. AD PROTARIUM ARCHIEPISCOPUM.

Ut ad ſynodum cum ſuis ſuffraganeis Trecas veniat.

*Frotario venerabili archiepiſcopo Biturigenſi*

AUditis denique deploratione atque anguſtia literis tuæ fraternitatis, quæ vobis ab hominibus Bernardi comitis ſunt illatæ, recens dolor priori eſt augmentatus, & quod tibi ſedis tuæ aditus clauſus, mihimet ipſi id reputo. Hortamur interim dilectionem tuam patienter ſufferre, & ad Trecas cum fratrum coepiſcoporumque noſtrorum collegio diœceſeos tuæ ad ſynodum Domino cooperante celebrandam quantocius properare. Ludovici regis amantiſſimi filii noſtri adventum præſtolamur quotidie, inhianterque deſideramus. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data *ut ſupra*.

## CV. AD BERNARDUM MARCHIONEM.

Monet ut Frotario aditum ad ſuam ſedem patere faciat.

*Dilectiſſimo filio Bernardo nobiliſſimo marchionum.*

QUia tempore nonnullos diligimus ſpecialius, idcirco in his quæ nobilitatem veſtram Deum offendere cognoſcimus, vos paterno increpamus affectu: præſertim de cauſa Frotarii venerabilis epiſcopi, cui, ut audimus, veſtri homines iter civitatis ſuæ, ne ad ſedem ſuam ingrederetur, temerarie clauſerunt. Epiſcoporum judicium, fili cariſſime, ſuo tantummodo Dominus ſervavit arbitrio, nec de epiſcopis vult laicos judicare; unde monemus dilectionem tuæ caritatis, ut quidquid in hac cauſa prædicti epiſcopi deliquiſtis, ſub celeritate & legaliter emendare ſtudeatis: quia nos illud, non pro digna emendatione, inultum remanere nullo modo patimur officio ac miſterio ſacerdotali. Optamus nobilitatem veſtram bene valere. Data *ut* D *ſupra*.

## CVI. AD ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Ut Ludovicum Germaniæ regem, ejuſque fratres adhortetur ut ad ſynodum veniant, aut legatos mittant.

*Venerabili archiepiſcopo Liutberto Moguntino.*

ECcleſiaſtica exigente utilitate, quoniam Deo duce cauſæ ad Galliarum partes venire commodum duximus; quapropter fraternitatem veſtram neceſſario commonere ſtudemus, ut ſecundum cælitus ſibi ſapientiam datam frequenti adhortatione ſuggeras Ludovico regi, aliiſque confratribus, ut ad noſtræ mediocritatis colloquium, atque generalem ſynodum, juxta Chriſti voluntatem, apud Trecas congregatam, venire non omittat, vel ſi aliqua neceſſitate prædictus rex præpeditus fuerit; &, ut non optamus, properare diſtulerit ad locum prædictum, quo cum Ludovico rege locuturi ſumus, nomine tenus deſtinet: quatenus ſub cuncta celeritate regum filiis congregatis, totius Chriſtianitatis, Dei gratia duce, conſulere communiter valeamus utili-

A tati. *Similiter VVilliberto archiepiſcopo Agrippinæ, VVittecherio venerabili epiſcopo, & Bertulfo archiepiſcopo Trevirenſi.* Data *ut ſupra.*

## CVII. AD SUPPONEM COMITEM.

Agit gratias de fidelitate erga Romanam eccleſiam: quædam apud Carolomannum facienda injungit.

*Dilecto filio Supponi glorioſo comiti.*

PRimum quidem devotioni veſtræ magnas gratias agimus, quia priorem fidelitatem, quam circa ſanctam Romanam eccleſiam habueras, in B ſequentibus quotidiano labore opere admonſtrare non deſinis. Nos quoque præ omnibus vos diligentes, veſtris potius conſiliis præ cunctis acquieſcimus. Tantum vobiſcum Anſpertum & VVibbodum epiſcopos aſſumite: & apud Carolomannum regem omnia noſtra ordinabiliter ponite. Hoc tamen ſummopere cavete, ne aliqua fraudis aſtutia decipiamur: & quidquid ex hoc facietis, ſub omni feſtinatione facere accelerate: mihi tempus & locum denunciate, quo occurrere debeatis ad nos recolligendum: & ne forte aliqua dubietas animo veſtro inſideat, duas mandamus epiſtolas prædicto regi, quarum unam vos legite, ut cognoſcatis quod continet, quam aut ipſe deferas volumus, aut per idoneum ho- C minem veſtrum tranſmittas: quia nos in hac terra ſtare non poſſumus niſi uſque in Kalendas Auguſtas; quia poſtquam in terram hanc venimus, cum Hludovico rege loqui debemus. Feſtina quantocius, ſicut ſolitus es, noſtræ eccleſiæ cauſam peragere, ut apud Dominum merces veſtra copioſe accreſcat. Data *ut ſupra*.

## CVIII. AD LIUTBERTUM ARCHIEPISCOPUM.

Monet ut Boſonis filiabus hæreditatem reſtitui faciat.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Liutberto archiepiſcopo.*

FRaternitatem tuam recordari volumus, qualiter jam de proprietatibus Boſonis & Engeltrudis tibi ſcripſerimus, monentes ut ipſas, quas vos allodum dicitis, filiabus eorum ſæpe reclamantibus reddere deberetis: quoniam omnium legum auctoritate legitimi filii ſunt veri hæredes, ut veſtra bene noſcit religioſitas, iterumque hortantes monemus, apoſtolicaque auctoritate expreſſe jubemus; jam quia noſtras literas audire diſtuleras, & ſi per his hactenus reſpondere neglexeras, volumus, ut ad cor rediens, ipſas ſæpe reclamatrices, aut homines ipſarum inveſtire de jam dictis proprietatibus ſatagas, E veſtroſque earum, & alios invaſores ſimiliter ſacturos, noſtra auctoritate excommunicando permoneas: quoniam juſtus Dominus juſtitiam dilexit, & æquitatem vidit vultus ejus. Et ſi forte ſpurius Godefredus, aut aliquibus ipſa mœchans Engeltrudis, ſine viri conſenſu quoquomodo donaverit, contendere voluerit; noſtra apoſtolica auctoritate, donec reddiderint, quia ſancientibus Joanne papa Romano & Juſtiniano imperatore ſcriptum eſt, ſpurios ſatis injurioſos, ſatiſque acerbos, & noſtris temporibus ſemper indignos eſſe dijudicamus: quapropter convenit reverentiam veſtram illum ſemper monere. Por-

In authen. de hære. ab inteſ. ven. §. 1.

Erat adulterium delatum in judicium, ut ex epiſt. 109. apparet. In authen. Bona damnatorum, codice de bon. proſc. ſeu damn.

ro hortamur ut quoquomodo monuimus com- A pleas, quoniam ſi aliter feceris, ſcias te canonica damnandum cenſura, ut debeas illos excommunicare. Data *ut ſupra*.

## CIX. AD MATFREDUM COMITEM.

Monet ut Boſonis comitis filiabus hæreditatem reſtituat.

*Matfredo illuſtri comiti.*

SUggerentibus videlicet filiabus Boſonis nuper comitis, & Engeltrudis conjugis, proximæ veſtræ, audivimus ut allodes ſuos vos invadentes tenere non formidetis. Super quo miramur, B cur tantæ ſapientiæ vir hoc facere non erubeſcas. Nonne ſcitis quoniam in hæreditate ſuſcipienda omnibus cognatis præferendi ſunt filii? Illa vero mœchans alicui ſine conſenſu viri ex his aliquid dare nequivit omnium legum auctoritate. Unde vos monemus, hortamur, apoſtolicaque auctoritate jubemus, ut ipſas proprietates illis filiabus eorum reddere pro reverentia principum apoſtolorum, a quibus per me petiere auxilium, minime differas: quoniam ſi aliter feceris, ſcias te canonica feriendum cenſura. Data *ut ſupra*.

## CX. AD THEODORICUM ARCHIEPISCOPUM BISUNTINENSEM.

C

Jubet ut quamprimum veniat, & epiſcopum in eccleſia Lauſanenſi, propter electorum diviſiones, priuſquam una colloquantur, ordinari vetat.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo Theodorico archiepiſcopo Biſuntinenſi confratri noſtro.*

IGitur quia fraternitas tua, apoſtolicæ & univerſalis Dei eccleſiæ perſecutiones audiens, compati modis omnibus diſtulit, noſque, pro eo & cunctis aliis laborem ſumentes, quoquomodo viſitare neglexit, ſatis miramur, & ex parte turbamur, cum in te taliter caritatem frigere cognoſcimus. Nonne Veritas ait: *Si frater fratrem* Prov. 18 *adjuverit, ambo exaltabuntur?* & Sapientia loqui- Ibidem 17. tur: *Frater & amicus in laboribus comprobatur*. Et prædeceſſor noſter Gelaſius papa, terrendo in ſuis decretalibus, epiſcopis parvipendentibus fratrum vexationes ſcribit: Cur non compaſſi eſtis? & reliqua. Quapropter monemus, ut hactenus te negligentem pernoſcas, & ad deſpectam caritatem nihilo minus, poſtpoſitiſque omnibus curis, ad nos viſitandos una cum hoc noſtro miſſo præſentialiter venire ſatagas. Ceterum audivimus, & auditu dolemus, ut in eccleſia Lauſanenſi, quæ ſine patre nunc cernitur, ſit orta contentio, ejuſque filiorum in electione antiſtitis ſit nefanda diviſio. Unde monemus per Deum E Patrem & Filium & ſanctum Spiritum obteſtamur, apoſtolicaque auctoritate expreſſe jubemus, & interdicimus, ut quoad ad commune eloquium noſtrum pervenias, ibi epiſcopum neque juſſu regis, neque ex petitu plebis conſecrare præſumas, quatenus cum una allocuti fuerimus, auxiliante Deo, cum communi conſulto, quem utiliorem prævideri mus, conſecrare permittamus de more. Quæ hic ſcribere omiſimus, huic legato noſtro Deuſdedit glorioſo magiſtro militum, & duci, conſiliarioque noſtro, ut verbis dicat injunximus: quem benigne recipite, & quæ vobis ex noſtra parte tulerit, indifferenter audite. Data *ut ſupra*.

## CXI. AD OMNES FIDELES.

Præcipit ne quiſquam Pictavenſis eccleſiæ bona invadere & diripere præſumat, & ut ablata reſtituantur.

*Omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ præſentibus ſcilicet atque futuris.*

DIvino quia Romanum pontificium largitu enitet univerſis, &c. *Extat infra in concilio Tricaſſino II. numero* 8.

## RECLAMATIO ET PROCLAMATIO HINCMARI QUI QUONDAM PRÆERAT eccleſiæ Laudunenſi.

De Hincmaro Laudunenſi epiſcopo Ado in fine chronicorum, Aimoinus lib. 5. cap. 37. Et nos infra plura cum Collectio.

*Exponit quæ a ſuo archiepiſcopo injuſte paſſus ſit, & ad ſummum pontificem provocat.*

DOmne & ſumme pater patrum, & rector pontificum, &c. *Extat in concilio Tricaſſino II. num.* 9.

## CXII. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM BURDIGALENSEM.

Monet ut ad ſynodum una cum epiſcopis ſuis accedat, ſeque comparet ad reſpondendum iis quæ objiciebantur.

*Frotario venerabili archiepiſcopo Burdigalenſi.*

AD ſynodum igitur, quam Deo auctore apud Trecas celebramus, &c. *Extat infra in concilio Tricaſſino II. num.* 10.

## CXIII. AD ADELARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Confirmat privilegia eccleſiæ conceſſa.

D *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Adelardo venerabili archiepiſcopo Turonenſi, ſucceſſoribuſque tuis, nec non & omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ præſentibus ſcilicet, atque futuris.*

DEcet enim Romanam eccleſiam, quæ mater eſt omnium Dei eccleſiarum, &c. *Extat infra in concilio Tricaſſino II. num.* 11.

## CXIV. AD VALDERAMUM.

Monet ut Valderami cauſam ad exitum perducat, vel ad ſe remittat.

*Valderamo venerabili.*

PRæſentium lator literarum nomine Valderamus, ad veſtram fraternitatem coram nobis veniens lacrymabiliter queſtus eſt, patrem ſuum a quodam injuſte carceris cuſtodia teneri detruſum intra parochiam veſtram. Quapropter tuæ fraternitati auctoritate noſtri apoſtolatus jubemus, attentius prædicti genitoris cauſam ſacerdotali ſuccinctus vigore inquirere, eique finem, legaliterque terminum dare, ſi negotii ſtatus inambiguus a futuris proſpicitur. Quod ſi anceps veſtro fuerit viſa libramini, utraſque partes ſuis allegationibus inſtructas venire in præſentiam noſtram

noſtram omnino mature mandamus. Data *ut* A
*ſupra*.

## CXV. AD BERNARDUM COMITEM.

Jubet ut ipſe cum aliis quibuſdam ad ſynodum
veniat, in qua Frotarius Bituricenſis epiſco-
pus de objecto ſibi infidelitatis crimine purga-
re ſe volebat.

*Bernardo comiti.*

RElatu videlicet hominis pontificio noſtro
nunciatum eſt quod Frotarius venerabilis
epiſcopus civitatem Biturigam inimicis veſtri ſe-
nioris domini Ludovici glorioſi regis tradere ma- B
luerit, ideo illuc ipſe contendere ſtuducras. Ec-
ce enim idem jam dictus epiſcopus nobis, no-
ſtro & filio præfato regi glorioſiſſimo, ſuper hoc
reclamare ſtuduit, dicens ſe velle in omnibus ti-
bi & tuis de univerſis objectis contra tui & ſui
ſenioris infidelitatem, juſtitiam facere. Quapro-
pter hortantes mittimus, apoſtolicaque auctori-
tate jubemus, ut ad hoc placitum, ad huncque
conventum præſentialiter venire ſatagas, addu-
cens tecum Girardum vicecomitem, Umbertum,
Aguvarnum, Ingelbertum, ſuper quos ipſe re-
clamat: quatenus nunc coram nobis, & coram
ſæpe dicto glorioſo rege, tam canonica cenſura,
quamque humanæ legis ſancitu, inter vos, quid-
quid contra fas & jus factum fuerit, nihilo mi- C
nus finiatur. Data *ut ſupra*.

## CXVI. AD VVIBBODUM EPISCOPUM.

Commendat illius fidem, hortatur ut legatum
mittat antequam cum Carolomanno in
colloquium veniat, cui eum quoque
intereſſe jubet.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo VVibodo venerabili
epiſcopo.*

IN lectione literarum veſtrarum, & in relatu
earum geruli hominis veſtri, & vos devotiſ-
ſimos, & ut ſemper, novi fidiſſimos; pro qui- D
bus vobis gratias agimus, & Deo auxiliante re-
tribuemus. Interea monentes hortamur ut cœ-
ptum perficias, & antequam Carolomannum
alloquamur, veſtrum legatum cum literis mit-
tere ſatagas, & in colloquio ubi fueris, tua
præſentia eſſe ſtudeat. Optamus ſanctitatem tuam
in Chriſto bene valere, maxime in hoc. Data
*ut ſupra*.

## CXVII. AD CAROLUM REGEM.

Agit gratias de obſervantia erga Romanam ec-
cleſiam: miratur quod ad ſe legatos non mi-
ſerit: rogat ut ante colloquium, quod cum
Ludovico rege habiturus eſt, aut ipſe veniat, E
aut legatos mittat.

*Dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

QUod pro pace & unitate ſanctarum Dei ec-
cleſiarum, omniumque Chriſtianorum in
priore epiſtola, quam veſtræ miſimus dile-
ctioni, ſignificavimus, gloriæ nihilo minus ve-
ſtræ uberes gratiarum laudes rependimus: quia
nos veſtra epiſtola valde lætificaſtis in hoc, quod
dilectionem animi veſtri circa Romanam eccle-
ſiam, ſicut veſtri parentes ac proavi habuerunt,
habere ubertim ſignificatis; valde tamen mira-
mur, cur ad nos legatos veſtros non direxiſtis,
ſicut precati ſumus. Quapropter quæſo fili cariſ-
ſime, ut * ad colloquium quod cum Ludovico * Edit. Rom. addit ad nos
rege Caroli imperatoris regis filio apud Trecas
habituri ſumus, ſi poſſibilitas non obſiſtit, veni-
re acceleretis; vel ſi aliquo obſtaculo præpedimi-
ni, ut non optamus, ſtrenuos legatos nobis di-
rigite, per quos gloriæ veſtræ omnia ſecreta,
quæ animo noſtro reſident, fidenter mandare va-
leamus, locum nobis ſimul nomine tenus deſi-
gnate, quo frui veſtro colloquio, & germani ve-
ſtri Ludovici glorioſi regis valeamus. Quoniam
de hac terra nullo modo regrediemur, priuſ-
quam, Deo auxiliante, percongrua & mutua vo-
biſcum miſceamus colloquia. Optamus gloriam
veſtram piis florere ſucceſſibus.

## CXVIII. AD LUDOVICUM REGEM.

Ejuſdem argumenti.

*Dilecto filio Hludovico glorioſo regi.*

QUod pro pace & unitate ſanctarum Dei ec-
cleſiarum omniumque Chriſtianorum a Ro-
mana ſede in partes Galliæ venerimus, in
epiſtola, quam gloriæ veſtræ miſimus, pleniſſime
ſignificare ſtuduimus: neſcimus tamen quo tem-
pore ad vos pervenit, & de eo, quare nobis
non dedit dilectio veſtra reſponſum. Quapropter
quæſo fili cariſſime, ad nos ut ad colloquium
quod cum Ludovico rege Caroli imperatoris fi-
lio apud Trecas habituri ſumus, ſi poſſibilitas
non obſiſtat, venire acceleretis; vel ſi aliquo ob-
ſtaculo præpedimini, ut non optamus, ſtrenuos
legatos nobis dirigite, per quos gloriæ veſtræ omnia
ſecreta, quæ animo noſtro reſident, fidenter manda-
re valeamus, locum nobis ſimul nomine tenus deſi-
gnate, quo frui veſtro colloquio, & germani ve-
ſtri Caroli glorioſi regis valeamus. Quoniam de
hac terra nullo modo regrediemur, priuſquam,
Deo auxiliante, percongrua & mutua vobiſcum
miſceamus colloquia. Data *ut ſupra*.

## CXIX. AD CAROLUM REGEM.

Arguit quod vocatus ad ſe non venerit, ſicut
Ludovicus rex fecerat, monet ſub excommuni-
cationis pœna, ut ſui regni finibus contentus
nullam Boſoni moleſtiam exhibeat.

*Dilecto Carolo glorioſo regi.*

SErvans fidem Francorum regibus, ſecundum
prædeceſſorum meorum pontificium, multos
& duros labores in mari & in terra pertuli; ab
urbe & Romana ſede in Franciam veni: omnes
vos legatorum tam viva voce, quam epiſtolis
ſtudui convocare, ut pactum quod avi & patres
veſtri ſanctæ Romanæ eccleſiæ jurejurando pro-
miſerunt, adimplere contenderetis. Sed heu
proh dolor! cuncti venire per inobedientiam
neglexiſtis, præter Ludovicum regem divæ me-
moriæ Caroli imperatoris filium, cujus conſilio
atque hortatu Boſonem glorioſum principem, per
adoptionis gratiam filium meum effeci; ut ille
in mundanis diſcurſibus, nos libere in his, quæ
ad Deum pertinent, vacare valeamus. Quapro-
pter contenti termino regni veſtri, pacem &
quietem habere ſtudete: quia modo, & deinceps
excommunicamus omnes, qui contra prædictum
filium

filium noſtrum inſurgere tentaverint Data ut ſupra.

## CXX.

### *BERNARDI COMITIS EXCOMMUNICATIO.*

BErnardum ſacrilegum, filium Bernardi & Belihildis, ſacrarum rerum eccleſiaſticarum pervaſorem, regiæque a Deo ordinatæ poteſtati contradictorem, a proprio archiepiſcopo Frotario, cui & civitatem, & omnia quæ habuit, ſuſtulit, tertio vocatum, a noſtra autem apoſtolica auctoritate bis, & a regia ſublimitate ſemel revocatum, venire nolentem & in pertinacia ſua permanentem: qui etiam ab hominibus ſuis ſacramentum damnabile & damnandum, blanditiis & terroribus tyrannice contra divina & humana jure extorſit, a corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienum decernimus, & ab omni Chriſtianorum ſocietate ſeparamus, uſque dum ad condignam ſatisfactionem emendaturus accedat. Quod ſi nec hoc emendaverit, & ea quæ reus adeo communi judicio ſuorum fidelium abſtulit, violenter tenere, & fidelibus ſuis in hoc refragari tentaverit, anathematis vinculo ſancti Spiritus * innodamus. Quicumque autem ei contra hanc excommunicationem communicaverint, aut conſenſerint, nos prohibere non poſſumus, ut qui excommunicatis communicaverint, non pari excommunicationi ſubjaceant.

* adde auctoritate.

## CXXI. AD DIVERSOS EPISCOPOS.

Ut invaſores bonorum eccleſiæ Turonenſis cogant reddere, & nonas ac decimas ſolvere.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis Frotario archiepiſcopo Biturigenſi, & Anſelmo Lemovicenſi; Hecfrido Pictavenſi, Dodoni Andecavenſi, Rotberto Cenomanenſi, Hildeprando Sagienſi epiſcopis, nec non & aliis omnibus epiſcopis & comitibus, aliiſque perſonis illuſtribus, ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, in quorum parochiis ſancti * Mauricii Turonenſis eccleſiæ prædia eſſe videntur.*

* Nunc S. Ostiani. M.

QUorum omnium religioſitas, ſeu univerſorum pernoſcat fidelitas, quoniam narrante Adelardo venerabili archiepiſcopo, pontificium noſtrum didicit, qualiter quidam, abſque legum omnium auctoritate, tam comites, quamque ſubditi eorum, ſancti Mauricii Turonenſis eccleſiæ res invaſas auſu temerario teneant. Unde mandamus, noſtraque apoſtolica auctoritate expreſſe jubemus, ut eos invaſores primitus moneatis, ut ipſas res, omni occaſione remota, ipſi præfatæ eccleſiæ reddere ſatagant: & ſi ipſi forte audire noluerint, vos unanimes omnes, unoque conventu pro poſſe collecti, noſtra cenſura illos excommunicare debeatis, uſquequo ipſas res ab eis injuſte tentas reddant. Et ſi, quod non credimus, his cenſuris inobedientes fuerint, & ad ſatisfactionem venire diſtulerint, & juſtitiam de perpetratis facere noluerint, ab omni Chriſtiana communione illos noſtra auctoritate judicate eſſe immunes. Inter hæc etiam illos monete, ut nonas & decimas, ſecundum antiquam conſuetudinem, quibus dare debent, poſtpoſitis illicitis occaſionibus, dare minime differant. Demum indicimus, ut omnes res præfatæ eccleſiæ ſancti Mauricii, quæ in veſtris exiſtunt parochiis, defendere ab omnibus inimicis debeatis: quoniam ſi aliter feceritis, & noſtræ cenſuræ non obedieritis, canonico ſancitu feriemini.

## CXXII. AD ARELATENSEM ET NARBONENSEM ARCHIEPISCOPOS.

Ut cauſam inter Uceticenſem & Avenionenſem epiſcopos canonice definiant.

*Roſtagno venerabili archiepiſcopo Arelatenſi, & Sigebodo Narbonenſi.*

SAnctitati veſtræ notum eſt, qualiter VValefredus Uceticenſis eccleſiæ epiſcopus ad ſynodum, quam Deo auctore apud Trecas celebravimus, reclamationis libellum obtulit ſuper Ractefredo Avenionenſe epiſcopo, quod ei quamdam villam ad ſuam ſedem, ſive parochiam, pertinentem abſtuliſſet. Sed quia Ractefredus, de quo querela erat, ſynodo defuit, idcirco fraternitati veſtræ apoſtolica auctoritate mandamus, ut coadunato numero epiſcoporum, eorum cauſam canonico judicio finiatis, ita diſcutiendo & determinando tantæ præſumptionis invaſionem, ut nemo epiſcoporum veſtrorum contra canonica præcepta ulterius inſurgere ſine ſuo periculo tentet. Vos quoque præſentialiter cum veſtris iſtud determinate judicium. Capitula quædam vobis patrum auctoritate collecta mittimus, ſecundum quæ judicare abſque dilatione debeatis, ne quærendo aſſumatis laborem pro tali negotio. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere.

## CXXIII.

### *EXCOMMUNICATIO HUGONIS ET EMMONIS.*

HUgonem Lotharii regis quondam filium, non legitimum, ſed naturalem adulterina copula genitum, qui poſt præſtitum ſacramentum dilecto filio Ludovico regi Francorum mentitus eſſe videtur, & inquietare pacificum regnum prædicti regis: & Emmonem, Bernardi comitis germanum, complicem in exceſſibus, niſi intra dies xxx. ad prædictum ſeniorem ſuum redierint, & ab inquietudine regni reſipuerint, omni Chriſtiana communione privamus. Poſtmodum ſi perſeveraverint, ſciant ſe anathematis vinculis innodandos. Data &c.

## CXXIV. AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

Arguit eos, quod a Turonenſis archiepiſcopi juriſdictione ſe ſubſtraxerint, ejuſque bona invaſerint: præcipit ut ei deinceps pareant, & delictorum ab illo veniam petant.

*Maben Dolenſi epiſcopo, nec non & omnibus epiſcopis Britannicis, ſeu univerſis ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus.*

SAnctitatem ſeu fidelitatem omnium noſſe volumus, quia dum Trecis ſynodum celebraremus, ſuggeſtione Adelardi archiepiſcopi conſacerdotis noſtri audivimus, quod vos matrem veſtram Turonenſem eccleſiam deſpicientes, ſecundum antiquam conſuetudinem illi obedire differtis, & privilegium a B. Petro apoſtolo illi ſupra vos conceſſum frangere conamini, debitumque honorem ipſi archiepiſcopo veſtro obſervare negligitis, & malum ſupra malum addentes, præ-

prædicto capiti veſtro prædia auferre non formi- A
datis. Inter hæc etiam, & præfato antiſtite nar-
rante, & aliis coepiſcopis ſimiliter conferenti-
bus, audivimus ut vos non antiquo more a ve-
ſtro metropolitano conſecrati fuiſſetis, ſed expul-
ſis legitimis epiſcopis de ſedibus, ſola potentia
ducis veſtri alter ab altero conſecratus fuit. Quod
mirati ſuimus, &, ſi ita eſt, tantum nefas dele-
bimus, & vindictam, niſi ſatisfeceritis, nihilo
minus dabimus: quia non paſtores, ſed invaſo-
res fuiſſe cernimini. Quapropter monemus, apo-
ſtolicaque auctoritate expreſſe præcipimus, ut ad
cor redeuntes ad matrem veſtram ſanctam Tu-
ronenſem eccleſiam revertamini, & ſecundum
antiquam conſuetudinem illi obedire ſatagatis,
& de perpetrato hactenus ipſi veſtro archiepiſco- B
po Adelardo miſericordiam quæratis, quatenus
ſuper omnibus negligentiis apud ſummum arbi-
trum veniam habere poſſitis. Quoniam ſi ali-
ter feceritis, canonica auctoritate eritis nihilo
minus feriendi, & a noſtra communione mo-
dis omnibus alienandi, & omnis veſtra ordina-
tio a ſumma ſede apoſtolica ſcilicet reſpuenda.
Data *ut ſupra*.

## CXXV. AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

Boſonis comitis, & Agilmari epiſcopi, a quibus
in Italiam deductus fuerat, ſtudium erga
ſe operamque commendat.

*Dilectiſſimo filio Ludovico glorioſiſſimo regi, divæ memoriæ Caroli imperatoris filio.*

QUanto vos amore diligimus, quantumque ca-
ritatis affectum erga vos tenemus, paucis
explicare verbis minime poſſumus: hoc ta-
men gloriam excellentiæ veſtræ ſcire cupimus,
quod devotionem ardoremque caritatis, ſicut pol-
liciti ſumus, erga vos indeficientem perpetuo re-
tinemus. Interea millenas ſerenitati veſtræ de
Boſone dilecto & communi filio ac fidele gra-
tias referimus, qui tam prudenter communibus
obtemperans juſſis, parere in omnibus ita nobis
ſtuduit, ut etiam velut vere Chriſtianæ religio- C
nis cultor, animæ & vitæ ſuæ non pepercerit,
ſed pro ſanctæ eccleſiæ & communi fidelitate
ultro ſe morti tradere non dubitavit, & uſque
Ticinum, annuente Deo, ſecurius nos perdu-
xit. Quapropter, dilectiſſime fili, ac porphyreti-
ce rex, obſecramus excellentiæ veſtræ culmen,
ut ſi res exegerit, ſicut nobis veſtra dignata eſt
repromittere ſublimitas, ei adjutorium ad debel-
landos hoſtes noſtros virorum bellatorum admi-
niculum præbeatis: quoniam dignum eſt, ut ſo-
li omnes adjutorium præbeant qui ſolus pro cun-
ctis deſudare non ceſſat. Præſentem itaque hu-
jus latorem epiſtolæ, [1] Agilmarum venerabilem
epiſcopum, excellentiæ veſtræ plurimum com-
mendamus: quatenus idem, ſuaque eccleſia cre-
ſcat augmento perfectionis, qui in omnibus op-
portunitatibus noſtris nulli ſecundus extitit, &
vobis fideliſſimum in cunctis, quæ cognoverit,
veriſſime comprobavimus. Inter hæc epiſcopos,
quos ſerenitas veſtra in noſtrum juſſit venire
adjutorium, ſcias præter Agilmarum nullum ve-
niſſe. Quapropter regalis cenſura culminis veſtri
ſua auctoritate compellat eos quantocius * hoſti-
liter Romam venire, ut de cetero diſcant apo-
ſtolico culmini & regali excellentiæ congruenter
præbere obedientiam.

* f. ſynodaliter.

### NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Agilmarum*.) Ex ſubſcriptionibus ſynodi Tricaſ-
ſinæ, atque ex præcepto Caroli Craſſi anno DCCCLXXXV.
Arvernorum epiſcopum fuiſſe intelligimus

## CXXVI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Increpat eum, quod ſibi auxilium non tulerit; &
jam tertio monet ut ſibi Papiam certa die
cum ſuis ſuffraganeis occurrat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri Anſperto venerabili archiepiſcopo Mediolanenſi.*

QUantum benigna fraternitas veſtra ſanctæ ſe-
di apoſtolicæ concurrere, ac concordare
debeat, prædeceſſor noſter beatus Gelaſius
papa ad epiſcopos parvipendentes vexationem fra-
trum his verbis comminando ſcribit, dicens:
Cur non compaſſi eſtis tantis fratribus veſtris?
Cur non adiſtis imperatorem? Cur non poſuiſtis
animam pro confratribus, quam præceptum ha-
betis ponere pro grege vobis commiſſo? Cur
non poſuiſtis vos pro domo Iſrael murum, ut
ſtaretis, in præliis in diem Domini? Quapropter
tandem diſcuſſa negligentia ad priſtinum vos re-
formate certamen, fratribus auxilium concite ad
ferendum. Hæc & horum ſimilia veſtram fra- C
ternitatem debuerant exempla provocare, & no-
bis pro totius ſanctæ Dei eccleſiæ ſtatu laboran-
tibus non tantum inviti jam, ſed etiam ſponte
concurrere debetis, ac debuiſtis. Sed jam, nunc
poſt tertiam admonitionem nobis cum confratri-
bus veſtris, & coepiſcopis ſtudete Papiam hac
quinta feria proxima adveniente occurrere, ze-
lum Dei, quem pro vobis omnibus patior, at-
que dolorem audientes, ut quod deinceps Deus
omnipotens communi veſtro conſilio decreverit,
facere valeamus. Nulla frater cariſſime animo
veſtro dubietas inſideat, in mea fide, & in meo
ſacerdotio credite; nil contra veſtram decen-
tiam, atque honorem vobis aliquatenus oppone-
tur; quia, quod non optamus, ſi hæc parvi- D
pendere tentaveritis, poſt tantam patientiam ca-
nonica eritis *.

* f. deeſt animadverſione caſtigandi, vel aliquid hujuſmodi.

## CXXVII. AD EUMDEM.

Narrat labores pro eccleſia ſuſceptos: monet ut
ſibi cum omnibus epiſcopis ſuis Papiam
occurrat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri Anſperto venerabili archiepiſcopo Mediolanenſi.*

QUantum pro totius ſanctæ Dei eccleſiæ ſta-
tu, & pro cuncto grege dominico, pro
quo omnipotens Deus proprio Filio ſuo
non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit il- E
lum, & Joannes apoſtolus exhortans nos ait:
*Quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit, & 1. Joan. 3.
nos debemus pro fratribus animam ponere*, labora-
re, ac vigilare ſemper debemus, omnium ve-
ſtrum luce clarius novit pia fraternitas. Quapro-
pter, quantum ex divina gratia in nobis fuit,
& eſt, ex quo nos ſuperna miſeratio ſuæ eccle-
ſiæ præfecit, animæ noſtræ nunquam peperci-
mus, nunquam dura pericula declinavimus; ſed
die noctuque, æſtu & gelu exuſti, ne quid ca-
ptum a beſtia aut dilaceratum Domino oſtende-
remus,

remus, marinos fluctus pertulimus pro omnium A veſtrum liberatione atque ſalute: in Franciam quoque venientes, & regum filios partim viva voce, partim epiſtolis atque legatis allocuti ſumus omnes, id eſt utroſque Ludovicos, Carolomannum, & Carolum, acceptoque communi conſilio, uti Boſo glorioſus princeps comes eſſet itineris noſtri, donec, Chriſto opem ferente, reverteremur ad urbem. Et quia de ſtatu ſanctæ eccleſiæ ſunt quæ communiter tractare debemus, tuæ ſanctitati apoſtolica auctoritate mandamus cum cunctis ſuffraganeis tuis & coepiſcopis nobis Papiam ſecunda die poſt feſtum ſancti Andreæ, occurrere. Et quoniam probata fides omnium prædeceſſorum tuorum ſemper fuit erga Romanum pontificem, tua fraternitas omni- B modis ſtudeat eorum in omnibus aſſequi veſtigia, quia, quod abſit, ſi aliter fuerit, vigor canonicus ſuper inobedientes remanere non poterit. Data *ut ſupra*.

## CXXVIII. AD BERENGARIUM COMITEM.

Ejuſdem fere argumenti.

*Dilecto filio Berengario glorioſo comiti, ſeu omnibus optimatibus Longobardorum regni ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus.*

QUanta & qualia Romana eccleſia, veſtra C videlicet mater, hactenus ab impiiſſimis Chriſtianis paſſa eſt, & noſtris literis ſignificantibus, & rumore populi narrante jam audiſtis, & ut certius ſciatis, iterum ſignificamus. Ecce enim pro quibus & pro omnium veſtrum ſalute animæ noſtræ non parcentes, quia per terram pro prædictis perſecutoribus ad vos viciniores, ut res expetierat, venire nequivimus, marinum iter accepimus; & in Franciam ibimus, quærentes tranquillitatem, atque auxilium, ubi noſtri anteceſſores quæſiere pontifices. Miſimus enim omnibus regibus, id eſt Hludovico domni Caroli imperatoris filio, & Carolomanno & Ludovico, & Carolo Ludovici regis filiis, ut cum ſuis epiſcopis ad nos venirent, & una no- D biſcum ſuper his tractarent, ex quibus venit Hlodovicus rex, & tantis malis perdolens, niſi infirmus eſſet, nobiſcum veniret. Jam quia pro infirmitate non potuit, dedit nobis hunc Boſonem principem ſibi ex omni parte conjunctum, qui me per inimicos ſanctæ Dei eccleſiæ ſalvum duceret. Ecce enim, auxiliante Deo, Papiam venimus: quapropter monentes mittimus & apoſtolica auctoritate hortantes jam tertio mandamus, ut præſentialiter ad nos cariſſimi, tamquam ad patrem venire debeatis, & ut alii veniant, alter alterum incitet, & has literas primo legens remittere aliis procuret: quatenus venientes una nobiſcum de ſtatu ſanctarum Dei eccleſiarum & quiete reipublicæ & noſtra veſtra- E que omnium ſalute ſynodum celebrantes, tractemus; in quibus dilectiſſimi filii, ne veſtra caritas tepeat, neve religioſitas inobediat, ſed compatiatur, ut oportet, ac doleat: quia ſcriptum eſt, qualiter tepidus ſit jure vomendus, & qualiter per inobedientiam culpa, quæ non fuit, fit, & qualiter qui non compatitur, decreto pontificali feritur. Data *ut ſupra*.

## CXXIX. AD LUDOVICUM REGEM.

Miratur, quod filiabus Boſonis, pro quibus alias rogaverat, hæreditatem jure debitam non reſtituerit; iterumque monet, ut ipſam hæreditatem integram eis reſtituat.

*Hludovico regi glorioſo glorioſi quondam regis Ludovici filio.*

JAm enim magnitudinem veſtram fili cariſſime apoſtolicis monuimus literis, hortantes pro filiabus Boſonis dudum comitis & Ingeltrudis conjugis, quibus jure hæreditas deferri omnium legum auctoritate conceditur, proprietates reddere ſtuderetis. Sed, ut cernimus, inauditi remanſimus: quod miramur, & mirantes dolemus, cum veſtra proles apoſtolicis cenſuris ſemper obediat, & præ omnibus regibus judicium faciat. Ut rex David cecinit, *honor regis judicium diligit*. Pſal. 96. Nonne legiſtis: *Quoniam juſtus Dominus juſtitiam diligit, & æquitatem videt vultus ejus?* Pſal. 10. Ceterum reclamationem filiarum jam dicti Boſonis audivimus, ut ipſas, ipſius, matriſque earum proprietates, Ingeltrudis, alias vos teneatis, alias vero veſtris quibus ipſa poſt judicium ſibi illatum ſine viri conſenſu dederit, tenere permittatis, quod nefas eſt, & contra omnium legum prorſus auctoritatem. Quid enim uxor ſine viri conſenſu agere poteſt? quanto magis hæc mœchans, quæ divino gladio, cenſente domno papa Nicolao prædeceſſore noſtro, Nicolaus In epiſt. 64. Regino l. 2. chronic. interiit? & humano pro parte facto ſtupro, puniri debuerat? Nonne Joannes papa Romanus, & Juſtinianus inclytus imperator legem Romanam facientes, ſcripſerunt ita? Capitali crimine damnatorum bona non ad lucrum præſidis, ſed cognatis punitorum reddi oportet: & alibi: Omnibus gradibus cognatorum in hæreditate ſumenda præferendi ſunt filii. Unde liquido patet, glorioſiſſime rex, ut nec vos, nec cognati eorum, niſi ipſæ filiæ quæ ſunt legitimæ, illos allodes habere debent: qui vero nati ſunt poſt crimen illarum, ſpurii ſunt, nec hæreditare debent, ut præfatus papa, & imperator ſcripſerunt ita: Spurios ſatis injurioſos, ſatiſque acerbos, ac noſtris temporibus ſemper indignos eſſe dijudicamus. Quapropter, ut rogavimus, iterum iterumque rogamus, & hortantes monemus, ut harum reclamationes, harum & gemitus veſtra regia dignitas hauriat. Et pro apoſtolorum principum reverentia, a quibus petiere auxilium, & pro noſtro amore integriter ipſas proprietates, quas vos allodes dicitis, reddat, & veſtros omni occaſione remota reddere faciatis. Data *ut ſupra*.

## CXXX. AD SUPPONEM COMITEM.

Miratur eum ſibi, ut decebat, non occurriſſe certiorem reddit de his quæ cum Ludovico rege egit: monet ut ad ſe veniat.

*Dilecto filio Supponi illuſtri comiti.*

CUr fili cariſſime nobis iter tua dilectio clauſerit, curque ut audiſtis nos in tuos honores veniſſe, obviam non concurreris, miramur, cum eam in omnibus noſtris negotiis curam geſſiſſe ſemper novimus: & ubi nos prope fuiſſe audieras, tuis univerſis poſtpoſitis feriis ad nos feſti-

feſtinanter properaveras. Unde cernimus quoniam illud non ex corde, ſed pro fidelitate tui ſenioris taliter feceris, quod ideo parcimus; ecce enim, ut audiſtis, & nos etiam vobis jam literis ſignificavimus, pro quibus in Halliæ partibus ſynodum celebravimus. Et Hludovicum glorioſum regem affati fuimus, qui nobis hunc Boſonem principem virum conſultiſſimum, ſibique ex omni parte conjuctum dedit, ut nos ſalvos ſine impedimento maledicti Lamberti in urbem mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur, quatenus veſtro de more relictis aliis omnibus curis, omnique occaſione remota, ad nos præſentialiter venias, incitans etiam alios, quibus apoſtolicas literas mittimus, ut & ipſi ſimiliter faciant. Quoniam, ſcit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, niſi, ut ſanctarum Dei eccleſiarum ſtatum, & reipublicæ quietem una vobiſcum conſideremus: tamen ante alios venire ſatage, ut quidquid cum aliis fecerimus, tecum familiariter antea terminare queamus. Data *ut ſupra*.

## CXXXI. AD BERENGARIUM COMITEM.

Berengarii caritatem erga Romanam eccleſiam commendat: ſignificat celebratam in Gallia ſynodum, ſeque incolumen reverſum: monet ut ad ſe venire feſtinet.

*Dilecto filio Berengario illuſtri comiti.*

RElatu nonnullorum audivimus, maxime hujus VVidonis comitis noſtri conſiliarii, ut veſtra devotio caritatem, quam erga nos, noſtramque eccleſiam, veſtram videlicet matrem, ſemper habueras, magis magiſque adoleat: in quo gratias agimus, & ut proficias hortamur. Ecce enim audiſtis pro quibus in Galliæ partibus ſynodum celebravimus, & Hludovicum regem glorioſum affati fuimus, qui nobis hunc Boſonem principem virum conſultiſſimum, ſibique ex omni parte conjunctum dedit, ut nos, auxiliante Deo, ſalvos ſine impedimento Lamberti maledicti, & a ſancta Dei eccleſia anathematizati, in urbem Romam mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur relictis aliis omnibus curis ad nos præſentialiter venire ſatagas. Quoniam, ſcit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, niſi ut ſanctarum Dei eccleſiarum ſtatum, & quietem reipublicæ cum honore una vobiſcum tractemus. Data *ut ſupra*.

## CXXXII. AD HUGONEM.

Monet ut diſſenſionem inter Abbonem & alios ortam ſedet.

*Hugoni abbati nobili, ſpectabili proſapia genito,*

QUia multum vos diligimus, ideoque congratulor, animæ veſtræ proſpicimus, commonere curamus. * .... quoque, quæ inter Abbonis epiſcopi parentes, & Rotbertum, atque Roclinum exorta eſt * .... regali potius * quam vindicta corrigatur; quoniam malum ſemel neceſſitate patratum, non debet ſecundum neceſſitudinem expiari ad delictum, ſed miſericordius remitti ad veniam agat veſtra glorioſa nobilitas, ut decet tantæ naturæ decentiam. Data *ut ſupra*.

* *f.* diſſenſionem

* *f.* ut

* *f.* clementia

## CXXXIII. AD RAVENNATES.

Jubet ut civitatem contra Lambertum viriliter defendant.

*Omnibus judicibus & ducibus ſeu populis Ravennæ commorantibus fidelibus noſtris.*

INduſtriam ſeu omnium fidelitatem noſſe volumus, quoniam relatu quorumdam audivimus, ut Joannes diaconus chartularius deviet, & francos Lamberti contra electionem noſtram conducat; unde mittimus apoſtolicaque auctoritate jubemus, ut omnes unanimes unaque fidelitate ſtare debeatis & defendere ipſam civitatem, ita ut nullus, qui vobiſcum non ſtat *, francos ibi conduci Lamberti intus permittat ingredi, nec ipſe Lambertus ibi quoquomodo acceſſus habeat, nec ſuus homo ibi intrare poſſit: ita in his agite, ſicut Dei & noſtram gratiam habere cupitis, quoniam qui aliter fecerit, & noſtram iram habebit, & mille byzanteos palatio noſtro componet. Data *ut ſupra*.

* *f.* francos ibi cum duce Lamberto, &c.

## CXXXIV. AD ROMANUM ELECTUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Lætatur eum Ravennatem archiepiſcopum electum: jubet ne quidquam electionis cauſa ulli promittat: & epiſtolam ſuam Leoni, & Romanis ſcriptam afferendam curet, eorumque reſponſum ad ſe dirigat: res Joannis & Deuſdedit ducum reſtituat.

*Romano Levitæ egregio a Ravennatibus fidelibus noſtris electo.*

LIterarum tuarum, fili cariſſime, ſerie recepta & lecta, ubi Joannem Ravennatem archiepiſcopum obiiſſe audivimus, valde doluimus, & ut pro eo oretis cum veſtris, hortamur. Veſtra videlicet electione unanimiter facta gaudemus, & quia nos viſitando miſiſti, ſignificans ſanitatem noſtrorum fidelium, tuamque devotionem demonſtrans, gratias agimus. Ceterum monentes indicimus, ut jam qui annuente paſtore ſummo, ad tale opus electus es, quo paſtor fias, vigiles in eadem eccleſia, labores, nullique majori minorique tam concivibus, quamque aliis quibuſcumque perſonis aliquod promiſſum facias, quoniam Simoniacum eſt, & hoc nobis nequaquam celabitur; quod ſi feceris, per apoſtolos obteſtantes, te minime benedicemus. Inter hæc volumus, ut iſtam epiſtolam Leoni venerabili miſſo epiſcopo & apocriſiario, ceteris Romanis tranſmiſſam, ipſis præſentialiter per veſtrum legatum traſmittatis, eumdemque revertentem, ſi potes ſaltim, aut alium cum illorum epiſtolis ad nos * dilecte, remitte, qui noſtrum adventum certum jam vobis renunciare poterit. Igitur etiam cupimus, ut pro amore horum noſtrorum fidelium, noſtrorumque conſiliariorum Deuſdedit videlicet, & Joannis glorioſorum ducum res pro poſſe, & homines ſalvetis, & defendatis, occupatas hactenus integriter reddatis: quatenus cujus utuntur ſervitio, ei convenit, ut fruantur defenſionis auxilio. Data *ut ſupra*.

* *f.* directe

## CXXXV. AD THEODORICUM ET ISAAC EPISCOPOS.

Præcipit ut excommunicent eos qui VViperto comiti filium eripuerant, & regionem illam populabantur.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis Teodorico archiepiſcopo, & Iſaac epiſcopo.*

NOverit veſtra religioſitas, quia VVipertus comes reclamans pontificio noſtro retulit, quod quidam ſui homines malefactores ſuum filium ſuſtulerint, & cum eo terram prædaverint. Quapropter dirigimus, ut noſtra apoſtolica auctoritate illos excommunicetis, quo relictis talibus deprædationibus ad patrem & ſeniorem redeant, & pacifice vivant. Data *ut ſupra*.

## CXXXVI. AD HUGONEM COMITEM.

Monet ut quoſdam facinoroſos puniat.

*Hugoni glorioſo comiti.*

REferente videlicet hoc viro nomine .... audivimus, quod veſtri homines, maxime Conterius ſuos equos tollentes ſuas manſiones prædaſſent. Quapropter hortantes monemus, ut pro apoſtolorum reverentia, & noſtro amore, quam petiit juſtitiam, illi facere ſatagatis. Ita agat in hoc veſtra nobilitas, ut acturam credidimus, ut & ipſi malefactores noſtri excommunicentur, quia nos tale nefas, ut non ulciſcatur, demittere nequimus. Data *ut ſupra*.

## CXXXVII. AD HUGONEM, THEODERICUM, ET BERNARDUM COMITES.

Ut amicitiæ caritatiſque fœdus cum Boſone ictum ſervent.

*Hugoni, Theoderico, & Bernardo, illuſtriſſimis regni Francorum.*

FRetus veſtra ingenuiſſima nobilitate, atque obedientia, quam propter Deum nobis condigne debetis, dilectiſſimum filium noſtrum Boſonem, veſtrum unanimem fratrem & amiciſſimum, ut inſolubile vinculum caritatis, fœduſque amicitiæ, quod coram Deo viciſſim colligaſtis, moneo, hortor, nulla hominum male loquentium lingua, nullo cujuslibet fraudis ingenio, vel in modico quoquomodo poſſit avelli: ſed Domino auxiliante dilecti filii noſtri Hludovici regis animum erga eum immobilem & tranquillum ſemper ſervetis, & omnia ſua ſalva atque pacifica conſervate: quoniam pro his ab omnipotente Deo, & beato Petro apoſtolo, futuræ vitæ mercedem, & a nobis & ab illo fideliſſimas amicitiarum recipietis ſine dubio retributiones. Data *ut ſupra*.

## CXXXVIII. AD VULGARIUM MONACHUM.

Ut VViperto epiſcopo obediat, qui eum per dimiſſoriam acquiſivit.

*Vulgario monacho.*

DEnique Trecis poſiti per noſmetipſos cognovimus, qualiter VVipertus epiſcopus, devotus filius noſter, te a proprio epiſcopo, atque abbate, per dimiſſoriam acquiſivit, tua potius interveniente petitione. Quapropter convenit tibi ex die illo, & deinceps, tamquam proprio obedire, eumque ut proprium paſtorem ſequi non prætermittas, quia, quod non optamus, ſi aliter feceris, vinculum excommunicationis ſuper te rationabiliter extendemus. Data *ut ſupra*.

## CXXXIX. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Præcipit ut quoties epiſcopus Ticinenſis eos ad ſynodum vocaverit, accedant.

*Omnibus ſanctiſſimis & reverendiſſimis confratribus & coepiſcopis, tam Mediolanenſi archiepiſcopo cum ſuis ſuffraganeis, quam Ravennati nihilo minus cum ſuffraganeis ſuis*

SCriptum etenim eſt: *Deus qui glorificatur in* Psal. 81.
*conſilio ſanctorum*, & in evangelio: *Ubi duo* Prov. 18.
*vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum*, & item: *Si frater fratrem adju-* Matth. 18.
*verit, ambo conſolabuntur*. His auctoritatibus fulti, veſtræ omnium ſanctitati mandamus, & apoſtolica auctoritate jubemus, ut quoties vos confrater & coepiſcopus noſter Joannes Ticinenſis, & poſt eum ſui ſucceſſores, veſtroſque vocaverint, pro emergentibus quæſtionibus eximendis, continuo beato Petro apoſtolo obedientiam exhibentes, ſimul convenire non differatis: quatenus redemptoris noſtri gratia diſcuſſis animoſitatibus, vitiiſque purgatis, in tranquillitate pacis eccleſia conſtituta, glorificetur Deus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Sacerdotum, Levitarumque judicia, quandocumque neceſſe fuerit, cum prædicto epiſcopo, tamquam proprii epiſcopi decernite, ac diffinite freti noſtra omnimodis apoſtolica auctoritate: quia onera noſtra vobiſcum partiendo reliqua tolerabilius ſufferre valebimus. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data *ut ſupra*.

## CXL. AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

Raptores uxoris cujuſdam Ragiberti excommunicari jubet.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Joanni venerabili epiſcopo Ticinenſi.*

DEnique Ragibertus quidam nomine, Judex cognomento, coram nobis veniens queſtus eſt ſuper Gotfredum filium Joannis comitis palatii, & Iſelbertum ſubdiaconem, atque Heribaldum notarium, filium Garibaldi, eo quod legaliter ſibi filii ſui nuptam Gauſildam nomine contra canonum, & legum auctoritatem, per vim & per forciam abſtulerunt, calcato illo præcepto, quo Dominus ait: *Quod Deus conjunxit*, Matth. 19.

*homo non ſeparet*. Quapropter apoſtolica adhortatione zelum tui ſacerdotii ad hortamen caritas Dei accendat, & quaſi tuba exalta vocem tuam, & iniquis iniquitatem ſuam annunciare non ceſſes, ne ſanguis eorum de manibus tuis requiratur. Prædictoſque tranſgreſſores omni Chriſtiana communione privare non differas, donec legaliter emendent quod nequiter perpetrare auſi ſunt. Quod ſi te audire neglexerint, perpetuo eos anathema eſſe decernimus. Data *ut ſupra*.

## CXLI. AD JOANNEM EPISCOPUM PAPIÆ.

Ut ſibi Taurinum obviam veniat, & epiſtolas a ſe ſcriptas quibuſdam epiſcopis dirigat, ut ipſi ad concilium accedant.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Joanni Papiæ epiſcopo*.

SAnctitati tuæ notum fieri volumus, quod nunc Taurinenſi in civitate conſiſtimus. Ceterum dirigimus, ut continuo omni occaſione poſtpoſita nobis venire ne differas obviam. Vide ne ab alicujus decipiaris inſtinctu fortaſſe, quæ minime credimus, pro parte Mediolanenſis archiepiſcopi, quoniam ſpecialiter noſter es, & manualis. Et quia de nullius niſi noſtra ditione conſiſtis * ut epiſtolam quam ſuffraganeis epiſcopis Ravennatis eccleſiæ, Paulo Placentinæ, & item Paulo Regienſi, atque Liudoino Mutinenſi, cum celeritate mittere procuretis, ut ſtatuto die Papiam veniant: quatenus de ſanctarum item Dei eccleſiarum & communi, atque univerſali ſalute tractare valeamus. Data *ut ſupra*.

* *deeſt, jubeo vel quid hujuſmodi.*

## CXLII. AD VVIBBODUM, PAULUM, ET PAULUM AC LUIDOINUM EPISCOPOS.

Jubet ut Papiam ad ſynodum accedant.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis VVibbodo venerabili epiſcopo Parmenſi, & Paulo Placentino, & Paulo Regienſi, & Liudoino Mutinenſi epiſcopis*.

SAnctitatem veſtram ſcire cupimus, quoniam octavo Kalendas Decembris Taurinum venimus, inde, Deo duce, Papiam veniemus, & ibi ſynodum pro ſtatu Dei eccleſiarum celebrabimus. Quapropter mittimus apoſtolicaque auctoritate expreſſe jubemus, ut quarto nonas Decembris, ibi omni occaſione remota, ad ſynodum eſſe debeatis. Et qui primo hanc epiſtolam legerit, alio ſub omni feſtinatione traſmittat. Videte ne aliter faciatis: quoniam ſi aliter feceritis, canonico feriemini vigore. Data *ut ſupra*.

## CXLIII. AD OMNES FIDELES.

Præcipit, ne quiſpiam monaſterio ſancti Augentii quidquam detrimenti afferat.

*Omnibus fidelibus eccleſiæ*.

SOlicitudinem omnium eccleſiarum nos habere oportet, & ſingulorum cauſas æquitatis judicio allevare; quapropter, cum de omnibus agere hæc eadem convenit, præcipimus atque præſenti decreto ſancimus, ut de abbatia ſancti Augentii, quam divæ memoriæ Carolus imperator fideli ſuo, & filio eccleſiæ noſtræ ante jure beneficiario tribuit, nullus de ipſis rebus aliquid injuſte

A auferre præſumat: nec prædicto epiſcopo, & monachis ipſius loci aliquam in diſtrahendo illicite inferre moleſtiam. Quod ſi quis ab hinc agere præſumpſerit, ſeparetur a communione fidelium eccleſiæ: quod ſi pertinaciter perſtiterit, & emendare noluerit, judicio ſancti Spiritus anathematis vinculo feriatur. Data *ut ſupra*.

## CXLIV. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

Reſcribit de indulgentia eorum qui contra Paganos pugnantes occubuerant.

B *Omnibus reverendiſſimis & ſanctiſſimis venerabilibus coepiſcopis per totum regnum cariſſimi filii mei Hludovici*.

QUia veneranda fraternitas veſtra modeſta interrogatione ſciſcitans quæſivit, utrum hi, qui pro defenſione ſanctæ Dei eccleſiæ, & pro ſtatu Chriſtianæ religionis ac reipublicæ in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo pro ea re caſuri ſunt, indulgentiam poſſint conſequi delictorum, audenter Chriſti Dei noſtri pietate reſpondemus, quoniam illi, qui cum pietate Catholicæ religionis in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ ſuſcipiet, contra Paganos atque infideles ſtrenue dimicantes, eo quod Dominus per prophetam dignatus eſt dicere: *Pecca-* *Ezech. 18.*
C *tor quacumque hora converſus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius*: & venera- *Luc. 23.*
bilis ille latro in una confeſſionis voce de cruce *2. Paral. 33.*
meruit paradiſum. Manaſſes quoque impuriſſimus quondam rex captus, carcerique arctiſſimo religatus, ibi pœnitentiam agens, cum perfectione indulgentiæ, etiam regni priſtini, propter Domini miſericordiam, quia immenſa eſt circa genus humanum, adeptus eſt ſolium: noſtra præfatos mediocritate, interceſſione beati Petri apoſtoli, cujus poteſtas ligandi atque ſolvendi eſt in cælo & in terra, quantum fas eſt, abſolvimus, precibuſque illos Domino commendamus. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data *ut ſupra*.

D

## CXLV. AD VVIFREDUM EPISCOPUM VENCIENSEM.

Epiſcopum, qui cum excommunicatis communicarat, miſſarum celebratione prohibet.

*VVifredo venerabili epiſcopo ſanctæ Vencienſis eccleſiæ*.

AUctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſancti Petri apoſtolorum principis, noſtrique apoſtolatus, quia cum excommunicatis communicaſti, ut literæ tuæ manifeſtant, omni te miſſarum celebratione privamus, donec in noſtram cum
E eiſdem hominibus occurras præſentiam: & ſi, quod non optamus, amplius præſumptor extiteris, denunciamus te omni ſacerdotio fore nudandum. Data *ut ſupra*.

CXLVI.

## CXLVI. AD ODONEM EPISCOPUM BELLOVACENSEM.

Decernit, impuberes, qui alium occiderant, poſt peractam pœnitentiam ordinari poſſe.

*Hodoni venerabili epiſcopo Bellovacenſi.*

RElatu didicimus quorumdam monachorum ſancti Dionyſii cœnobii, quod quibuſdam pueris impuberi adhuc ætate inter ſe rixantibus, hominum illorum inſtigatione unus ex illis eſt interemptus. Quapropter mandamus, ut ſi inculpabiles poſt peractam pœnitentiam legitimi vigoris ſecundum canones reperti fuerint, gradatim B ad eccleſiaſticos ordines eos provehere non differas, ſervatis in omnibus patrum regulis, & canonum inſtitutis. Data *ut ſupra*.

## CXLVII. AD AIMARUM ET VVIDONEM EPISCOPOS.

Ut Roſtagni uxorem ad ſe venire jubeant, illiuſque adjutores, niſi reſipuerint, communione privent.

*Aimaro & VVidoni reverendiſſimis epiſcopis.*

HOrtamur ſanctitatis veſtræ fraternitatem, ſacerdotalemque zelum veſtri vigoris apoſto- C lica auctoritate incitamus; Bertildi Roſtagni illuſtris viri conjugi, quæ ſpreto Dei timore, ac lege tori, fugabunda per veſtras parochias incedens, multoties ab epiſcopis & ſynodo vocata, ſurda aure venire diſtulit, omnem neceſſitatem imponite veniendi coram noſtra præſentia, ut ejus cauſa legaliter finem accipiat. Illiuſque in tam perverſo opere adjutoribus aditum atque communionem totius ſanctæ eccleſiæ tamdiu intercludite, donec ab omni ſe ſequeſtrent prædictæ (*a*) Bertildis conſortio. Inter quos Achetium mœchum, eumque conſortio private, veſtroque zelo percutite. Quæſo, moneo, hortor, fratres cariſſimi, citiſſime amplectendam exhibete præſentiam; iterum iterumque jubemus, D omni poſtpoſita * vocatione ad nos feſtinanter venite: quatenus Chriſto Domino miſerante, in hoc & aliis negotiis, communi conſilio terminum ſalubriter imponere valeamus. Data *ut ſupra*.

* occaſione

## CXLVIII. AD VVALAM EPISCOPUM METENSEM.

Ne cogatur ſponſus uxorem ducere ab alio corruptam.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Vvalone venerabili epiſcopo Metenſi.*

PRæſentium portitor literarum, Alpertus nomi- E ne, lacrymabiliter coram nobis veniens queſtus eſt deſponſam ſuam, nomine Vvalatam, adhuc in parentum domo manentem, adulterino concubitu a presbytero quodam prægnantem repertam. Quæ confeſſa de crimine, libenter ab eo ſe vult diſſociare: ſed tua fraternitas pro quadam parentelæ affinitate, coacte eum cogit eamdem ſumere in conjugium, contra regulas pa- A trum, atque inſtitutionem. Quapropter, ſi ita eſt, requiſitis ſuper his legum & canonum inſtitutis, quid de talibus præcipiant promulgate abſque perſonarum acceptione. Data *ut ſupra*.

## CXLIX. AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

Ut cum quodam, qui pœnitentiam quinquennio egerat, remiſſius agat.

*Joanni venerabili epiſcopo Ticinenſi.*

LAtor præſentium coram nobis veniens dicit, ſe a prædeceſſore veſtro Liutteſredo venerabili epiſcopo, quinquennio exacto jam anno, pœnitentiæ fuiſſe ſubmiſſum, pro quodam, eo quod interfuit, fure a fœmina interempto: qua de re veſtra fraternitas ſolerter proſpiciat. Et, ſi ita eſt ut hic aſſerit, propter Domini miſericordiam, quoniam magna eſt, cum eodem conſultius agat, & prout ordo cauſæ dictaverit, frænum canonici vigoris remittite. Vel ſi quidquam, quod non optamus, impoſſibile perpenſum fuerit; id noſtro judicio veſtra fraternitas ſtudeat lenitate ſpiritus reſervare. Data *ut ſupra*.

## CL. AD AGINULFUM EPISCOPUM GABALITANUM.

Ut præſentium latoribus ablata reſtituenda curet.

*Joannes Aginulfo venerabili epiſcopo Gabaldanenſi.*

PRæſentium latores queſti ſunt ab hac ſede plebem ſuam eiſdem ſublatam. Quapropter apoſtolica auctoritate tuæ fraternitati præcipimus, ut inquiſita rei veritate, quod juſtum eſt, unicuique reddere ſacerdotali ſolicitudine perveſtiget: & quæ ipſe diffinire non poteris, (referre ad nos) modis omnibus non prætermittas:

## CLI. AD BISUNTINENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Significat ſe Fulcardum, ejuſque conjugem ab excommunicatione abſolviſſe.

*Theoderico venerabili epiſcopo Biſuntinenſi.*

NOtum ſit ſanctitati veſtræ, quia Fulcardum, & Berelindam uxorem ejuſdem, ab excommunicationis vinculo abſolvimus, donec canonica regula exacte reperiamus judicium. Unde a vobis in communionem eos recipi mandamus. Optamus fraternitatem veſtram bene valere. Data *ut ſupra*.

## CLII. AD OMNES EPISCOPOS.

Monet ut ſua inſtituta obſervent, juſteque judicent.

*Allocutio pontificis & exhortatio ad omnes epiſcopos.*

ECce ſanctiſſimi ſacerdotes præmiſſis precibus fraternitatem veſtram cum pia exhortatione convenio, & per divinum nomen obteſtor, ut ea quæ a nobis de Deo, & de ſacris ordinibus, vel ſanctis moribus fuerint dicta, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia perficere inten-

(*a*) Hæc verba *Bertbildis conſortio* non habet Editio Romana, ſed ponit nullo ſenſu *juravit ſpiritali*; tum ſequitur ut hic; *inter quos &c. Manſ.*

tendatis. Quod ſi forſitan aliquis veſtrum aliter quam dicta fuerint, ſenſerit, ſine aliquo ſcrupulo contentionis in noſtrorum omnium copulatione, ea ipſa de quibus dubitaverit conferenda reducat, qualiter, Deo auxiliante, aut doceri poſſit, aut doceat. Deinde ſimul vos obteſtatione conjuro, vel obſecro, ut nullus veſtrum in judicando, aut perſonam accipiat, aut quolibet favore, vel munere pulſatus, a juſto judicio ſcienter avertatur aut diſcedat: ſed tota pietate eum, qui cœtui noſtro ſe judicandum intulerit, retractate. Ut nec diſcordans contentio ad ſubverſionem juſtitiæ inter nos locum inveniat; nec in perquirenda æquitate vigor veſtri ordinis vel ſolicitudo tepeſcat. Data *ut ſupra*.

## CLIII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Romam ad ſynodum cum ſuffraganeis accedat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Romano archiepiſcopo ſanctæ Ravennatis eccleſiæ.*

Nicæni concilii cap. 5. ſynodus bis in anno celebranda.

CAnonicis ſanctorum patrum jubentibus regulis bis per annum concilia epiſcoporum eſſe omnimodis celebranda; nos ob id pro multiplicibus eccleſiarum Dei utilitatibus, & neceſſitatibus, ſynodum octavo Kalendas Majas, Domino annuente, celebrare cupimus. Ideo jubemus dilectioni veſtræ, ut omni mora poſtpoſita, vos cum omnibus ſuffraganeis veſtris epiſcopis prædicto tempore Romam venire ſtudeatis: quatenus eamdem ſynodum nobiſcum æqualiter celebretis, ac de communi ſalute conſideretis. Data III. Nonas Martias.

## CLIV. AD EUMDEM.

Ut Luponem presbyterum in Sarſennati eccleſia epiſcopum ordinet.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Romano archiepiſcopo ſanctæ Ravennatis eccleſiæ.*

RElatione quorumdam comperimus, quod eum, quem vobis ordinandum epiſcopum ſanctæ Sarſennati eccleſiæ Luponem videlicet venerabilem presbyterum, * poſtpoſito noſtræ voluntatis, & juſſionis mandato conſecrare poſtponatis; ſed alium pro eo cupiatis nihilo minus ordinare: quod ſane, ſi verum eſt, valde miramur, vos a ſponſione, quam nobis polliciti eſtis, quolibet modo vel occaſione velle retrahere. Unde more paterno dilectionem veſtram his noſtris apoſtolicis monemus, hortamur, atque jubemus apicibus, ut veſtræ promiſſionis memores, præfatum Luponem presbyterum, ſicut vobis commiſimus, continuo, ac præſentialiter jam dictæ eccleſiæ antiſtitem ordinetis (nam ſi aliter feceritis, & tam cito, ipſo ſcilicet veſtræ ordinationis) initio vos a noſtræ voluntatis decreto ſubtrahere cognoverimus; canonicis correctionibus, velut inobedientem corripere nullatenus prætermittemus.

* f. deeſt mandavimus

Anſulis incluſa ſupplevi ex Ed. Rom.

## CLV. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Ut Romam ad ſynodum celebrandam cum ſuffraganis accedat, ubi de imperatoris electione agetur: jubet, ne quemquam regem excipiat, antequam ipſe imperatorem elegerit: niſi paruerit, eum excommunicat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Anſperto archiepiſcopo ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ.*

QUantæ neceſſitatis aſſidue ſuſtinuerimus incommoda, quantæque perturbationis nunc uſque paſſi ſimus, & quotidie patiamur adverſa, fraternitatem veſtram noſſe luce clarius non ignoramus: pro quibus nimirum malis ſedis apoſtolicæ ab inimicis nequiter illatis, per procellas & in periculoſa maris itinera ire, & defenſionis auxilium nos quæſiſſe mecum pariter ſcitis. Sed quia humanum præſentialiter ſubſidium non reperimus, divinum ut potius quæramus, communique voto ut a Domino flagitemus, frater mi neceſſe eſt. Propter quod fraternum ſanctitatis veſtræ collegium his noſtris apoſtolicis literis more præceſſorum noſtrorum vocamus, & in conſortium noſtræ ſolicitudinis apoſtolica dumtaxat auctoritate adſciſcimus; & quaſi membrum capiti ſuo adhærens ad Kalendas Majas hujus duodecimæ indictionis ad ſynodum, auxiliante Domino, nobiſcum celebraturos cum omnibus ſuffraganeis veſtris epiſcopis Romam venire jubemus, ut ſuperna gratia freti, ea quæ neceſſario ſunt amputanda, eccleſiaſtico receſemus mucrone: & quæ utiliter ſunt ſtatuenda, communi, Deo propitio, ſtatuamus decreto; ne per veſtram abſentiam, atque deſidiam regnum hoc amplius in perturbatione perſiſtat, & fiat ſcandalum pejus priore. Et quia Carolomannus corporis, ſicut audivimus, incommoditate gravatus, regnum retinere jam nequit, ut de novi * regis omnes pariter conſideremus, vos prædicto adeſſe tempore valde oportet: & ideo antea nullum abſque noſtro conſenſu regem debetis recipere. Nam ipſe, qui a nobis eſt ordinandus in imperium, a nobis primum, atque potiſſimum debet eſſe vocatus atque electus, quoniam & nos una cum veſtra fraternitate cupimus pertractare & de hoc, & quo tenore vel ordine communes cauſas, & utilitates eccleſiarum Dei nobis commiſſarum ordinemus & jure canonico ſtatuamus: quatenus tantorum malorum onera, quæ ſuſtinemus, procul abjicere, & leve jugum Chriſti lætis, ut condecet, poſſimus cervicibus ferre. Quapropter nullam in veniendo excuſationem habeatis, ſed alacri mente occurrere, & ad jam dictam ſynodum venire procuretis, quam ſane & canonica ſanctorum patrum regula bis in anno fieri jubet, & inſtantis temporis neceſſitas magna compellit. Nos enim paterno vos affectu diligentes pro communi utilitate vocamus, quamvis jam tertio jampridem dilectio veſtra vocata ad ſynodum venire contempſerit. Pro quo dignam debueratis correctionis ſuſtinere cenſuram, cum a ſede apoſtolica vobis ſemper fuiſſet collatum præſidium, & vos nullum in quibus oportebat ſtuderetis præbere ſolatium: nunc autem, ſi ad eamdem ſynodum venire contempſeritis, ſcitote canonicam a nobis in vos velut inobedientes promulgari ſententiam.

* f. deeſt electione. Imperator a ſummo pontifice eligitur.

CLVI.

## CLVI. AD GAIDERIM PRINCIPEM BENEVENTANUM.

**Conſolatur eum de damnis ab Agarenis illatis, auxilium pollicetur, ſeque in ejus partes venturum.**

*Dilecto filio Gaideri glorioſo principi Beneventanorum.*

EPiſtolas ſane a veſtra dilectione tranſmiſſas cum parte gratulationis, fateor etiam & mœroris accepi; quantoque in eis gaudens exultavi veſtram devotionem intimo mentis affectu circa obſequium ſanctorum apoſtolorum Petri, Pauli compertam, tanto nihilo minus triſte paſtorali ſo- B licitudine tuli, preſſuris, atque Agarenorum deprædationibus terræ veſtræ auditis: quapropter cum vaſe electionis compellor dicere, & lacrymabiliter
1. Cor. 11. exclamare: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non uror?* ſed inter hæc
Joan. 16. meminiſſe debemus illius qui ait: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, quoniam ego vici mun-*
1. Joan. 4. *dum*: & apoſtolus: *Major eſt qui in nobis eſt, quam qui contra nos eſt*. Quocirca dilectiſſime fili, hortor, admoneo, apoſtolica auctoritate ſuadeo, interim patienter Domini miſericordiam deprecando continuis obſecrationibus malorum ſufferre gravamina. Quoniam nos, Chriſto opitulante, ad patriæ veſtræ liberationem pro virium facultate tantum præ ceteris mortalibus habebitis adjutorem C enixius, quantum attentius compatimur: quod re-
* Labendæ. bus ipſis præſentialiter* ſub redderemus, niſi in itinere penitus hoc tempore equorum pabula defeciſſent, quibus ſtatim greſſus movere in veniendo prohibemur. Sed redemptoris noſtri gratia duce, peracta ſolemnitate paſchali, venire ad veſtras partes accelerabimus; & una vobiſcum poſiti, quidquid conſilii, quidquid ſolatii, atque adjutorii pro Chriſtiani populi liberatione adinvenire poterimus, libentiſſime procurabimus. Optamus gloriam culminis veſtri in Chriſto ſemper bene valere. Data *ut ſupra*.

## CLVII. AD AJONEM EPISCOPUM.

Commendat ejus erga ſe obſervantiam: certiorem eum de ſua incolumitate reddit, tum conſolatur de obitu fratris.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Ajoni venerabili epiſcopo.*

QUod veneranda fraternitas tua pro ſanctarum Dei eccleſiarum ſublevatione longe ab urbe aliquamdiu noſtram abſentiam benigna animi compaſſione condoluit, viſcera mentis ſuæ repleta Chriſti caritate patenter oſtendit, & debitam, imo mutuam dilectionem ſanctis Dei apoſtolis per nos condigne ſtuduit conſervare, a quibus procul dubio meritorum retributionem in finem recipiet. E Soſpitatem, quam in nobis veſtra ſitibunde atque ardenter requirit fraternitas, Domino donante, eam parte corporis aliquatenus habere videmur; ſed inter tot fluctus mundi, tantaſque undarum procellas, quæ ſalus iſtius vitæ poteſt eſſe ſaltem ad momentum tranquilla? præſertim morte veſtri germani audita, veſtris filiorumque cariſſimorum tam crebris tribulationum anguſtiis. Sed inter hæc nos convenit toto conamine mentis ad illam patriæ cæleſtis vitam corda ſuſtollere, in qua pax ſemper ineſt, & vera ſecuritas: quoniam *quamdiu ſumus in corpore*, juxta apoſtolum, *peregrinamur a* A *Domino*, vobis veſtræque patriæ ſecundum officium a Deo nobis collati miniſterii, pro virium impoſſibilitate inhianter cupimus impertiri ſolatium. Data *ut ſupra*.

## CLVIII. AD DAFERIUM COMITEM.

**Conſolatur Daferium, eique opem pollicetur.**

*Dilecto filio illuſtri nobili viro Daferio comiti.*

PErfectionem cordis Gaideris principis conſanguinei veſtri, veſtramque in Deum valde gaudemus, obſecrantes, ut qui cœpit in vobis operetur, atque perficiat opus bonum uſque in finem. B Tribulationibus, atque anguſtiis veſtris in tantum compatimur, ut veſtros dolores manu cogitationis in noſtro corde tangamus: ſed confidimus in æterni conditoris miſericordia, quia in proximo aderit ejus auxilium, qui per prophetam admonet dicens: *Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te,* Pſal. 49.
*& magnificabis me:* nos etenim in tantum paratos habetis in veſtrum adjutorium, ut cum opportunum tempus fuerit, pro fratribus animam ponere non recuſemus. Equum quem nobilitas veſtra petiit, cum veſtros fines attigero, dare me vobis libenter denuncio. Data *ut ſupra*.

## CLIX. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

C

Ut ſibi indicet locum, ubi ſimul poſſint de communis patriæ ſalute colloqui.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo dilectoque confratri, & conſiliario noſtro Athanaſio epiſcopo ſanctæ Neapolitanæ eccleſiæ.*

SCientes vos procul dubio fideles in omnibus, atque devotos eſſe ſanctæ ſedi apoſtolicæ, noſtræque paternitati totis præcordiis noſtris fraternitatem veſtram oppido diligimus & amamus: quamobrem pro multiplicibus inſtantis temporis neceſſitatibus, atque communibus utilitatibus vobiſcum ſpeciali præſentia loqui cupimus: quatenus D veſtro conſilio, communique tractatu ea quæ neceſſario ſunt conſideranda, perſpicaciterque tractanda, ſalubriter, Domino annuente, ordinare, ſtatuereque poſſimus. Quoniam noſtræ ac veſtræ terræ ſalutem, totius videlicet populi pretioſo Chriſti cruore redempti, paſtorali dumtaxat more deſideramus perficere, & idcirco, ut pertinax inimicorum comprimatur audacia, vobiſcum pariter cupimus convenire. Quapropter volumus, ut locum etiam noſtræ collocutioni, quem aptum eſſe cognoſcetis, noſtro præſulatui, veſtris ſub celeritate ſignificetis apicibus. Quia nos, Deo propitio, illuc ſine mora properare, & una vobiſcum alacriter loqui non prætermittemus. Data *ut ſupra*.

## CLX. AD CAROLUM REGEM.

E

Hortatur ut legatos mittat, & in auxilium eccleſiæ Romanæ veniat.

*Carolo regi.*

REgalis excellentiæ veſtræ literas recipientes, atque relegentes, ut in eo, quod antea noſtro præſulatui direxiſtis, veſtro videlicet amore, dilectioneque maneremus, non ſolum, ut jam olim retulimus, verum etiam magis ac magis noſtræ voluntatis affectum ad veſtræ exultationis cumulum

lum ampliare magnopere cupimus, atque in omnibus ceu cariſſimum filium vos retinere procul dubio ſatagemus. Tantum ut quo celerius, ſicut mandaſtis, veſtros idoneos legatos ad nos dirigere poteſtis, aliquatenus non prætermittatis; cum quibus ſane & exaltationem ſanctæ ſedis apoſtolicæ, & iſtius terræ ſalutem, veſtrumque honorem* proſligare, conſiderareque firmiſſime valemus. Et ideo veſtræ magnitudinis gloriam exhortamur, ut præcingentes quaſi vir lumbos tuos, & potentiæ Dei brachio adverſus inimicos potentiſſime roborati, jam ipſi venire non dubitetis; quoniam ſi tantæ calamitatis preſſuram, quam ſancta Romana mater veſtra eccleſia, & ipſius terra quotidie ab inimicis patitur, cognoviſſetis, nobiſcum utique pariter doleretis. Quapropter, fili cariſſime, antequam inimicorum inſidiæ plus accreſcentes prævaleant, noſtram devotionem, atque conſilium pio intuitu attendere nullo modo deſinatis, ſed more parentum veſtrorum ea, quæ neceſſaria ſunt nobis, inſtantiſſime peragatis; quia noſtri apoſtolatus ulnis extentis alacriter amplecti regalem præſentiam veſtram deſideramus. Tertio Nonas Aprilis, indict. xii.

* ſ. inveſtigare.

## CLXI. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Commendat ejus erga ſe obſervantiam: de ſuo incolumi reditu certiorem ipſum facit: hortatur ad perſeverantiam, donec ſimul conveniat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Athanaſio epiſcopo Neapolitano.*

QUia non ſolum tuis præcipue actibus, quibus devotionem ſanctitatis tuæ circa nos fideliſſimam oſtendiſti exiſtere; verum etiam nobis longe pro eccleſiæ ſtatu manentibus quomodo eam illibatam in omnibus conſervaveris, fidelium noſtrorum relatione didicimus. Quamobrem dignas tuæ dilectioni referimus grates, innoteſcentes ſane noſtri præſulatus reverſionem juxta deſiderium tuum eſſe, Deo favente, proſperam, atque incolumem. Ideo more apoſtolicæ paternitatis almitatem tuam monemus, cum apoſtolo dicentes: *Confortare in Domino, & in potentia virtutis ejus: quoniam fidelis eſt Deus, qui non deſeret, ſperantes in ſe tentari ſupra quam poſſunt, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Tua igitur reverentia in his inſtantis adverſitatis caſibus aliquatenus non frangatur: quin potius in Deo confidens roborata conſiſtat, donec, Chriſto adjuvante, nos vobiſcum ſpeciali præſentia juncti ſimul loquamur. Quia tunc, Deo permittente, cuncta quæ neceſſario ſtatuenda ſunt communi eloquio, atque conſenſu pertractata provenire credimus in ſalutem. Tamen noſtræ voluntatis affectum per Petrum venerabilem diaconum tuum, communemque fidelem, tuæ dilectioni innoteſcendum mandavimus, quoniam te quaſi proprium filium diligentes in omnibus noſtris volumus habere conſortem. Data *ut ſupra*.

Epheſ. 6. 1. Cor. 10.

## CLXII. AD EUMDEM

Ejuſdem argumenti.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Athanaſio epiſcopo ſanctæ Neapolitanæ eccleſiæ.*

MUltas gratiarum actiones, atque ſalutes almitatis veſtræ his noſtris apoſtolicis referimus literis. quia nobis pro communi utilitate longe conſiſtentibus, quaſi præſentibus ſinceritatem devotionis, & fidei veſtræ circa ſanctam Romanam eccleſiam matrem veſtram, noſtrumque pontificium, atque circa fideles noſtros promptam in omnibus oſtendere procuratis. Quamobrem nulla inimicorum verſutia, vel calliditas, vos a bono mentis propoſito in aliqua ſiniſtræ cogitationis, aut voluntatis partem inclinet: ſed ſicut cœpiſtis, perficere omnimodo ſatagite: quia & meritum, & condigna retributio vobis, Chriſto favente, provenit. Nam licet inimicorum nos præpediente fraudulenta nequitia, non omnia quæ volebamus ex toto potuiſſemus perficere; nunc tamen, annuente Domino, quod ad honorem ſanctæ Dei eccleſiæ, & iſtius terræ ſalutem, veſtramque defenſionem pertinent, jam cœptum habemus, credimus nos incunctanter acturos. Proinde hortamur nihilo minus & monemus dilectionem veſtram, ut ſicut hactenus, ita deinceps viriliter ac firmiter conſiſtatis, donec ſpeciali præſentia adjuncti ſimul loquamur, & pro communi ſalute pariter laborantes, totis conatibus deſudemus. Quoniam velut cariſſimum te filium retinere cupientes, benigne amplectimur, & tecum in omnibus congratulari feliciter cupimus: quia ut dictum eſt, pro certo ſcias te dignam nobis compenſationem eſſe procul dubio recepturum. Hunc vero diaconum tuum, qui pro tuo amore in noſtro ſervitio tanto tempore fideliter manſit, ſanctitati veſtræ in omnibus commendamus, ut dignum a vobis recompenſationis honorem percipiat. Data *ut ſupra*.

## CLXIII. AD ARCHIEPISCOPOS, EORUMQUE SUFFRAGANEOS.

Ne Bicbertinum ante cauſæ diſcuſſionem excommunicent.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, Aureliano, & Otteramno, nec non & Theodorico, & univerſis coepiſcopis veſtris.*

OMnium veſtrum ſanctitati notum eſſe volumus, veniſſe Bicbertinum deferentem imperatoris præceptum, & commutationis chartulam de rebus quas carius cum Amulo archiepiſcopo dudum celebraverunt. Inſuper noſtro apoſtolatui intimavit, ut eum ſine ratione diſcuſſa excommunicare vultis. Quapropter apoſtolica auctoritate jubemus, ut nemo veſtrum eum excommunicet, antequam ad legis examen proveniat. Scitote, quemadmodum in centeſimo capitulo Africani concilii legitur, ſimiliter in ſecundo novellarum Juſtiniani libro, ut nemo epiſcopus aut presbyter aliquem excommunicet, antequam cauſa probetur. Qui excommunicatus majorem ſacerdotem adeat, & ille qui injuſte excommunicavit, ab ipſo juſte patiatur. Et nemo veſtrum, aut quilibet laicorum, præfati res ante legis ſanctionem invadere audeat. Nam, quod non credimus, ſi quis contra hanc noſtram apoſtolicam auctoritatem ire tentaverit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum. Data *ut ſupra*.

## CLXIV. AD BOSONEM COMITEM.

De incolumi ejus proſperitate gratulatur: ſe tum eum, tum Angelbergam imperatricem caros habere oſtendit: rogat ut Adelberto & illius conjugi Rotildæ bona, quæ in provincia poſſederant, retinere permittat.

*Dilecto filio Boſoni glorioſo principi.*

QUia literis nobilitatis veſtræ relectis vos incolumes cum optata proſperitate vigere didicimus, plurimum ſumus læti effecti: nam veſtræ dilectionis amore apoſtolica ſemper cupimus benignitate manere devoti, & ea quæ vobis utilia, vel proficua eſſe videntur, alacri dumtaxat mente perficere, nec pro aliquo homine veſtram nobis dilectam amicitiam relinquamus: ſed pio potius intuitu in omnibus conſervare illæſam. De parte autem ſpiritualis filiæ noſtræ Angelbergæ imperatricis cariſſimæ matris veſtræ pro certo ſcitote, quoniam paterno eam affectu ſemper dileximus, & quamdiu, auxiliante Domino, vixerimus, diligere noſtroque apoſtolico ſubſidio adjuvare, tuerique magnopere deſideramus; nec non & quaſi cariſſimam & ſpiritalem filiam glorioſius retinere. Porro de veſtræ voluntatis actione, quam dicitis exhibere, nos ſine dubio in veſtra amicitia conſtantes habebitis. De parte quoque Adelberti glorioſi marchionis, ſeu Rutildæ comitiſſæ conjugis ejus, cognoſcat nobilitas veſtra, quod vobis in omnibus fideles, & devotos amicos eos eſſe cognoſcimus: ideo rogamus, ut eorum comitata in provincia poſita, ſicut jam tempore longo tenuerunt, ita deinceps pro noſtro amore ſecuriter habeant. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto manere perpetuam. Data *ut ſupra.*

## CLXV. AD LIUDTEFRIDUM COMITEM, EJUSQUE CONJUGEM.

Excommunicat eos, quia monialem monaſterio rapuerant.

*Liudtefrido comiti & conjugi ſuæ.*

QUia contra divina, & legum præcepta temerarie agere non erubuiſtis, ita ut calcato Dei timore Garelindam ſacro velamine tectam, & in monaſterio Angelbergæ dilectæ filiæ noſtræ imperatricis Auguſtæ, ſub profeſſione regulari diutiſſime converſatam, quod Placentiæ ſitum eſt, abſtrahere fraudulentiſſima ſuaſione auſi fueritis; tam diu te, tuamque conjugem auctoritate ſancti Spiritus Domini noſtri a corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeparamus, & a conſortio Chriſtianitatis, donec prædictam feminam Garelindam, loco unde deganaſtis, reſtituatis. Quod ſi hoc neglexeritis, anathematis vos vinculis innodamus. Data *ut ſupra.*

## CLXVI. AD VVIBERTUM EPISCOPUM,

Arguit eum, quod bis vocatus ad ſe venire neglexerit: præcipit ut veniat objectis reſponſurus.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Vviberto venerabili epiſcopo.*

JAm enim ſanctitati tuæ bis miſimus ut ad nos venires, ſed ignoramus qua temeritate non obedias: iterumque mittimus, ut omnibus tuis poſthabitis ſeriis, ad nos præſentialiter acceleres: quoniam multi ſupra te reclamant, maxime hic ſenex, qui ob hoc jam Romam venit pro ſuo monaſterio. Çeterum ſapias, ſi venire diſtuleris, te excommunicandum, ſi perſeveraveris in tua * etiam a communione alienandum. Data *ut ſupra.*

* *f. deſp.*, obſtinatione,

## CLXVII. AD BERENGARIUM COMITEM.

Declarat ſuam in eum benevolentiam: commendat ejus erga Romanam eccleſiam obſervantiam: rogat ut Stephanum epiſcopum in tuendis eccleſiæ ſuæ juribus adjuvet.

*Dilecto filio Berengario glorioſo comiti.*

QUia præceſſores noſtros, ſacros videlicet pontifices imitantes, qui glorioſos progenitores veſtros dignis ſemper honoribus glorificaverunt, vos quaſi dilectum & ſpiritalem filium paterno cupimus affectu diligere, & glorioſum in omnibus retinere. Nam ſicut per Demeum eximium ducem, & fidelem noſtrum nobis intimando mandaſtis, quod erga ſanctam ſedem apoſtolicam, & noſtram paternitatem, vos in omnibus devoti, & obedientes eſſe deberetis, omnemque noſtram voluntatem, quaſi filius cariſſimus adimpleretis, multum fuimus gaviſi: ſed quia iterum per Petrum venerabilem epiſcopum, & Joannem inſignem ducem vobis mandavimus, ut adjutores fuiſſetis Stephano venerabili epiſcopo, quem nos in Comiaclo præordinavimus, quatenus veſtro auxilio adjutus eccleſiæ ſuæ jura, & poſſeſſiones, atque ipſius curam ducatus retineret ſecurus, & veſtro minime audivimus adjutum eſſe auxilio, valde miramur. Quapropter rogamus nobilitatem tuam, ut tale jam dicto epiſcopo noſtro adjutorium faciatis, per quod ſuam eccleſiam, & miniſterium ſibi commiſſum ſecuriter retinere, atque diſponere valeat. Et ſi forte, quod non credimus, veſtra eſt circa nos voluntas mutata, ut audire nos de hoc non cupiatis; petimus ut pro amore Dei & noſtro omnes veſtros homines prohibeatis aliquam ibi noſtris contrarietatem facere, ut abſque illorum impedimento nobis illos liceat ſecundum noſtram poſſibilitatem caſtigare veluti rebelles & inobedientes noſtræ apoſtolicæ juſſioni, ne cenſum, quem his annis tranſactis duobus exinde perdidimus, & iſtius anni perdamus. Data *ut ſupra.*

## CLXVIII. AD PANDENULFUM COMITEM.

Rogat ut legatis imperatoris per ejus regionem tranſituris auxilium præſtet: condolet de Paganorum in eum incurſione: excuſat ſe, cur ad eum non eat: hortatur ut ſit animo forti, promittitque ſubſidium.

*Dilecto viro Pandenulfo glorioſo * comiti*

MUltiplices nobilitati veſtræ his noſtri præſulatus apicibus gratias agimus, qui veſtram devotionem atque dilectionem, quam noſtræ voluntatis præceptis parendo alacriter oſtendiſtis, in omnibus ſinceram & obedientem fore incunctanter agnoſcimus, cum præſentem hunc Græcum imperialis bajuli hominem noſtris direxiſtis obtutibus præſentandum incolumem. Sed quia imperiales miſſi, ceu in ipſius bajuli reperimus literis, per vos tranſituri ſunt; quatenus ad noſtram apoſtolicam præſentiam veniant, petimus nobilitatem veſtram

* comiti Capuano, ut ex ſequenti epiſtola conſtat. ejus meminit Leo in chronico Caſſinenſi lib. 1. cap. 41.

ſtram, ut pro noſtro amore, & ipſos veſtros auxilio munitos, proſpero, annuente Domino, nobis itinere dirigatis. Quod autem multiplici Paganorum incurſione vos gravatos aſſeritis, condolemus; maxime quia veſtri concives circumquaque poſiti cum eiſdem perditionis filiis fœdus inire procurant: quamobrem noſtram his veſtris in partibus neceſſario præſentiam præſtolamini affuturam. Nos vero ſicut jampridem mandavimus, pro communi dumtaxat utilitate atque ſalute, omni annixu venire magnopere cupimus, quamvis & de aſſidua corporis incommoditate, & de peracto jam Franciæ itinere adhuc maneamus deſeſſi. Nunc igitur ante prædictorum imperialium miſſorum adventum illuc properare nequimus: cum vero eorum legationem nobis delatam congruis, Deo propitio, reſponſionibus utentes audierimus; tunc quid utilius agendum ſit, pro viribus agere omnino curabimus. Vos tamen in Domino confidentes animo eſtote conſtanti, qui non deſerit confidentes in ſe, ut inter ceteros veſtros proximos atque vicinos efficaciores ac potiores in omnibus appareatis: quoniam noſtro apoſtolico vos præſidio, prout opportunum fuerit, quaſi cariſſimos filios adjuvabimus. Data *ut ſupra*.

## CLXIX. AD GREGORIUM PRIMICERIUM.

Commendat ejus ſtudium erga eccleſiam & imperatores: ſignificat ſe ad Conſtantinopolitanæ eccleſiæ perturbationes ſedandas paratum eſſe: oſtendit imperatoris legatos honorifice ſe excepturum, quos etiam a comite Capuano recipi, & ad ſe mitti jam antea mandarat.

*Dilecto viro Gregorio glorioſo primicerio, & imperiali bajulo.*

LIteris tuis, quas nobis per Stephanum candidatum fidelem tuum direxiſti, relectis, devotionis tuæ ſinceritatem & fidem, quam circa eccleſiam Dei, & glorioſiſſimos imperatores habes Auguſtos, enucleatius agnoſcentes, plurimum collaudamus. Et ideo ſacris orationibus noſtris, ſicut ſupplici voto poſtulaſti, Domino commendare, ut & a viſibilibus & inviſibilibus ſecurus, ac victor exiſtas, omnino ſtudemus. Et quia magno imperatori tuo eccleſiam Dei pacificari volenti, nos ut favere debeamus hortaris, id juxta noſtri officii magiſterium prompta dumtaxat agere voluntate divinitus adjuti curamus: quoniam, dicente apoſtolo, eccleſiarum Dei omnium nobis ſolicitudo incumbit. Quapropter more prædeceſſorum noſtrorum pontificum, Coſtantinopolitanam eccleſiam multiplicibus ſcandalis nunc perturbatam, prout juſtum eſt atque poſſibile, ſedare volumus, & pacem perpetuam ſtabilire. Præterea legati imperiales, quos ad noſtra apoſtolica faſtigia dicis eſſe directos, ſi venerint, competenti a nobis recipientur honore, & Auguſtalem per eos nobis delatam legationem clementer recipiemus; atque ipſius legationis textum, & ordinem cognoſcentes, una cum ſedis apoſtolicæ nobis commiſſæ aſſenſu, quantum fas eſt, pro eccleſiæ Dei pace imperiali voluntati favere omnino ſtudebimus. Pro quibus etiam miſſis, Pandenulfo Capuano comiti ſcripſimus, ut eos venientes recipiat, & pro noſtro amore proſpero nobis itinere, Domino annuente, dirigere ſtudeat. Nunc ergo iidem miſſi præſentialiter Romam venire procurent: quia nos aliis cauſis impediti, iſtas in partes modo, ſicut diſpo-

A ſitum habuimus, properare non poſſumus. Data *ut ſupra*.

## CLXX. AD THEODOSIUM PATRIARCHAM HIEROSOLYMITANUM.

Excuſat tardum legatorum ejus reditum, per quos quædam munera ad eum mittit, rogans ut pro ſe aſſidue Deum deprecetur.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Theodoſio patriarchæ ſanctæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ.*

NOtum eſſe volumus ſanctitati veſtræ quia præſentes monachi veſtri, Theodoſius videB licet, David, & Saba venientes Romam ad limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, demorati ſunt ibi eo quod nos pro noſtræ eccleſiæ cauſis & utilitatibus Franciam perrexeramus. At ubi, Deo volente, reverſi ſumus incolumes, eis ad veſtram paternitatem revertendi licentiam dedimus, per quos nimirum, cauſa caritatis, aliquam licet modicam beati Petri apoſtoli benedictionem fraternitati veſtræ mandavimus. Quam petimus, ut pro Dei, & ipſius apoſtolorum principis amore, noſtraque dilectione benigne recipiatis: quoniam nimia Paganorum oppreſſione gravati, plura, ut volebamus, dirigere non potuimus. Rogamus præterea ſanctam veſtram in Domino caritatem, ut in ſanctis orationibus veſtris C noſtri ſemper memores exiſtentes, pro nobis preces Jeſu Chriſto Domino noſtro quotidie fundere alacri animo dignemini cariſſime frater. Data VI. Nonas Maii.

## CLXXI. AD CAROLOMANNUM REGEM

Ut in Vercellenſi eccleſia Goſpertus diaconus conſtituatur epiſcopus.

*Dilecto ac ſpiritali filio Carolomanno glorioſo regi.*

MUltorum relatione didicimus, quod eccleſia Vercellenſis nunc valde turbata & quotidianis commota ſcandalis conſiſtat, dum in duas D partes populus pro epiſcopi electione diviſus, alii unum, alii vero alterum eligere, habereque contendant & cupiant; electumque enormiter defendere uterque procuret. Sed quia juxta noſtri miniſterii apoſtolicum officium & ſolicitudinem omnium eccleſiarum Dei, nobis in ipſo apoſtolorum principe commiſſam, juxta canonicam etiam ſanctorum patrum regulam dicentem: Si diviſio clericorum vel populi extiterit, & de futuri electione pontificis contentio fuerit oborta, nullum ex his duobus in throno epiſcopali eſſe aliquatenus conſecrandum, ſed alterius electionem fieri debere ſacerdotis eccleſiæ proprio deſtitutæ rectore, & ob id perturbatæ, jura pacis ferentes ſubvenire debemus. Regiam excellenE tiam veſtram rogamus, ut pro amore Dei & S. Petri, ac noſtræ paternitatis dilectione, ipſum Vercellenſem epiſcopatum huic nobiliſſimo viro, Goſperto videlicet venerabili diacono, vobis bene cognito, communique fideli noſtro ac veſtro, quem pro eccleſiaſticis utilitatibus in ſervitium veſtrum direximus, placido de præſentia modo tribuatis. Quoniam vere cognoſcimus hunc in omnibus tam civilibus, quam etiam eccleſiaſticis cauſis ſtrenuum atque utiliſſimum fore, nobiſque non mediocriter fideliſſimum. Quapropter ad veſtræ præſentis, & futuræ gloriæ augmentum, hoc vos nobis concedere petimus, hanc

primam

primam noſtri pontificii juſtam petitionem veſtra regalis alacriter perficiat magnitudo; ut & nos veſtram libenti poſſimus animo perficere voluntatem, cariſſime fili: quoniam ſic veræ dilectionis unanimitate, pioque amoris affectu videbimur manere conjuncti, ſi nos ea quæ cupitis, apoſtolica dumtaxat perfecerimus auctoritate; & vos item veſtro regali jure noſtri deſiderii preces audire cum jucunditate procul dubio ſtudueritis. Talem namque progenitores veſtros invictiſſimos imperatores Auguſtos circa deceſſores noſtros, ſanctos videlicet Romanæ ſedis antiſtites, habuiſſe dilectionem recolimus, ut quidquid ab alterutra parte petebatur, omni poſtpoſita occaſione mox efficaciter compleretur. Ita vero & noſtra nunc pontificalis a Deo conſervata majeſtas, & veſtra regia magnitudo, ſibimet debent placide ſavere viciſſim. Data *ut ſupra*.

## CLXXII. AD CAROLUM REGEM.

Hortatur ut quamprimum contra infideles & eccleſiæ oppreſſores auxilio veniat.

*Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.*

MIramur quia vos ſæpius exhortantes ut ad exaltationem ſanctæ Dei eccleſiæ, veſtrumque honorem, & totius terræ noſtræ defenſionem veniretis vocavimus, & hactenus diſtuliſti. Credere namque nobis poteſtis, quod nimia undique tam Paganorum quam malorum Chriſtianorum perſecutione gravati, undique concuſſi, talia quæ jam a longo tempore patimur, ſufferre nequimus: & ideo iterum admonemus, ut toto conamine, ſicut vobis mandavimus, procul dubio attendatis. Nam pro certo ſcire debetis, quoniam pro nullius hominis lucro, vel blandimento, ſive terrore a veſtro nos conſortio, & veſtræ amicitiæ fœdere ſeparabimus: idcirco tantum viriliter agere ea, quæ nobis ac vobis proficua ſunt, nullatenus dubitetis. Sed præſtolando veſtrum adventum, diuque tardantem putavimus, ne forte Carolomanni glorioſi regis, germani veſtri prædicti, aliquo impedimento jam venire nequiſſetis: unde illi noſtram apoſtolicam direximus epiſtolam, admonentes, quia ſi hoc regnum amplius taliter occupatum ac inordinatum, & ſine defenſione tenuerit, animæ ſuæ detrimentum omnimodis fiet; nullumque vobis pro eccleſiæ Dei defenſione venientibus impedimentum aliquod facere præſumat. Quapropter quod agendum eſt veſtra regalis excellentia agere nullo modo deſinat: nam ſi per vos ſancta Romana eccleſia fuerit exaltata, atque defenſa, veſter honor, & gloria hic, & in futuro ſine dubio coram Domino multiplicata manebit. Data *ut ſupra*.

## CLXXIII. AD VVIBBODUM EPISCOPUM.

Ut una cum legatis, quos ad Carolomannum mittit, eat, vel aliquem vice ſua mittat, arguit, quod bona Angelbergæ diripi non prohibuerit: hortatur ut ea recuperanda curet.

*VVibbodo epiſcopo.*

QUoniam præ omnibus, qui in his videntur conſiſtere partibus, Deo dilectis ſacerdotibus, te utpote cariſſimum filium, & fratrem unanimem ſpecialius diligimus, & pro tanta tuæ ſinceritatis devotione, quam circa nos, & ſedem apoſtolicam habere dignoſceris, toto mentis affectu amplectimur, & idcirco reverentiam tuam pio nobis amore conjunctam cupimus apoſtolica ſemper benignitate fovere, auctoritate fulcire. Nunc igitur dilectioni tuæ notum eſſe volumus quia pro tot & tantis calamitatibus, quas, ſicut ipſe bene cognoſcis, aſſidue patimur, hos præſentes miſſos noſtros direximus, per te quaſi per quoddam oſtium intraturos ſpirituali filio noſtro Carolomanno glorioſo regi, cum quibus ſane, aut ipſe in ſervitium ſancti Petri alacri mente ire, omnemque noſtræ voluntatis cauſam, & neceſſitatem apud eumdem regem perficere ſtudeatis, aut fideliſſimum & idoneum a latere tuo virum dirigas; qui vicem tuam in omnibus ſagaciter poſſit explere. Nam tuo conſilio, & adjutorio . . . . eoſdem legatos noſtros munias hortamur, quatenus ſedis apoſtolicæ legationem, prout dignum eſt, & inſtantis temporis neceſſitas exigit, Deo propitio, perficere poſſint. Et quia eos ſine tarditate ire, ac reverti præcipimus, ne ultra tres dies illos penes te retinere procures; ſed habito mox conſilio quatenus ſalvi & ſecuri ad jam dictum regem proficiſcantur, aut nullatenus demorentur. Quod ſi fortaſſe ad Carolomannum pro ejus corporea infirmitate ire non poſſe contigerit, ad Carolum regem ipſius germanum eos quocumque modo proficiſci facito. Præterea veridico multorum relatu longe lateque reſonante didicimus, quod res & poſſeſſiones dilectæ ac ſpiritualis filiæ noſtræ, & ſancti Petri commendatæ Angelbergæ imperatricis ſint a quibuſdam malefactoribus omnimodis deprædatæ, non ſolum quæ foris extitere in agris & villis, ſed etiam quæ intus per venerabilia, & non violanda loca ſanctorum monaſteriorum repoſitæ fuerant: pro quo ſcilicet tam immani ſcelere, nefandoque piaculo ſanctimoniam tuam merito redarguimus. Quoniam ſacerdotii tui officium eſt, male agentes auctoritate divina corrigere, verbiſque ſalubribus cohibere, ne tacendo tales, proh dolor, imitari potius quam prohibere videaris. Eſt enim ex hoc peſſima fama univerſum diſcurrens per orbem, quod dominam quondam, & imperatricem veſtram, cui veſtram fidem per juſjurandum dediſtis, male tractatis, cui priſtinum honorem, dignamque reverentiam ſemper exhibere debueratis. Nunc itaque pro amore ſancti Petri, ſub cujus ſpeciali defenſione conſiſtit, eam adjuvare non prætermittas, quouſque ſua omnia quæ injuſte perdidit, * poſſit. Data *ut ſupra*.

* *ſ. deeſt* recuperare

## CLXXIV. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Hortatur ut ad obedientiam Romanæ eccleſiæ, a quo ſeductus receſſerat, cum ſua gente revertatur.

*Dilecto filio Michaeli regi Bulgarorum.*

QUia vos omnipotens Deus dono gratuitæ miſericordiæ ſuæ, gentemque veſtram ad cognitionem ſui nominis vocare dignatus eſt, meminiſſe debebatis hoc quod Dominus beato Petro apoſtolo dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*: cui vos in primordio Chriſtianitatis veſtræ ad regendum commiſiſtis, ejuſque ſucceſſoribus ad obediendum. Sed neſcio qua ratione ab ejus magiſterio, calliditate quorumdam eſtis abducti, ita ut

*Matth. 16.*

*[Galat. 3.]* cum apoſtolo dicamus: *Quis vos faſcinavit ei non obedire, cui dudum colla ſummiſiſtis?* aut illis credidiſtis, ut pace Græcorum loquamur, qui quotidie novis, & variis diſciplinis, atque dogmatibus confunduntur? Sed quæſo, fili cariſſime, ad ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ ſinum, quæ caput eſt, inſtituente Deo, omnium eccleſiarum in toto orbe diffuſarum, relictis ſuperfluitatibus, & ſeductionum ſcandalis, vos gentemque veſtram amore mentis, ſine mora reducite. Quia in tantum vos affectione paterna diligimus, ut in viſceribus Chriſti Jeſu eſſe cupiamus. Et ecce parati ſumus, ut vos lucrifaciamus, & quidquid legatorum noſtrorum offuſcatione nuper offenſum eſt, ad purum corrigere, & omnia maturiſſime redintegrando curare, B & ſi contigerit non ſolum compati, & condolere vobiſcum, ſed etiam pro ſalute animarum veſtrarum mori non recuſabimus, dicente Joanne apoſtolo: *[1. Joan. 3.]* *Quoniam Deus pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere.* Veſtræ tamen dilectioni convenit monitis paternis benigno amore ſemper præbere aſſenſum, & admonitionibus noſtris accommodare auditum: quia ille, cui a Domino claves regni cælorum ligandi, atque ſolvendi collatæ ſunt, quotidie & indeſinenter expandit brachia, & vos revertentes ad ſe gratulanter expectat; quatenus vos æterno paſtori reddat compotes æternæ beatitudinis: a quo accepit miniſterio ſui apoſtolatus animas veſtras redimere. Data *ut ſupra.*

## CLXXV. AD CONSILIARIOS MICHAELIS REGIS BULGARORUM.

Ejuſdem argumenti.

*Petro, Cerbulæ, & Sundicæ, ceteriſque optimatibus, conſiliariis dilecti filii noſtri Michaelis regis Bulgarorum.*

DEnique moneo veſtram omnium dilectionem, ut continuis adhortationibus, atque ſuggeſtionibus dilecto filio noſtro Michaeli glorioſo regi ſeniori veſtro annuncietis, voſque cum eo ad ſinum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quæ vos D æternæ beatitudinis cupit eſſe participes, redeat, ac redeatis; ne diutius quorumdam perverſi dogmatis ſuaſionibus perniciem, ac detrimentum, quod abſit, animæ veſtræ patiamini: quoniam nos in tantum amorem ſuper vos ducimur, ut quidquid juſte, & ſecundum Deum petieritis, a nobis impetrare valeatis, veſtriſque petitionibus irrefragabiliter velimus effectum annuere. Hoc iterum iterumque monemus, & in verbo Chriſti edicimus, ut redire ad nos omnino feſtinetis; quia, ſicut nos peccare timemus, ſi vos ad ſinum ſanctæ matris veſtræ non deducimus, ita vos in Deum peccabitis, ſi noſtram vocem audire omittatis. Data *ut ſupra.*

## CLXXVI. AD SEDESCLAVUM COMITEM.

Præcipit, ut legato, quem ad regem Bulgarorum mittit, iter tutum præbat, ac neceſſaria ſuppeditet.

*Dilecto filio Sedeſclavo glorioſo comiti * Sclavorum.*

*[* De Sclavis hiſtoria Miſcellanea lib. 17. in Mauricio l. 19 & 23.]*

QUia fama tuæ dilectionis, atque bonitatis, & religionis in Deum ad nos uſque pervenit, confidenter gloriæ tuæ præcipimus, A atque ma[n]damus, ut pro amore ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli protectorum veſtrorum, præfectum legatum, quem ad gentem Bulgarorum dirigimus, ſalvum atque incolumem venire faciatis uſque ad dilectum filium noſtrum Michaelem glorioſum regem eorum, & quæcumque ei ſunt neceſſaria ad victum & veſtimentum, illi pro Dei amore adminiſtrate, quia Dominus dicit in evangelio: *[Aimoinus lib. 4. c. 16. & 21. Cedrenus in Mauricio, Nicephorus lib. 18. c. 18.]* *Quamdiu feciſtis uni de minoribus iſtis, mihi feciſtis:* *[Matth. 25.]* & apoſtolus: *Hoſpitales invicem ſine murmuratione.* *[1. Petr. 4.]* *Quia per hanc latuerunt quidam, angelis hoſpitio ſuſceptis.* *[Hebr. 13.]* Agat, fili cariſſime, de hoc tua dilectio, ut æternæ vitæ præmia percipere valeat. Data *ut ſupra.*

## CLXXVII.

*Excommunicat Anſpertum, quia ad ſynodum vocatus venire contempſerat.*

ANſpertum Mediolanenſem archiepiſcopum quem Papiæ exiſtentes, & poſtmodum ad ſynodum Romæ pro multis eccleſiarum Dei neceſſitatibus collectam vocavimus, nec per ſe occurrere, nec excuſationem ſuam ſecundum ſacros canones in tractoria ſcripta nobis, & ſancto concilio, cauſa temeritatis, & inobedientiæ dirigere nolentem, virtute ſancti Spiritus, & principum apoſtolorum Petri ac Pauli, noſtraque auctoritate, cum conſenſu ſanctæ ſynodi, C corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti privamus, quouſque ſuam nobis præſentiam exhibere procuret. Data *ut ſupra.*

## CLXXVIII. AD GREGORIUM PRIMICERIUM.

Rogat ut legatos Conſtantinopolitanos ad ſe mittat: pollicetur, cum Francorum rex Romam venerit, ſe ad eum auxilio iturum.

*Dilecto filio Gregorio primicerio ac bajulo imperiali.*

REligionem tuæ caritatis in Chriſto, & in ejus eccleſia collaudamus; & ut magis ac magis in bono opere proficias exhortamur. Legatos ab urbe Conſtantinopolitana ad nos directos, per Beneventum, deinde per Capuam dirige: quoniam jam habemus præordinatum, qualiter, Deo volente, ad nos ſalvi atque illæſi perveniant. De noſtro ad vos adventu, quod tua, fili cariſſime, dilectio perſcrutatur, pro certo deliberatum habuimus; ſed rex Francorum ad nos properans ſuppliciter depoſcit, ut ab urbe non diſcedamus quoquam, donec ipſe perveniat. Qui cum, Domino protegente, venerit, cum valida manu, prout temporum dictat neceſſitas, illuc omni mora poſtpoſita ſtudebimus omnimodis E properare, pro totius ſanctæ Dei eccleſiæ, & omnium Chriſtianorum ſalvatione. Data VI. die Maii, indictione XII.

CLXXIX.

## CLXXIX. AD VVIBBODUM EPISCOPUM.

Ut apud Carolomannum, vel Carolum ejus fratrem, de eccleſia Dei a Paganorum infeſtationibus defendenda agat: & ſi archicapellanus Caroli Romam venerit, ipſe quoque veniat; ſin minus, eorum regum voluntatem ſibi literis aperiat.

*Reverendiſſimo VVibbodo epiſcopo, & dilecto conſiliario noſtro,*

CUm aſſidue vos quaſi cariſſimum filium in noſtro cupiamus habere obſequio, placeret nunc nobis pro inſtantis temporis multiplicibus B cauſis, veſtro ſagaci conſilio ſiui: ſed quia induſtriam veſtram ea quæ ad honorem ſanctæ Dei eccleſiæ, ac noſtrum pertinent, ſemper ubique agere fideli devotione velle, procul dubio credimus, nunc ad noſtram apoſtolicam venire præſentiam non gravamus. Quapropter veſtræ innoteſcimus dilectioni, quoniam aſſidua & ſupra modum gravi Paganorum infeſtatione gravati, cujuslibet regis jam cupiſſemus habere ſolatium. Unde ſi Carolomannum poſſe incunctanter agnoſcitis, apud illum; ſin autem, apud germanum & æquivocum ejus, Carolum videlicet glorioſum regem, cauſas & utilitates ſanctæ ſedis apoſtolicæ prudenti dumtaxat conſilio agere: &, Deo auxiliante, ad perfectum deducere ſatagatis; qua- C tenus priſtinum ejus honorem, atque vigorem ipſius, regia majeſtas, more videlicet parentum ſuorum, conſervet in omnibus. Præterea ſi talis archicapellanus jam fati Caroli regis, ſicut nobis mandaſtis, venerit, ad noſtraque apoſtolica veſtigia miſſus properare quæſierit, volumus ut cum eo ad nos pariter veniatis; ut communi tractatu, quid pro eccleſiæ Dei exaltatione agendum ſit, pariter conſideremus. Sin autem ipſe Romam non venerit, eo diligenter inquiſito, cauſas & voluntates, atque devotiones vel Carolomanni, vel ipſius germani jam dicti regis, nobis literis veſtris ſub omni certitudine præſentialiter innoteſcatis, ut quid proſpere agendum ſit, luce clarius agnoſcamus. Hujus quoque textum D epiſtolæ, ut nullus agnoſcat, cum legeritis, ſtatim igne comburite. Data *ut ſupra*.

## CLXXX.

*Scribit ſe tacitum tenere quod ſecreto ex ipſo audierat, & auxilium, quod promiſerat, ab eo omnino expectare: præterea ſe bene valere.*

SEcretum, quod, Deo auxiliante, vobiſcum Trecis exiſtentes habuimus, immutilatum, ac fixum noſtro apoſtolico pectore, quaſi quoddam theſaurum reconditum, procul dubio retinemus, & totis, vita comite, niſibus illud, E quantum in nobis eſt, alacriter optamus perficere. Quapropter, ſi excellentiæ veſtræ libet, jam hoc ipſum ad effectum debetis perducere. Quia juxta ſanctum apoſtolum admonentem: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*; [2. Cor. 6.] quibus, favente Domino, veſtra poteſtis efficaciter deſideria explere. Nos enim ſponſionem veſtram nimium præſtolantes, ſed uſque adhuc minime contemplantes, triſtes exiſtimus, eo quod aſſiduas & ſupra modum graves Paganorum infeſtationes omnimodis patiamur: & idcirco pro inſtanti neceſſitate alio dirigere, auxiliumque A opportunum prætermiſimus quærere. Unde, ſi placet agere, quod agendum eſt agite; ſin autem, nobis remandare ſine mora ſatagite. Quia vero de ſalute noſtra ſoliciti gaudetis, veſtræ innoteſcimus magnitudini, quia & proſperum, Chriſto duce, revertendo iter habuimus, & nunc corporea ſanitate bene valemus. Data *ut ſupra*.

## CLXXXI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Arguit eum, quod tertio vocatus ad concilium non venerit: præcipit ut ad ſynodum celebrandam cum ſuis epiſcopis accedat, & cum Francorum regibus, qui in Italiam fuerant ingreſſi, placitum non faciat: aliter excommunicationem minatur.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Anſperto archiepiſcopo Mediolanenſi.*

MUltæ inobedientiæ atque pernicioſæ temeritatis procul dubio reperiris obnoxius; cum nobis pro eccleſiarum Dei omnium juxta apoſtolum commiſſa ſolicitudine, populique ſalute, in hoc periculoſo tempore; neceſſitate ſcilicet nimia cogente, ſtrenue decertantibus, nullum, ut oportebat, præbere aſſenſum, nullumque veluti capiti tuo compatiendo, ſtuduiſti conferre ſolatium. Miſſis etiam apoſtolatus noſtri ſecundo, ac tertio per fratres, & coepiſcopos noſtros literis, in conſortium ſolicitudinis noſtræ te more præceſſorum noſtrorum, utpote idoneum comminiſtrum primum quidem in Galliæ, & poſtmodum Papiæ conſiſtentes canonice vocavimus, ſed minime occurrere voluiſti. Regulari etiam, & noſtra apoſtolica vocatione juſſimus, ut Romam pro tam multiplicibus neceſſitatibus in commune pertractandis, ac ſynodice deliberandis negotiis venire abſque quolibet obtentu ſatageres: ſed neque ſecundum canonicam ſanctionem, excuſationem tuam in tractoria ſcriptam, nobis & ſanctæ ſynodo per idoneum a latere tuo miniſtrum dirigere, neque ipſe potius venire, improvida dumtaxat mente, curaſti: ut una nobiſcum, qui veſtrum omnium onera portamus, juxta præceptum apoſtoli, ea portare omni annixu ſtuderes. Pro quibus videlicet tot evidentiſſimis culpis, & temerariis præſumptionibus a te peractis, una cum veneranda ſynodo ante ſacratiſſimum beati Petri apoſtolorum principis corpus habita, ſecundum immutilatam Africani [Concilium Africanum cap. 4. Carthaginenſe V. c. 10.] concilii regulam, te ad concilium noſtrum non occurrentem, neque excuſationem tuam in tractoria ſubſcribentem, neque juſtam rationem impedimenti tui apud nos omnium veſtrum primatem reddere curantem, omni prorſus eccleſiaſtica communione, ſancti Spiritus auctoritate, privavimus, quouſque tuam ſpecialem præſentiam nobis, & ſedi apoſtolicæ exhibere curaveris. Nunc itaque, quoniam conſtanter tenentes juſtitiam, benigne debemus ſemper præbere clementiam, his iterum noſtris apoſtolicis literis dilectioni tuæ præcipimus: ut quia ad præfatam ſynodum non veniſti, ad eam quam rurſus, juxta canonis apoſtolici capitulum triceſimumquartum, erimus quarto Idus Octobris, auxiliante Domino, celebraturi, omni poſtpoſita occaſione cum ſuffraganeis epiſcopis tuis devotus occurras. Vel ſi aliqua evidenti neceſſitate te non poſſe venire claruerit, eximios a latere tuo diriges viros, qui tunc nobis & ſancto concilio idonee faciendo,

do, & cauſam tuæ impoſſibilitatis veraciter intiment, & ea, quæ pro eccleſiarum Dei utilitate peragenda ſunt, nobiſcum ſagaciter valeant deliberare. Nam ſi & hanc quartam noſtræ apoſtolicæ auctoritatis vocationem parvipendens, ad jam denunciatam ſynodum ipſe venire, vel tuos mittere contempſeris; ſcias pro certo, quoniam majori te judicii eccleſiaſtici vinculo velut inobedientem incunctanter ligabimus, Præterea hoc etiam tibi, tuiſque ſuffraganeis omnibus admonitione noſtra denunciamus, atque præcipimus, ut cum eo, qui de regibus Francorum, Deo ſavente, Italiam fuerit ingreſſus, nullum abſque noſtro conſenſu, & unanimitate placitum facere præſumatis; apoſtolorum canone capituli triceſimiquinti ita jubente atque dicente: Epiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, & quem velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant, quam illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ, & villis quæ ſub ea ſunt, competunt, ſed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid; ſic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto. Propter quod & nos veſtro communi tractatu, atque conſenſu, ea quæ ad communem & neceſſariam utilitatem eccleſiarum Dei nobis commiſſarum agenda ſunt, omnimodis agere cupimus. Non enim aliter, dicente ſancto Leone, unus grex & unus paſtor ſumus, niſi quemadmodum apoſtolus docet, Id ipſum dicamus omnes: Simus autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. Data XIV. Kalendas Junii, indictione XII.

1 Cor. 1

An. Chr. 879

## CLXXXII. AD EUMDEM.

Ejuſdem pene argumenti.

*Aſperto archiepiſcopo.*

CUm univerſi, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, ab ipſo religionis exordio, fide & meritis Petri Romanam eccleſiam ſublimatam omni veneratione ſequi, omnique reverentia honorare ſtuduerint; & contra eam, niſi qui de ſe voluit judicari, nullus obices manu habuerit; valde miramur, cur adeo veſtri ordinis miniſterium excedatis, ut cujus auctoritatis, cujuſque privilegii eadem ſancta ſit Romana eccleſia, ſuco ignorantiæ non advertatis, & ei quæ vos genuit dolenti, ac injurias patienti, nullo filiorum affectu compati ſtudeatis. Quin potius in contemptum regionis, non ſolum poſſibilia adjutoria nobis præbere contemnitis: ſed etiam nuper a Galliis remeantibus, ut ſaltem clamorem & laborem noſtrum, quem pro omnibus patiebamur, audiretis & doleretis, apud Ticinum nobis occurrere diſtuliſtis, ubi etiam diutius immorantes, ut ad ſynodum veniretis, vos literis noſtris vocavimus. Sed inobedientiæ atque temeritatis audacia freti, nec tunc veſtram nobis præſentiam exhibere curaſtis; poſtremo generali ſynodo Romæ præteritis Kalendis Maii celebratæ, a nobis rurſum vocati, intereſſe penitus diſtuliſtis. Hujus rei gratia juxta apoſtolum in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, digna correptione canonicis vocibus vos perferiremus, niſi miſericordia apoſtolicæ ſedis noſtrum animum temperaret. Vos autem cariſſimi tanta noſtra patientia non abuſi, redite ad cor, & deponentes omnem temeritatem, pro communi ſalute, & pace regni nobis hærete, adeo ut quæ recipimus recipiatis, & quæ reſpuimus reſpuatis: ut idipſum dicamus omnes & eadem ſapiamus: quia & ego ſolicitos vos pro communi ſalute ac ſtatu regni & pace libenter audio, ſicut e contra aliud quam tenemus tenentes, non libenter admitto. Jam vero quia multoties ad ſynodum convocati, venire hactenus contempſiſtis, ſicut prætulimus: omni temeritate atque inevitabili occaſione depoſita, ad aliam ſynodum, quam, gratia divina opitulante, quarto Idus Octobris futuræ tertiædecimæ indictionis celebraturi ſumus, occurrite. Quatenus ea, quæ ad utilitatem ſanctæ Dei eccleſiæ pertinent, communi tractatu, communi voto atque conſenſu, cum Domini adjutorio exequamur. Quod ſi forte & tunc venire contempſeritis, ſciatis vos, & de præteritis, & de futuris negligentiis canonice judicandos: ita ut eccleſiarum veſtrarum communione juxta ſacros canones ſitis contenti, qui non vultis eccleſiaſticis acquieſcere diſciplinis. Data XIII. Kalendas Junii, indictione XII.

Concilium Africanum 43. Carthaginenſe V. c. 10.

## CLXXXIII. AD THEODOSIUM ELECTUM EPISCOPUM NONENSEM.

Laudat ejus erga Romanam eccleſiam obſervantiam, & præclaras ejus virtutes: teſtatur ſuam in eum benevolentiam: monet ut a ſe conſecrationem epiſcopalem accipiat.

*Teodoſio venerabili diacono, & electo ſanctæ eccleſiæ Nonenſis.*

DIlectionis tuæ literis receptis atque perlectis, devotionis & fidei tuæ ſinceritatem, quam circa eccleſiam B. Petri apoſtoli, & circa noſtrum pontificium habes, luce clarius agnovimus. Et quia noſtram gratiam & benedictionem humili prorſus affectu expetere ſtuduiſti, valde ſumus gaviſi: nam & Joannes venerabilis presbyter de veſtra parte veniens, multa nobis tuæ bonitatis, & patientiæ viva voce præconia retulit, quæ in ſacerdote Chriſti magnopere ſunt habenda. Unde te quaſi dilectum corporis Chriſti membrum & ſpiritalem filium noſtri apoſtolatus ulnis extenſis amplectimur, paternoque amore diligimus, atque apoſtolica ſemper volumus benignitate fovere. Ideo monemus ſagacitatem tuam, ne in quamlibet partem aliam declines, & contra ſacra venerabilium patrum inſtituta epiſcopatus gratiam recipere quæras, audiens illam deſiderabilem ſummi judicis vocem dicentis: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.* Sed toto corde, totaque voluntate ad gremium ſedis apoſtolicæ, unde anteceſſores tui divinæ legis dogmata melliflua, cum ſacræ inſtitutionis forma, ſummique ſacerdotii honorem ſumpſerunt, redeas: quatenus & ipſe ab apoſtolica ſede, quæ caput & magiſtra eſt omnium eccleſiarum Dei, epiſcopalem conſecrationem per noſtræ manus impoſitionem, Chriſto annuente, percipias: quatenus ſecundum priſtinum morem ſancti Petri & noſtra ſemper auctoritate atque tuitione munitus, populum Domini tibi commiſſum ſtrenue ac ſecuriter regas, & in conſpectu altiſſimi veniens venias cum exultatione, portans manipulos tuos, dicereque Domino poſſis ovanter: Ecce ego, & pueri, & quos mihi dediſti, & ob hoc cum Deo valeas ſine fine gaudere. Data IV. die menſis Junii, indictione XII.

Matth. 25.

CLXXXIV.

## CLXXXIV. AD BRANIMIRUM.

Suſcipit eum ad Romanæ eccleſiæ gremium redeuntem: monet ut in Dei amore perſevoret: impartitur benedictionem apoſtolicam, quam petierat: hortatur, ut permittat legatum ſuum epiſtolam Bulgarorum deferre.

*Dilecto filio Branimir.*

RElegentes nobilitatis tuæ literas, quas per Joannem venerabilem presbyterum communem fidelem nobis mandaſti, quantam fidem & ſinceram devotionem circa eccleſiam ſanctorum apoſtolorum Petri, ac Pauli, ac circa nos habeas, luce clarius novimus. B Et quia, Deo favente, quaſi dilectus filius ſancto Petro, & a nobis, qui per divinam gratiam vicem ejus tenemus, fidelis in omnibus, & obediens eſſe cupias, humiliter profiteris; tuæ nobilitati dignas valde gratias his noſtri apoſtolatus literis agimus, paternoque amore, utpote cariſſimum filium, ad gremium ſanctæ ſedis apoſtolicæ matris tuæ, de cujus videlicet puriſſimo fonte patres tui melliflua ſanctæ prædicationis potavere fluenta, redeuntem ſuſcipimus, & ſpiritalibus amplectimur ulnis, atque apoſtolica volumus benignitate fovere; ut gratiam, benedictionem Dei ſanctorumque Petri, ac Pauli apoſtolorum principum, & noſtram ſuper te habens diffuſam, a viſibili- C bus, & inviſibilibus hoſtibus, qui ſaluti humanæ inſidiari, & impedire non ceſſant, ſalvus ſemper, ac ſecurus exiſtas, optatamque de inimicis victoriam facilius poſſis habere. Nam quanto ipſe te Deo humiliter ſubdere, ſanctiſque ipſius obedire præceptis ſtudueris, atque ipſius ſacerdotibus & miniſtris honorem debitum pro amore Domini exhibueris; tanto ſuper omnes inimicos tuos & rebelles adverſarios eris procul dubio victor & potens. Et ideo monemus induſtriam tuam, ut in omnibus tuis actibus Deum ſemper præ oculis habeas, timeas, & toto diligas corde, quoniam dicente pſalmiſta: *Beatus eſt vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis: potens in terra erit ſemen ejus.* [Pſal. 111.] Et ipſe in evan- D gelio: *Qui me*, inquit, *diligit, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* [Joann. 14.] Quod cum ita ſit, ſi tuis bonis operibus in præſenti lucentibus Deum glorificaveris, gloria eris ſempiterna in futuro ſine dubio decoratus: quoniam ipſe per Moyſen hoc ſe facere teſtatur, dicens: *Glorificantes me glorificabo.* [1. Reg. 2.] Sicut autem noſtro præſulatui per jam fatum presbyterum tria ſuggeſſiſti: quatenus noſtro tibi ore apoſtolico benediceremus pro tuæ ſalutis augmento, id ipſum libenter fecimus. Nam in die aſcenſionis Domini inter ſacra miſſarum ſolemnia ſuper ſacrum Altare S. Petri apoſtoli celebrantes, elevatis ſurſum manibus benediximus tibi, & omni populo E tuo, omnique terræ tuæ, ut hic & in æternum corpore ſimul & anima ſalvatus, & principatum terrenum, quem habes, proſpere ac ſecuriter regere poſſis, & in cæleſti regione poſt mortem cum Deo feliciter gaudeas, & in perpetuum regnes. Et quia hunc ipſum Joannem presbyterum tibi & nobis verum fidelem in omnibus eſſe cognoſcimus, dedimus illi noſtram apoſtolicam epiſtolam deferendam regi Bulgarorum. Ideo petimus, ut pro amore ſancti Petri, & noſtro, cum tua ipſe licentia legationem hanc noſtram ſine tarditate perficiat, ut & propter hoc A tuæ dilectioni multiplices gratias habeamus. Data VII. die menſis Junii, indictione XII. An. Ch. 879.

## CLXXXV. AD SACERDOTES ET POPULOS BRANIMIRO SUBIECTOS.

Excipit eos ad Romanæ eccleſiæ gremium redeuntes: monet ut perſeverent.

*Omnibus venerabilibus ſacerdotibus, & univerſo populo.*

CUm literas principis veſtri Branimir, quas nobis per Joannem venerabilem presbyterum ipſe direxit, legeremus, non ſolum illius B devotionem, ſed etiam fidei veſtræ ſinceritatem & dilectionem, quam circa ſanctum Petrum apoſtolorum principem, & circa nos habeatis, cognovimus. Et quia velut cariſſimi filii ad ſanctam Romanam eccleſiam, unde parentes veſtros melliflua ſanctæ prædicationis dogmata ſuſcepiſſe agnoſcitis, toto animo, totaque voluntate redire cupiatis, noſtram apoſtolicam gratiam & benedictionem habere magnopere deſiderantes, magna ſumus repleti lætitia. Et ideo brachiis extenſis vos amplectimur, paternoque amore recipimus, & apoſtolica volumus ſemper benignitate fovere, ſi vos hanc voluntatem, & ſponſionem veſtram uſque ad finem ſinceriter habueritis, & fideliter tenueritis: quia, dicente C Domino, *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*: [Matth. 10.] & apoſtolo Paulo id ipſum dicente: participes enim Chriſti facti eſtis, ſi tamen initium fidei uſque ad finem firmum retineatis. [Hebr. 3.] Quapropter eſtote fideles Deo, & S. Petro, ſicut mandaſtis, uſque ad mortem, & accipietis coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Nos enim ſacris orationibus noſtris memoriam veſtri coram Domino aſſidue facientes, manibus ſurſum ad Dominum elevatis, omnipotenti Deo vos una cum dilecto filio noſtro principe veſtro commendamus, & omni benedictione ſpiritali vobis benedicimus in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut hic & in æternum corpore ſimul & anima benedicti exiſtatis, & in perpe- D tuum Domino gaudeatis. Data VII. die menſis Junii, indictione XII.

## CLXXXVI. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Hortatur ad eccleſiæ Romanæ defenſionem, quæ a Saracenis multis afficiebatur detrimentis: rogat ut legatos benigne excipiat: & fidem illis adhibeat.

*Dilectiſſimo ac ſpiritali filio Carolomanno glorioſiſſimo regi.*

E QUia more prædeceſſorum noſtrorum pontificum regiam excellentiam divinitus exaltatam pio mentis affectu diligimus, ad honorem & exaltationem ſanctæ Dei eccleſiæ eam ſitibundo pectore videre deſideramus: quatenus veſtræ magnitudinis triumphali certamine ſedis apoſtolicæ vigor, & honos, quem progenitorum veſtrorum, glorioſiſſimorum videlicet imperatorum tempore habuiſſe recolimus; vobis regnantibus maneat illibatus & integer, ut & veſtræ regalis gloriæ decus vigeat indiminutum, & æternæ mercedis vobis munus ſuperna gratia tribuatur. Nunc igitur pro tot & tantis calamitatibus ac neceſſitatibus, quas a Paganis aſſidue, atque

a malis patimur Chriſtianis, licet pro multitudine ſcribere non valeamus, & veſtram excellentiam ignorare non credimus, paſtorali ſolicitudine moti, ponentes animas noſtras in manibus noſtris, ingentes labores non ſolum marini, ſed itineris etiam terreni omnimodis ſumpſimus. Teſtamur namque Deum, cui occulta omnium manifeſta exiſtunt, quod veſtro deſiderabili honore, nullius hominis, niſi veſtrum præpotens adjutorium avida mente quærere voluimus: ſed malorum hominum, quos ipſi ſcitis præpediti inſidiis, hoc agere non valuimus. Quapropter dilectiſſime fili noſtra apoſtolica exhortatione monemus gloriam veſtram, ut pro amore ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris veſtræ defenſionis laborem indubitanter aſſumere non prætermittatis: unde vobis honor & ſalus hic & in æternum accreſcat. Et ideo petimus, ut pro Dei, & ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli amore noſtris apoſtolicis monitis toto conamine attendatis: quatenus aut per vos, aut per ſaluberrimum conſilium veſtrum citius nobis ſubvenire omnimodo ſatagatis. Quoniam tanta iſtius terræ perditione undique aggravati, undique concuſſi talia jam ſuffeire minime valemus. Nam ſi, quod abſit, per vos forte remanſerit, ut eccleſia Dei in præſenti defenſionem non habeat, & taliter turbata conſiſtat, videte ne ante tribunal Chriſti, & coram apoſtolorum principum præſentia, veſtræ animæ patiamini detrimentum: quia nos paterna vos admonitione hortantes, ſecundum miniſterii noſtri officium ea, quæ Dei ſunt, & ſaluti veſtræ proficua, agere incunctanter convenimus. Miſimus autem ad vos præſentes miſſos noſtros Joannem & Paſchalem venerabiles epiſcopos dilectos fideles noſtros, quos petimus ut pro noſtro amore benigne recipiatis, & eis locum familiaritatis tribuatis, atque ea, quæ vobis de noſtra parte dixerint, libentiſſime attendatis. Data VII. die menſis Junii, indictione XII.

## CLXXXVII. AD EUMDEM.

Ut in Vercellenſi eccleſia Conſpertus creetur epiſcopus.

*Dilecto ac ſpirituali filio Carolomanno glorioſo regi.*

Miſimus cum his præſentibus miſſis noſtris hunc venerabilem diaconum nomine Conſpertum, vobis, ut credimus, notum, in ſervitium magnitudinis veſtræ: quem petimus, ut pro noſtro amore benigne recipiatis; & quia nobis ac vobis fidelis exiſtit, rogamus excellentiam veſtram, ut epiſcopatum Vercellenſis eccleſiæ placido animo tribuatis; quatenus, Deo auxiliante, per noſtram, ac veſtram munificentiam epiſcopali dumtaxat honore potitus, nobis omnibus exiſtere devotior, atque fidelior poſſit. Data VII. die menſis Junii, indictione XII.

## CLXXXVIII. AD ANSELMUM EPISCOPUM LEMOVICENSEM.

Non ſeparandum virum ab uxore, qui filium ſuum neceſſitate urgente baptizavit.

*Anſelmo epiſcopo Lemovicinæ eccleſiæ.*

In quæſt. 1. Ad limina.

Ad limina beatorum Petri & Pauli apoſtolorum principum hic præſens homo, nomine Stephanus, orationis cauſa veniens, noſtro præſulatui ſuggerendo innotuit, quod filium ſuum in extremo vitæ poſitum, necdum baptiſmatis unda lotum, abſentia ſcilicet ſacerdotum neceſſitate cogente baptizaſſet, eumque ipſe propriis manibus retinendo ſuſcepiſſet, atque pro hujus rei negotio notitiæ tuæ patefacto, reverentia tua, quaſi zelo rectitudinis flagrans, præfatum hominem a ſua judicaverit conjuge ſeparandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente ſcriptura a Deo junctam viro eſſe uxorem, *&, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Unde & Dominus in evangelio neminem poſſe dimittere uxorem ſuam, niſi cauſa fornicationis apertiſſime jubet. Quapropter & nos, tantæ auctoritatis juſſione præcipue freti, dicimus omittendum eſſe, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit. Nam baptizandi hoc opus etiam laicis fidelibus, juxta canonicam ſanctionem, ſi neceſſe fuerit, facere libere conceditur. Unde ſi prædictus genitor filium ſuum corpore morientem aſpiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, ſacri baptiſmatis unda lavit, ut eum de poteſtate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Chriſti jam regeneratum indubitanter mitteret, bene feciſſe laudatur. Et idcirco cum ſua uxore ſibi jam olim legitime ſociata impune, quamdiu vixerint, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus ſeparari debere. Data VII. die menſis Junii, ind. XII.

Prov. 19. Joann. 10. Matth. 19.

## CLXXXIX. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Agit Deo gratias, quod legatos ad ſe miſerit, doctrinam eccleſiaſticam & canonica inſtituta recepturus: hortatur ut ad Romanam eccleſiam redeat; & ſi ei placuerit, ſe legatum miſſurum pollicetur.

*Dilecto ac ſpirituali filio Michaeli glorioſo regi Bulgarorum.*

Quantæ pietatis & miſerationis ſuæ largitate vos omnipotens Deus dilexerit, narrare quis ſufficiat, cariſſime fili? Quando per infuſionem ſancti Spiritus ſui in cor veſtrum unigenitum Filium ſuum, per quem omnia viſibilia & inviſibilia condidit, vobis clementer revelare dignatus eſt, mentemque veſtram claritatis ſuæ lumine irradiare, & de tenebris ad veram voluit perducere lucem, veræque fidei dogmate ſuo docere. Ipſius etiam gratia vobis revelante, ad ſedem beati Petri apoſtolorum principis, quæ caput, & magiſtra omnium eccleſiarum Dei exiſtit, & a qua omnes reges & principes verbum veritatis acceperunt, legatos veſtros, Petrum ſcilicet cognatum veſtrum, & Joannem atque Martinum, prædeceſſoris domni noſtri Nicolai beatiſſimi præſulis tempore direxiſtis, ut & vos inde doctrinam eccleſiaſticam atque canonica inſtituta reciperetis, ubi totius eccleſiæ Chriſtus poſuit principatum: quod nimirum, ſecundum veſtram voluntatem, ab eadem ſancta Romana eccleſia promeruiſtis. Nunc igitur vos, quaſi propriam gregis dominici ovem nobis in ipſo apoſtolorum principe commiſſam, utpote cariſſimum filium noſtrum his noſtri apoſtolatus literis viſitamus, & noſtris apoſtolicis ſpiritualiter ampleḋtimur ulnis; aſſidue vos cum omni populo veſtro ſacris orationibus noſtris Domino commendantes, ut ipſe, qui vobis glorioſum in terris tribuit principatum, tribuat & poſt mortem cæleſte regnum, & gloriam ſempiternam. Quapropter monemus glo-

gloriam veſtram, ut ad ſanctam matrem veſtram A Romanam eccleſiam devota mente, libentique animo redeatis; ut apoſtolorum ſanctorum precibus adjuti tam viſibiles inimicos * facile ſuperare poſſitis: & quia vos, ut prædictum eſt, multum diligimus, noſtrum ad vos volumus cum ſedis apoſtolicæ viſitatione dirigere legatum, viſitareque vos, ſicut paſtor viſitat gregem Domini ſui ſibi commiſſum: ſi tamen cognoverimus voluntatem veſtram, quod noſtram cupiatis recipere legationem, & apoſtolicam viſitationem. Quod ſi volueritis, per hunc Joannem venerabilem presbyterum fidelem noſtrum, nobis ſub certitudine literarum veſtrarum remandare curate dilectiſſime, atque amantiſſime fili. Omnipotens Deus, qui vobis viam veritatis B oſtendit, & lumine ſuæ claritatis cor veſtrum illuſtrare dignatus eſt, nunc & ſemper cum omni proſperitate & ſalute vos conſervare dignetur incolumem. Data VI. Idus Junias, indictione XII.

* ſ. deeſt quam inviſibiles

## CXC. AD SALONITANOS CLERICOS.

Monet ut ad gremium Romanæ eccleſiæ revertantur; & electus ab eis archiepiſcopus conſecrationem & pallium a ſe, & non ab alio accipiat: utque legato quædam verbis relaturo fidem adhibeant.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis epiſcopis Vitali Adrenſi, Dominico Abſarenſi, ceteriſque epiſcopis Dalmatinis, ſeu Joanni archipresbytero ſanctæ ſedis Salonitanæ, omnibuſque ſacerdotibus & ſenioribus populi habitatoribus Spalatenſis civitatis, atque Zadarenſis, ceterarumque civitatum.* C

PAſtorali ſolicitudine moti, vos quaſi oves dominicas nobis in beato Petro apoſtolorum principe commiſſas, dicente Domino: *Si diligis me Simon Petre; Paſce oves meas*; licet pro aſſidua gentium perſecutione nunc uſque impediti, his modo apoſtolatus noſtri literis viſitare curavimus, admonentes fraternitatem veſtram, ut more præceſſorum veſtrorum, ad ſedem beati Petri apoſtoli, quæ caput & magiſtra eſt omnium D eccleſiarum Dei, & ad nos, qui ei divinitus præſidemus, toto animo, libentique voluntate reverti ſtudeatis: quatenus inde ſummi honorem ſacerdotii, totius inſtitutionis eccleſiaſticæ formam ſumatis, unde parentes, ac præceſſores veſtros mellifluа ſanctæ prædicationis & doctrinæ apoſtolicæ potaſſe fluenta recolitis. Reminiſci namque debetis, quanta eoſdem præceſſores veſtros proſpera evidentiſſime comitabantur, quando ad limina Petri cæleſtis regni clavigeri devoto pectore, quaſi proprii filii confluebant; & quanta poſtmodum nunc uſque ſuſtinueritis adverſa, cum ab ea vos quaſi alienos ſeparare non dubitaſtis. Quapropter vos plurimum diligentes, non ea quæ veſtra, ſed vos quærentes, paterna E benignitate monemus, atque hortamur, ut, ſicut diximus, ad gremium ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris veſtræ redire ovanter attendatis, ut electus a vobis canonice archiepiſcopus una cum veſtro omnium conſenſu, & voluntate ad nos veniens gratiam epiſcopalis conſecrationis, ſacrumque pallium a nobis more pr[illegible]ino incunctanter percipiat; ut gratiam & benedictionem S. Petri, ac noſtram habentes, a malis omnibus liberi, & bonis univerſis repleti, & hic in præſenti ſæculo gaudeatis, & in futuro cum Domino ſine fine procul dubio exultetis. Porro

Joan. 21.

ſi aliquid de parte Græcorum vel Sclavorum ſuper veſtra ad nos reverſione, vel conſecratione aut de pallii perceptione dubitatis; ſcitote pro certo, quoniam nos ſecundum ſanctorum Patrum, deceſſorumque noſtrorumque pontificum ſtatuta, vos adjuvare auctoritate curabimus. Quod ſi forte hanc noſtram apoſtolicam admonitionem, imo canonicam præceptionem, pro nihilo ducentes, ad ſedem apoſtolicam Romanæ eccleſiæ redire, & inde ſecundum antiquam normam, conſecrationem epiſcopalem ſacrumque pallium recipere contempſeritis, omni eccleſiaſtica vos communione ſcitote penitus excommunicandos. Interim tamen auctoritate Dei, & ſancti Petri vobis præcipimus, ut non habeatis licentiam aliunde conſecrationem, palliumque recipere. Nam ſi feceritis, quaſi tranſgreſſores, & inobedientes vos ſine dubio judicabimus. Hanc autem noſtri apoſtolatus epiſtolam fraternitati veſtræ per hunc præſentem Joannem venerabilem presbyterum fidelem familiarem noſtrum direximus, cui ſcilicet aliqua injunximus vobis verbo tenus referenda: & ideo illi omnia quæ de parte noſtra dixerit vobis, credere nullatenus dubitetis. Ipſamque epiſtolam, ut ad omnium veſtrum notitiam ferant, bulla noſtra juſſimus in calce ſignari. Data X. die menſis Junii, indictione XII. An. Ch. 879.

## CXCI. AD TRES ARCHIEPISCOPOS.

Ut Nemauſenſem epiſcopum a monaſterii cujuſdam iniqua invaſione removeant, & ſi non paruerit, excommunicent.

*Roſtagno archiepiſcopo Arelatenſi, Sigibodo archiepiſcopo Narbonenſi, Roberto archiepiſcopo Aquenſi, a paribus.*

VEracium relatione comperimus, Gibertum Nemauſenſem venerabilem epiſcopum, quod quoddam monaſterium noſtrum, quod ſuper eumdem epiſcopum acquiſivimus, ipſe Gibertus temere invaſerit, omneſque res ipſius monaſterii per ſuos homines diſtribuerit, & illius monachos inde contra ſacras regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis diſplicuit, quantum ſicut ipſe nobiſcum advertis, calcata reverentia venerandorum canonum, contra privilegium apoſtolicæ ſedis eum feciſſe non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus, ut vice noſtra cum confratribus & coepiſcopis noſtris junctus, eumdem Nemauſenſem epiſcopum ad commune colloquium convocetis, & ex auctoritate noſtra conveniatis, ut ab omni invaſione ipſius monaſterii tam ſe quam ſuos removeat, & ulterius nec res ejus, nec monachos illic Domino famulantes moleſtare præſumat. Quod ſi ipſe ſurda aure, quod abſit, per vos monita noſtra audierit, tunc ex auctoritate B. Petri apoſtoli cui idem monaſterium pertinet, ſimul & noſtra, illum a miniſterio ſacerdotali excommunicando ſuſpende, quouſque dum aut ab ipſa invaſione ſe ſubtrahat, aut ad ſedem apoſtolicam, vel ad noſtram præſentiam nobis ſatisfacturus occurrat. Agat in his ſanctimonia tua ſicut illam agere decet, ut & nos Deo laudes, & tibi gratias referamus. Data XVIII. Kalend. Julias, indict. XII. An. Ch. 879.

## CXCII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

De legatione ac muneribus miſſis gratias agit: dolet eum deſeciſſe ab eccleſia Romana, ad quam monet ut revertatur: oſtendit Græcos Bulgarorum diœceſim, cum ſit Romani pontificis, contra canones detinere.

*Dilecto ac ſpirituali filio Michaeli glorioſo regi Bulgarorum.*

MUltas regiæ excellentiæ veſtræ gratias agimus, quia ſicut cariſſimus filius divino repletus amore paternitatem noſtram per Funducum eximium fidelem veſtrum viſitare, miſſiſque donis honorare curaſti, per quem tuæ ſalutis incolumitatem, omniumque fidelium tuorum audientes proſperitatem, valde ſumus gaviſi. Nos autem, & noſtris aſſiduis precibus ante ſacratiſſimum B. Petri apoſtolorum principis corpus adſtantes, & te, & omnes principes tuos, omnemque populum tuum Jeſu Chriſto Domino ſemper commendare ſtudemus, & benedicimus tibi, & omni populo tuo, omnique regno tuo; ut & a viſibilibus, & inviſibilibus hoſtibus liberatus, Deique auxilio adjutus, inimicorum tuorum ſemper victor exiſtas, & ad palmam ſupernæ vocationis glorioſus pertingas. Ut ipſe, qui gratiæ ſuæ largitate & regnum tibi terrenum conceſſit, & illuminando oculos mentis tuæ viam veritatis oſtendit, & de tenebris ad veram lucem perduxit, uſque ad finem in eadem ſancta fide, & bonis operibus perſeverantes ſalvos & incolumes dignetur perducere, ut poſt finem præſentis vitæ, per interceſſiones ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, regnum valeas cæleſte percipere; in quo illa omnia bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, cum ſanctis omnibus ſimul accipias, quæ diligentibus ſe, ab origine mundi præparavit omnipotens Dominus. Sed non modica nos triſtitia, o fili cariſſime, repleviſti, quia ſedem beati Petri cæleſtis regni clavigeri, qui tibi in manifeſta viſione apparuit, & opportunum auxilium præbuit, reliquiſti; cum ipſa ſedes caput, & magiſtra ſit omnium eccleſiarum Dei, ad cujus auctorem beatum Petrum a Domino dictum eſt: *Paſce oves meas*, & cui traditæ ſunt claves regni cælorum, ut quæcumque ligaverit ſuper terram, ligata maneant & in cælis: & quæcumque ſolverit ſuper terram, ſint ſoluta & in cælis. Revertere jam fili amantiſſime ad ſanctam matrem tuam Romanam eccleſiam, quæ te religioſo utero genuit, & per quam totius religionis, & juſtitiæ formam ſancto prædeceſſore noſtro Nicolao præſule mittente, ſuſcepiſti: & quæ omnium gentium retinet principatum, & ad quam totius mundi, quaſi ad unam matrem, & unum caput, conveniunt nationes. Noli amplius deſerere matrem tuam, quia illa tui non obliviſcitur: quin potius quaſi unicum diligit, & ſemper memoriam tui coram Domino facit. Non enim licitum fuit Græcis alterius parochiam uſurpare, ſanctis hoc patribus apertiſſime prohibentibus. Et idcirco ipſi contra canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, noſtras retinent diœceſes. Quos ſi pro tuo nobis non eſſet amore, jam per apoſtolicam ſententiam inde compelleremus exire. Data *ut ſupra*.

*Joan. 21.* *Matth. 16.*

## CXCIII. AD ANASTASIUM ABBATEM

Præcipit ut cellulam Gauderico epiſcopo reddat.

*Anaſtaſio religioſo abbati.*

MOnemus religionem tuam, & expreſſe præcipimus, ut omni remota occaſione, & dilationis inventione cellulam S. Valentini in Sabinis poſitam, quam a Gauderico venerabili epiſcopo abſtuliſti, ei continuo reddas, uſque in noſtram præſentiam, ut nec ſuum laborem perdat, nec pro eo, quod ex hinc nos adiit, ſibi obeſſe, quin potius prodiſſe cognoſcat: quod etiam tibi faciendum per præſentem cubicularium noſtrum mandamus, ut aliter nullo modo facias: cum autem te nobis exhibueris, ſi merito ſua negligentia fortaſſe ipſam cellulam amiſit, nos eum contra juſtitiam defendere nolumus; ſicut nec illum innocentem perpeti damna permittimus. Data *ut ſupra*.

## CXCIV. AD TUVENTARUM DE MARAUNA.

Hortatur, ut omnem falſam doctrinam rejiciens in Romanæ eccleſiæ fide maneat: miratur Methodium aliter, quam fuerat profeſſus, docere: & propterea a ſe vocatum fuiſſe ſignificat.

*Tuventaro de Marauna.*

SCire volumus, quia nos qui per Dei gratiam B. Petri apoſtolorum principis vicem tenemus, pio amore vos quaſi cariſſimos filios amplectimur, & paterna dilectione amamus; noſtriſque aſſiduis precibus vos omnes Jeſu Chriſto Domino commendamus, orantes ſemper pro vobis, ut Deus omnipotens, qui corda veſtra illuminavit, & ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, & uſque ad finem in recta fide bonaque actione decoratos vos, atque incolumes dignetur perducere. Quod autem, ſicut Joanne presbytero veſtro, quem nobis miſiſtis, referente didicimus, in recta fide dubitetis; monemus dilectionem veſtram, ut ſic teneatis, ſic credatis, ſicut ſancta Romana eccleſia ab ipſo apoſtolorum principe didicit, tenuit, & uſque in finem ſæculi tenebit, atque per totum mundum quotidie ſanctæ fidei verba rectæque prædicationis ſemina mittit, & ſicut anteceſſores noſtros ſanctos videlicet ſedis apoſtolicæ præſules, parentes veſtros ab initio docuiſſe cognoſcitis. Si autem aliquis vobis, vel epiſcopus veſter, vel quilibet ſacerdos aliter annunciare aut prædicare præſumpſerit, zelo Dei accenſi omnes uno animo, unaque voluntate doctrinam falſam abjicite, ſtantes & tenentes traditionem ſedis apoſtolicæ. Quia vero audivimus, quia Methodius veſter archiepiſcopus ab anteceſſore noſtro Hadriano ſcilicet papa ordinatus, vobiſque directus, aliter doceat, quam coram ſede apoſtolica ſe credere verbis & literis profeſſus eſt, valde miramur: tamen propter hoc direximus illi, ut abſque omni occaſione ad nos venire procuret; quatenus ex ore ejus audiamus, utrum ſic teneat & credat, ſicut promiſit, aut non. Data *ut ſupra*.

CXCV.

## CXCV. AD METHODIUM ARCHIEPISCOPUM PANNONIENSEM.

Præcipit ut ad ſe veniat, ut de ejus doctrina cognoſcere poſſit. Miſſas Sclavonica lingua celebrari prohibet.

*Reverendiſſimo Methodio archiepiſcopo Pannonienſis eccleſiæ.*

PRædicationis tuæ doctrinis populum Domini tibi quaſi ſpiritali paſtori commiſſum ſalvare inſtruereque cum debeas, audivimus, quod non ea, quæ ſancta Romana eccleſia ab ipſo apoſtolorum principe didicit, & quotidie prædicat, tu B docendo doceas, & ipſum populum in errorem mittas. Unde his apoſtolatus noſtri literis tibi jubemus, ut omni occaſione poſtpoſita, ad nos de præſenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, & cognoſcamus utrum ſic teneas, & ſic prædices, ſicut verbis & literis te ſanctæ Romanæ eccleſiæ credere promiſiſti, aut non; ut veraciter cognoſcamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quod miſſas cantes in barbara, hoc eſt, in Sclavina lingua; unde jam literis noſtris per Paulum epiſcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua ſacra miſſarum ſolemnia celebrares; ſed vel in Latina, vel in Græca lingua, ſicut eccleſia Dei toto terrarum orbe diffuſa, & in omnibus gentibus dilatata C cantat. Prædicare vero, aut ſermonem in populo facere tibi licet, quoniam pſalmiſta omnes admonet Dominum gentes laudare, & apoſtolus: *Omnis*, inquit, *lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris*. Data *ut ſupra*.

Pſalm. 116. Philip. 2.

## CXCVI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Arguit quod ſedi apoſtolicæ obediens non fuerit, ejuſque legatos injarioſe tractarit, & excommunicatus miſſas celebrarit. Ideo monet, ut ad ſynodum ſe purgaturus quamprimum vel per ſe, vel per legatos accedat.

*Anſperto archiepiſcopo Mediolanenſi.*

TAntis, heu proh dolor! tranſgreſſionibus inveniris obnoxius, quantis nullus de eccleſia Mediolanenſi aliquo modo eſt inventus: in primis quod noſtri operis, atque laboris noluiſti ſocius eſſe ac particeps, ſed apoſtolicæ ſedi proterve; inobedienter, ac procaciter reſultaſti; deinde legatos noſtros Joannem Ticinenſem, & VValpertum Portuenſem epiſcopos e latere noſtro ad te directos non ſuſcipiens, præ foribus portæ diu tibi noſtræ commonitionis verba facientes, quatenus nobis, aut per te, aut per legatum tuum, tuam more prædeceſſorum tuorum condignam obedientiam exhibere debuiſſes, irreverente ſtare feciſti, E nullamque illis reverentiam, vel auditum accommodare dignatus: ſed ſicut aſpis ſurda contra caritatis affectum viſcera cordis & aures valide obturaſti. Pro quibus, & his ſimilibus te tamdiu communione privavimus, miſſarumque celebratione, donec nobis occurreres, & aut per te, aut per vicarium tuum cuncta errata corrigeres, & ſic te demum perſonaliter in noſtrum conſortium ad- A mitteremus. Sed in deſpectum, & injuriam paternorum canonum excommunicatus a nobis, ſacrum miniſterium agere, miſſamque celebrare præſumpſiſti; de quo ſolicite voluimus parcere tuæ ſenectuti perquirentes: ſed adeo verum eſſe deprehendimus, ut præſentium [1] videtur, videlicet presbyter lator non fuerit auſus coram collegio coepiſcoporum pro vobis hoc ſatisfacere. Quapropter, quia Domino auxiliante, ſecundum ſtatuta canonum circa autumni tempus ſynodum ſumus celebraturi, ad quam te volumus omni occaſione poſtpoſita ſine mora venire, aut legatos dirigere: & dum, Chriſto opitulante, perpetrata tranſgreſſionis purgaveris, te in communionem omnimodis recipiemus. Data *ut ſupra*.

## B CXCVII. AD LUDOVICUM REGEM.

Gratias agit de propenſa voluntate erga Romanam eccleſiam: hortatur ut ad eam a Paganorum incurſionibus defendendam veniat; eique tacite imperium pollicetur.

*Dilecto ac ſpirituali filio Ludovico glorioſo regi.*

VEſtræ regiæ ſerenitatis melliſluis relectis apicibus, quos per Aſtaldum inſignem comitem veſtrum nobis mandaſtis, quantam devotionem, ac ſinceriſſimam voluntatem exaltandi & defendendi eccleſiam Dei, more videlicet parentum C veſtrorum glorioſiſſimorum imperatorum habeatis, luce clarius novimus. Unde valde gaviſi exiſtentes, maximas excellentiæ veſtræ agimus gratias, quia nobis inter tot anguſtias, & perſecutiones, quas a Paganis aſſidue ſupra modum patimur, veſtræ invictæ potentiæ auxilium, defenſioniſque ſolatium pia dumtaxat animi devotione conferre omnimodis cupiatis. Ideo fili cariſſime, noſtræ apoſtolicæ admonitioni aurem clementiæ veſtræ ut accommodetis, obnixe precamur, ut citius nobis veſtro potenti brachio ſubvenire ſtudeatis: quatenus ſanctam Dei eccleſiam in magna nunc fluctuatione poſitam, ad portum ſalutis, & tranquillitatis efficaciter perducatis, & terram perditam per vos, Deo propitio, ad priſtinam re- D vocetis incolumitatem, ut ex hoc, & apud omnipotentem Dominum dignam valeatis mercedem recipere, & in præſenti ſæculo laudabile nomen omnimodo acquiratis. Quapropter ſcitote pro certo, Nicæn. c. quia nullus parentum veſtrorum tantam gloriam, & exaltationem a præceſſoribus noſtris percepit, quantam nos vobis, ſi veneritis, totis multipliciter viribus deſideramus impendere. Porro de hoc quod mandaſtis, ut pro eventu regni Ludovici piæ memoriæ nepotis veſtri præpediti exiſtatis, pro multo, quod circa vos videndi deſiderium habemus, turbati manemus; ſed veſtra ſiſi benignitate petimus, ut omni cura remota, pro amore Dei & ſanctorum apoſtolorum Petri, & Pauli, noſtræ petitionis ſolicitudinem pio pectore veſtro E alacriter aſſumatis: ut ſicut ſedes apoſtolica, quæ caput eſt omnium eccleſiarum Dei, vos magno deſiderio, quaſi unicum & cariſſimum filium præſtolatur, veſtra ſpeciali viſione celeriter perfruatur: quoniam ſi, Deo favente, Romanum ſumpſeritis imperium, omnia vobis regna ſubjecta exiſtent. Nam ſi pleniter ſciretis quanta nos undique mala, quæ pro multitudine ſcribere nequivimus, opprimunt, & affligunt; tantum in veſtra cognoſci-

---

1 Legendum videtur, *præſentium videlicet presbyter lator*, ſubintellige *literarum*: & verbo *videtur* expuncto: quod natum eſt ex repetitione ſequentis adverbii, *videlicet*. Harduinus.

ſcimus ſapientia, quod per veſtram magnitudinem jam maneremus defenſi. Deus te incolumem cuſtodiat cariſſime fili. Data *ut ſupra*.

## CXCVIII. AD AIRARDUM ARCHIEPISCOPUM AUSCENSEM, ejuſque ſuffraganeos.

Hortatur ad depravatos populi mores corrigendos, præcipue inceſta matrimonia: ne quis relicta uxore aliam ducat, aut ſimul cum uxore concubinam habeat, ut res immobiles eccleſiæ nemo ſibi uſurpet, & ut clerici ſub epiſcopi ſint poteſtate.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis, Airardo archiepiſcopo, & Involato Convenenſi, Vvainardo Conſerano, Sarſtono Bigorrenſi epiſcopis.* (a)

MUltas prævaricationes contra totius Chriſtianitatis religionem, atque ſanctorum patrum venerabiles ſanctiones; his veſtris in partibus a pravis fieri Chriſtianis veridica multorum relatione didicimus. Quos vero nec piæ admonitionis veſtræ blandimento, nec debitæ excommunicationis vinculo, nec etiam apoſtolicæ conſtitutionis verbo aliquatenus a tantorum malorum operum infeſtatione ac perpetratione prohibere, nec penitus valetis compeſcere. Et ideo dolemus pariter vobiſcum, fratres mei, ſuper temeritate populi talia præſumentis, & nullam ex his pœnitudinem fructuoſam in præſenti agere volentis, veſtramque ſalubrem correptionem pro nihilo ducentis. Igitur quia noſtro apoſtolatui humiliter ſuggeſſiſtis, ut apoſtolica fulti auctoritate, populum gravem & plenum iniquitate libere poſſetis corrigere; quando ex divino eloquio docemur, ut aliquando converſi fratres noſtros aliqua ſæculi fluctuatione inefficaces confirmare debeamus; vos cum Doctore

Tit. 1. gentium convenimus dicentes, corripite inquietos, conſolamini puſillamines, arguite peccantes, obſecrate protervos, & increpate inique agentes, cum

Theſſ. 5. omni imperio. Vobis namque populus ipſe ſicut grex ovium Domini paſtoribus eſt commiſſus: & niſi eos ita nunc temporali increpatione correxeritis, ut ſpiritu ſalvi ſint in die Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanguis eorum de veſtris procul dubio manibus requiretur. Sin autem vobis annunciantibus non obedierint, ipſi in ſuis iniquitatibus deficient, vos vero animas veſtras liberaſtis. Præterea unum valde illicitum & execrabile malum contra venerabilia ſanctorum patrum decreta eoſdem veſtros parochianos committere audimus. hoc eſt ut nulla generis conſanguinitate cuſtodita, nulla propinquitatis parentela obſervata, unuſquiſque ſuam propinquam in quocumque fuerint gradu, accipiat uxorem, atque inceſto & nefario ſe conjugio copulent. Quod licitum facere Chriſtianis non eſt, dum uſque ſe generatio cognoverit. Unde ſanctiſſimi prædeceſſores noſtri, Stephanus videlicet, Eugenius, atque Leo, ſynodali decreto tale nefandum conjugium fieri prohibuerunt, dicentes: ut conſobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam quamlibet de propria cognatione, nullus præſumat ſibi in conjugio copu-

Levit. 18. lare: quia ſcriptum eſt in lege Domini: *Turpitudinem uxoris patris tui, ſive uxoris fatris tui, atque ſororis tuæ non revelabis: turpitudo enim tua eſt.*

A Et ſi Deus Hebraico populo ante incarnationem unigeniti Filii ſui hæc ſervanda mandavit, quanto amplius nos, qui Chriſtianæ religionis documenta tenemus, ab illicitis connubiis obſervare debemus, ne demerſi in voraginem ignis æterni concrememur incendio? Si quis vero in hoc nefario conjugio inventus in eo permanere voluerit, aut nunc ab uxore ſolutus hoc agere tentaverit, ſciat ſe auctoritate apoſtolica anathematis vinculo eſſe innodatum, & nullus ſacerdos illi tribuat communionem: & ſi inclinatus ab illicita ſe copula diviſerit, pœnitentiæ ſubmittatur, ut ſacerdos loci conſideraverit. Hoc etiam cum illis pariter jubemus, ut nullus propriam relinquat uxorem, & illa vivente alteram ſibi ſociare præſu-

B mat; nec liceat ei uno tempore duas habere uxores, uxoremve & concubinam. Jubemus etiam, ut nulli ſacerdotum, nullique laicorum liceat res immobiles ſub qualibet occaſione a piis & venerabilibus locis ſubtrahere, & in proprio uſu habere. Qui vero præſumpſerit, canonicis ſubjaceat correctionibus. Statuimus etiam, ut omnes presbyteri & clerici ſub proprii poteſtate conſiſtant epiſcopi, & nihil ſine ipſius conſcientia gerant, ſecundum regulam a patribus conſtitutam. Si quis ſane ſacerdotum aut clericorum aliter agere præſumpſerit, a ſuo canonice redarguatur epiſcopo· laicus quoque, ſi de poteſtate epiſcopi clericum quemlibet ſubtrahere præſumpſerit, excommunicatus exiſtat. Hæc, fratres cariſſimi, pro veſtra

C ſupplicatione & honorificentia in auctoritatem habenda deſcripſimus vobis: quatenus his noſtræ conſtitutionis muniti præceptis, digna Deo noſtro poſſitis ſecuriter deferre obſequia, debitaſque perſolvere laudes. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data Idibus Juniis, indi- An.Ch. 875.
ctione XII.

## CXCIX. AD BASILIUM CONSTANTINUM, ET ALEXANDRUM IMPERATORES.

Imperatorum precibus commotus, ut pax ſit eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, diſpenſat cum Photio, ut in Ignatii locum Conſtantinopolitanæ eccleſiæ patriarcha ſubrogetur, ſtatuens, ne

D deinceps quiſquam ad patriarchalem dignitatem, niſi per gradus eccleſiaſticos aſcendant; jubet patriarcham Conſtantinopolitanum Bulgarorum diœceſim ſub eccleſiæ Romanæ juriſdictione relinquere, monet omnes, ut patriarchæ debitum præſtent obſequium: præcipit ut ad eccleſiæ communionem eos, qui a Methodio, & Ignatio initiati fuerant, admittant; excommunicat illos, qui cum Photio noluerint communicare.

*Dilectiſſimis ac excellentiſſimis ſpiritualibus filiis noſtris Baſilio, Conſtantino, & Alexandro, glorioſiſſimis imperatoribus ſemper Auguſtis.*

E

INter claras ſapientiæ manſuetudinis veſtræ laudes, o Chriſtianiſſimi principes, aliquod cum puriore luce ſummæ devotionis lumen longe lateque reſplendet, quod amore fidei, quod caritatis ſtudio, diſciplinis eccleſiaſticis edocti, Romanæ ſedi reverentiam more prædeceſſorum veſtrorum piiſſimorum imperatorum conſervatis, & ejus cuncta ſubjici- Hæc epiſtola a Photio eſt corrupta, locis infra deſignatis.

(a) In edit. Romana titulus depravatus eſt, & cum dubitaverim Labbeum ſua conjectura hic correxiſſe, non ex fide alicujus codicis, ideo hic prout eſt in Romana repræſentandum duxi: *Reverendiſſimis & Sanctiſſimis Airrado Archiepiſcopo, & Involato Connenien. una in Ardo Conſerano Sarſto nobis Orenſi Epiſcopis.*

* Iſta de auctoritate Romanæ eccleſiæ Photius in ſua translatione non poſuit.
Joan. 21

jicitis * auctoritati: ad cujus auctorem, hoc eſt apoſtolorum omnium principem, Domino loquente, præceptum eſt: *Paſce oves meas*. Quam eſſe vere omnium eccleſiarum Dei caput, & beatorum patrum præcipuæ regulæ, & orthodoxorum principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ reverendiſſimi apices atteſtantur. Nihil eſt enim, quod lumine clariore præfulgeat, quam pia devotio, & recta fides in principe. Et quia pontificii noſtri reverentiam hoc ardore mentis, hoc religionis ſtudio luculenter veſtris mellifluis literis exoratis: id nos ratione, ſeu temporis neceſſitate inſpecta, cum ſedis apoſtolicæ nobis commiſſæ conſenſu & voluntate perficere jure apoſtolico decet.

Igitur petiſtis a nobis, quatenus ſede apoſtolica ſuæ pandente viſcera pietatis, Photium reverendiſſimum in patriachatus honore, in ſummi ſacerdotii dignitate & in eccleſiaſtici collegii ſocietate reciperemus, noſtræque communionis participem faceremus, ne eccleſiam Dei tanto jam tempore perturbatam pateremur amplius manere diviſam, ſcandaloque commotam. Nos itaque ſerenitatis veſtræ preces congrua ratione admittentes, quia * Ignatium piæ memoriæ patriarcham de præſenti vita jam migraſſe cognoſcimus; temporis ratione perſpecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipſo Photio, licet ipſe abſque conſultu ſedis noſtræ officium ſibi interdictum * uſurpaverit, geſtum conſtat fuiſſe.

* Nomen Ignatii ſuſtulit Photius, alia attexens.

* Mutavit hæc in contrarium ſenſum Photius, ut vim paſſum ſe recepiſſe hanc ſedem ab imperatoribus dicat. Gelaſius epiſtola 6. Neceſſitatis tempore locum habet diſpenſatio.

Nos ſtatutis apoſtolicis non præjudicantes, nec beatorum patrum regulas reſolventes, quin potius multiplicibus earum auctoritatibus freti, qui Nicæni concilii capitulo ſecundo apertiſſime dicunt: Quoniam plura aut per neceſſitatem, aut alias cogentibus hominibus adverſus eccleſiaſticam facta ſunt regulam. Hinc & Gelaſius papa dicit, quod ubi nulla perurget neceſſitas, conſtituta patrum inviolata ſerventur. Et S. Leo eodem ſpiritu præcipit, omittendum eſſe, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit. Inde & Felix præſul, deceſſor noſter in ſua decretali epiſtola voce conſona dicit, aliter tractandam eſſe neceſſitatis rationem, & aliter voluntatis. Inde etiam ſanctum concilium apud Africam geſtum capitulo trigeſimoquinto jubet, ut clerici Donatiſtarum in eccleſia, propter eccleſiæ pacem & utilitatem, ſi correcto conſilio ad catholicam unitatem tranſire voluerit, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, non ut concilium quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur, in quo videlicet concilio ſtatutum eſt, ut ordinati in parte Donati, ſi ad catholicam partem tranſire voluerint, non ſuſcipiantur in honoribus ſuis. De hoc etiam beatus papa Innocentius dicit capitulo quinquageſimoquinto, quod ii, qui a Bonoſo hæretico ordinati ſunt, propterea ſint recepti, ne ſcandalum remaneret eccleſiæ.

Epiſt. 23.

Photius reſtituitur.

Nunc itaque aliis patriarchis, Alexandrino videlicet & Antiocheno & Jeroſolymitano, atque omnibus archiepiſcopis, metropolitis, epiſcopis & ſacerdotibus, cunctoque clero Conſtantinopolitanæ ſedis, qui de ordinatione beatæ memoriæ Methodii & Ignatii reverendiſſimorum patriarcharum exiſtunt, una voluntate, parique voto conſentientibus, eumdem * Photium ſatisfaciendo, miſericordiam coram ſynodo ſecundum conſuetudinem poſtulantem, in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comminiſtrum (atque coram ſynodo miſericordiam quærendo) in paſtorali magiſterio conſacerdotem, pro eccleſiæ Dei pace & utili-

* Omnia iſta delevit Photius, de venia coram ſynodo petenda.

A tate, amodo, Chriſto favente, recipimus & habemus.

Quia & vos Chriſtianiſſimi imperatores Auguſti, qui ſanctæ reipublicæ clementiſſimo affectu gubernatis imperium, pro Chriſto fungi legatione videmini, dum pro pace rogatis eccleſiæ, & nos * quibus, ſecundum apoſtolum, omnium eccleſiarum Dei ſolicitudo incumbit, controverſiam aliquam in eccleſia Dei amplius remanere nolentes, hunc ipſum patriarcham cum omnibus ſive epiſcopis, ſive presbyteris, ſeu ceteris clericis & omnibus laicis, in quos judicii fuerat cenſura prolata, ab omni eccleſiaſticæ ſanctionis vinculo abſolvimus, ſanctæque Conſtantinopolitanæ eccleſiæ judicamus recipere ſedem, dominicique gregis eſſe
B paſtorem, illa ſcilicet poteſtate fulti, quam eccleſia toto orbe diffuſa credit nobis in ipſo apoſtolorum principe a Chriſto Deo noſtro eſſe conceſſam, eodem Salvatore beatum Petrum apoſtolum præ ceteris ſpecialiter delegante: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis:* Sicut enim ex his verbis nihil conſtat exceptum, ſic per apoſtolicæ diſpenſationis officium, & totum poſſumus procul dubio generaliter alligare, & totum conſequenter abſolvere, præcipue cum ex hoc magis præberi cunctis oporteat apoſtolicæ miſerationis exemplum.

2. Cor. 5.
2. Cor. 11.
* Omnia iſta delevit Photius, de venia coram ſynodo petenda.
Matth. 16.

Nam & legati ſedis apoſtolicæ ab anteceſſoro
C noſtro Hadriano videlicet almifico præſule Conſtantinopolim directi, ſynodo ibidem peractæ uſque ad voluntatem ſui pontificis vigilanti ſtudio ſubſcripſerunt........ nec ab apoſtolico manere: quia ſedes beati Petri cæleſtis regni clavigeri poteſtatem habet, ligata qualibet pontificum congrua æſtimatione abſolvere. Quippe cum conſtet multos jam patriarchas, hoc eſt, Athanaſium & Cyrillum Alexandrinos, Flavianum & Joannem Conſtantinopolitanos, & Polychronium Jeroſolymitanum ſynodice damnatos per apoſtolicæ ſedis poſtmodum abſolutionem reſtitutos incunctanter fuiſſe.

Eo tamen tenore iſta ſtatuentes, apoſtolica dumtaxat auctoritate & ſanctorum patrum ve-
D nerabilibus inſtitutis decernimus, ut poſt hujus patriarchæ obitum, nullus de laicis vel curialibus in patriarchatus eligatur vel conſecretur honore, niſi de cardinalibus presbyteris & diaconibus Conſtantinopolitanæ ſedis, ſecundum ſacros canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos; quia nec præpropere contra canones eccleſiaſticos, decretaque majorum cito quilibet lector, cito acolytus, cito diaconus, cito ſacerdos vel epiſcopus fiat: qui in minoribus officiis ſic diu perdurent, & vita eorum pariter & obſequium comprobetur, ut per tempora a majoribus inſtituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad ſummum ſacerdotium poſtmodum veniat. Quoniam non eſt ſubito præ-
E ripiendum vel uſurpandum, quod vita diu probata meretur accipere. Nam ſi in quibuslibet eccleſiæ gradibus providenter curandum eſt, ut in Domini domo nihil ſit inordinatum; quanto magis elaborandum eſt, ut in electione ejus qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non ſit in capite; & inde fiet, ut omnis eccleſiaſtica diſciplina reſolvatur, omnis ordo turbetur. Et ideo hoc, quod nos modo pro eccleſiaſtica unitate & pace, quam Chriſtus Dominus noſter nobis dedit habendam, ut-

cum-

cumque patimur eſſe veniale, inultum poſtmodum eſſe non poterit (*a*).

Bulgari ſub Romanam diœceſim revocantur.

Hoc etiam modo iſta, excellentiæ veſtræ precibus moti, fieri jubemus, ſi ipſe patriarcha Bulgarorum diœceſin, quam piæ memoriæ Nicolaus præceſſor noſter, Michaele ipſorum rege petente, apoſtolicis doctrinis docuit, & per venerabiles epiſcopos ſuos lavit unda baptiſmatis, omnique eccleſiaſtica regula & diſciplina prout oportebat inſtruxit; amodo ſuo juri vendicare, vel remittere nullo modo præſumpſerit, nec aliquam cujuſcumque honoris ibidem ordinationem fecerit.... ibidem ſunt illicite ordinati epiſcopi vel ſacerdotes. ..., archiepiſcopo, vel epiſcopis qui ibidem videntur exiſtere......ſacrum pallium quo inter ſacra miſſarum ſolemnia uti pontificibus ſolitum eſt, ipſe patriarcha mittere præſumpſerit.

Photii nimia laus,

Porro pro tantis perturbationibus, quibus eccleſia veſtra longo jam tempore manet turbata, veſtræ Auguſtali pietati obnixe ſuggerimus, ut Conſtantinopolitanum patriarcham digno honore venerantes, quaſi patrem ſpiritalem, & utpote inter vos & Deum mediatorem præcipuum, divina vobis, per quæ ad regnum perveniatis æternum, ſedule annunciantem, pio ſemper affectu colatis, & ut condecet in omnibus honoretis: quia pro temporalis, quem illi exhibetis, honore, vos & hic temporalem honorificentiam habebitis, & in æternum multiplicem procul dubio recipietis ab illo nempe, qui glorificantes ſe glorificare teſtatur. Nec eorum verba falſo prolata, qui ſcandalorum zizania ſuper conſpicuam ſegetem Domini ſeminare non ceſſant, veſtra imperialis dignetur audire majeſtas, nec pro talium ſuſurrationibus hominum, qui ſemper ſtudent ſcindere unitatem Dei, veſtem Domini, eccleſiam Chriſti, quique linguis ſuis ſemper doloſe agere non ceſſant, venenum aſpidum portantes ſub labiis ſuis, animum clementiæ veſtræ adverſus eum aliquatenus commoveatis, & ſummum ſacerdotem veſtrum Dei providentia in eccleſiæ Chriſti regimine conſtitutum ſic facile exhonoretis, quod nimirum ſancto veſtro imperio valde inhoneſtum & indecens eſſe videatur.

*1. Reg. 2.*

*Pſalm. 13.*

Recipiendi qui ab Ignatio fuerunt ordinati.

Præterea mandamus etiam, ut omnes epiſcopos & ſacerdotes, ſeu cujuſcumque ordinis clericos, qui de conſecratione Ignatii bonæ memoris patriarchæ conſiſtunt, ſive in ipſa regia urbe manentes, ſive alicubi extra, longe ſeu prope retruſos, clementi animo ad gremium & unitatem ſanctæ eccleſiæ revocetis, & ulnis extenſis paterno affectu recipiatis & amplectamini, propriaſque unicuique illorum jubeatis reddere ſedes: ut ſicut una eſt fides, unum in nobis baptiſma, & omnes unum ſumus in Chriſto; ita & iſti qui ad unitatem & ſocietatem eccleſiæ Dei, & corporis Chriſti redierint, & id ipſum dicentes, perfectique exiſtentes in eodem ſenſu, in eadem ſcientia, unus grex efficiantur, & unus paſtor, nec audeant amplius dicere: *Ego quidem ſum Cephæ, ego Pauli, ego autem Apollo*, ſed unius Chriſti veri Dei noſtri, qui eſt pax noſtra, & fecit utraque unum, veniensque cæleſtia cum terrenis pacificare dignatus eſt. *Qui idcirco ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Nec enim poterit unitatis eorum firma eſſe compago, niſi eos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum caritatis aſtrinxerit: quatenus, Deo favente, abſque omni perturbatione, vobis regnantibus ſalvi & ſecuri perſiſtentes, pro ſalute veſtra & pro ſtatu reipublicæ, jugibus ſemper votis Dominum valeant deprecari.

*1. Cor. 1*

*Geneſ. 18.*

Excommunicantur qui cum Photio communicare nolunt.

Quod ſi forte quidam extiterint cum eodem patriarcha communicare nolentes, admoneantur ſecundo & tertio, ut ſanctæ eccleſiæ ſe unire procurent. Quod ſi acquieſcere noluerint, in ſua pertinacia manere volentes, ſacra eos communione, his præſentibus miſſis noſtris una cum ſynodo, juſſimus privare, quouſque ad ſuum redeant patriarcham, & ad ſanctæ eccleſiæ unitatem, cum præcipue ipſi epiſcopi a nobis ſint canonice excommunicati. Et ideo ſi eos in conſortium ſuum receperit, aliquamve cum eis communionem habuerit, ſimili modo eumdem patriarcham cum ipſis epiſcopis eccleſiaſtica communione judicamus eſſe privatum. Data menſe Auguſto (*b*) die decima ſexta, indictione duodecima.

*Miſſa per Petrum presbyterum.*

## NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Epiſtola.*) Qua occaſione hanc de Photii abſolutione & reſtitutione epiſtolam pontifex ſcripſerit, diximus ſupra in notis ad vitam Joannis papæ VIII. circa annum Domini 879. Hæc in codice Vaticano charactere Longobardo exarato, atque jam haud pridem, ſed mendoſe nonnihil cuſo, ſcripta eſt.

Summa plane Dei providentia factum eſt, ut ejuſmodi Joannis octavi papæ literæ in noſtrum uſque tempus in ejus regeſto, ſive ut dicunt vulgo, regiſtro integræ ſervarentur, nec ſicut aliorum plurium pontificum epiſtolæ perderentur: ut ex his etiam ex Nicolai & Hadriani epiſtolis Photius millies poſſit redargui impoſturæ, & falſitatis convinci. Ad uſitatam impoſtor artem rediit falſandi literas Romanorum pontificum, & fingere nova ſcripta: nam præter ea quæ plus ſatis de ipſo dicta ſunt ſub Nicolao & Hadriano pontificibus, & in ſynodo univerſali ſunt proclamata, novæ rurſus ab impoſtore prodiere falſitates: ut plane acciderit de his Joannis papæ literis, quod de ſuis ab eodem Photio falſatis, Nicolaus in epiſtola ad Michaelem imperatorem exclamat, cum ait: *Ex his*, inquit, *quæ ibidem ex ea lecta ſunt, nonnulla addita, multa mutata, plura ſubtracta reperiuntur, & per omnia talis a vobis effecta eſt, ut aut nihil, aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comminiſtri Ignatii diſpoſuiſſe cauſa videamur.* Hæc tunc Nicolaus, quæ etiam nunc ab ipſo Joanne repetenda eſſent, ſi vivens videre potuiſſet, ut Nicolaus, quomodo ſuas miſſas Conſtantinopolim literas Photius addendo, minuendo, atque mutando, male, peſſimeque habuiſſet.

Sed quorſum hæc ipſe? dices. Voluit ſceleſtus quaſi ex Joannis papæ literis non ſolum ſuam reſtitutionem firmam, roboratamque monſtrare; ſed & falſatis illis probare etiam auctoritate ejuſdem pontificis octavam ſynodum œcumenicam eſſe damnatam; probatam vero recentem ab ipſo adverſus eam Conſtantinopoli celebratam; octavamque pariter nominatam in abolitione legitimæ octavæ œcumenicæ ſub Hadriano pontifice celebratæ. Ex quo grande malum illud evenit, ut pro germana octava, a Græcis maxime, accepta ſit ſynodus Photiana; ut factum inter alios a Zonara eſt videre, qui in ſua canonum collectione & interpretatione poſuit loco octavæ œcumenicæ ſynodum Photianam ſacrilegam, quam ipſam & Theodorus Balſamo univerſalem appellat, cujus & tres canones recitat; ſic & reliqua Græcorum ſchiſmaticorum colluvies. Tu igitur, lector, hic, amabo te, ſede arbiter veritatis, atque ex literis Joannis papæ in Græcum a Photio redditis & recitatis in ſecunda actione ſuæ pſeudoſynodi, revocatis vero ad Latinitatem a Friderico Metio origine Græco, ſed pietate catholico atque fide Latino, modo ob virtutum atque doctrinæ præſtantiam creato Thermarum epiſcopo, veteratoris malas artes intellige. Extat ipſa integra Photiana pſeudoſynodus Græce in ſcripto codice bibliothecæ Columnenſis, quæ fuit Cardinalis Sirleti, nota numeri quadrageſimi, in quo ſub actione ſecun-

(*a*) Hic deeſt periodus, quam ex edit. Rom. ſuppleo: *Si quiſpiam id quod omnino interdicimus uſurparit; quia remiſſio peccati non dat licentiam iterum delinquendi; nec quod potuit aliqua ratione ſemel concedi, fas erit amplius impune committi. Hoc etiam &c.*

(*b*) deeſt in Edit. Romana: die XVI.

ſecunda eadem epiſtola Joannis papæ recitatur ad imperatorem ſcripta adeo mutata, ut vix quis cognoſcat eamdem eſſe Joannis, quam nuper recitatam audiſti; ſic enim ſe habet;

*Joannes ſervus ſervorum Dei, ſereniſſimis dilectis filiis noſtris ſpiritualibus, & Deo caris Baſilio, Leoni, & Alexandro * victricibus imperatoribus & æternis Auguſtis.*

* Pro victoribus: Hard.

Forma totum principium a Photio immutatum; quod enim viſum fit exile præconium imperatoris, voluit illud glorioſius prædicari.

PUritas & ſplendor veſtræ rectæ fidei, & morum probitas & benignitas perfecta, o Chriſtianiſſimi & maximi imperatores Romanorum, luminum inſtar in medio terræ micantes uſque ad omnes fines, ad quos univerſus orbis, extenduntur & ſplendent. Non enim ſola recta fide præſtantes, in aliis rebus vos oſcitanter habetis, ſed potius ſuper veſtram irreprehenſibilem fidem ſuperædificatis non lignum aut herbam, aut arundinem, ſed pretioſos lapides, aurum & argentum, & ut breviter dicam, omnia alacri ſtudio perficitis, quibus cognoſcitis Deo rem gratam facere. Nihil vero Deo gratius eſſe dignoſcitur, quam ut univerſæ ejus eccleſiæ quaſcumque ſol reſpicit, recta fide & mutua inter ſe dilectione & caritate viventes, illi ſingulis diebus gratias agant. Quapropter hanc unionem etiam in veſtra Dei eccleſia conſpici & vigere vos percupientes, Romanam ſanctam eccleſiam per veſtros legatos, & ſacras literas adjutricem aſſumpſiſtis, pro certo habentes, eam vobis futuram præſto ad id quod optaſtis. Neque vos primi id agere cœpiſtis, ut hanc rem excogitaretis, ſed veſtigiis prædeceſſorum veſtrorum inhærentes; in quanam ſchola, quærere eſt etiam dignum: a principe videlicet apoſtolorum Petro, quem Dominus omnium eccleſiarum caput conſtituit, inquiens illi; *Paſce oves meas;* nec non a ſacris & orthodoxis ſanctorum patrum decretis atque doctrinis, quemadmodum ſacræ & piæ veſtræ literæ teſtantur: id vero propterea facitis, quo magis veſtræ fidei firmitas celebrata eluceat, & erga Deum dilectio ſincera & efficax pateſiat.

Joan. 21.

Nihil enim aliud aptius & dignius contingere poteſt illis qui maximis dignitatibus & principatibus ſunt conſtituti, quam rectæ fidei ſplendore, & Dei dilectione præſtare contendere; & curare ut omnes, qui cum eadem fide Deum venerantur, dilectionis etiam vinculo uniantur, & conſtringantur. Quapropter veſtris literis obſequentes nos, & mellifluis verbis deliniti, ignis inſtar accenſi, cum univerſa noſtra ſanctiſſima Romanorum eccleſia, unanimes & concordes ſurreximus ad ea omnia quæ a vobis ſcripta ſunt, prompto & alacri animo peragenda. Scripſiſtis nobis, noſter dilecte fili, ut noſtra apoſtolica viſcera miſericorditer aperiremus, & omnes quotquot fuerint, qui in veſtra eccleſia vel propriis chirographis, vel alio quovis pacto prævaricati ſunt, & canonicis cenſuris obnoxii ſunt effecti, reciperemus, & pacis & unionis curam haberemus. Quin etiam ante omnia Photium religioſiſſimum epiſcopum noſtræ communionis hæredem & participem, & comminiſtrum facientes, ad magnum epiſcopatus culmen, & dignitatem patriarchalem iterum conſtitueremus, ne eccleſia Dei multo tempore ſchiſmatum Deo exoſorum, & malorum ſcandalorum fluctibus agitata permaneat.

Nos vero veſtræ ſerenitatis preces accipientes, ut rationales & juſtas & Deo acceptas, & tempus jam præſto eſſe, quod antea quærebamus, & invenire, Deum precabamur; & rationi etiam congruum cenſentes, eccleſiam Dei tranquillam reddere: miſimus propterea * legatos qui veſtram perficerent voluntatem. Et licet pietas veſtra Photio vim inferendo nos prævenit, in illo reſtituendo videlicet, antequam noſtri legati iſthuc veniſſent; hæc tamen nos ſupplemus non auctoritate noſtra, licet hoc etiam facere poſſimus, ſed apoſtolicis conſtitutionibus & ſanctorum patrum decretis horum demonſtrationem afferentes, neque eccleſiæ regulas jamdiu traditas ſolventes, ſed eas in quibuſcumque, dum harum nimis exacta & immutabilis obſervantia ſervatur, divellit, & deſtruit totam compagem corporis eccleſiæ, ad quod conducit trahentes, ab ipſamet eccleſia edocti. Secundus enim canon Nicænæ ſynodi hæc habet: Quoniam frequenter vel a neceſſitate, vel alio quovis pacto coguntur homines eccleſiaſticos canones tranſgredi; & quæ ſequuntur. Nec non papa Gelaſius de ſeipſo inquit, quod ubi vis non apponitur, ſanctorum patrum ſtatuta inconcuſſa maneant. Similiter etiam ſanctiſſimus papa Leo in eodem ſpiritu præcipit, dicens: Ubi vis non præcedit, immobilia permaneant ſanctorum patrum ſtatuta; ubi vero neceſſitas & vis reperitur, ibi ad id quod convenit eccleſiis Dei, ille qui poteſtatem habet diſpenſet. Ex neceſſitate enim, juxta divinum apoſtolum, etiam legis fit mutatio. Felix præterea papa conſona etiam dicit: De hoc enim oportet animadvertere, ut ubi neceſſitas contigerit, ſæpenumero etiam conſtitutiones patrum tranſgredi liceat. Sancta etiam ſynodus Carthaginenſis ait trigeſimoquinto capite: Mandamus ut Donatiſtarum clerici iterum ad eccleſias revertantur, licet etiam a ſynodo fuerint damnati. Synodus etiam ſynodum abrogaſſe reperitur propter unionem eccleſiæ & concordiam. Et Innocentius papa ait: Iſti a Bonoſo ordinati hæretico recipiantur, ne iterum ſcandala in eccleſia Dei oriantur.

* Addidit iſta Photius, & mutavit in contrarium ſenſum quæ de ſeipſo habebantur.

Neque ſolum iſtis, licet tales eſſent, ut ex illis fuiſſent ut hæretici damnati, apoſtolica tamen ſedes eccleſiæ pacis curam gerens manus adjutrices porrexit; verum etiam orthodoxis epiſcopis & patriarchis ad ipſam confugientibus, ſicut nunc religioſiſſimus Photius, & auxilium implorantibus opem tulit. Noſtis omnino magnum Athanaſium epiſcopum Alexandrinum & Cyrillum & Polychronium Hieroſolymorum, Joannem quem dilectio veſtra Chryſoſtomum appellat, Flavianum etiam Conſtantinopolitanum: hos enim a ſynodis damnatos & reprobatos, cum ad ſanctam Romanam eccleſiam confugiſſent, apoſtolica ſedes hæc noſtrà confirmavit, & ad priorem dignitatem reſtituit. Si igitur ex Donatiſtis, & ex Bonoſo ordinationem acceperunt, & ab eccleſiæ catholicæ limitibus fuerunt ejecti a ſynodo numeroſa, iterum ab alia ſynodo recipiuntur, & in ſacerdotum numero collocantur, ut eccleſia Dei indivulſa, & a ſchiſmatibus integra & libera permaneat, (nihil enim oculis Dei magis execrandum & abominabile conſpicitur, quam is qui ſchiſmatum auctor in eccleſiis extiterit; & nihil jucundius vel carius etiam bonitati, quam eccleſiam ſuam integritatem, perfectum erga Deum amorem, & erga proximum dilectionem conſervare,) multo magis viros orthodoxa fide illuſtres, & vitæ gravitate & rerum peritia celebres, non oportet illos contemne * obnoxios pœnitentiæ jugo gravari, ſeu ad priorem dignitatem reſtituere.

* Ex ſe hæc addidit Photius.

Cum enim * ſemel apoſtolica hæc ſedes claves accepiſſet regni cælorum a primo & magno pontifice Jeſu Chriſto per principem apoſtolorum Petrum, cum illi dixiſſet. *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis: & quæcumque ligaveris ſuper ter-*

* Multa hic a Photio prætermiſſa noſcuntur, quibus ſedis apoſtolicæ auctoritas prædicatur.

a Hadriani prædeceſſoris legatio memoratur. *Matth.* 16. *Jerem.* 1.

* Hæc omnia addita a Photio impoſtore.

*terram, erunt ligata & in cælis*; habet facultatem omnes ligandi atque ſolvendi; & juxta prophetam Jeremiam, evellendi & plantandi. Hac de cauſa nos auctoritate uſi principis apoſtolorum Petri, cum univerſa eccleſia * affirmamus vobis, & per vos etiam ſanctiſſimis fratribus & comminiſtris patriarchis, Alexandrino, Antiocheno & Hieroſolymitano, & reliquis epiſcopis & ſacerdotibus, & univerſæ Conſtantinopolitanæ, nos convenire & conſentire vobis, vel potius Deo in omnibus quæ a nobis vos petiſtis. Et primum quidem nos recipere Photium admirabiliſſimum & religioſiſſimum archiepiſcopum & patriarcham fratrem noſtrum, & communionis cum ſancta Romanorum eccleſia conſortem & participem, & hæredem, non ſolum propter alias virtutes quibus ille præſtat, verum etiam propter ſcandala e medio tollenda, & pacem Dei, & dilectionem adinvicem inter nos firmandam. Recipite etiam ipſum vos certo & firmo animo, & caritate & fide, omne iniquitatis & malitiæ venenum, & duplicitatem & ambiguitatem de cordibus veſtris avellentes, ſicut ipſum recepit Romana eccleſia.

* Additamentum item eſt impoſtoris totum quod ſequitur.

Didicimus * enim fere ab omnibus qui huc veniunt ex illis qui iſtic verſantur, Photium omnibus prærogativis præſtare coram Deo non ſolum ſapientia & prudentia circa res divinas & humanas, verum etiam circa omnes virtutes morales, & curam divinorum præceptorum, tanquam irreprehenſibilem operarium celebrari. Neque juſtum duximus, talem virum otioſum & inutilem permanere, ſed in altum in veſtra eccleſia iterum elatum, & lucentem conſueta ſibi & Deo dilecta opera exercere, tum erga ſacerdotes, tum etiam erga epiſcopos. Quapropter eumdem reſumentes ſermonem, vobis dicimus: Suſcipite virum illum abſque ulla dubitatione.

* Sunt iſta Photii additamenta contra ſynodos adverſus ipſum celebratas.

Nec * aliquis pro ſui excuſatione adducat injuſtas ſynodos adverſus ipſum habitas, neque, ut multi ſtupidiores opinantur, decreta prædeceſſorum noſtrorum beatorum pontificum, Nicolai videlicet & Hadriani adverſus Photium lata accuſet: non enim recepta fuerunt ab ipſis quæ contra ſanctiſſimum Photium geſta fuerunt. Nullus per chirographa veſtra occaſionem ſumat ad ſchiſmata fovenda cum illo & adinvicem: omnia enim jam ſedata ſunt & abrogata, omnia quæ contra Photium geſta ſunt, irrita, & nulla per nos minimos in manibus principis apoſtolorum repoſita ſunt, & per eum in humeros Jeſu Chriſti agni Dei qui tollit peccata mundi.

* Ejuſdem falſarii ſunt hæc verba ſuppoſita.

Recipite * igitur ipſum apertis ulnis, fratrem videlicet noſtrum comminiſtrum. Recipite epiſcopum & Dei & irreprehenſibilem. Recipite patriarcham veſtræ eccleſiæ. Confirmate erga illum dilectionem, fidem, & cum obſervantia obedientiam, & per hunc erga ſanctam Romanam eccleſiam eamdem confirmate. Qui enim illum non recipit, nec ea quæ a nobis & ſancta Romanorum eccleſia de illo decreta ſunt, recipit; nec is adverſus nos bellum ſuſcipit, ſed adverſus ſanctum Petrum apoſtolum vel potius adverſus Chriſtum ipſum Filium Dei, qui ita honoravit & glorificavit apoſtolum ſuum ut ipſe ab eo haberet facultatem ligandi atque ſolvendi.

* Adjunxit & omnia iſta quæ ſub hoc capite continentur ad ſecuritatem ſui patriarchatus falſitatis architectus Photius.

Hoc * etiam rogamus pietatem veſtram, ut in memoriam revocetis, ex quo tempore ſcandala & ſchiſmata in veſtram eccleſiam ingreſſa ſunt, & eam integritatem corruperunt: horum malorum nullam aliam fuiſſe cauſam, niſi quod vos imperatores admiſiſtis blaſphemias & calumnias adverſus pontifices & patriarchas veſtros, ac reliquos Dei ſacerdotes; nec non quod vos parvipen-

A diſtis dilectionem & fidem & honorem & obſervantiam erga illos. Rogamus itaque divinam potentiam veſtram ut exnunc aures obturetis imperii veſtri a Deo electi calumniis & obtrectationibus adverſus pontifices, quas pravi illi homines & malis ſolum gaudentes, vobis ſuggerere ſolent, & eos tanquam piacula & abominationes, iniquas verborum illorum ſagittas repellere velitis: patriarchas autem veſtros in honore habere, & quaſi proprios patres exiſtimare, tanquam Dei & hominum mediatores venerari. Ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, & quæ pro ſalute veſtra faciunt vobis a Deo ſemper deprecantur, nec non, ut par eſt, pro iis, quibus vos Deum offendiſtis errantes, ſacrificia ipſi offerunt, ut
B vobis Deum placent, benevolum illum vobis reddentes. Neque id ſolum, verum etiam pro tranquillitate & duratione potentiæ veſtræ, & pro victoria adverſus hoſtes obtinenda Deum noſtrum miſericordem orant. Doctores etiam & magiſtri vobis exiſtunt, dum vos admonent ut ea faciatis, quibus regnum cælorum acquiratis.

Præterea vos præ aliis diligere noſcuntur: non enim adulatorum amicitiam ſectari ſciunt vobiſcum, & adulatorum inſtar vos diligere, ſed potius caritatem, quam ipſos docuit Chriſtus Jeſus per ſanctos apoſtolos ſuos. Non oportet igitur veſtros patriarchas a vobis contemni, tum propter ea omnia quæ prædiximus, tum etiam, ut juxta Domini præceptum illos diligatis. Nec
C vos lateat, quod ſi hoc feceritis, non ſolum honores illorum conſequemini, quos vos honoratis & colitis, ſed illum potius qui eorum manibus in altari miniſtratur, videlicet Chriſtum, qui pro peccatis omnium Deo offertur: qui enim illos honorat, Deum honorat; & qui illos averſatur & reſpuit, Deum ipſum reſpuit. Falſas itaque detractiones & obtrectationes, per quas zizania & ſchiſmata & ſcandala in eccleſia Dei oriuntur, & dividunt inconſutilem Chriſti veſtem, tanquam venenum aſpidum, veſtrum imperium vitet: & potius ſanctiſſimo Photio fratri & comminiſtro noſtro opem ferat in omnibus quæ ad eccleſiæ bonum regimen faciunt.

Eos * etiam qui ipſum non quo par eſt, ho-
D nore habent, argue, ut corrigantur: ſæpe enim quos Dei timor, & erga divina religio & pietas non correxit; imperatorum & principum indignatio in eos irruens modeſtiores reddit. Idque ſi feceris, regnum tibi cælorum comparare certo ſcito, & ſempiternam imperii tui durationem, & pacis confirmationem. Si vero id minus feceritis, pro certo habeatis, quod nunquam ſchiſmata deerunt in eccleſia Conſtantinopolitana.

* Conſulit & iſta Photius ſui cauſa

De * hoc etiam legem condere, tuum imperium a Deo cuſtoditum monemus, ut poſt obitum ſanctiſſimi Photii comminiſtri & fratris noſtri nullus e ſæculari ordine ad pontificalem dignitatem eligatur & ordinetur, ſed potius ex presbyteris cardinalibus, ex iis videlicet, qui ca-
E tholicæ eccleſiæ ſunt adſcripti, vel ex ejus diaconis, vel aliis ſacerdotibus, qui exiſtunt ſub ſede Conſtantinopolitana, juxta ſacros canones, ut ne contra eccleſiaſticam regulam & ſanctorum patrum canones res veſtræ peragantur. Procedere autem hunc volumus per ſingulos gradus eccleſiæ ſatis probatum, * primum lectorem, deinde acolytum, poſtea diaconum, deinde presbyterum, & tandem epiſcopum, ſi tamen bonum habuerit teſtimonium de ſe, de pietate, & ſcientia; quoniam dum in inferioribus gradibus aliquod temporis ſpatium immoratur, ejus virtus & probitas agnoſcit, & hoc pacto oportet veſtros patriar-

* Sunt ex Joannis epiſtola, licet habeat aliqua verba a Photio addita, ut illud: *Poſt obitum ſanctiſſimi Photii*, &c.

* Cum prætermiſſos audis oſtiarium & exorciſtam a Latinis omnibus inter primos quatuor ordines annumeratos, ſcias a Græcis eo ruptum locum.

patriarchas progredi, non ex tempore præoccu- A
pare ſingulos gradus, ut in domo Domini nihil
inveniatur incompoſitum & inordinatum. Qui
enim ſupra omnes gradus collocatur, reprehenſi-
bilis in omnibus oportet reperiatur.

* Sunt addita iſta a Photio quæ hoc capite continentur.

Nec * quia nos veſtræ eccleſiæ paci & quieti
conſulentes, Photium religioſiſſimum fratrem no-
ſtrum recepimus, ſicut & papa Hadrianus Tara-
ſium ejus avunculum, hoc jam vobis pro con-
ſuetudine & regula uſurpetur: quæ enim raro
bona ſunt, non poſſunt lex fieri multis, & pro
lege ſumi. A Domino enim noſtro Jeſu Chri-
ſto edocti, etiam nos viſcera miſericordiæ reci-
pientes, condonavimus vobis petitionem veſtram
tum de Photio, tum de aliis ſacerdotibus ex al-
tera ordinatione exiſtentibus indultum conceſſi- B
mus. Quicumque vero in futurum auſus fuerit
id iterum committere, pœnitentia ex canone a
nobis abſque ulla remiſſione, & damnatio illi
irrogabitur.

* Sunt Joannis: ſed nonnulla miſcuit Photius.

* Rogamus etiam hoc pietatem veſtram, ut
neque frater & comminiſter noſter Photius ſan-
ctiſſimus, nec alius quiſpiam ſucceſſorum ejus in
futurum in Bulgaria ordinationes habeat, ne-
que per pallium illuc miſſum, neque per defen-
ſorem prædictam provinciam Bulgarorum ut pro-
priam miniſtret. In alieno enim ſolo non decet
alios ædificare. Prædeceſſor enim noſter Nico-
laus felicis recordationis precibus principis Bul-
gariæ Michaelis apoſtolicis doctrinis gentem il-
lam educavit, & per religioſos ſuos epiſcopos C
omnes eccleſiaſticas regulas & canones, & quæ-
cumque ad Chriſtianam religionem pertinent cum
illis tradidiſſet, eos perfecit: licet nonnulli au-
dacter ſurripuerint nobis prædictam provinciam,
quæ ad eos non attinebat; ordinationes etiam
& conſecrationes eccleſiarum, & omnia quæcum-
que facere minus oportebat, peregerint. Qua-
propter præter prædicta, & hoc etiam vobis no-
tum facimus, ut, ſi aliquando epiſcopos ibi de-
gentes contra nos aliquid delinquere deprehen-
demus, & canonicis pœnis illos ſubiiciemus,
non habeant vos ad quos confugiant, ſed potius
vos inveniant in hoc nobis concordes, nec diſ-
ſentientes.

* Delevit impoſtor vocem, Mandamus, & nomen Ignatii, & poſuit Oramus, &c.

* Oramus præterea imperium veſtrum Chriſto D
dilectum, ut congregetis epiſcopos & presbyteros
cujuſcumque ordinis eccleſiaſtici & civilis qui a
nobis diſſentire videntur, ubicumque fuerint in-
tra terminos veſtros, eoſque ad vos ducendos
curetis, & moneatis, ut ipſi uniantur eccleſiæ
Dei, & Photio ſanctiſſimo patriarchæ fratri &
comminiſtro noſtro nobis unito. Proprias ponti-
ficales & ſacras veſtes; gradus etiam illis reſti-
tuite, & viſcera miſericordiæ illis aperite: ut
quemadmodum unus Deus, unum baptiſma,
una fides, ita & nos ipſi unum etiam in Chri-
ſto, & per veſtram piam doctrinam unum pari-
ter nobiſcum ſint, & in eccleſiæ Dei perfectio-
ne coordinati & conjuncti nobiſcum in Chriſti
ſanctiſſimum corpus, ut in eadem mente & in E
eadem voluntate permanentes, Deum omnium
glorificemus. Nec aliquis in poſterum dicat; *Ego*
1. Cor. 1. *quidem ſum Cephæ, ego vero Pauli;* ſed ut omnes
hoc dicamus, quod Chriſti ſumus crucifixi &
mortui pro nobis, qui per ſuam paſſionem quæ
in terris ſunt, & quæ in cælis, invicem conci-
liavit; & nos Deo conjunxit & Patri per ſe-
ipſum, & mutua dilectione & communione. Si
vero a vobis eos advocatos monentes & hortan-
tes & orantes, ad unionem eccleſiæ convenire
vobiſcum ſemel & iterum & ſæpius obedire illi
noluerint, neque noſtris literis obtemperare &



A ſuammet lucrari ſalutem, ſed in priori ſua per-
tinacia & temeritate permanſerint iſtiuſmodi ho-
mines, præcipimus ab immaculati corporis & ſan-
guinis Domini noſtri Jeſu Chriſti perceptione
alienos fore, quouſque uniantur ſanctæ Dei ec-
cleſiæ, & Photio ſanctiſſimo patriarchæ fratri &
comminiſtro noſtro. Et poſtea: Hoc peracto quæ
ſequuntur juſtam illorum damnationem, in his literis
non ſcripſimus, ne amplius prorogaretur oratio
præter modum, ſed in commonitorio conſcripſi-
mus religioſiſſimi Petri presbyteri & cardinalis
noſtri legati, una cum Eugenio & Paulo reli-
gioſiſſimis epiſcopis, ut cum ipſis præſidens in
ſynodo una cum ſanctiſſimo Photio fratre &
comminiſtro, Dei oculum qui omnia videt, &
B ſemper vigilat, ante ſuos oculos habentes, &
inevitabilem divinam juſtitiam & ſuam conſcien-
tiam immaculatam & inculpatam conſervantes,
omnes res Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, & quæ-
cumque indigent correctione, & quæ, ut par
eſt, declinare debent, ut id quod melius eſt, &
conducibilius Dei eccleſiæ, peragatur. Cæleſtis
imperator piam potentiam tuam cuſtodiat.

### Nota Severini Binii.

Hucuſque ex Photiana verſione Joannis papæ epiſto-
la. Cur autem in titulo Joannis epiſtolæ non inſit
Conſtantini nomen, id accidit, quod, ſicut ex Niceta
dictum eſt, mortuus inter hæc fuerit Conſtantinus ipſe
Auguſtus primogenitus Baſilii imperatoris.

C Vidiſti impoſturas, lector, veritatis amator & cul-
tor, execratus es procul dubio, quas in profano etiam
homine, nedum ſacerdote, & epiſcopo & patriarcha,
ſed & in ethnico, omniſque divinæ & humanæ legis
experte barbaro improbare non poſſis; totque falſitates
admixtas literis non privati alicujus & ignoti hominis,
ſed ab apoſtolica ſede ex epiſcoporum concilio datis;
nec ad vilem aliquem terræ filium, ſed ad ipſum
orientis imperatorem, nec otioſe vel leviter de rebus
nullius momenti conſcriptis, ſed quæ maximi omnium
ponderis eſſent; ut merito tanti auctorem ſceleris im-
probare, & execrari, ipſumque facinus abominari, at-
que horrere tanquam funeſtum aliquid ab imis inferis
proditum a principe tenebrarum per filium tenebrarum
nomine tenus lucis angelum mentientem Photium, omni-
no debeas.

## CC. AD CLERICOS CONSTANTINOPOLITANOS.

### Ejuſdem argumenti.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis omnibus epiſcopis, conſratribus eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſedem reſpicientibus, ſeu tribus aliis principalibus eccleſiis Hieroſolymitanæ.*

QUorumdam ſane veſtrum, fratres cariſſimi,
ſcripta ſuſcipientes, unanimitatem, atque
conſenſum in parte Photii in eis plene re-
perimus, indeque obnixe optantes, ut quod par-
ticulariter hactenus, hoc canonice ſemper & ge-
neraliter, atque ſecundum ea, quæ ſunt Chriſti
E Jeſu, & non quæ veſtra, pia animi devotione,
id ipſum, ut non ſit in vobis ſchiſma, ſapiatis
quærere, pulſare, & invenire; nos autem mode-
ratione ſedis apoſtolicæ, ſicut diviſa contentio-
ne, atque dolemus ſciſſa errore, ita gaudemus
in vinculo pacis, ac caritatis compagine ſolidita-
tis fraternitatem veſtram ſine intermiſſione in-
violate perſiſtere, juxta apoſtolum, idem ſapite, 2. Cor. 13.
& Deus pacis erit vobiſcum. Quod vero ſolicita
intentione veſtra petit dilectio, uti auctoritate
beati apoſtoli principis apoſtolorum Petri, vobis
Photium patriarcham in regia urbe Conſtantino-
politana fore conſentiamus, illud animo luce cla-

K rius

rius retinetis, quod in evangelio primo paſtori Dominus ait: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* His hortatibus ſuccenſi, imo potius corroborati, in quantum ſine gravi offenſione valemus auxilium ferre, tam cunctis Domini ſacerdotibus, quam univerſo in orbe terrarum Chriſtiano populo, nunquam deſinimus, ſequentes prædeceſſorum exempla, de quibus ſanctæ memoriæ Hadriani papæ in Taraſii nuperrime regiæ urbis patriarchæ confirmatione, hæc interim ponimus verba: inter* reliqua inquit: Ipſe enim Taraſius regiæ urbis patriarcha miſit nobis ſynodicam priſcam adimplens conſuetudinem, quam ſuſcipientes, & liquidius indagantes, & tam de faſſione rectæ fidei ejus, quam dogmatum ſanctarum ſex ſynodorum, & venerandarum imaginum ovantes, nimis iterum conturbati ac contriſtati ſumus, quia ex laicorum ordine, & imperialibus obſequiis deputatus, repente in patriarchatus culmen electus eſt, & * apocaligus contra ſanctorum canonum cenſuram factus eſt patriarcha. Et quod dicere pudet, & grave tacere eſt, qui regendi adhuc, & docendi, ſunt doctores, nec erubeſcunt videri, nec metuunt, ducatumque animarum impudenter aſſumunt, quibus via omnis ignota doctoris, eſt, * quo vel ipſi gradiantur, ignari ſunt. Quod quam pravum, quamve ſit temerarium, ſæculari ordine, & diſciplina monſtratur: nam dum dux exercitus non niſi labore & ſolicitudine expertus eligitur, quales animarum duces eſſe poſſunt, qui in epiſcopatus culmen immatura cupiunt feſtinatione conſcendere? Hujus ſaltem rei comparatione conſiderent & aggredi repente inexpertos labores abſtineant; quippe qui non didicerint quod doceant. Unde canonica inſtituit cenſura nequaquam ex laico ad ſacerdotium repente tranſire. Et niſi per ejus fidelem concurſum pro ſanctarum imaginum erectione ejus conſecrationi aſſenſum omnimodo tribuere nequivimus. Porro & nos ac vos fratres cariſſimi, lege conſtringimur, ut ſi deinceps apud cunctam eccleſiam, quæ in vobis eſt, a paternis regulis per ſimilem prævaricationem nunquam ſpondeatis delinquere, id eſt, ne neophytum repente ad honorem aſcendere *. Et ſi parochiam Bulgaræ gentis, quæ Deo auctore beati Petri apoſtoli interceſſione, atque deceſſorum noſtrorum labore, ad Chriſtum converſa eſt, ſubducta quam ibi feciſtis illicitam ordinatione, reddideritis; & abjectos quoſque fratres, ac diſcordantes veſtro labore * ſtudio cum prædicto Photio quem patriarcham in regia urbe deſideratis habere, aliiſque piis operibus oſtenſionem, quam coram Deo, & ſanctis canonibus contraxiſtis in hac parte, recompenſaveritis. Venerabilem fratrem Photium coram ſynodo miſericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi volumus, & noſtræ communionis, imo & beatorum apoſtolorum, ſeu omnis eccleſiæ fore, Domini miſeratione, participem. Hoc exemplo roborati maxime, quo egregius prædeceſſor noſter Innocentius ſanctiſſimus papa Photinum reſtaurare dignatur, dicens: Veniam nunc ad maximum quaſi quoddam thema, Photinum; & inter alia. Quia res ad ſalutem redit veniæ, hunc in tantum vobis annitentibus, poſt condemnationem more apoſtolico ſubrogamus, tantiſque veſtris aſſertionibus, vobiſque tam bonis, tam caris non dare conſenſum, omnibus duris rebus durius arbitramur. Pro veſtra ergo approbatione fratres cariſſimi, & ſententia, ac poſtulatione epiſcopum Photinum habetote. Licitum eſt ita conſtituere ut deprecamini; & noſtram in melius converſam ſententiam, labore vel teſtimonio veſtro, compotes voti ſuſcipite. Solicitos enim vos pro ſalute libenter admitto: cui manum porrigitis, vobiſcum porrigo; cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim eſt ad Corinthios apoſtolica declarata benignitas, ut in uno ſpiritu ductam, ac reductam ſententiam boni ſemper indifferenter ſequantur.) Data menſe Auguſto, indictione duodecima.

Luc. 22.

In epiſtola Hadriani I. ad Conſtantinum, & Irenem imperatores.

* In epiſtola Hadriani eſt a caliga militari.

* Forte, qui quo. H

* aliquid deeſt.

* f. deeſt reconciliatione.

Epiſt. 11. in 7. Ton. II. pag. 1175. A.

*Miſſa per Petrum presbyterum.*

## Nota Severini Binii.

a *Epiſtola* cc.) Hanc ſicut ceteras recitatas paſſam eſſe perditiſſimi hominis Photii impoſturam, patet ex verbis iſtis: *Venerabilem fratrem Photium coram ſynodo miſericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi.* Quæ profeſſionem humilitatis inſinuantia ſuperbus & profanus homo plane abraſit, & loco iſtorum (ut in ceteris fecerat) iſta poſuit: *Photius patriarcha ſanctiſſimus & religioſiſſimus frater noſter, non dedignetur in conſpectu ſynodi gratiam & ſtudium noſtrum, quin potius* [illegible] *miſericordiæ Romanorum eccleſiæ prædicare, quod ad ea ſit receptus.*

## * CCI. AD PHOTIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

Photium patriarcham Conſtantinopolitanum conſtituit, dummodo in ſynodo veniam poſtulet: decernit ne deinceps ullus e laicis in eadem eccleſia ſtatim epiſcopus ordinetur: jubet Bulgaricam diœceſim eccleſiæ Romanæ reſtitui.

*Photio patriarchæ Conſtantinopolitano.*

EXperientia tuæ prudentiæ literis pontificio noſtro delatis ſatis ubertim comperta, altitonantem Dominum, piiſſimas ei grates agentes, laudavimus, qui poſtulatus dat omnibus ſapientiam, & in domo faciens unanimes habitare, ſalvat omnes in ſe ſperantes, & protegit ſe in veritate quærentes, qui neque probos, reos, neque facit pios, tyrannos: tamen juſte judicans, beatis quibuslibet æterna præmia, & infelicibus, reſervato interim pœnitudinis tempore, niſi reſipuerint, æterna confert ſupplicia. Prædictis quoque literis præconia noſtra legentes, affectum tuum cognovimus, & quam ſis nunc erga nos devotus, ſatis evidenter reperimus: verum in quo nobis noſtra merita non ſuffragantur, Deo dimittimus; & in quo nos humanis laudibus quicumque mortalium elevare conantur, fragilitatem naturæ noſtræ cum ſumma formidine, eodem Deo præ oculis habito, contemplamur. Scimus enim, ipſo dicente, *quia qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

Hanc epiſtolam Photius locis infra notatis corrupit.

Matth. 23.

Quod dicitur autem, ſanctam Conſtantinopolitanam eccleſiam in te convenire, teque privatam ſedem recipere: miſſos vero noſtros tecum minime conſecrare: de adunatione omnium Deo gratias agimus; ſed miſſis noſtris ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipſa ſedes haberet, antea comprobavimus. Nunc vero, ſicut de pace & adunatione ipſius eccleſiæ valde gaudemus; ita & de diſſenſione nolentium acquieſcere contriſtamur, quia * Salomone teſtante, *quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & ſicut genus idololatriæ nolle acquieſcere.*

Verum * ſuper receptione privatæ ſedis nos debuimus ante conſuli. Tamen quia obeunte fratre & coepiſcopo noſtro Ignatio, te Conſtantinopolitano throno præſidere audivimus: tantum

* leg. Samuele. 1. Reg. 15.

* Iſta de conſulenda ſede apoſtolica Photius detruncavit in ſua tranſlatione.

tum ut pax augeatur, & jurgia ceſſent, multi- A modas Deo gratias agimus. Tu autem omnium mentes demulcens, omnes patulis ulnis amplectere, omnes diſperſos congregare non deſinas, omnes colligere ſolicite ſtude: quia ſicut ſanctus papa Leo magnus ſcribit, ſedis apoſtolicæ, inquiens, moderatio hanc temperantiam ſervat, ut ſeverius agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis.

Et cum non ſit reprehenſibilis erga correctum quantacumque miſeratio, ſatisfaciens coram ſynodo * miſericordiam ſecundum conſuetudinem poſtulaveris, ac ſi evidenti correctione utaris, & peritiæ non obliviſcens, nullius damna moliaris, quin potius exilia eorum, qui tibi non velle conſentire dicuntur, ſtudioſe diſſolveris, eoſque B ſuis eccleſiis & honoribus reſtitueris: & ſi, quia ſpiritalis filius noſter Baſilius Chriſtianiſſimus imperator apud nos pro te multis precibus intervenit, omnes uno voto, uno conſenſu & una concordia in tua reſtitutione convenerint: veniam pro pace ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ tibi concedimus, communionem quoque & gradum, coram * ſynodo miſericordiam quærendo, nihilo minus reddimus, & ut ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ digne præeſſe debeas, conſentimus, ita tamen ut deinceps de laicis in eadem eccleſia epiſcopus contra ſanctorum patrum ſtatuta nullatenus ordinetur, & omnis illa mala conſuetudo abinde penitus amputetur, juxta capitulum quod ſuper hac re in venerabili ſynodo, C tempore ſcilicet deceſſoris noſtri Hadriani junioris papæ Conſtantinopoli habita, eſt congruentiſſime promulgatum.

* Hæc de miſericordia quærenda coram ſynodo abſtulit Photius, hic & alias laſerius.

* Hæc quatuor verba itidem decurtavit Photius.

Reliqua vero, quæ literæ tuæ a nobis fore cenſenda vel finienda expectant, dato commonitorio noſtris legatis, Petro venerabili presbytero cardinali noſtro, deliciosiſque conſiliariis noſtris quædam ſcriptis, quædam autem verbis injunximus, qui juxta cenſuram noſtri apoſtolatus inſtructi de omnibus, cuncta, Deo præ oculis habito, contemplantes, & admittenda ubi fas eſt admittere ſtudeant, & corrigenda ſub æquitatis libramine corrigant.

Præterea ſicut veſtra pars ſuum velle conatur vires accipere, ita & * diœceſim noſtram Bul- D gariam, quam apoſtolicæ recordationis ſanctiſſimique domini papæ Nicolai certamine ſedes apoſtolica recepit, ac Hadriani æque beatiſſimi præſulis tempore poſſederat, ſumma nobis celeritate reſtitui volumus, & de cetero omnem ordinationem eccleſiaſticam ab eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præſulibus in eadem diœceſi Bulgarica, auctoritate apoſtolica amputamus; ipſos autem ordinatos ibidem epiſcopos, & omnes alios inferioris ordinis clericos, ut inde ſe ſubtrahant, & ab invaſione Bulgaricæ noſtræ diœceſis ſe omnino compeſcant, decertare procures. Quibus ſi tu aut pallium dederis, aut quamcumque illic ordinationem feceris, vel donec nobis obediant, cum eis communicaveris, pari excommunicatio- E ne cum eis teneberis annexus.

* Hæc de Bulgarica diœceſi decurtavit Photius omnino.

### Nota Severini Binii.

a *Epiſtola* CCL) Hæc eſt altera quam a pontifice Joanne VIII. acceptam Photius a ſe Græce tranſlatam, & ad perfidiam ſuam occultandam addendo, mutilando, ſubtrahendo & expungendo in pſeudoſynodo ſua octava legi ac promulgari fecit.

Porro ille ſciens quanta ineſſet in apoſtolicis literis auctoritas, lecturus cum eſſet eas in ſynodo, ad perſuadenda quæ vellet, addidit & abſtulit pro arbitrio quæ ſibi ſunt viſa. Quænam autem iſta fuerint, ex recitatione ipſius epiſtolæ ex ſecunda ejuſdem actione depromptæ, Latinitatique ab eodem Metio redditæ, ſatis intelliges, ſic enim ſe habet.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Photio ſanctiſſimo fratri & comminiſtro patriarchæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ.*

SApientiam & prudentiam fraternitatis tuæ in literis cum perſpexerimus, inſtar * tonitrui cælitus miſſi ex Deo reſonantem & omnes terminos terræ ſuo ſtrepitu replentem, pias Deo gratias & excelſas laudes retulimus, qui omnibus petentibus juxta eorum petitionem largitur ſapientiam, & qui habitat in concordiæ domo, & fovet & protegit omnes qui veritate ſpem ſuam in ipſum collocant: quia quique nec malos in finem rejicit, neque bonos ut in tyrannidem aliquam incidant, ſupra eorum vires permittit; ſed potius juſtitiæ æqualitate, ac judiciorum æquilibrio omnes res humanas dirigit, & feliciter ducit. Et beatus ille qui alacri animo, præſenti tempore per pœnitentiam lapſos erigit: in cælis enim iſte theſauros ſibi theſaurizat: hic etenim in hac felicitate permanens, fruetur ſempiternis futuris bonis, cum revelabitur futura gloria. Tuas itaque prædictas humaniſſimas literas cum accepiſſemus, & laudes nimias quibus nos exornas, & qua animi alacritate erga nos te habes, agnovimus, quomodo pie & ſane te geris: licet laudes quas nobis tribuis, longe a nobis abſint: cum enim mortalem & mutabilem naturam nacti ſimus, non ſunt laudes ſatis tutæ: & magno timore afficimur illius videlicet qui omnia videt, & omnia proſpicit, tum occulta tum aperta, ne aliquo pacto aliter ab hominibus nos habiti, aliter in conſpectu Dei reperiamur, & pro laudibus & optata gloria perpetuum dedecus lucremur. Sed hæc permittamus interea Deo, qui novit omnia, & quem nihil noſtrum latet. Novimus enim, ipſum dicere: *qui ſe exaltat, humiliabitur.* Matt. 23

* Photius verſipellis flectit in laudem ſuam quod in Dei laudem Joannes dixerat de aliquo ſante Deo.

Scripſiſti nobis, quod ſanctiſſima Dei Conſtantinopolitana eccleſia in te recipiendo, concors & unanimis facta eſt: & quod * ſedem recepiſti, quæ tua erat, & qua fueras orbatus: his de rebus de eccleſia videlicet, & de tua reſtitutione, qua es ad propriam ſedem reſtitutus, Deo ex corde, & pro virili gratias agimus. Habebant etiam literæ pietatis tuæ quod noſtri legati noluerunt quam primum tibi comminiſtrare. Et hoc factum dicimus, quia nondum illis permiſeramus, ut ea facerent, quæ præceperamus. Si enim mandatum noſtrum habuiſſent, nulla ipſis fuiſſet dubitatio, nec alicujus mœſtitiæ cauſam pietati tuæ præbuiſſent Nec nos ſatis certi eramus de fraternitate tua, quod ad tuam ſedem te Deus reſtituiſſet, & jam ipſam obtinuiſſes: ſi enim hoc reſciviſſemus, miſiſſemus procul dubio, ut par erat, gratulaturi tibi pro tuæ ſedis receptione. * Ne igitur interea iniquo feras animo: quod enim antea defuit, jam ex ſuperabundantia completum eſt.

* Tacet hic Photius quod de privata ſede, nempe qua in Magnaura creatus erat vivente Ignatio.

Didicimus præterea, quod ſunt inter vos nonnulli ſchiſmatici, qui non quieſcunt, ſed in vanum laborant, & certamen diabolicum certant, juxta prophetam dicentem: Diviſi ſunt contriti, ut evellant & evertant ad ſe nonnullos ſimpliciores. Et quemadmodum gaviſi ſumus pro tua reſtitutione, quam Deus operatus eſt, & unione facta eccleſiæ: ita triſtati ſumus pro ſchiſmaticorum illorum interitu.

* Aliqua [illegible] dit, & [illegible] truncat [illegible] qua, [illegible] ſuperius [illegible] tavimus de conſulenda apoſtolica ſede aliis.

Tu * vero qui præſtas ſapientia & prudentia & gratia a Deo tibi largita, (quid enim habes quod non accepiſti? & ſi accepiſti, novimus te non gloriari quaſi non acceperis,) omnes tibi devin-

* iſta [illegible] laudibus [illegible] Photius addidit.

devincere humanitate contendas eos, qui a te A procul ſunt ſegregati & diſperſi, miſericordiæ viſcera illis aperiendo, & benignitate illos complectendo, ſimul congregare ne graveris: ut, quemadmodum ſanctiſſimus papa Leo magnus ſcribit, eos qui quærunt humiliari in conſpectu Dei, & unionem vobiſcum quærere, ſuſcipiamus. Sicut econtra adverſus eos qui duro ſunt corde, fortitudine & conſtantia & patientia illos vincamus. duritiæ etiam cordis illorum obſiſtamus. Similiter illis qui pœnitentiam quærunt, quæ lapſos ſublevat, manus adjutrices præbeamus. Non enim eſt deſperatio pœnitentibus, & petentibus miſericordiam non eſt confuſio.

Quapropter fraternitatem tuam rogamus, ut Chriſti mores imitando, præcipue vero ejus hu- B militatem quam ſuſtinuit pro ſalute generis noſtri, non te * pigeat in ſynodo prædicare Dei erga te miſericordiam & auxilium, nec non ſanctiſſimæ Romanorum eccleſiæ protectionem & tutelam, & laborem, quem pro tua dilectione ſuſtinuit, ut hoc pacto ædifices omnes pro communione noſtra & animorum noſtrorum concordia. Quandoquidem quæcumque ab illa petiiſti, obtinuiſti etiam. Et ſicut illi mos eſt, ut omnibus qui injuſte patiuntur opem ferat, ita ejus auxilio tu non caruiſti, ſed divina ope & hujus ſanctæ ſedis labore & ſtudio ad ſedem tuam es reſtitutus.

Quapropter rationi congruum duco, ut hujus conſueti auxilii necnon benignitatis, quam ipſis C operibus ſingulis diebus experiris, de illa in omnem terram ſonum emittere non obliviſcaris, ſed etiam ipſam ſequere, & inſtar illius nulli damnum inferas, nec aliquem a viſceribus miſericordiæ tuæ repellas. Si qui uſque adhuc unionem cum tua pietate amplecti noluerunt, neque tecum convenire, ne deſiſtas, ſed potius laborem & certamen ſuſtine, cum docendo, tum etiam ſermocinando, & longanimi admonitione, nec non alacri & benevolo vultu, ut juxta apoſtolum, vel omnes vel pleroſque lucrari ſtudeas, & tibi conciliare, ac per te ipſi Deo accedentes, illos ad te, & per te ad Deum ſuſcipere dignare. Sacerdotales etiam honores, & eorum eccleſias illis reſtitue.

Et quemadmodum ſpiritalis filius noſter imperator Baſilius pro te nos ejus petitioni rationabili & juſtæ & Deo gratæ obſequentes, fecimus cum tua pietate, quod imperator petierat: eodem pacto te rogamus, ut tu etiam obliviſcaris malorum quæ adverſus te commiſerunt, qui a te fuerant abalienati. * Qui ſi revertantur ex corde, tua pietas honore inſignita apertis ulnis illos recipere dignetur, ut omnes feliciter conſentientes, ad converſionem & reſtitutionem tuæ ſedis commune gaudium & diem feſtum & lætitiæ peragamus.

Hoc etiam rogamus fraternitatem tuam, ut nobiſcum decernas, ut in poſterum nullus ſæcularis ex tempore ad pontificalem ſedem aſſuma- E tur, ſed ſecundum gradum & ordinem procedens, & proprium unuſquiſque in ſuo gradu progreſſum virtutis oſtendens, ita pontificalis ſedis gradum obtineat. Qui enim aliter aſcendit, eccleſiaſticis noſtris canonibus contraria facit. Et volumus morem hunc, qui non eſt probandus, ab initio in veſtra eccleſia inventum, in poſterum irritum abolere. Hoc * autem dicimus juxta canonem editum in ſynodo tempore Hadriani ſanctiſſimi papæ & Taraſii beatæ memoriæ patriarchæ Conſtantinopolitani.

Synodum * vero contra pietatem tuam ibidem habitam irritavimus & annullavimus, imo & abjicimus, tum propter alia, tum etiam quod beatus papa Hadrianus prædeceſſor noſter illi non ſubſcripſit. Reliqua vero omnia de eccleſiaſticis rebus quæ tua epiſtola nobis inſinuavit, ſcribere omittimus, quoniam de illis in commonitorio ſcripſimus, cui etiam ſubſcripſimus omnes pro tua reſtitutione, & illud Petro religioſiſſimo presbytero cardinali & legato noſtro dedimus, quem miſimus, * & una cum Eugenio & Paulo religioſiſſimis epiſcopis legatis noſtris Dei timorem præ oculis habentes, & ſuam conſcientiam immaculatam conſervantes, omnino vobiſcum faciant, quæ veſtræ eccleſiæ conferre noverint. Deus te conſervet uſque ad finem, dilecte frater B reverendiſſime & comminiſter noſter.

## Nota Severini Binii.

Ecce tu jam vidiſti, & conferens utraque exemplaria cognoviſti, lector, quo tandem progreſſa impoſtoris audacia, & auſa ſit falſarii animoſa procacitas, ut tribus verſibus illis ad epiſtolam Joannis ultimo loco additis, tantam molem illam, œcumenicam, inquam, octavam ſynodum, quam occidens & oriens, pontifex & imperator una cum epiſcopis & magiſtratibus tanto labore ſunt conati erigere & ſtabilire, quantum in ipſo fuerit, Photius mendaci ſtylo ſit demolitus. Ut plane iterum rependæ, quin & aliæ innumeræ ſint agendæ Deo gratiæ, quod ad tam immane periculum evitandum, & immenſum ſcandalum antevertendum, voluerit divina providentia remanere integra exemplaria Joannis epiſtolarum, unicum remedium ad falſi- C tatem hominis perditiſſimi arguendam & impoſturam aperiendam. Quo nomine pariter, ut vidimus, & ipſe de quo egimus, pontifex Nicolaus ſummas gratias Deo rependit, quod ad convincendas falſitates ejuſdem Photii in ſuis literis impudenter admixtas, earum exemplaria Romæ ſervaverit, ſic dicens in epiſtola ad Michaelem imperatorem: *Verumtamen nos quomodocumque falſitati vel depravationi eadem ſit epiſtola ſubmiſſa, grates innumeras agimus Deo, cujus inſpiratione & ſidella illius exemplaria penes nos retinuimus, & cujus permiſſa qui hæc vel authenticam ipſam ſcripſere, ſupereſſe noſcuntur:* hæc ipſe. Sed nos dupliciter Deo gratias rependere obligamur, & quod Joannes, ſicut & Nicolaus, miſſarum a ſe literarum exſcripſerit & retinuerit exemplaria, & quod eadem cum codice, quem regeſtum vocant, ſint in hanc diem in vaticana bibliotheca integra poſt tot naufragia Romanæ eccleſiæ conſervata; ut quod earum translatio facta per Photium fraudulenter poſſet argui falſitatis, cum in multis aliis, tum D in iis, quæ operatus eſt ad demoliendam funditus œcumenicam octavam ſynodum, tam quod citationem ejuſdem ſynodi octavæ ſub Hadriano habitæ, quæ convincitur eam recipere & comprobare Joannem, omnino eraſit atque penitus abolevit; quam etiam quod diſertis verbis addiderit, ab eodem Joanne pontifice jam illam prorſus damnatam, irritam, ut ait, ac nullam redditam eſſe.

In hoc ipſum enim totus incubuit homo profanus, ut adverſum ſe collectam œcumenicam ſynodum, in qua cubitalibus literis, ut ita dixerim, ejus ſcelera multipliciter nota eſſent, abolendam, extinguendamque penitus, ut nec nominaretur amplius, laboraret. Sed & quod ſciretur teſtificatione hiſtoricorum Græcorum, tum Latinorum, octava ſynodus œcumenica celebrata eſſe Conſtantinopoli: ipſe eodem in loco haberi, eodemque quoque nomine appellari voluit ſuam pſeudoſynodum, quam ſupponeret pro legitima octava œcumenica habita per Hadrianum, uſus ad decipiendos omnes recitatis ſuperius ad ipſum ſcriptis, ſed ab ipſo falſatis E literis Joannis papæ, ex quibus pariter detegas alias ejuſdem nebulonis verſutiſſimi impoſturas. Quamvis enim idem Joannes pontifex, tum in ipſa epiſtola ad Photium ſcripta, tum in recitata ſuperius ad imperatorem citando dictam œcumenicam ſynodum, ut dictum eſt, eam viſus eſt comprobaſſe; & nihilo minus in additamentis Photii idem ipſe ejus damnator aſſeritur: non iſta ipſi ſatis ſunt viſa, ſed & ab illo falſatum eſt commonitorium ab eodem pontifice datum Petro legato. De quo infra in notis conc. Romani ſub Joanne VIII.

* Joannes non iſta habet, ſed ut ipſe miſericordiam coram ſynodo poſtularet: quæ Photius iuſtitiæ hic & inferius callide addidit.

* Detruncavit hic itidem quæ Joannes habet in ſua epiſtola de quærendo miſericordiam coram ſynodo.

* Hæc falſarius & impoſtor aſtutiſſime convertit ad Hadrianum primum, quod dixit Joannes de Hadriano II. ſatis expreſſe. At id ea de cauſa ab eo factum, quod per illa verba Joannes probare ſe ſignificaret ſynodum octavam ſub Hadriano habitam juniori.

* De abrogatione ſynodi contra Photium factâ nihil penitus in literis Joannis. Appoſuit hæc impoſtor, ut quaſi apoſtolicæ ſedis auctoritate damnaret (quod poſtea idem fecit) octavam ſynodum ſub Hadriano habitam. Porro cum hæc impoſtor appoſuit, decurtavit quæ in conditione appoſita Joannes habet de reſtituenda diœceſi Bulgarorum.

* Forte, ut una. H.

## CCII. AD CONSTANTINOPOLITANOS.

Jubet eos ſchiſmate ſedato ad eccleſiæ unitatem redire, & Photio communicare.

*Eximiis viris Joanni, Leoni & Paulo patriciis, atque Stiliano, Joanni, & Metrophani reverendiſſimis metropolitis, & ceteris ſacerdotibus, ſeu cujuſcumque ordinis clericis, ſeu laicis.*

OMnium eccleſiarum Dei ſecundum apoſtolum ſolicitudinem habentes, & paſtoris gregis dominici nobis in ipſo apoſtolorum principe curam commiſſam gerentes, Domino dicente: *Si diligis me Simon Petre; paſce oves meas*, con B dolemus vobis: quoniam multis jam labentibus annis uſque ad præſens, in diſcordiæ diviſione, & in ſcandalorum perturbatione vos videmus promptos manere, nec per caritatis cuſtodiam ad unitatem eccleſiæ reverti. Quam videlicet unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, Patris & Filii fidem non tenet, vitam non tenet, nec ſalutem. Hoc denique unitatis ſacramentum, hoc concordiæ vinculum inſeparabiliter cohærens oſtenditur, quando in evangelio tunica Domini noſtri Jeſu Chriſti non dividitur omnino, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti, quis potius Chriſtum indueret, integra veſtris accipitur, & incorrupta, atque indiviſa tunica poſſidetur. Poſſidere enim non poteſt in- C dumentum Chriſti, qui ſcindit & dividit eccleſiam Chriſti. Quis ergo ſic ſceleratus, & perfidus? Quis ſic diſcordiæ furore veſanus? Quis aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere unitatem Dei? veſtem Domini? eccleſiam Chriſti? Monet ipſe in evangelio ſuo dicens: *Et erit unus grex, & unus paſtor.* Apoſtolus autem Paulus hanc eamdem nobis inſinuans unitatem, hortatur dicens: *Obſecro vos per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Et iterum dicit: *Suſtinentes invicem in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem ſpiritus in conjunctione pacis:* quoniam nec habere pacem cum Deo poterit, qui D cum fratribus pacem per zeli diſcordiam non habuerit. Quam igitur ſibi pacem promittunt inimici fratrum? quæ ſacrificia celebrare ſe credunt ſacerdotes, caritatis Dei qui non ſunt veſte induti? Pacem nobis Chriſtus dedit; *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis*: concordes, atque unanimes eſſe præcepit: dilectionis, & caritatis fœdera incorrupta, atque inviolata mandavit. Et ideo veſtram ſalutem cupientes, monemus, & apoſtolica benignitate jubemus, vos omnes ſanctæ eccleſiæ uniri, veſtroque patriarchæ, Photio videlicet, quem pro eccleſiæ Dei pace, & unitate recepimus, adhærere, communicareque ſtudete. Nam ſi hæc noſtra apoſtolica monita tantis ſupradictis teſtimo- E niis divinis firmata audire contempſeritis, in veſtra pertinacia manere volentes; ſcitote quia miſſis noſtris præcipimus tamdiu vos omni eccleſiaſtica communione privare, quamdiu ad unitatem corporis Chriſti, & ad veſtrum contempſeritis redire pontificem. Nec aliquis veſtrum hanc habeat in redeundo excuſationem, pro ſcripturis de hac cauſa compoſitis; quia divina poteſtate, quam accepit eccleſia Chriſti, cuncta ſolvuntur vincula, quando per paſtoralem auctoritatem, quæ fuerant ligata ſolvuntur: quoniam ſicut dicit ſanctus papa Gelaſius, nullum eſt vin- A culum inſolubile, niſi circa eos, qui in errore perſiſtunt. Data menſe Auguſto, indict. XII. die XVI. *Miſſa per Petrum presbyterum.*

Joan. 21.
Joan. 16.
1. Cor. 1.
Ephes. 4.
Joan. 14.
In tomo anathematis vinculo.

## CCIII. AD PAULUM ET EUGENIUM EPISCOPOS.

Conſtituit eos una cum Petro presbytero legatos, ut, ſicut illos monuerat, pacem in eccleſia Conſtantinopolitana conficiant.

*Reverendiſſimis Paulo Anconitano, Eugenioque Oſtienſi epiſcopis.*

QUamvis contra noſtram egeritis voluntatem, & Conſtantinopolim venientes, inquiſita cauſa eccleſiæ pacis & unitatis, Romam reverti, nobiſque omnia ſub certa relatione debebatis referre. Et quia primam legationem vobis commiſſam idonee non peregiſtis, ſecundam vobis ideo committere non debebamus: tamen apoſtolicæ miſerationis benignitate utentes, & in hac ſecunda legatione fideliter perficienda, vos huic Petro religioſo presbytero cardinis noſtri, familiarique noſtro ſociamus: quatenus ea, quæ pro pace & unitate eccleſiæ Dei agenda ſunt, ſecundum apoſtolicos noſtræ auctoritatis apices, & ſecundum a commonitorii noſtri tenorem capitulatim deſcriptum, ſagaci valde intuitu ſimul agatis; & ita definiatis, ut gratiam noſtram, quam prius inobedienter agendo exaſperaſtis, nunc fideliori devotione operando, placabilem habere poſſitis. Data menſe Auguſto, indictione duodecima.

### NOTA SEVERINI BINII.

a *Commonitorii noſtri.*) Commonitorium ipſum, cujus hic ſit mentio, reperitur recitatum, ſed a Photio falſatum, in actione ſecunda ſynodi Photianæ, octavæ mendaciter dictæ. Quod etſi non inveniatur inter Latine ſcriptas epiſtolas ipſius Joannis, ut ex autographo poſſit argui falſitatis; tamen ex multis aliis idipſum conſequi facile poſſumus, ut patebit infra in notis concilii Romani ſub Joanne VIII.

## CCIV. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Significat ſe modo abſolvere nolle Anſpertum archiepiſcopum, ſed ſi in ſynodo crimina, quæ objiciebantur, diluerit, tunc eum excommunicatione abſoluturum: ait ſe pro Ludovico imperatore in anniverſario ejus die ſacra facturum.

*Dilectæ ac ſpiritali filiæ Angelbergæ imperatrici.*

PIo affectu petitionis veſtræ preces, quibus nos ſuper abſolutione excommunicationis Anſperti Mediolanenſis archiepiſcopi precata es exaudire, ſecundum collatam nobis ligandi ſolvendique divinitus poteſtatem, non prætermitteremus: & maxime propter annuam commemorationem divæ memoriæ domini Ludovici, quondam imperatoris Auguſti, quæ in proximo celebranda eſt. Sed quia ſynodali eum decreto pro ſuis negligentiis, & præſumptionibus, ſicut ipſa bene cognoſcis, excommunicavimus, abſque eorumdem fratrum, & coepiſcoporum noſtrorum, cum quibus in eum excommunicationis ſententiam promulgavimus, conſenſu & voluntate nunc abſolvere nolumus; ne ab his, qui vel deſiderio, vel negligentia eccleſiaſticam diſciplinam contemnunt, & multa non præſumenda præſumunt,

cano-

canonicum parvipendatur judicium. Porro cum ad nominatam ſynodum, quam ſecundum ſacros canones Spiritu Dei conditos quarto Idus Octobris, Domino annuente, celebraturi erimus, vel ipſe venerit, vel e latere ſuo venerabiles confratres & coepiſcopos ſuos direxerit, qui nobis, & ſanctæ ſynodo de his, quæ illi objecta ſunt, idonee ſatisfaciant: tunc poſt veram ſatisfactionem, ab omni eum excommunicationis nexu proculdubio abſolvemus, & quaſi fratrem, & comminiſtrum, in noſtræ communionis conſortio incunctanter habebimus: & ideo pro prædicta annua commemoratione ipſius domini & ſenioris veſtri ne turbemini, quod modo vos pro abſolutione præfati archiepiſcopi non audivimus. Nam in eodem die, quo ipſe de ſæculo migravit, pro animæ illius requie ſempiterna, ſacrificium erimus Domino oblaturi: etiam & pro anima Supponis fraterna moti compaſſione omnipotentem Dominum deprecamur, ut ſuorum abſolutionem valeat percipere delictorum.

Sacrificia, & orationes pro defunctis.

## CCV. AD LANDULFUM ET LANDONEM.

Scribit Trajectum ſe iturum, & quæ paci eorum conducant, curaturum: ibique cum de aliis, tum de Landulfo Capuanæ eccleſiæ epiſcopo electo acturum.

*Dilectis viris Landoni filio Landonis, & fratribus ejus, ſeu Landulfo filio Landenulfi, ejuſque germanis.*

REceptis atque perlectis literis veſtris, quas noſtro pontificio direxiſtis, quanta pace, & concordia vos poſt obitum Landulfi bonæ memoriæ Capuani epiſcopi, cum Pandenulfo conjunxiſſetis, & jusjurandum fraterno ac indiviſibili fœdere inter vos habito firmaſſetis, luce clarius novimus: ſed ſuadente humani generis inimico, & zizaniorum inter vos ſemina diffundente, omnem concordiam & unanimitatem, quæ inter vos divino reſpectu extiterat, videmus corruptam atque confuſam. Pro quo videlicet tantæ inimicitiæ malo, vobis jam literis noſtris per dominicum venerabilem epiſcopum noſtrum ad vos delatis, innoteſcentes, mandavimus quoniam Deo propitio, pro veſtrum omnium ſalute ac pace volumus Kalendis Octobribus Trajectum venire, ibique vobiſcum, & cum Guaiferio glorioſo principe, atque cum Capuanis, ceteriſque veſtratibus loqui, & ordinare primum ea quæ nobis & vobis ſunt neceſſaria, veſtræque paci & utilitati proficua; quatenus totius diſcordiæ ſcandalo de medio veſtri ablato, & recepta Dei pace, quæ ſuperat omnem ſenſum, in fraterna dilectione, & in priſtina devotione omnes concordes, & unanimes manere valeatis: & tunc ſive de Landulfo venerabili presbytero, quem omnium Dei ſacerdotum, & judicum, ſeu totius Capuanæ plebis voto, parique conſenſu electum habetis, ſive de aliis neceſſariis cauſis, veſtram ſecundum ſacros canones adimplebimus voluntatem; & idcirco grave non videatur nobilitati veſtræ noſtrum, ut dictum eſt, ſpecialem præſtolari adventum.

Philip. 4.

## CCVI. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Eadem quæ in ſuperiori: præterea arguit, quod contra Capuanos arma ſumpſerit, rogat ut mancoſos ſibi ab Amalfitanis reſtitui curet.

*Dilecto filio Guaiferio glorioſo principi.*

SIcut nobis literis veſtris mandaſtis, quod devotam circa nos amicitiam, & ſinceram conſervetis dilectionem, hoc multis jam evidentibus documentis luce clarius agnoſcimus & tenemus: unde & noſter apoſtolicus animus circa nobilitatem veſtram, utpote circa cariſſimum filium, benignus exiſtit, cupiens honorem, & gloriam veſtram ſemper immutilatam conſpicere & audire. De electo autem Landulfo, videlicet venerabili presbytero Capuanæ eccleſiæ, pro quo jam toties noſtro pontificio ſuggeſſiſtis, non aliquo malæ voluntatis affectu vos nunc uſque audire prætermiſimus, ſed ſola pacis veræ cauſa, & inter proximos augendæ dilectionis. Nam ſicut vobis nunc literis noſtris per Dominicum epiſcopum ad vos delatis mandavimus, cupimus, Deo propitio, pro veſtrum omnium ſalute, concordia, & unanimitate Kalendis Octobribus Trajectum venire, ibique vobiſcum & cum Capuanis, ceteriſque veſtratibus loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis ſunt neceſſaria, & veſtræ paci, utilitatique proficua; & tunc ſive de præfato electo, ſive de aliis neceſſariis cauſis, veſtram adimplebimus voluntatem: quia veſtro ſagaci conſilio, communique conſenſu, quæ pro pace fraterna, & pro terræ noſtræ, ac veſtræ defenſione ſive Saracenorum perditione conſideranda & perficienda ſunt, peragere cupimus. Quapropter, ſicut nos veſtrum volumus deſiderium & honorem alacri mente implere, ita quoque & vos illa quæ noſtro apoſtolico culmini ſunt decentia, devota mente debetis peragere: quamvis in hoc reprehenſione non modica digni videamini, quod ſumptis armis contra Capuanos inter aſſiduas Paganorum perſecutiones conſiſtentes, perſequi & impugnare præſumpſeritis, antequam eorum culpas nobis veraciter cognitas feciſſetis. Porro de mancoſis, quos pro defenſione terræ S. Petri dedimus te præſente Amalfitanis; volumus ut eoſdem mancoſos ipſi Amalfitani deferant ſecum navigio uſque in portum urbis Romanæ, quoniam ſalvi & ſecuri ibi manebunt; & tunc accepta a nobis prius ſecuritatis ſponſione, ipſos nobis mancoſos reddere procurent: quatenus noſtra recipientibus nobis, nullam pro his de cetero patiantur calumniam.

## CCVII. AD LEONEM EPISCOPUM.

Dolet Capuæ diſcordias eſſe excitatas: ſignificat ſe Trajectum iturum, ibique de Landulfo epiſcopo electo, cujus confirmationem petierat, acturum.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Leoni epiſcopo.*

SAcerdotalem curam & ſolicitudinem, quam pro eccleſiæ Dei utilitate, populique concordia, & pace peragere procul dubio debent Domini ſacerdotes, literis tuis relectis, te luciflue habere cognoſcimus; dum Dei, proximique dilectione ſolicitus, doles Capuanos, nobiles ſcilicet viros, fraterno fœdere per jusjurandum inter

inter eos habito nequiter corrupto ad veram diſcordiam & inimicitiam perveniſſe; & adhuc in ea improvida mente conſiſtere, atque pro Landulfo venerabili presbytero, & electo a vobis, & omni ſacerdotali cœtu, nobiliumque caterva, cunctoque populo Capuanæ civitatis, pontificio noſtro ſupplicas, quatenus eum non differamus ſacræ plebi Capuanæ antiſtitem ordinare. Nos autem paſtorali ſolicitudine moti, vobiſcum ſimiliter condolemus fratres, & propinquos pro ſæculi cupiditate in tantam diſcordiæ & inimicitiæ voraginem demerſos; pro quibus ſane, Deo propitio, pacificandis, volumus Kalendis Octobribus Trajectum venire, & tibi cum Guaiferio principe, atque vobiſcum, & cum Capuanis, ceteriſque veſtratibus loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis ſunt neceſſaria; & tunc de ipſo electo veſtram ſecundum ſacros canones adimplebimus voluntatem: & idcirco grave non videatur dilectioni veſtræ noſtrum, ut dictum eſt, ſpecialem præſtolari adventum. *Unam talem Adelchiſi epiſcopo: & alteram Lupeno epiſcopo.*

## CCVIII. AD LANDULFUM PRESBYTERUM.

Laudat eum, quod ad propinquorum ſuorum inſidias evitandas Capua fuerit egreſſus, & in diſcordiis ſedandis elaboret: ſignificat Trajectum ſe iturum, ibique de ejus electione deliberaturum.

*Landulfo venerabili presbytero, & electo.*

QUia diſcordantium parentum tuorum inſidias declinando, & ex urbe Capuana egrediendo, in antiqua ſanctæ eccleſiæ Capuanæ ſede, nomine videlicet S. Stephani protomartys refulgente, nunc habitare te aſſeris, atque cum vicinis epiſcopis aſſidue decertas, ut male diviſos adunare atque diſcordantes pacificare, Deo favente, poſſis, gratum recepimus. Quia & ante ſuſceptum officium ea quæ ſunt boni paſtoris peragis, in quo ſcilicet, ut perſeveres hortamur, uſque ad noſtrum ſpecialem adventum; quoniam, Deo propitio pro veſtrum omnium ſalute, concordia & pace, Kalendis Octobribus volumus Trajectum venire, ibique cum Guaiferio groriofo principe, & cum aliis eximiis parentibus tuis loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis ſunt neceſſaria, veſtræque paci & utilitati proficua, & tunc provectionem tuam, ſecundum ſacros canones, omnibus pacificatis, peragere.

## CCIX. AD PULCAREM PRÆFECTUM.

Arguit, quod nec fœdus cum Paganis ictum ruperit, nec ditionem ſancti Petri, ſicut promiſerat, defenderit: præcipit, ut pecuniam pro ea re datam ad ſe remittat.

*Dilecto viro Pulcari præfecto.*

PRo ſalute animæ tuæ, ac pro defenſione totius Chriſtianitatis, quæ te cum Paganis pactum habente, quotidie deprædatur, atque in diram ducitur captivitatem, multa tibi, & populo tuo, quæ poſtulaſti, fecimus bona. Inſuper decem millia mancoſorum argenti dedimus tibi, ut terram ſancti Petri rupto fœdere Paganorum defenderes; quod tu cum tuis per jusjurandum facere promiſiſti, ſed timore judicii

A Dei poſtpoſito, neque pactum iniquum diſrumpere voluiſti, neque propter jusjurandum litora noſtra defendere, ſed potius deprædari diabolico jam juri ſubjectus, permittis, & in animæ tuæ perditionem conſentis, oves pretioſo Chriſti cruore acquiſitas duci captivas. Et ideo dignum eſt, ut ipſos mancoſos, quos tibi pro defenſione terræ noſtræ dedimus, recipiamus. Quapropter volumus, ut eoſdem mancoſos per tuos fideles Amalfitanos uſque in portum urbis Romanæ nobis navigio venientes remandes; quoniam ipſi Amalfitani ſalvi & ſecuri ibi manebunt: & tunc accepta prius a nobis ſecuritatis ſponſione, præfatos mancoſos nobis reddere procurent; quatenus noſtra recipientes, nullam tibi, vel populo tuo
B inferamus calumniam.* Nam & dromonibus noſtris præcepimus, ut nullo modo aliquam populo tuo faciant contrarietatem, ſi tamen nobis ipſos mancoſos ſalvos reddideris.

## CCX. AD MONACHOS PULTARIENSIS COENOBII.

Dolet de eorum calamitatibus, & ſignificat ſe ipſorum cauſa Boſoni principi, atque Hugoni abbati ſcripſiſſe ut eos tutentur: exemplar etiam teſtamenti Gerardi fundatoris Anſegiſo archiepiſcopo, & Conrado comiti miſiſſe.

*Sanctæ congregationi ſummi apoſtolorum principis Petri cœnobii noſtri Pultarienſis.*

C COgnoſcat pro certo fraternitas veſtra, nos relectis literis veſtris, pro tantis adverſitatibus, quas ab iniquis quotidie ſuſtinetis hominibus, valde triſtes exiſtere: quoniam ſicut de veſtra proſperitate gaudemus, ita quoque & de veſtra tribulatione triſtamur. Unde volentes ſanctam congregationem veſtram, ut pote dominicum gregem in ipſo apoſtolorum principe nobis commiſſum, ſalvam & quietam habere, direximus ſecundum petitionem veſtram noſtras apoſtolicas literas Boſoni glorioſo principi, & Hugoni nobiliſſimo abbati, petentes, quatenus pro Dei ſanctorumque apoſtolorum principum Petri
D ac Pauli amore, noſtraque dilectione, ſuæ defenſionis auxilium vobis impendant, & contra Dei atque omnes veſtros adverſarios manum ſuæ potentiæ extendant, ut quiete ac ſecuriter degentes, debitas Domino laudes perſolvere, ac pro nobis & omni populo Chriſtiano valeatis omnipotentem Dominum deprecari, & res ſancti noſtri monaſterii tranquilla mente diſponere, regere, ac ſecundum Dominum diſpenſare poſſitis. Porro exemplar ipſius teſtamenti, per quod Gerardus bonæ memoriæ comes, una cum Berta quondam conjuge ſua ipſas res principibus apoſtolorum Petro & Paulo tradidit, bulla nominis noſtri munitum, Anſegiſo archiepiſcopo, & Conrado comiti, in cujus comitatu ipſæ res
E continentur, per præſentem nuncium veſtrum direximus. Vos itaque videte, ſi de his omnibus adjuti fueritis, an non, & nobis renunciate, ut quali conſilio meliori potuerimus, vos libentiſſime adjuvare curemus. Fraternitatem veſtram orantem pro nobis Dominus dignetur conſervare incolumem.

CCXI.

A

## CCXI. AD HUGONEM ABBATEM.

Ut monaſterium Pultarienſe tueatur.

*Dilecto filio Hugoni nobiliſſimo abbati.*

QUanta vos dilectione, quantoque noſtræ paternitatis quaſi unicum f...um dilexerimus affectu, ex quo veſtram ſublimem cognovimus ſagacitatem, & gloriam, ipſi abundanter recolitis: quoniam & veſtra nos excellentia, veluti patrem ſpiritalem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo curavit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere illibato confiſi, monaſterium ſancti Petri, quod appellatur Pultarienſe, & Gerardus quondam comes de rebus ſuis perfecit, atque dotavit, & ſancto Petro tradidit, petimus ut veſtra in omnibus tuitione adjuvetur; quia fratres qui nunc in eo conſiſtunt, & ſedulas Deo laudes perſolvunt, orantes pro ſalute omnium in Chriſto credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omniſque illorum, imo noſtra familia crudeliter aſſidue vexatur & opprimitur. Ita ſane ut neque arare, neque cetera quæ ad terræ culturam pertinent, poſſit exercere. Quapropter & veſtrum auxilium eidem ſancto loco impendatis, & contra Dei atque ejus adverſarios manum veſtræ potentiæ, pro amore Dei, & ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli, noſtraque dilectione, extendatis, quatenus veſtro potenti brachio freti, ſalvi in omnibus & ſecuri conſiſtant: ut & in præſenti dignas a nobis retributiones, & in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem cum ſanctis recipere.

## CCXI. AD HUGONEM ET RADULFUM.

Quod Vendoaram villam ſancti Petri Pultarienſis nulli conceſſerit, & Arembertum, qui a Boſone eam accepit, excommunicari juſſerit, niſi ab ea abſtineat.

*Hugoni & Radulpho dilectis fidelibus noſtris.*

COgnoſcat pro certo fidelitas veſtra, quia nos ipſam villam noſtram Vendoaram, quam dicitis eſſe invaſam a Boſone comite, quaſi nos eam cum illo commutaſſemus accipientes alteram ab eo, neque beneficiali more, neque alicujus commutationis tenore, neque alio quocumque modo, cum eodem Boſone, vel alio quocumque homine, dedimus, neque commutavimus. Ideo in fidelitate & ſervitio ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli devota mente permanentes, ipſam villam ſub noſtro jure tenentes, defendite, & cum Domini auxilio gubernate, nec alicui homini credatis nos aliquando præfatam villam quolibet modo daturos. Direximus vero, pro noſtro adjutorio ac defenſionis auxilio, literas noſtras jam dicto Boſoni comiti, ut pro amore Dei, & S. E Petri, ac noſtro, & ſuos homines inde removeat; & ipſam villam nullatenus invadere, nec invaſam retinere præſumat: quin potius ſuo vos brachio tueatur, & ab omnibus erga vos male agentibus dignetur defendere, ſi gratiam Dei & principis apoſtolorum cupit habere. Arembertum autem vaſallum ejus, cui ipſam villam beneficio dederat, omni eccleſiaſtica communione per Iſaac venerabilem epiſcopum juſſimus eſſe privatum, ſi in eadem villa ulterius temere intrare, aut aliquam ibi contrarietatem facere præſumpſerit.

## CCXIII. AD BOSONEM COMITEM.

Ut Arembertum & quoſvis alios a Vendoara villa removeat, eamque Pultarienſibus reſtituat, & monaſterium ipſum tueatur.

*Dilecto filio Boſoni glorioſo principi.*

QUanta vos dilectione, quantoque noſtræ paternitatis dilexerimus affectu ex eo quo veſtram ſublimem cognoverimus gloriam, ipſi abundanter recolitis, quoniam & veſtra nos excellentia, veluti patrem ſpiritalem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo curavit. Quo B videlicet mutuæ dilectionis fœdere confiſi, ea quæ ſub jure ſanctorum apoſtolorum principum Petri ac Pauli per totius Galliæ provincias immobilia loca conſiſtunt, cum hominibus, omnibuſque ſibi pertinentibus, ut veſtro potenti brachio defenſa manerent rogavimus, veſtroque auxilio ſecura conſiſterent, quod vos pro amore Dei & S. Petri, noſtroque honore, nobis libenter facere promiſiſtis. Nunc autem, ſicut audivimus, villam noſtram Vendoaram abſque noſtro conſenſu & voluntate occupatis, & uni veſtro vaſallo, nomine Aremberto, in beneficium dediſtis, &, ſi verum eſt, non bene, ſicut vos decebat, egiſtis. Ideo rogamus, fili cariſſime, celſitudinem tuam, ut propter amorem Domini, & S. Petri cæle- C ſtis regni clavigeri, ipſam villam noſtris, qui ibidem reſident, hominibus ſub noſtro jure, ſicut nos eam ordinavimus, liceat habere ſecuriter: omneſque veſtros, vel alienos homines ab ejuſdem villæ habitatione vel dominatu removeatis; nec veſtris diebus aliquam a quocumque homine contrarietatem patiamur. Simili etiam modo petimus, ut monaſterium S. Petri, quod appellatur Pultarienſe, & Gerardus quondam comes de rebus ſuis perfecit, atque dotavit, & ſancto Petro tradidit, veſtra in omnibus tuitione adjuvetur: quia fratres qui in eo conſiſtunt, & ſedulas Deo laudes perſolvunt, orantes pro ſalute omnium in Chriſto credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omniſque illorum, imo noſtra fa- D milia crudeliter aſſidue vexatur & opprimitur, ita ſane ut neque arare, neque cetera, quæ ad terræ culturam pertinent, poſſit exercere. Quapropter & veſtrum auxilium eidem ſancto loco impendatis, & contra Dei atque ejus adverſarios manum veſtræ potentiæ, pro amore Dei, & ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli, noſtraque dilectione extendatis, quatenus veſtro potenti brachio freti, ſalvi in omnibus & ſecuri conſiſtant, ut & in præſenti dignas a nobis retributiones & in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem recipere.

## CCXIV. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Monet ut a moleſtiis deſiſtat, quas Capuanis inferebat: ſignificat ſe in ejus regiones iturum, & diſcordias ſedaturum.

*Nobiliſſimo viro Guaiferio glorioſo principi.*

RElatu quorumdam didicimus, quod ſuadente humani generis inimico, qui totius inimicitiæ, & mortis eſt auctor, cupiatis multiplicia damna, & adverſa inferre Capuanis, & propter diſcordiæ malum, quod ſæculi quotidie livore generatur, & inter propinquos, atque amicos acre-

creſcit, cogitetis generale diſcrimen præbere, unde ſcilicet non modica turbatio his veſtris in partibus oriatur, & longi temporis ſcandalum maneat. Et dum non deſint extranei hoſtes, cum quibus aſſidue luctamen habeatis, vultis contrarietatis diſcrimina præbere propinquis, quos in auxilium vobis opportunum poteratis habere fautores. Nos idcirco, more paterno, vos quaſi dilectum filium admonemus, & ex Dei omnipotentis auctoritate, beatorumque apoſtolorum Petri & Pauli poteſtate prohibemus, ut non habeatis licentiam ſuper-præfatos Capuanos ire, neque aliquam illis contrarietatem inferre uſque ad noſtrum ſpecialem adventum. Quoniam, Deo auxiliante, cum hujus æſtivi temporis fervor tranſierit, pro omnium veſtrum ſalute, concordia & unanimitate, has veſtras in partes veniemus: quatenus, nobis præſentibus, omnis vis ſopiatur, omneque ſcandalum, quod ex vipereo ſemine inter vos & illos accrevit, de medio veſtri auferatur. Nos namque ſalutem veſtram, ne in æternum pereatis, cupimus: & ideo volumus, ut ea, quæ pacis ſunt, ſectemini ſemper. Nam pro veſtro cum venerimus amore, ipſum quem vultis Capuanæ plebi, Domino favente, antiſtitem ordinabimus, ut veſter principalis honor indiminutus permaneat. Quod ſi forte aliter vos facere cognoverimus, ſcitote quia noſtræ vos non habebimus communionis conſortes.

## CCXV. AD PANDENULFUM CASTALDUM.

Significat ſe Guaiferio ſcripſiſſe ut ab inferendo Capuanis damno deſiſteret.

*Nobili viro Pandenulfo glorioſo caſtaldo*

RElectis induſtriæ tuæ literis, quas per talem fidelem hominem tuum nobis mandaſti, ea quæ noſtro pontificio ſupplicare ſtuduiſti, apoſtolica dumtaxat benignitate audivimus, ac, prout ratio exigebat, partim complevimus: Direximus namque noſtri apoſtolatus literas Guaiferio, & admonendo, increpando, atque excommunicando eum non habere licentiam ex Deo, & ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli, noſtraque auctoritate permiſſum venire contra urbem Capuanam, neque aliquam in omnibus ſuburbanis, & finibus ejus contrarietatem inferre, nullaſve moliri inſidias, uſquequo iſtas in partes, auxiliante Domino, poſt hujus æſtivi temporis fervorem veniremus.

## CCXVI. AD CAROLUM REGEM.

Scribit ſe literis eum, ut ad imperium promoveret, ad urbem advocaſſe, Ravenam uſque ad eum proceſſiſſe, ſperaſſeque ſe auxilium ab eo adverſus Romanæ eccleſiæ hoſtes recepturum: quæ ſpes ita eum fruſtrata eſt, ut nunquam hoſtes magis ſævierint: petit ut eccleſiæ opem ferat, & dum iter parat, legatos ad ſe mittat; ſuoſque legatos commendat.

*Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi*

Imperator a Romano pontifice eligitur

QUod bene veſtra regalis cognoſcit ſublimitas, a longo jam tempore vos pro utilitate & exaltatione ſanctæ ſedis apoſtolicæ matris veſtræ ad culmen imperii, Deo propitio, volentes perducere, auctoritatis noſtræ literis miſſis vocavimus, ac poſtmodum præ magnitudine amoris veſtri, relicta noſtra eccleſia inter ſævas hoſtium non ſolum Paganorum, ſed etiam malorum Chriſtianorum manus, ad vos Ravennam pervenimus: quod nullus anteceſſorum noſtrorum glorioſiſſimis progenitoribus veſtris aliquando feciſſe recolitur, ſperantes ſcilicet omnem honorem, priſtinumque vigorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ per vos ad augmentum perfectum perducere, atque inimicorum ſanctæ Dei eccleſiæ, & noſtrorum ferocem ſeveritatem omni modo comprimere, facileque ſuperare putabamus. Sed quia de his omnibus nihil apud magnitudinem veſtram, ut volebamus, peregimus; revertentes prioribus pejora reperimus. Nam inimici noſtri majori audacia elevati, non ſolum ea, quæ ſancti Petri ſunt, diripere, ſed etiam homines noſtros in ſua poteſtate recolligere, & retinere non dubitant. Quapropter fili cariſſime pro certo ſcitote, quia nos veſtrum honorem & gloriam toto conamine deſideramus perficere: & ideo vos ea, quæ utilitati, & exaltationi ſanctæ ſedis apoſtolicæ proficua ſunt, pio intuitu, menteque devota debetis peragere. Unde obnixe precamur, ut nobis dirigatis Luithbardum venerabilem epiſcopum, Manigoldum filium Adelberti, & Adelbertum protopincernam veſtrum, qui, antequam vos has in partes veniendi iter ſumatis, nos & ſanctam matrem veſtram Romanam eccleſiam certificent, & ad veſtrum honorem & gloriam placabiles, & lætos efficiant: quatenus Deo auxiliante, vobis venientibus Romam, unum de pactis, & privilegia ſanctæ Romanæ eccleſiæ, more parentum veſtrorum, renovare & confirmare ſtudeatis: & petimus, ut de hoc, quod pro honore Dei, & ſanctæ eccleſiæ, ſeu veſtro vos facere monemus, aliquid inimicis noſtris non credatis, neque his, qui magis ea quæ ſua ſunt, quam veſtram gloriam quærunt, eo quod honor & exaltatio ſanctæ Romanæ eccleſiæ veſtra protectio eſt in omnibus; veſtraque contra omnes inimicos defenſio. Hos autem miſſos noſtros, Marinum videlicet, venerabilem epiſcopum, & arcarium ſedis noſtræ, atque Petrum æque epiſcopum Senogallienſem vobis direximus, quos ut benigne recipiatis rogamus, & ea, quæ vobis verbo tenus dixerint, quaſi nobis credere non dubitetis. Data *ut ſupra*.

## CCXVII. AD EUMDEM.

Dolet ſe non poſſe cum eo colloqui. Arnulfum legatum ad eum mittit, petens ne Romanam eccleſiam ab hoſtibus lædi patiatur, ideoque ejus legatum cum Arnulfo ad ſe mitti jubet.

*Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.*

AUdivimus quod debeatis nunc Alpes tranſire, atque cum cariſſimo fratre veſtro communi eloquio frui: unde valde turbati exiſtimus, eo quod ſecundum commune placitum ſperabamus nos vobiſcum ſimul convenire, & magnum ac proficuum opus exaltationis ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris veſtræ, veſtrique honoris, & totius terræ ſancti Petri ſalutis peragere. Idcirco direximus vobis hunc cariſſimum nepotem noſtrum Farulfum delicioſum conſiliarum noſtrum, per quem veſtræ regali ſuggerimus magnificentiæ, ut nullo modo prætermittatis ita ordinare, atque diſponere terram S. Petri: quatenus ſalva, & defenſa non ſolum a Paganis, ſed etiam a malis Chriſtianis, quod ipſi procul dubio ſcitis, permaneat: donec, Deo auxiliante, revertentes ad gremium ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ veniatis; quia ſi hoc præ-

prætermiſeritis, tanta undique adverſa vix ferre valemus. Quapropter veſtra regalis magnitudo prævideat, ne veſtris diebus eadem eccleſia aliquam minuitatem patiatur, ſed per vos magis augmentetur, quoniam ipſius augmentum veſter eſt honor. Ideo petimus, ut cum præſente jam dicto nepote noſtro idoneum e latere veſtro nobis dirigatis legatum, qui ad ſalutem, & juſtitiam terræ nobiſcum interim pariter & promptiſſime in omnibus, prout opus fuerit, deſudet; ut & nos omnem veſtrum honorem libentiſſime valeamus perficere: cui ea, quæ vobis dixerit, quaſi nobilmetipſis credere non dedignemini. Quamobrem rogamus, ut libenti animo hoc facere, & ſecundum promiſſum veſtrum adimplere omnimodis ſatagatis: nam certos vos eſſe volumus, quia veſtrum honorem, & gloriam tota mente deſideramus perficere.

## CCXVIII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

Miratur, quod injuriis laceſſitus ad ſe non confugerit: nuncium Ravenam mittit, qui omnia contra eum geſta diligenter inquirat, & eos, qui injuriam intulerant, Romam venire compellat; quibuſcum ipſe ad ſynodum proficiſcatur, ubi ejus cauſa agetur: eumque arguit, quod in ſua eccleſia non reſideat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Romano archiepiſcopo ſanctæ eccleſiæ Ravenatis.*

AUdientes tales vobis a quibuſdam inſidias, & injurias accidiſſe, mirati ſumus, quomodo ad Romanæ eccleſiæ gremium, & ad noſtram apoſtolicam non ſtatim veneritis præſentiam; nam ſi veniſſetis, pro certo ſcire poteſtis, quia nos, diligenter inquiſitis omnibus, omnem tuam cauſam ad optatum, & proſperum finem, Deo favente, omnimodo perduceremus. Nunc autem pro hujus rei cauſa miſſum prudentem dirigimus Ravennam, cui ea, quæ nobis mandaſtis contra te acta fuiſſe, diligenter inquirere jubemus, ut eos qui talia, ut aſſeritis, egerunt, ſub fidejuſſore, talique legato obliget; quatenus ipſi de præſenti Romam compellantur venire. Quibus ſane venientibus, volumus ut & vos pariter veniatis Kalendis Octobris, ſicut tibi pro celebranda etiam ſynodo jam præceptum eſt, quia in præſentia noſtra cauſam tuam volumus deliberare: quoniam nos, ſecundum datam nobis divinitus poteſtatem, more prædeceſſorum noſtrorum vos adjuvare omnino curabimus; nam volumus ut honor ſanctæ Ravennatis eccleſiæ ſemper indiminutus permaneat. In hoc tamen redarguendus es, quia dimiſſa eccleſia tua Ravennæ, per alienas eccleſias contra tuam ſponſionem diſcurris, & reſides: nam pro his quæ tibi eveniſſe dicis. Data *ut ſupra*.

Deeſt aliquid.

## CCXIX. AD OMNES FIDELES.

Præcipit ut Ticinenſi epiſcopo, cui poteſtatem excommunicandi tribuerat, obediant.

*Omnibus reverendiſſimis, & ſanctiſſimis epiſcopis, ſeu eximiis marchionibus & Comitibus, cunctiſque ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus.*

HAbentes omnium eccleſiarum Dei, ſecundum apoſtolum, ſolicitudinem, dignum duximus veſtram induſtriam his apoſtolatus noſtri literis admonere, atque apoſtolica benignitate magnopere exhortari; quatenus potentiæ munus, quod divina largitate habetis, utilitati eccleſiæ, & honori ſacerdotali prodeſſe debeat ſemper. Quapropter reverentiam & honorem Sanctæ Ticinenſi eccleſiæ quæ ſpeciali quodam modo ſedi apoſtolicæ pertinere videtur, ejuſque antiſtiti Joanni videlicet confratri noſtro, cui vice noſtra tranſgreſſores excommunicandos commiſimus, eo videlicet tenore, ut quos ipſe excommunicaverit, ipſi excommunicati exiſtant, ut ei auxilium alacriter impendatis, monemus, nullam contrarſetatem, vel invaſionem in rebus, vel hominibus ipſius eccleſiæ quamlibet facere permittatis: quin potius veſtro eos ſolatio tueri pro Dei, noſtroque amore diligentiſſime ſtudeatis; ſed & clericos illius nemo veſtrum in commendatione, aut ſub alicujus defenſionis obtentu, abſque prædicti epiſcopi ſui licentia recipere præſumat. Quod ſi contra hoc noſtrum apoſtolicum ſtatutum aliquis ſuorum clericorum agere tentaverit, eccleſiaſtica ſit tam acceptor, quam acceptus communione privatus. Data *ut ſupra*.

2 Cor. 11

## CCXX. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Romam ad ſynodum veniat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo archiepiſcopo ſanctæ eccleſiæ Ravennatis.*

SIcut jam olim veſtræ præcepimus reverentiæ, ut pro multis eccleſiarum Dei neceſſitatibus quarto Idus Octobris Romam venientes, ſynodum pariter celebraremus, nunc iterato his apoſtolatus noſtri literis fraternitati veſtræ jubemus, ut omni mora, vel occaſione poſtpoſita ad denominatam ſynodum, quam Deo auctore, in prædicto tempore celebraturi erimus in eccleſia beati Petri principis apoſtolorum, cum ſuffraganeis tuis epiſcopis occurrere nullatenus prætermittatis; quia nos omnium eccleſiarum Dei utilitati & exaltationi, ſicut oportet, pari conſenſu & decreto more prædeceſſorum noſtrorum conſulere volumus. Et ideo veſtram, ſecundum ſacros canones unanimitatem adeſſe volumus; quatenus eccleſiæ Dei vigor, Chriſto favente, per ſynodalem cenſuram illibatus permaneat. Quapropter ſi in veniendo nunc aliquam moram, vel negligentiam admiſeritis, ſcitote quoniam canonica vos redarguemus cenſura. Optamus ſanctitatem tuam. &c. Data XI. Kalendas Octobris, indictione XIII.

An. Ch. 879.

## CCXXI. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Præcipit, ut in locum Anſperti archiepiſcopi in Romana ſynodo privati alium a ſe conſecrandum ſufficiant: mittit legatos, qui una cum ipſis electioni interſint, quibus in omnibus obediri jubet.

*Omnibus epiſcopis, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & omni clero ſanctæ eccleſiæ Mediolanenſis.*

DEo dilectæ unanimitati veſtræ fraternitatis, cariſſimi, notum eſſe volumus, quia nos una cum ſancta ſynodo Idibus Octobris in eccleſia beati Petri apoſtoli peracta; Anſpertum dudum archiepiſcopum veſtrum pro ſuis negligentiis, ac multiplicibus præſumptionibus, jam in priori ſynodo, poſt ſecundam & tertiam vacationem, atque poſt canonicas ſibi datas inducias pro ſe ſatisfaciendo nolentem occurrere, virtute S. Spiritus

tus, & auctoritate SS. Petri ac Pauli apoſtolorum A principum, & canonica, atque ſynodica ſanctione epiſcopali honore privavimus: quia ante audientiam communicare pertinaciter præſump[ſi]t, & ante legitimum ſuæ purgationis examen, miniſterium ſacrum contra ſtatuta majorum temere agere non dubitavit. Et ideo præſenti vobis ſtatuto jubemus, ut omnes uno animo, unoque voto convenientes, atque convocantes paſtores, vel populum civitatis, de electione alterius, qui de cardinalibus presbyteris, aut diaconibus dignior fuerit repertus, cum Chriſti ſolatio, ad archiepiſcopatus honorem promoveatis: quo ſcilicet decreto ſolenniter facto, atque ad hanc urbem tranſmiſſo, ne antea quislibet epiſcoporum aliquem ibidem ordinare præſumat, antequam nobis omnia fuerint B renunciata, cum, Deo favente, nos ibi ſecundum morem priſtinum, & ſecundum regiam conceſſionem, velimus archiepiſcopum conſecrare. Nam ſi aliter præſumpſeritis, eccleſiaſtica vos communione privabimus; & qui contra hoc noſtrum ſtatutum fecerint, apoſtolico judicio erunt omnino correpti. Sane reverendiſſimos fratres & coepiſcopos noſtros Joannem Ticinenſem, & Weltonem Ariminenſem illuc vice noſtra dirigimus, qui vobiſcum pariter eamdem electionem faciant; quos nemo veſtrum impedire le aliquo præſumat, ſi quidem juſtum fore cernitis, ut nobis in omnibus obedire procuret: cui quiſquis hoc ſuperbiendo reſiſtens agere tentaverit, a Chriſtianorum collegio C ſeparatus erit. * Et quia nondum a vinculis excommunicationis abſolutus in Vercellenſi eccleſia epiſcopum enormiter, ac pervicaciter ordinare, contra regiam etiam voluntatem præſumpſit. Data *ut ſupra*.

* Hæc verba ſuperius transferenda videntur.

## CCXXII. AD CAROLUM REGEM.

Significat Anſpertum dudum archiepiſcopum Mediolanenſem in Romana ſynodo privatum, ac Joſephum, quem ille in Vercellenſi epiſcopum ordinaverat, depoſitum: rogat ut Conſpertum in Vercellenſi eccleſia epiſcopum a ſe conſecratum tueatur.

*Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.*

D REgiæ magnitudini veſtræ notum eſſe volumus, fili cariſſime, quia Anſpertum Mediolanenſem archiepiſcopum, in prima quidem ſynodo in eccleſia beati Petri apoſtoli habita pro ſuis evidentiſſimis negligentiis, & præſumptionibus, una cum reverendiſſimo epiſcoporum cœtu regulariter excommunicavimus: ſed mentem ſuam in ſuperbiam erigens, non ſolum pro perpetratis veniam humiliter non quæſivit; verum etiam ante audientiam, & noſtram apoſtolicam abſolutionem, ſacrum præſumpſit miniſterium celebrare, atque contra ſacro canones, contraque regiam, & noſtram apoſtolicam voluntatem, epiſcopum in Vercellenſi eccleſia enormiter conſecrare præſumpſit. E Pro quibus videlicet tantæ temeritatis præſumptionibus, & ipſum Anſpertum dudum archiepiſcopum in ea, quæ nuper acta eſt ſynodo, omni epiſcopali honore privavimus, & eum, quem illicite ordinavit epiſcopum, decrevimus ſynodali judicio depoſitum eſſe ab ordine epiſcopatus: intuitu tamen miſericordiæ in priſtinum quo erat antea gradum reverti. Porro nos, ſecundum voluntatem, & petitionem dilecti filii noſtri Carolomanni glorioſi regis hunc Conſpertum reverendiſſimum, de quo jam olim vobis per veſtrum fidelem miſſum innotuimus, in eadem Vercellenſi eccleſia, conſentientibus omnibus comprovincialibus epiſcopis antiſtitem conſecravimus, quem petimus obnixe, ut pro amore Dei, & ſancti Petri, ac noſtro, veſtræ potentiæ brachio tueamini, &, prout ei opus fuerit, dignum ſemper in omnibus præbeatis ſolatium. Regalem excellentiam veſtram Dominus conſervet incolumem, cariſſime fili. Data *ut ſupra*.

## CCXXIII. AD VERCELLENSES.

Præcipit ut Conſpertum a ſe illis epiſcopum conſtitutum recipiant, & congruo honore colant. Joſephi invaſoris acta nulla eſſe declarat.

*Omnibus presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & omni clero, ac primatis, omnique populo Vercellenſi.*

HIs noſtris apoſtolicis literis vobis cognitum facimus, quia Anſpertum dudum archiepiſcopum Mediolanenſem pro ſuis multis præſumptionibus & negligentiis jam olim una cum ſancta ſynodo ſacra communione privavimus: ſed ipſe contra canonica ſtatuta, & contra noſtrum apoſtolicum ſynodicumque judicium agens, ante audientiam, & abſolutionem miniſterium ſacrum agere, atque adhuc excommunicatus in hac Vercellenſi eccleſia veſtra, quemdam virum Joſeph nomine, ut audimus, contra regiam & noſtram apoſtolicam voluntatem, epiſcopum ordinare temere præſumpſit. Ideo & eumdem arhiepiſcopum, & hunc ipſum Joſeph invaſorem, ac præſumptorem, non intrantem per oſtium, ſed aliunde quaſi furem ingr[e]dientem in ovile Domini, cum virtute ſancti Spiritus, & auctoritate beatorum Petri ac Pauli apoſtolorum principum, noſtroque apoſtolico judicio una cum ſynodali cœtu reverendiſſimorum epiſcoporum omni epiſcopali honore decrevimus eſſe privatos & alienos: tamen intuitu miſericordiæ, decreto ſynodali ſtatuimus, jam fatum Joſeph invaſorem eccleſiæ veſtræ, de ordine epiſcopali dejectum in gradum & ordinem, quo prius extitit, omnimodo reverti. Nam cum prædictus Anſpertus dudum Mediolanenſis archiepiſcopus eſſet regulariter excommunicatus, aliquam vel minimorum in eccleſia Dei conſecrationem graduum facere nullo modo potuit: quia quod non habuit, dare profecto nequivit. Quare omnium veſtrum cognoſcat ſagacitas, & laudanda fidelitas; quoniam dilectus, ac ſpiritalis filius noſter Carolomannus glorioſus rex iſtius Italici regni, ipſum Vercellentem epiſcopatum, more præceſſorum ſuorum regum, & imperatorum, conceſſit huic Conſperto viro nobiliſſimo, præſentibus miſſis noſtris, noſtramque apoſtolicam clementiam ſuis eſt literis deprecatus, ut eum vobis epiſcopum conſecraremus. Nos autem ejus precibus inclinati, nolentes vos diu ſine proprii ac legitimi eſſe cura paſtoris, hunc ipſum ſanctæ Vercellenſi eccleſiæ veſtræ apoſtolica dumtaxat auctoritate epiſcopum conſecravimus, dedimuſque vobis pro invaſore illo iſtum paſtorem, pro mercenario ignavo providum ſatis rectorem, qui ſcilicet noſtris vos apoſtolicis doctrinis admonitus, quaſi populum Domini ſibi commiſſum more veri paſtoris pabulo vitæ perpetuæque ſalutis paſcere, atque in virga æquitatis & manſuetudinis regere vigilanti ſemper cura & ſolicitudine ſolerter procuret. Quem itaque vos omnes uno voto, & pio affectu quaſi patrem, & rectorem animarum veſtrarum, utpote cariſſimi filii, ut recipiatis præſenti ſtatuto noſtro jubemus; & abjecto ac reprobato ſupradicto inva-

ſore, hunc, quem ordinavimus vobis, habetote epiſcopum. Nam magna vos laude dignos fore videmini, quod de beati Petri apoſtoli conſecratione meruiſtis habere antiſtitem: & hoc in augmentum honoris eccleſiæ Vercellenſis ſine dubio proveniet, ſi vos devota mente noſtris obtemperatis præceptis. Nos enim veſtram cupientes ſalutem, ideo monemus, ut mente & corpore ſalvi eſſe poſſitis. Jubemus etiam omnes ſcripturas, vel dationes cujuſcumque tenoris, quas fecit de plebibus, caſalibus, & villis ipſius eccleſiæ Vercellenſis, nullam habere firmitatem; ſed omnia quæ fecit, eſſe judicamus vacua & inania, quia legitimus ipſe non fuit epiſcopus, & ideo quippiam dare non potuit: eum vero, qui ex his, quæ fecit, aliquid firmum eſſe dixerit, Ananiæ & Sapphiræ anathemate feriendum fore cenſemus. (Act. 5.) Nam ſi cujuslibet conſilio, vel hortatu, aliter facere, non de præſenti ipſum invaſorem abjicere ſtudueritis, atque hunc, quem nos conſecravimus vobis, alacri cum voluntate non receperitis, omni eccleſiaſtica vos communione privabimus, dignoque anathemate feriemus. Data *ut ſupra*.

## CCXXIV. AD NOTINGUM NOVARIENSEM EPISCOPUM.

Monet, ut res Angelbergæ reſtituat; ſin minus, denunciat illi excommunicationem, niſi intra duos menſes ad reddendam de his rationem Romam veniat.

*Notingo Novarienſi epiſcopo.*

AUdivimus te res ſpiritalis filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ injuſte tenere, quas volumus, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut continuo reddere ſtudeas: & quod tibi retinere debere nulla lege conceditur, ſub omni celeritate dimittas, ut ei, cui pertinere videtur, his perfrui modis omnibus liceat. Nam ſi continuo præfatas res non reddideris, monemus, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut intra ſpatium duorum menſium Romam ad reddendam pro his rationem occurras, & coram nobis congruam ſatisfactionem exhibeas: alioquin tamdiu excommunicatus exiſtas, quamdiu huic noſtræ commonitioni obtemperans, hæc quæ ſtatuimus adimplere procures. Data XIV. Kalendas Novembris, indictione XIII.

## CCXXV. AD AMALFITANOS.

Significat ſe eos excommunicaſſe, donec ſe a Paganis ſeparent: minatur illis alias pœnas, niſi quamprimum pareant.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Petro epiſcopo, ſeu Pulcari præfectorio, atque univerſo populo Amalfitano.*

NOtum eſſe volumus dilectioni & unanimitati veſtræ quia contra divina ſtatuta, & noſtra apoſtolica monita, quibus vos frequenter monuimus, & ex auctoritate Dei, & ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli præcepimus, ut nullum cum impia Sarracenorum gente pactum haberetis, habitumque omnimodo rumperetis, in tali ſcelere, & in conſortio inimicorum Dei manere non formidatis: (Matth. 16.) virtute ſancti Spiritus, & auctoritate ſancti Petri, cui ligandi & ſolvendi in cælo, & in terra a domino eſt conceſſa poteſtas, omni ſacra communione, ſancto videlicet corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, vos una cum totius apoſtolicæ ſedis conſenſu privavimus, & ab eccleſiæ Dei ſocietate ſeparavimus, ut in eadem excommunicatione maneatis, donec reſipiſcentes ab impia vos Paganorum præda ſeparetis: & niſi puro corde, & devota voluntate citius fueritis converſi ad gremium ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ, majoris damnationis ſententia vos procul dubio feriemus. Veſtram denique nos ſalutem quærimus, veſtras cupimus in conſpectu Domini animas apoſtolica benignitate ſalvare, & quaſi oves dominicas ad paſcua ſalutis æternæ deſideramus perducere: ſi tamen bonis operibus dediti noſtra ſolatia, voluntatem, juſſionem & admonitionem ſtudueritis perficere, & in tali placito nequitiæ contempſeritis manere. Optamus vos in Chriſto bene valere. Die XXIV. menſis Octobris, indictione XIII.

## CCXXVI. AD THEODORICUM, HEODICIUM, &c.

Oſtendit mulierem, quæ vi, miniſque coacta religioſum habitum ſuſceperat, ad vota ſervanda non teneri; hujus tamen cauſam illis definiendam committit. Quod ſi qua oriatur difficultas, eos vel eorum legatos cum ipſa muliere ad ſe venire jubet.

*Theodorico Teatio, Heodicio Firmano, Joanni Aprutienſi, & Helmoino Pinnenſi epiſcopis.*

QUædam veſtrarum diœceſeon femina, nomine Theoderona de Vivelata, relicta quondam Treſigii, ſedem apoſtolicam, noſtrumque ſimul pontificium adiens, queſta eſt nobis, quod viro ſuo defuncto, velamen ſibi ſacri habitus ab ejuſdem viri ſui fratris dumtaxat germani vi, non ſcilicet dilectione vitæ ſpiritualis, ſed ambitione prædiorum ducti, impoſitum fuerit, & ipſa plurimum renitens contra propriam ſponſionem pollicitationem, expetitionem, electionem, propoſitum, votum, atque ſpontaneum judicium ſine benedictione ſacerdotis idem velamen ſuſceperit Cujus profeſſionem coram coepiſcopis & fratribus noſtris conferentes, inquiſivimus etiam idoneos viros Opteramum, Scattoimum, Erſemarium, Amedeum & Ceriſium, vicinos ſcilicet ipſius fœminæ, qui caſu præſentes aderant, utrum ſe ita res haberet, an non. Sed illi non ſolum ita fuiſſe teſtificati ſunt, verum etiam parati extiterunt omnem ſuper hanc cauſam ſatisfactionem præmittere. Nos igitur habentes eumdem quem & patres noſtri ſpiritum fidei, & per gratiam Chriſti, zelum juſtitiæ, eadem ſuper legitime velatis quæ & illi ſentimus, eademque omnino decernimus; & quod non propria voluntate, non arbitrio, non voto, non expetitu, vel ſpontaneo judicio, quin potius coacte admittitur, caſſandum eſſe ſancimus: præcipue cum hæc eadem fœmina non niſi minis perterrita, plus minus diebus XV. idem velamen geſtaſſe ſe dixerit, & nullo ſacerdote benedictionem tribuente hoc violenter ſuceperit. Quod licet ad hujus abſolutionem ſufficere poſſe ſperemus: quia ſi ita eſt, totius violentiæ ac neceſſitatis vinculis abſoluta, ſuum licenter & impune ſequi debet arbitrium, & quod non elegit, ut perferat, non eſt cogenda: tamen ſanctitati veſtræ committimus, ut in unum convenientes, ipſius fœminæ cauſam ſecundum Deum diſcutiatis, & omnem ſuper hac querimonia veritatem ſubtili indagatione reperientes, ad liquidum finiatis. Verumtamen dignum non eſſe ſancimus, ut jugum, cui non ſuo propoſito mota, ſed ambitione & violentia oppreſſa

ſub-

ſubacta eſt, portare cogatur: quia & ſanctus papa Gregorius in epiſtola ad * Athanaſium presbyterum Iſauriæ, inter cetera ita refert: Quamquam ea quæ vi impulſionis fiunt, canonum minime cenſura recipiat, & jure habeantur infirma: quia ipſe ea diſſolvit, qui injuſtum fateri compellit, ſed magis illa eſt ſuſcipienda & amplectenda confeſſio, quæ ex ſpontanea monſtratur voluntate procedere. Et rurſus ſcriptum eſt: *Voluntarie ſacrificabo tibi*: & alias: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine*. Porro jam fato Joanni reverendo Aprutienſi antiſtiti etiam verbis injunximus, ut aſcita veſtra fraternitate, omne de hac re negotium vobiſcum pariter ventilet, & canonice, ſicut prædiximus, diffinire procuret. Super quo, ſi aliqua ambiguitas fortaſſis emerſerit, tunc jubemus, ut aut vos, aut veſtri legati vices veſtras agentes, cum eadem fœmina noſtris præſentialiter obtutibus præſententur, ut coram nobis jam diligentius omnis rei veritas inquiratur, & æquitatis regula terminetur. Poſtremo, ſi præfatæ fœminæ aliquod invidioſe objectum crimen quoquomodo fuerit, vos Deo præ oculis habito, hoc non admittatis; & ſi accuſator illius in ſua obſtinatione permanſerit, tam accuſata, quam accuſator in noſtram cum veſtris pariter miſſis accelerent properare præſentiam. Verumtamen, ſi accuſator ejus defuerit, jam illa crimine illo coram nobis veniens non tenebitur, ſecundum Carthaginenſis concilii nonum decimum capitulum, ita inquiens: Accuſator ejus ſi nunquam diebus cauſæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur: reſtituto in communione accuſato, ipſe removeatur a communione accuſator. Data XII. Kalendas Decembris, indictione XIII.

S. Gregor. epiſt. lib. 5. epiſt. 63. * al. Anaſtaſium. — Pſal. 53. Pſal. 118. — Concil. Carth. 3. cap. 7. — An. Ch. 879.

## CCXXVII. AD ATHANASIUM, PULCAREM, &c.

Præcipit ut fœdus cum Sarracenis ictum rumpant, quod niſi Kalendis Decembris fecerint, eis excommunicationem minatur. Pulcarem monet, ne Pandenulfo Capuano judici moleſtiam inferat.

*Athanaſio epiſcopo Neapolitano, Petro epiſcopo, ſeu Pulcari præfectorio Amalfitano, epiſcopo, Cajetano, ſeu Decibili, & Joanni glorioſis hypatis, a paribus.*

PUdet, ut ita dixerim, pontificium noſtrum vos jam commonere ſuper hoc, quod tam multoties a nobis commoniti reſipiſcere noluiſtis, & cum Deo odibilibus Sarracenis habitum pactum diſſolvere hactenus contempſiſtis. Verum quia quanta crudelitatum genera, ac deſolationum terræ iſtius calamitatum nimis ex hoc mala lugenda provenerint, atque proveniant, exaggerare differimus, ne interim, quod dignum eſt, judicare cogamur. Adhuc obſecramus, adhuc ſicut ſpiritales filios exhortamur, & paternis viſceribus vos amplecti conantes, Dei, ac principum apoſtolorum Petri ac Pauli auctoritate præcipimus, ut jamjamque diſciplinam percipientes, ab eiſdem iniquis, & ancillæ filiis Sarracenis vos ſeparetis, & pactum cum eis habitum modis omnibus diſſolvatis, ſi vel noſtræ communionis, vel ipſius Chriſtianitatis vultis eſſe participes; in quos jam daremus eccleſiaſtici mucronis ſententiam, niſi nos apoſtolica patientia retineret. Idcirco vobis inducias uſque Kalendas Decembrias iſtius tertiædecimæ indictionis ad idem pactum cum Sarracenis frangendum largimur, & tam vos, quam Cajetanos atque Amalfitanos lucrari volentes, ſi uſque ad idem tempus omnem Sarracenorum amicitiam, nec non & omne fœdus diſſolvere ſolito contempſeritis, utroſque ſententiæ eccleſiaſticæ jaculis feriemus, & perpetuo anathemati ſubmittemus, ut qui ſocii diſciplinæ eſſe non vultis, communionis quoque noſtræ non ſitis participes. *Hoc addendum eſt in epiſtola ad Pulcarem.*

Poſtremo nobilitatem tuam monemus, ut Pandenulfo judici Capuano in nullo moleſtus exiſtas; & quod nobis ipſe devotus eſt, tu ei devotione & amicitia copulatus, in quo poſſe tibi fuerit, contra adverſitates illius te murum opponas; quatenus patris illius, qui proprio genitore ſalvando ſuffigit, reminiſcens pro utriuſque amore, ſi de nobis tibi cura eſt, ipſius Pandenulfi profectibus potius hæreas, quam obviare quoquomodo videaris.

## CCXXVIII. AD HELMOINUM EPISCOPUM PENNENSEM.

Arguit quod ad ſynodum non acceſſerit: jubet ſtatuta die ad ſe venire, & interim quemdam abſolvere, quem injuſte excommunicaverat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Helmoino epiſcopo Pennenſi.*

SEcundum ſacros venerabilium patrum canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, pro eccleſiaſticis dumtaxat neceſſitatibus, atque utilitatibus ad eas, quas nuper ſtatutis diebus celebravimus ſynodos, miſſis ex more auctoritatis noſtræ literis, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decrevimus: ſed quia ceteris devote valde venientibus, te minime veniſſe, neque excuſationem tuam in tractoria regulari tenore conſcriptam nobis & ſanctæ ſynodo, cauſa videlicet temeritatis, & inobedientiæ, ut etiam evidenter apparet, non direxiſſe comperimus; ne dilectionem tuam de hoc indiſcuſſam præteriiſſe videamur, hoc noſtro apoſtolatus ſtatuto jubemus, eam infra octavum diem Decembris menſis, ſine aliqua mora, vel ambiguitate ad nos debere venire, noſtriſque ſe obtutibus præſentare. Nam & Oteramus filius * qui Corvini cum aliis ſuis concivibus, noſtris apoſtolicis, coram venerabili epiſcoporum cœtu ſuper te queſtus eſt, auribus, quod dum a te ipſe impetitus eccleſiaſtice de contemptione, poſt præſtito ſacramento, ſe cum ſuis ſacramentariis purgaſſet, tua eum fraternitas, ſicut profeſſus eſt, quaſi perjurum excommunicaverit; regula canonica præcipiente, quod hanc epiſcopus ſibi cognitionem nullo modo debeat vindicare, Dominoque dicente ad Moyſen, ad unius teſtimonium neminem condemnari oportere. Quod ſi ita eſt, quia temere illum excommunicare non debuiſti, præcipimus, ut eum de præſenti abſolvas, tuæque communioni reſtituas: nam ſi auſu improbo aliter feceris, nos quidem eum auctoritate apoſtolica procul dubio abſolutum eſſe jubemus. Et ſi hanc juſſionem noſtram parvipendens, temerario auſu præſentiæ noſtræ adeſſe contempſeris, eccleſiaſtica te communione, velut inobedientem eſſe noveris privandum; quouſque pro tuis negligentiis dignam veniens nobis ſatisfactionem humiliter feceris. Data XIII. Kalendas Decembris.

* Forte quondam.

## CCXXIX. AD ARPALDUM EPISCOPUM ASCULANUM.

Arguit quod ad ſynodum non venerit: jubet ad ſe venire, ut iis, quæ a ſuis clericis objiciebantur, reſpondeat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Arpaldo epiſcopo Aſculano.*

SEcundum ſacros venerabilium patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, pro eccleſiaſticis dumtaxat neceſſitatibus ad eas quas nuper ſtatutis diebus celebravimus ſynodos, miſſis ex more auctoritatis no- B ſtræ literis, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decrevimus. Sed quia ceteris devote valde venientibus, te minime veniſſe, cum etiam & auditu didiceris nos ſynodum celebrare, neque excuſationem tuam regulari tenore in tractoria conſcriptam, nobis & ſanctæ ſynodo, cauſa temeritatis, & inobedientiæ tuæ, ut evidenter apparet, non direxiſſe comperimus; ne dilectionem tuam de hoc indiſcuſſam præteriiſſe videamur, hoc noſtræ auctoritatis ſtatuto jubemus, eam de præſenti ſine aliqua mora, vel ambiguitate ad nos debere venire, noſtriſque ſe obtutibus præſentare. Nam & clerici tuæ nos eccleſiæ adierunt, reclamantes, multa ſe a tua perpeſſos fraternitate enormiter adverſa, & contra regulam eccleſiaſti- C cam injuſte fore oppreſſos; quorum videlicet objectionibus coram noſtro præſulatu aſſiſtentem te oportet procul dubio reſpondere. Et ideo hac juſſione noſtra percepta occurrere ſtudeas, antequam eccleſia tua majus ſchiſma, vel ſcandalum patiatur: quoniam ſi venire jam modo contempſeris, dignam excommunicationis a ſede apoſtolica prolatam ſuſtinebis omnino cenſuram. Data VIII. Kalendas Decembris.

## CCXXX AD CAROLUM REGEM.

Miratur, quod cum Papiam venerit, ubi ſimul convenire debebant, legatos ad ſe non miſerit: petit illos deſtinet, ut ſe ad eum conferre poſſit.

*Dilecto ac ſpirituali filio Carolo glorioſo regi.*

SIcut noſtro præſulatui veſtris jam olim regalibus direxiſtis apicibus, ut his Kalendis Novembribus jam tranſactis, vobis Papiam obviam venire deberemus: quatenus communi ſimul tractatu ea quæ ſanctæ eccleſiæ Dei utilia ſunt, & regni ſtabilitati proficua, pariter conſideraſſemus, ſtabilitateque perpetua firmaſſemus; hoc quidem avida extunc perficere mente parati exiſtimus: ſed quia vos in Italiam introiſſe audimus, valde mirati ſumus, quamobrem veſtrum nobis adventum, per excellentiæ veſtræ mellifluos apices, & E idoneos legatos, cognitum minime feceritis; nam paterno vos affectu diligentes, ſpeciali dumtaxat intuitu magnitudinem veſtram cernere deſideramus, filiorum cariſſime. Nunc itaque, ſi omnino verum eſt jam Papiam veniſſe, volumus ut eximios ex latere veſtro nobis dirigatis legatos, honorificas ſedi apoſtolicæ literas deferentes: quibus videlicet perſpectis, ad veſtram properare ſerenitatem, communeque colloquium indubitanter valeamus: quia cum, Deo propitio, vobiſcum fuerimus conjuncti, omnia quæ ad exaltationem ſanctæ ſedis apoſtolicæ matris veſtræ, A & ad veſtrum ac noſtrum videntur pertinere honorem, Deo favente, facile poterimus perficere. Pro quibus vobis, & in hoc ſæculo gloria multipliciter augeatur a Domino, & in cœleſti poſtmodum regione merces perpetua procul dubio tribuetur. Data *ut ſupra*.

## CCXXXI. AD EUMDEM.

Gratias agit, quod cum a ſe fuerit Conſpertus eccleſiæ Vercellenſis epiſcopus ordinatus, ejus ordinationi libenter acquieverit: ſe excuſat, quod Anſpertum archiepiſcopum Mediolanenſem ejus precibus non abſolvat.

*Dilecto ac ſpirituali filio Carolo glorioſo ac excellentiſſimo regi.*

MUltiplices gratias veſtræ referimus magnitudini, quia pro Vercellenſi epiſcopatu, in quo nos Conſpertum una cum ſynodi decreto epiſcopum ordinavimus, noſtram libenter perfeciſtis voluntatem. De cetero autem, hoc eſt Mediolanenſi archiepiſcopatu, o fili cariſſime, ſicut nobis nunc mandaſti, ut Anſpertum archiepiſcopum, quem in ſynodo pro nonnullis ſuis negligentiis & præſumptionibus judicavimus, reconciliare deberemus. Quod quidem nos pro veſtro amore alacri mente omnimodo perficeremus, ſi ſententia damnationis, quam in eumdem archiepiſcopum protulimus, ſub tenore aliquo non fuiſſet prolata. Dictum eſt enim, tamdiu eum fore ab honore & miniſterio ſacerdotali ſuſpenſum, donec, auctore Deo, ſuam ſpecialem nobis ad ſatisfaciendum exhiberet præſentiam. Et quia eccleſiæ Dei privilegium nos decet immutilatum ſolenniter conſervare, ne in aliquo patrum terminos præterire videamur, contra ſtatuta majorum agere nequivimus. Unde benignitatis veſtræ excellentiam paterno affectu monemus, ut ob hoc quod irreprehenſibiliter agere non poſſumus, nullo modo turbemini: quoniam veſtram in omnibus cupimus pro honore perfice- D re voluntatem. Data *ut ſupra*.

## CCXXXII. AD PAULUM EPISCOPUM.

Jubet eccleſiam in villa Carpana ſitam reſtitui, ibique ſacerdotem conſtitui, & ſacrum chriſma annuatim in eamdem mitti.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Paulo epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Regienſis.*

DIlectioni tuæ venerandis ſanctorum patrum regulis edoctæ mandamus, atque his præſulatus noſtri literis jubemus, ut eccleſiam Dei poſitam in villa Carpana, jam nuper incendio crematam reſtaures, atque in priſtinum decorem, & ordinem reſtituere nullatenus prætermittas, atque ſub proprii cura ſacerdotis eam conſtituas, qui ſedulas ibi Domino laudes quotidie perſolvat, ac pro ſalute fidelium omnipotentem Dominum valeat exorare, ſacrumque illic, Deo propitio, annue chriſma mittere indeſinenter procures; quod eſt totius Chriſtianitatis ſalus, & perfectio vera. Nam ſi forte aliter feceris, nos ex apoſtolica auctoritate alteri epiſcopo præfatam eccleſiam ad reſtaurandum, & canonice ordinandum procul dubio committemus. Data XIII. Kalendas Decembris.

CCXXXIII.

## CCXXXIII. AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

Præcipit, ut eccleſiam in Carpana villa ſitam, quam Paulus Regienſis epiſcopus reficere neglexerat, reſtituat, ibique ſacerdotem proprium conſtituat, & ſacrum chriſma annuatim mittat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Joanni epiſcopo Ticinenſi, dilectoque confratri.*

QUia Paulus Regienſis eccleſiæ epiſcopus, & canonicis admonitus inſtitutis, & noſtris apoſtolicis præceptionibus exhortatus, ut B eccleſiam Dei poſitam in villa, quæ dicitur Carpana, igne crematam reſtaurare, ibique ſuum, ſecundum jus eccleſiaſticum, omne officium, vel miniſterium rite peragere debuiſſet, temere contempſit, noſtræque ſalubri præceptioni obedire contempſit, nec debitum in hoc Deo noſtro reddidiſſe videtur honorem. Præcipientes igitur ex apoſtolica auctoritate dilectionis tuæ jubemus, ut de præſenti, & abſque omni protelatione ipſam eccleſiam reſtituas in priſtinum decorem & ordinem, atque ſub proprii cura ſacerdotis eam conſtituas, qui ſedulas ibi Domino laudes quotidie perſolvat, ac pro ſalute fidelium omnipotentem Dominum valeat exorare, ſacrumque illic, Deo propitio, annue chriſma mittere in C deſinenter procures, quod eſt totius Chriſtianitatis ſalus, & perfectio vera. Data *ut ſupra*.

## CCXXXIV. AD EGILBERTUM EPISCOPUM.

Arguit eum, quod cum excommunicatis a ſede apoſtolica communicarit: jubet, ne cum Liutfredo & Odebrico excommunicatis communicet.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Egilberto epiſcopo.*

Epheſ. 4. BEatiſſimi apoſtoli præcepto jubemur deponere D veterem hominem cum actibus ſuis, & induere novum, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis: propter quod dilectionem tuam audientes cum eis, qui a ſede apoſtolica, in qua beatorum Petri ac Pauli ſemper auctoritas vivit, pro ſuis manifeſtis ſceleribus excommunicati merito exiſtunt, contra jus eccleſiaſticum ante audientiam, & veram in reddendo ſatisfactionem, communicare, non mediocri animi dolore turbati exiſtimus; cum idem 2. Theſſ. 3. de talibus cavendis doctor egregius dicat: *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, ut non commiſceamini cum eo.* Hinc etiam & coapoſtolus ejus Joannes, hujuſmodi nec Ave 2. Joan. 1. dicendum concedit: *Si quis*, inquiens, *venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in Domino, nec Ave ei dicite. Qui enim dixerit ei, Ave, communicat operibus illius malignis.* Item beatus Clemens Jacobo fratri Domini ſcribens, ita de ſe apoſtolum Petrum populum admonuiſſe commemorat: Si inimicus eſt alicui pro actibus ſuis, vos nolite expectare, ut ipſe vobis dicat, cum illo nolite amici eſſe; quibus videlicet ſalubribus exemplis, & canonicis etiam inſtitutis edocti, ne ſimul pariter cum eis excommunicatus exiſtas, ex apoſtolica tibi auctoritate jubemus, ut nullam deinceps cum Liutfre- A do, & Odebrico a nobis regulariter excommunicatis, vel in communi eloquio communionem habere præſumas: ſi debitam in te non vis provenire ſententiam, * ſane ut infra dies triginta * ſ. cave poſt hujus noſtræ apoſtolicæ epiſtolæ denunciationem, reddant ipſi omnia eidem dilectæ filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ, quæ violenter, ac fraudulenter auferre præſumpſerunt.

## CCXXXV. EGIFREDO, SUPPONI, &c.

Rogat ut bonorum Angelbergæ imperatricis curam ſuſtineant.

*Nobiliſſimis viris dilectis filiis Egifredo, Supponi, Eripaldo, Berardo Bonifacti filio, & Cotephredo glorioſis comitibus.*

SCientes profecto ea, quæ ſagacitati veſtræ committimus, vos pro amore Dei, & ſanctorum principum reverentia, noſtraque dilectione, pio mentis affectu perficere: ideo pro parte dilectiſſimæ, ac ſpiritalis filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ his apoſtolatus noſtri literis gloriam veſtram magnopere deprecamur, ut omnium rerum ejus ubicumque conſiſtentium curam & ſolicitudinem maximam habeatis: quatenus veſtro prudenti conſilio, ingentique ſolatio ejus omnia ſalva & indiminuta, ſecura & defenſa conſiſtant; ita ſane ut nulli eaſdem res invadere, ac deprædare ſinatis. Quia & nos eum, qui facere, vel favere facienti præſumpſerit, ſpirituali procul dubio gladio feriemus: quatenus ex hoc, & nos ſecundum collatum nobis divinitus apoſtolicum magiſterium, dignas, atque multiplices nobilitati veſtræ gratias habeamus, benedicentes vobis omni benedictione ſpirituali in Chriſto Jeſu Domino noſtro, & veſtræ fidei laudabilis rumor per ora fidelium ſemper ubique reſonet ad augmentum veſtræ perpetuæ remunerationis. Data *ut ſupra*.

## CCXXXVI. AD TEUTMARUM ARCHIEPISCOPUM.

Miratur eum morari, & ad ſe non venire; monet, ut ſtatim veniat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Teutmaro archiepiſcopo dilecto confratri noſtro.*

SIcut nobis dilectus ac ſpiritalis filius noſter Carolomannus glorioſus rex ſuis regiis direxit apicibus, ut vos ad noſtram apoſtolicam venire debuiſſetis præſentiam, veſtrum quotidie præſtolantes adventum miramur cur tantum moremini: nos enim almitatis & prudentiæ veſtræ favore repleti, fraternitatem veſtram pio cupimus jam contemplari intuitu. Unde his noſtris apoſtolicis literis vos monemus, & exhortamur, ut libenti ad nos animo properare omnimodis ſtudeatis: quatenus una vobiſcum ea quæ ſanctæ E Dei eccleſiæ utilia ſunt prout neceſſe fuerit, pariter ordinare valeamus. Data *ut ſupra*.

## CCXXXVII. AD ANTONIUM EPISCOPUM ET BERENGARIUM. comitem

Liutfredum comitem, quia monialem, quæ e monaſterio effugerat, ſuſcepit, & bona Angelbergæ imperatricis diripuit, excommunicat, niſi ſtatuto tempore ſatisfecerit monet ne quiſquam cum eo communicet.

*Reverendiſſimo Antonio epiſcopo Brixienſi, & nobiliſſimo viro, dilectoque filio Berengario glorioſo comiti.*

QUia dilectus ac ſpiritalis filius noſter Carolomannus glorioſus rex ſuis regalibus literis, & miſſorum noſtrorum verbo, noſtro præſulatui pio mentis affectu commiſit, ut nos curam hujus Italici regni haberemus, tam pro divinitus nobis commiſſa paſtorali ſolicitudine omnium Chriſti ovium, quam etiam pro præfati regis vice cura conceſſa, illa quæ contra Deum, & jura legis alicubi cognoſcimus præſumptione commiſſa, omni volumus conamine compeſcere, & unam ovem morbidam gladio percutere ſpiritali, ut ad ſalutem quoquomodo anima vulnerata perveniat, antequam totus grex unius contagione maculetur. Audientes igitur, veraciterque ſcientes, Liutfredum comitem ſuſcepiſſe quamdam ſanctimonialem nomine Gerlindam de Placentino monaſterio fuga lapſam, & poſt noſtram ſuper hac cauſſa admonitionem, ſalubremque prohibitionem, eam detinuiſſe, atque cum propria uxore, ſuiſque illi pariter communicaſſe; nobilitati veſtræ paterna dumtaxat dilectione mandamus, ut & tam pro eadem ſanctimoniali, * quam facultatibus dilectæ filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ, cui debitam omnino debuit fidem conſervare, latenter recepit: & hactenus contra noſtrum ei reddere diſtulit interdictum; quamque etiam, quia cortes ipſius ſub noſtra apoſtolica tuitione, ac defenſione perenniter ſuſceptas, deprædari temere præſumpſit: nos eum a communione fidelium ſequeſtramus; ita ſcilicet, ut ſi infra Italicum regnum conſiſtit, intra dies triginta habeat omnia ſub vera ſatisfactione reddita, quæ violenter abſtulit: & ſi extra regnum Italicum eſſe videtur, infra dies ſexaginta; ac deinde, ſi hæc omnia parvipendens in ſua pertinacia manere, nihilque ſtuduerit emendare, anathematis vinculo ſit innodatus, donec ad noſtram apoſtolicam præſentiam venerit, & pro illicitis his omnibus veram coram nobis ſatisfactionem facere ſtuduerit. Idcirco volumus, ut nullatenus ei communicetis, ſi noſtro apoſtolico vultis, ut dilecti filii, conſortio frui. Data *ut ſupra*.

* deeſt aliquid

## CCXXXVIII. AD EUNIBERTUM COMITEM

Minatur illi excommunicationem, niſi res ſancti Petri, & Angelbergæ imperatricis reſtituat.

*Euniberto glorioſo comiti.*

VEraci relatione comperimus, te res ſancti Petri apoſtoli, quas ſpiritali filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ conceſſas habemus, cum aliis ejuſdem filiæ noſtræ proprietatibus, contra legem invadere, ac retinere: & ob hoc tu ipſe admonitus ab invaſione illa non te ſubtraxeris: quin potius hactenus in hac eadem pravitate perſiſtere nequaquam omiſeris. Idcirco tibi præcipimus, ut omni occaſione poſtpoſita te compeſcens eaſdem res omnino relinquas, & te ſive tuos ab ipſis removeas: quatenus eidem filiæ noſtræ liceat omnes illas ſuo Dominio vindicare, atque diſponere; & ut ei libitum fuerit, ſub noſtro ſpeciali mandeburdio retinere· alioquin noveris te apoſtolica noſtra auctoritate ſancta communione privatum; & quouſque ſub congrua ſatisfactione, quæ alterius ſunt reſtituas, a Chriſtianorum conſortio ſeparatum. Data *ut ſupra*

## CCXXXIX. AD GISULFUM ABBATEM.

Ejus curæ monaſterium Angelbergæ imperatricis committit.

*Giſulfo venerabili abbati monaſterii ſanctæ Chriſtinæ.*

AUctoritate ſanctæ ſedis apoſtolicæ, tuæ reverentiæ committimus, ut curam perſpicuam, & ſolicitudinem habeas monaſterii dilectæ filiæ noſtræ Angelbergæ Auguſtæ, ſiti in civitate Placentia, ſicut idoneus Chriſti miniſter, & gregis Domini proviſor eximius; quatenus ſecundum regulam ſancti Benedicti, jure abbatis quæ ordinanda vel diſponenda ſunt diſponas & ordines: & quæ corrigenda perſpexeris, ſubtili dumtaxat indagatione, ut Domino placeas, ex noſtra auctoritate corrigere procures. Data *ut ſupra*.

## CCXL. AD GREGORIUM, THEOPHYLACTUM, ET DIOGENEM, &c.

Gratulatur de victoria contra Sarracenos parta; miratur cur Romam non venerint: mandat ut contra Sarracenos ſibi auxilio veniant.

*Dilectis viris Gregorio ſpathario, Theophylacto turmacho, atque Diogeni comiti imperialibus.*

AUdientes vos per Dei auxilium, & ſecundum ſpiritalis filii noſtri imperatoris voluntatem, Neapolim veniſſe, ac multitudinem Sarracenorum ibi conſiſtentem potenti brachio ſuperaſſe; læti ſumus effecti, & ſtatim debitas omnipotenti Domino gratias egimus ſuper victoria veſtra, & inimicorum contritione. Sed iterum mirati ſumus, quia Romam venire, noſtramque apoſtolicam neglexiſtis videre præſentiam, ut pro veſtri laboris certamine multiplicem gratiam, & benedictionem a nobis, & a ſede apoſtolica ſuper vos reciperetis effuſam: quatenus ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli orationibus adjuti, omnique ſpiritali benedictione muniti, contra eoſdem perditionis filios victrici ſemper dextera valeretis efficaciter dimicare. quod tamen ut ſalubriter facere poſſitis, ut terra, marique de inimicis, & infidelibus victores feliciter exiſtatis: ideo mandamus vobis, ut cum aliquantis dromonibus pro honore jam dicti ſpiritalis filii noſtri Auguſti, has noſtras in partes iterum venire omnimodis ſatagatis: quatenus contra eoſdem nefandos Agarenos congruum nobis adjutorium præbere poſſitis, ut ex hoc laus & merces imperatori accreſcat, & a nobis dignas retributiones ſine dubio recipiatis. Quapropter monemus, & hortamur vos, ut noſtris

ſtris monitis libenti animo attendatis, & quid-A quid acturi eſtis, per vos velociter cognoſcamus. Data *ut ſupra*.

## CCXLI. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Commendat ejus erga ſedem apoſtolicam obſervantiam: hortatur, ut ſicut promiſerat, pactum cum Sarracenis ictum frangat. Amalfitanos per legatum ſuum ea de re admonitos, ſi parere neglexerint, excommunicandos ſignificat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Athanaſio epiſcopo Neapolitanæ eccleſiæ.*

SAnctitatis veſtræ devotionem ſemper in omnibus circa ſedem apoſtolicam, & noſtram paternitatem ſinceram, atque præclaram eſſe cognovimus: quod etiam & præſentis legationis veſtræ tenore inſpecto, nobis eſt luce clarius manifeſtum. Quamobrem his apoſtolatus noſtri literis multiplices almitati veſtræ gratias agimus, paterno vos affectu monentes, ut juxta indultum vobis officium in his, quæ Dei ſunt, & eccleſiæ Chriſti utilia, toto conamine deſudare non deſinatis: ac ſicut nobis per legatos veſtros mandaſtis, quod ſive ruperint Amalfitani pactum cum Sarracenis, ſive non, vos omnino frangetis, volumus ut indeſinenter id agere ſtudeatis. Nam C & miſſum noſtrum, Dominicum videlicet venerabilem epiſcopum illuc direximus, eos admonentes, ut patienter noſtram in hoc perficiant voluntatem: quod ſi ipſi noſtram in hoc fuerint voluntatem ſecuti, habeamus eos complices, & amicos: ſin autem, velut exteros inimicos, non ſolum viſibili ſed etiam inviſibili gladio pariter perſequamur, ut & a nobis, & ab omnibus Chriſtianis perpetuo digni odio habeantur. Nam & per præfatum miſſum noſtrum Dominicum epiſcopum, eos obaudire nolentes præſentialiter excommunicare præcepimus, ac poſtmodum nos ipſi digno anathemate feriemus. Vos igitur eſtote nobiſcum, & pactum iniquum corrumpite: quia & nos vobiſcum in omnibus erimus, & quod D jam dare promiſimus, auxiliante Domino, annis ſingulis vobis procul dubio tribuemus: quia ſi vos fœdus cum Sarracenis non habueritis, nil, Domino juvante, de Amalfitanorum perfidia curabimus, quos videlicet gladio poterimus ſpiritali perſequi, & facile humiliare. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

## CCXLII. AD AMALFITANOS.

Monet ut rupto cum Sarracenis fœdere ad eccleſiæ gremium revertantur, & eam ob rem ſingulis annis decem millia mancoſorum, & eo anno mille daturum ſe promittit: niſi paruerint minatur excommunicationem.

*Reverendiſſimo Petro epiſcopo, ſeu Pulcari præfectorio, & omnibus ſacerdotibus, ac clericis, atque univerſo populo Amalfitanæ civitatis.*

MUlta vobis bona facere, alacrique mente tribuere ſæpe promiſimus, decertantes, ut pactum, quod cum impia Sarracenorum gente habetis, omnimodis rumperetis, ne ex conſortio gentis malignæ, eccleſia Dei per vos ſic crudeliter affligeretur, & animabus veſtris non ſolum temporale exinde diſcrimen, ſed etiam æternum acquireretis ſupplicium. Nunc autem vos, quaſi filios dilectos corpore & ſpiritu ſalvare volentes, his apoſtolatus noſtri literis monemus & hortamur unanimitatem veſtram, ut relicta nunc penitus Sarracenorum ſocietate, corruptoque fœdere, quod cum eis ad perditionem animarum veſtrarum, & terræ ſancti Petri habetis, alacri mente, piaque devotione, jam modo ad gremium ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ matris veſtræ revertamini, & ad ſocietatem & communionem noſtram redire ſtudeatis. Et dabimus vobis nunc, & per ſingulos annos, ſicut inter nos ſtatutum fuit, decem millia mancoſorum argenti; & iſto præſenti anno damus vobis pro benedictione ſupra mille mancoſos, & teloneum B quod in portu noſtro dare debetis, vobis concedimus. Quod ſi in tali impio ſcelere, diabolo ſuadente, amplius permanere præſumpſeritis, & ipſum pactum de præſenti non corruperitis, præcipimus huic epiſcopo noſtro Dominico, ut vice noſtra omni eccleſiaſtica vos communione privare procuret: ipſoque revertente, ſynodice vos iterum perpetui anathematis vinculis alligabimus: & omnium terrarum aditus, in quibus negotiari ſoliti eſtis, vobis omnino claudemus; ut illic nulla poſſitis exercere negotia. Sane ſi de aliis civitatibus dubitatis, quod pactum non rumpant, credimus quia noſtram facient voluntatem: nam modo per vos habent excuſationem. Et ſi aliqua de illis fuerit, quæ ſicut vos, facere voluerit, una vobiſcum ejus perditionem ordinabimus. Porro ſcitote quia Leonem presbterum veſtrum penes nos retinuimus. Data *ut ſupra*.

## CCXLIII. AD CAROLUM CRASSUM REGEM ITALIÆ.

Rogat regem, ut Hieronymum epiſcopatum Lauſanenſem pacifice retinere permittat, & Hubonem res eccleſiæ Biſuntinæ ablatas reddere jubeat.

*Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.*

MAgnitudinem veſtram ingenti nobis amore dilectam noſſe volumus, quia Hieronymus ſanctæ Lauſanenſis eccleſiæ epiſcopus, apud B. Petrum apoſtolorum principem, noſtrumque pontificium veniens, humilitatis devotione petit, quatenus Lauſanenſem eccleſiam, quam jam olim regendam ſuſceperat, ei deinceps vobis foventibus habere liceret. Nos autem ejus precibus moti, juxta quod omnium eccleſiarum Dei curam habemus commiſſam, & quia noſtra exhortatione illum vobis fidelem in omnibus, propriumque, ſicut ceteri regni veſtri epiſcopi exiſtunt, eſſe cupientes agnovimus, his apoſtolatus noſtri literis excellentiæ veſtræ ſuggerimus, ut eum pro amore Dei & ſancti Petri & noſtro, & benigne recipiatis, & jam dictum epiſcopatum Lauſanenſem, ſibi divinitus conceſſum, noſtraque apoſtolica etiam E auctoritate commiſſum, ſub omni integritate recipere, habereque ſecuriter permittatis: ne amplius eadem eccleſia contra ſtatuta patrum ſine proprio rectore conſiſtat. Nam regulariter illum electum, & proprio archiepiſcopo cauſa infirmitatis præbente conſenſum, & epiſcopos conſecratores illius literis, quas nobis oſtendit, rogante, conſecratum fuiſſe jam dictæ eccleſiæ epiſcopum, incunctanter agnoſcimus. Et idcirco volumus & rogamus, ut abſque temporis protelatione, vel aliqua contradictione, ſuum, ut diximus, epiſcopatum habeat, teneat, atque cum Dei reverentia diſponat, quoniam

niam nos in alterius hominis electione vel conſecratione illo vivente conſentire nullo modo patiemur, eo quod præcipua ſanctorum patrum auctoritas jubeat, duos ſimul in una civitate non debere eſſe epiſcopos. Quamobrem, cariſſime fili, hortamur nihilominus & obſecramus regiam gloriam veſtram, ut Deo auxiliante ipſa eccleſia, proprio nunc recepto paſtore, ſub veſtræ clementiæ tutamine pacifica jam & quieta conſiſtat: ut ejus precibus adjuti, poſt hoc regnum terrenum vobis conceſſum, ſempiternum percipere mereamini. Præterea & Theodoricus ſanctæ Chryſopolitanæ ſedis archiepiſcopus, multas noſtris apoſtolicis auribus ſuper Hubonem fidelem veſtrum querelas direxit, eo quod res eccleſiæ illius invaſerit. Pro quo etiam precamur, ut eaſdem res eccleſiaſticas jam dicto archiepiſcopo ſub integritate reddere faciatis pro amore Dei & noſtro, & nulla deinceps ei permittatis adverſa vel contraria inferre. Data xx. die menſis Junii, indictione XIII.

## CCXLIV. AD LIUTVVARDUM EPISCOPUM VERCELLENSEM.

Ut Hieronymi epiſcopi Lauſanenſis cauſam apud Carolum regem procuret.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Liutwardo epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Vercellenſi.*

Dilectioni veſtræ familiari quodam modo, pio- C que affectu, veluti fideliſſimo nobis mandantes committimus, ut recipientes hanc noſtri apoſtolatus epiſtolam, legatione noſtra dilecto ac ſpiritali filio noſtro Carolo excellentiſſimo regi, pro Hieronymo videlicet Lauſanenſi epiſcopo directa fungamini: veſtroque ingenti certamine, prudentique conſilio, ipſius regis magnitudinem admonere atque exhortari magnopere ſtudeatis, quatenus eumdem Lauſanenſem epiſcopatum, illi jam olim divinitus conceſſum, pro amore Dei & noſtro, de præſenti reddere, & ſecuriter quaſi ſuo fideli habere permittat. Nam eo vivente in alterius electione vel epiſcopali conſecratione, aſſenſum nullo modo præbebimus: quin potius apoſtolica hoc fieri auctoritate modis omnibus inhibebimus, ne contra ſtatuta patrum duo in una videantur civitate eſſe epiſcopi. Quapropter nobis juſta mandantibus omni animo & voluntate favere nullo modo prætermittatis, quo minus noſtræ voluntatis legatio apud ſereniſſimum regem ſalutis & pacis eccleſiaſticæ per veſtrum certamen effectum obtineat: quatenus eadem eccleſia Dei, proprio recepto paſtore, ſalva in omnibus & quieta conſiſtat. Data xx. die menſis Junii, indictione XIII.

## CCXLV. AD THEODORICUM ARCHIEPISCOPUM BISUNTINENSEM.

Significat ſe de ipſius cauſa Carolo regi ſcripſiſſe; ac de Hieronymo epiſcopo Laudunenſi hortatur, ut adjuvare illum ſtudeat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Theodorico archiepiſcopo ſanctæ Chryſopolitanæ eccleſiæ.*

PRo tot & tantis perturbationibus, & calamitatibus, quas ab iniquis & Deum non timentibus viris eccleſiam tibi commiſſam quotidie pati veſtris literis referentibus agnoſcimus, plurimum condolemus, & congruum cupimus, Deo favente, vobis præbere ſolatium, quatenus ſedis A veſtræ vigorem priſtinum indiminuto jure feliciter obtineatis. Nam dilecto ac ſpiritali filio noſtro Carolo glorioſo regi pro tuæ cauſa utilitatis, proque veſtræ plebis ſalute ſuggeſſimus, ut pro amore Dei & noſtro, ſuo vos auxilio ac defenſione in omnibus tueatur, & de his qui res eccleſiæ veſtræ invadere præſumpſerunt, juſtitiam facere dignetur, reſque ipſas ſub integritate vobis reſtitui jubeat. Vos tamen, more boni paſtoris, ſicut in proſperis humiles, ita quoque in adverſis fortes exiſtite, ut populum Domini tibi commiſſum pro malorum infeſtatione, quam patimini, ſtrenue regere non omittatis. Pro ipſo etiam Hieronymo epiſcopo eidem regi direximus, ut Lauſanenſem epiſcopatum illi divinitus B conceſſum, & noſtra apoſtolica auctoritate largitum, ſecuriter amodo retinere permittat. Et ideo veſtra fraternitas eum in hoc adjuvare pro viribus non prætermittat. Data xx. die menſis Junii indictione XIII.

## CCXLVI. AD CAROLUM REGEM.

Commendat ejus erga Romanam eccleſiam obſervantiam: rogat ut legatum ſibi auxilio mittat.

*Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.*

MUltiplices regiæ magnitudini veſtræ his noſtris apoſtolicis literis gratias agimus pro veſtra tam ingenti cura & ſolicitudine, quam circa ſanctam Romanam eccleſiam matrem veſtram habetis; atque pro veſtræ devotionis ſinceritate, qua nos puræ mentis affectu more parentum veſtrorum diligitis, & in omnibus adjuvare alacriter cupitis. Et quia pro exaltatione, atque utilitate ſedis apoſtolicæ, totiuſque terræ ſancti Petri defenſione, vos prompta mente deſudare velle cognoſcimus: in quo ſcilicet veſtri deſiderii affectu piiſſimo & divinam circa regiam gloriam veſtram habebitis adjutricem & placabilem majeſtatem, & dignam non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in cæleſti poſtmodum regione retributionem procul dubio recipietis. Quod vero man- D datis, ut marchiones veſtri, qui circa nos exiſtunt, ad defenſionem neceſſariam peragendam nobiſcum pariter decertare debuiſſent: hoc autem ſine veſtræ majeſtatis præſentiam, vel ſine idonei optimatis veſtri nullo modo, ſicut oportet, proderit nobis: eo quod ipſi marchiones homines de civitatibus, & propriis finibus noſtris, cum quibus territorium ſancti Petri poteramus ſatis defendere, in ſuo aſſiduo ſervitio habent, & nonnullos eorum potentia ſua defendunt: & ita impediunt, ut noſtrum ſervitium ſecundum voluntatem noſtram minime perficere valeant. Unde precamur excellentiam veſtram, ut pro amore Dei, & principis apoſtolorum honore, talem nobis de præſenti miſſum dirigatis, cum quo per E veſtræ auctoritatis potentiam, ea quæ ſanctæ Dei eccleſiæ, & nobis pertinent, incunctanter valeamus perficere: quatenus eoſdem homines noſtros, qui nobis ſublati ſunt, omnimodis recipiamus, ut omnis honor, & vigor ſanctæ Romanæ eccleſiæ veſtris diebus in omnibus integer accreſcat, & indiminutus permaneat; quoniam ipſius honor, & exaltatio, veſtra hic & in æternum eſt ſalus & gloria. Nam & nos ea, quæ veſtræ gloriæ proficua ſunt, libentiſſime perficere cupimus, & noſtris aſſiduis precibus vos Domino commendare, apoſtolorum ſuffragantibus meritis, ſemper ſatagimus. Hæc itaque pro utilitate ſanctæ eccle-

cleſiæ modo fieri petimus, ut cum veſtrum glo- A rioſum adventum, favente Domino, conſpexerimus, optata & ingenti pariter lætitia exultare valeamus. Data die XXIII. Menſis Junii, indictione XIII.

## CCXLVII. AD SFENTOPULCRUM COMITEM.

Gratulatur de ejus & ſubditorum illius obſervantia erga ſedem apoſtolicam: recipit eos in fidem ſuam: oſtendit Methodium archiepiſcopum orthodoxam fidem ſuiſſe profeſſum; cujus jura & privilegia confirmat, eumque ad eos regendos mittit. Nitrenſis eccleſiæ epiſcopum conſecratum ſignificat, & alium ad ſe vult mitti, B quem alii eccleſiæ præficiat: jubet omnes ipſi archiepiſcopo obedire: concedit ut divina officia Sclavonica lingua recitari poſſint, dummodo evangelium Latina prius recitetur.

*Dilecto filio Sfentopulcro glorioſo comiti.*

INduſtriæ tuæ notum eſſe volumus, quoniam confratre noſtro Methodio reverendiſſimo archiepiſcopo ſanctæ eccleſiæ Moravenſis, una cum Semiſiſuo fideli tuo, ad limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, noſtramque pontificalem præſentiam veniente, atque ſermone lucifluo referente, didicimus tuæ devotionis ſinceritatem, & totius populi tui deſiderium, quod circa ſe- C dem apoſtolicam & noſtram paternitatem habetis. Nam, divina gratia inſpirante, contemptis aliis ſæculi hujus principibus, beatum Petrum apoſtolici ordinis principem, vicariumque illius habere patronum, & in omnibus adjutorem ac defenſorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis, & cum omni populo terræ tuæ amore fideliſſimo elegiſti, & uſque ad finem, ſub ipſius & vicarii ejus defenſione colla ſummittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, utpote filius devotiſſimus, permanere. Pro qua ſcilicet tanta fide ac devotione tua & populi tui, apoſtolatus noſtri ulnis extenſis, te quaſi unicum filium amore ingenti amplectimur; & cum omnibus fidelibus tuis paternitatis noſtræ gremio, veluti oves D Domini nobis commiſſas, recipimus, vitæque pabulo clementer nutrire optamus, atque noſtris aſſiduis precibus omnipotenti te Domino commendare ſtudemus: quatenus ſanctorum apoſtolorum ſuffragantibus meritis, & in hoc ſæculo adverſa omnia ſuperare, & in cæleſti poſtmodum regione cum Chriſto Deo noſtro valeas triumphare. Igitur hunc Methodium venerabilem archiepiſcopum veſtrum interrogavimus coram poſitis fratribus noſtris epiſcopis, ſi orthodoxæ fidei ſymbolum ita crederet, & inter ſacra miſſarum ſolemnia caneret, ſicuti ſanctam Romanam eccleſiam tenere, & in ſanctis ſex univerſalibus ſynodis; a ſanctis patribus, ſecundum evangelicam Chriſti Dei noſtri auctoritatem, promulgatum, E atque traditum conſtat. Ille autem profeſſus eſt, ſe juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, ſicuti ſancta Romana eccleſia docet, & a patribus traditum eſt, tenere & pſallere. Nos autem illum in omnibus eccleſiaſticis doctrinis & utilitatibus orthodoxum & proficuum eſſe reperientes; vobis iterum ad regendam commiſſam ſibi eccleſiam Dei remiſimus, quem veluti paſtorem proprium ut digno honore & reverentia lætaque mente recipiatis jubemus: quia noſtræ apoſtolicæ auctoritatis præcepto archiepiſcopatus & privilegium confirmavimus, & in perpetuum, Deo ju-



A vante, firmum manere ſtatuimus, ſicuti anteceſſorum noſtrorum auctoritate omnium eccleſiarum Dei, jura & privilegia ſtatuta & firmata conſiſtunt: ita ſane, ut juxta canonicam traditionem, omnium negotiorum eccleſiaſticorum curam habeat ipſe, & ea, velut Deo contemplante, diſpenſet. Nam populus Domini illi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus erit rationem: ipſum quoque presbyterum nomine Vvichinum, quem nobis direxiſti, electum epiſcopum conſecravimus ſanctæ eccleſiæ Nitrenſis, quem ſuo archiepiſcopo in omnibus obedientem, ſicuti ſancti canones docent, eſſe jubemus: & volumus ut pariter cum ipſius archiepiſcopi conſenſu & providentia, alterum no- B bis apto tempore utilem presbyterum, vel diaconum dirigas, quem ſimiliter in alia eccleſia, in qua epiſcopalem * veſtram noveris eſſe neceſſariam, ordinemus epiſcopum, ut cum his duobus a nobis ordinatis epiſcopis præfatus archiepiſcopus veſter, juxta decretum apoſtolicum, per alia loca, in quibus epiſcopi honorifice debent & poſſunt exiſtere, poſtmodum valeat ordinare. Presbyteros vero, diaconos, ſeu cujuſcumque ordinis clericos, ſive Sclavos, ſive cujuslibet gentis, qui intra provinciæ tuæ fines conſiſtunt, præcipimus eſſe ſubjectos, & obedientes in omnibus jam dicto confratri noſtro archiepiſcopo veſtro, ut nihil omnino præter ejus conſcientiam agant. Quod ſi contumaces & inobedientes exiſtentes, ſcandalum C aliquod, aut ſchiſma facere præſumpſerint, & poſt primam & ſecundam admonitionem ſe minime correxerint, quaſi zizaniorum ſeminatores ab eccleſiis, & finibus veſtris auctoritate noſtra præcipimus eſſe procul abjiciendos, ſecundum auctoritatem capitulorum, quæ illi dedimus, & vobis direximus. Literas denique Sclavonicas a Conſtantino quodam philoſopho repertas, quibus Deo laudes debite reſonent, jure laudamus; & in eadem lingua Chriſti Domini noſtri præconia & opera ut enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantum, ſed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate ſacra monemur, quæ præcipit, dicens: *Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi*. Et apoſtoli repleti D Spiritu ſancto locuti ſunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cæleſtis quoque tuba inſonat, monens: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epiſtola ſatis, & manifeſte nos admonet; quatenus linguis loquentes eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſane fidei, vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive miſſas in eadem Sclavonica lingua canere, ſive ſacrum evangelium, vel lectiones divinas novi & veteris teſtamenti bene tranſlatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia pſallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam, ſcilicet, Græcam & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & E gloriam ſuam. Jubemus tamen, ut in omnibus eccleſiis terræ veſtræ propter majorem honorificentiam evangelium Latine legatur; & poſtmodum Sclavonica lingua tranſlatum in auribus populi Latina verba non intelligentis, annuncietur; ſicut in quibuſdam eccleſiis fieri videtur. Et ſi tibi & judicibus tuis placet miſſas Latina lingua magis audire, præcipimus ut Latine miſſarum tibi ſolemnia celebrentur. Data menſe Junio, indictione decima tertia.

* f. ſedem vel cathedram.

Pſal. 116. All. 1.

Philip. 2. 1. Cor. 14.



CCXLVIII.

## CCXLVIII. AD LANDULFUM EPISCOPUM SURICORUM.

A

Objurgat quod violaverit quæ ipſe inter eum & Landenulfum Capuanum epiſcopum de frugibus illius eccleſiæ decreverat: minatur illi excommunicationis pœnam, niſi ſuis decretis pareat: præcipit ut ſi ſe læſum ſentiat, cum eodem epiſcopo cauſam dicturus ad ſe veniat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſ. Landulfo epiſcopo Suricorum.*

* forte Vero

NOſtra relatione comperimus, quod quidquid tempore conſecrationis tuæ in noſtro conſpectu de frugibus illius eccleſiæ congrua deliberatione fuerat inter te & Landenulfum Capuanum epiſcopum diffinitum, tu ingenti uſus B temeritate violaveris: & quod nos juxta temporis qualitatem moderari decreveramus, tu adimplere neglexeris. Quo audito valde noſter animus eſt commotus, quod tam audacter noſtra præcepta parvipenderis, & terminos paternos exceſſeris. Quapropter hujus noſtri pontificii auctoritate ab hujuſcemodi te factione compeſcere volentes, præcipimus, & modis omnibus tibi injungimus, ut omni obſtinatione depoſita, quidquid nos illic poſiti inter te & eumdem epiſcopum, vel illius fratrem Pandenulfum fidelem noſtrum de diviſione, vel frugibus illius eccleſiæ deliberavimus, ſine mora adimplere procures. Hoc ſciens, quia ſi aliter agere præſumpſeris, C ſicut invaſorem rerum ſacrarum te canonicis jaculis feriemus. Quod ſi aliquam querimoniam, aut juſtam excuſationem te habere confidis; tunc cum eodem epiſcopo cauſam dicturus, jubemus, ut noſtram petas præſentiam. Nam & nos præſenti legato noſtro Vualperto reverendiſſimo epiſcopo dilecto conſiliario noſtro præcipimus, ut ſi noſtra ſalubria monita adimplere contempſeris, ex noſtra auctoritate te excommunicare procuret. quatenus ſicut prædiximus, Romam in noſtra *. Data xv. Kalendas Auguſti, indictione decima tertia.

* f. præſentia venias, dict.

## CCXLIX. AD CAROLUM REGEM.

Gratulatur de ejus erga Romanam eccleſiam obſervantia, cujus eum defenſorem elegit: monet ne adverſariis fidem habeat: laudat quod ditionem ſancti Petri ab hoſtili incurſu defendi juſſerit. Boſoni tanquam tyranno auxilium ſe non daturum affirmat: optat ejus adventum, & rogat ut legatos mittat.

*Dilecto ac ſpiritali filio Carolo glorioſo regi.*

REgiæ magnitudinis veſtræ receptis apicibus, ac diligenter perlectis, quia more Chriſtianiſſimorum principum parentum veſtrorum admonitionis & exhortationis noſtræ doctrina repleri vos velle cognoſcimus, noſtroque conſultu ea, quæ pro ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis defenſione ſalubria ac utilia eſſe videntur, animo libenti cupiatis perficere; valde gratulamur, & immenſas Domino gratias referimus: & optamus ut cuncta circa vos ſemper proſpera, divina favente gratia, exiſtant. Ea etenim, quæ de veſtris cauſis, & eventibus veſtris nobis literis non retuliſtis, fideli relatione communis fidelis, & reverendiſſimi epiſcopi Vuibbodi luculenter didicimus; eique omnem familiaritatis aditum pio affectu præbentes, veſtræ voluntatis arcana cognovimus, per quem & nos celſitudini veſtræ aliqua verbo tenus intimanda direximus. De oppreſſionibus autem Græcorum (ſicut vobis a quibuſdam æmulis noſtris nunciatum eſt) nos aliquid nullo modo ſcimus; ſi vero certiſſime ſciremus, dilectioni veſtræ cum omni devotione celeriter nunciaſſemus: quoniam Dei omnipotentis procul dubio inſpiratione, & voluntate, vos præ omnibus eligere, & inclytum in omnibus negotiis ſanctæ ſedis apoſtolicæ, noſtriſque profectibus patronum, ac defenſorem habere omnino curavimus: & ideo, vita comite, longa per tempora optamus poſſidere. Quapropter inimicis noſtris, quos nobis adverſarios, & zizaniorum ſeminatores eſſe cognoſcitis, aurem clementiæ veſtræ nullatenus accommodetis. Nam inimicus ſemper contraria loquitur: tamen bene vos feciſſe laudamus, quod omnibus epiſcopis & comitibus, qui circa nos conſiſtunt, auctoritate veſtra mandaſtis, atque juſſiſtis, ut terminum ſancti Petri ab hoſtili nempe incurſu, noſtro pariter inſtructi mandato, defendere debeant. Valde neceſſarium eſt, ut non ſolum a malis Chriſtianis, verum etiam & a Sarracenis ubique diffuſis, ubique & undique nos ſine intermiſſione deprædantibus, & more furum noſtra deripientibus, tueri procurent. Pro qua videlicet neceſſitate, quam ſupra modum patimur, ipſius Vuibbodi epiſcopi hortatu, in quamdam cortem noſtram exivimus, & una cum Vvidone comite Lamberti filio loqui voluimus hujus rei cauſa: ſed ipſe adeſſe prætermiſit, ſicut jam dictus fidelis noſter ac veſter vobis poterit enarrare. De Boſone quoque certos vos eſſe volumus, quia neque aliquem familiaritatis locum, aut receptionis noſtræ auxilium apud nos habebit, neque poterit invenire: eo quod vos, ut prælibavimus, amicum, & adjutorem quæſivimus, & loco cariſſimi filii retinere toto mentis conamine volumus. Nam nihil nobis de parte ipſius pertinere videtur, qui talem tyrannidem præſumpſit committere. De veſtro quoque adventu, quem, Deo favente, adeſſe mandaſtis, valde ſumus gaviſi effecti, & pro tantis calamitatibus, quibus circumdati & oppreſſi exiſtimus, optamus, & vehementer rogamus veſtram ſpecialem citiſſime, Deo propitio, contemplari præſentiam. Joannem vero reverendiſſimum epiſcopum Tritienſem penes nos hac vice retinuimus, ut ſi aliquid novi nobis evenerit, & neceſſe fuerit per eum veſtris mandare fidelibus, ac per ordinem quæ opportuna fuerint, ſignificare poſſimus. Pro juſtitiis autem faciendis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ut idoneos & fideles viros & latere veſtro nobis de præſenti dirigatis, obnixe depoſcimus, qui nobis pariter cum miſſis noſtris proficiſcentibus, de omnibus juſtitiam pleniſſimam faciant, & veſtra regali auctoritate male agentes corrigant & emendent: præterea, ſicut veſtro proprio nobis ore fili cariſſime promiſiſtis, ut in hoc dumtaxat opere veſtram voluntatem, veſtræque mentis affectum circa nos puriſſimum fore luce clarius agnoſcamus, ut & nos veſtrum deſiderium pio ſemper valeamus affectu perficere. Data *ut ſupra*.

Aimoinus l. 5. c. 39 & 40. Regino l. 1.

## CCL.

*Gratulatur de concordia eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: miratur multa, quæ ſtatuerat, mutata eſſe: approbat quæ Conſtantinopoli in concilio pro cauſa Photii acta ſunt, ſi tamen legati contra ſua mandata non egerint.*

HOc noſtri ſemper certaminis & laboris fuit; hoc noſtri voti exiſtit, ut pro orthodoxæ fidei

Videtur miſſa Photio.

fidei integritate, ſeu pro ſtatu, & pace omnium A Dei eccleſiarum, quarum cura conſtringimur, adeo operam demus, quatenus diſperſa congregentur, congregata conſerventur, & ut quidquid inhoneſtum, vel aliter quam ſe rectitudo habet, per providentiam Dei, ſanctorum apoſtolorum meritis ſuffragantibus corrigatur, omni conamine, juxta officium nobis commiſſum, ſpeculando ſatagimus. Hujus rei gratia more apoſtolico ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ miſereri volentes, decrevimus, ut unius incrementum, nullius fieret detrimentum; quin potius omnium manifeſtum exiſteret adjutorium. Convocata noſtra eccleſia, quantum ad præſens tempus coegit neceſſitas, auctoritate, & poteſtate apoſtolica dictæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ conſuluimus, B & legatis noſtris directis, ut inoffenſo pede incederent, inſtituimus. De cujus ſcilicet unitate pacis, ſive concordia gratulamur, & cunctipotenti Domino laudes innumeras referentes, licet ei, qui tanta bona ſervis ſuis largitur, condignas grates agere non poſſimus, hunc benedicimus & aſſiduis vocibus glorificare ſtudemus. Gloria namque ſit illi, & omnis laus, ac virtus, cujus majeſtate, & ſemper perlaudabili gratia * certata ad rectitudinem reducuntur, prava diriguntur; contumacia retunditur, humilitas exaltatur, zizania quandoque velluntur, ſcandala amputantur, & omnis bonitas augmentatur: unde non in nobis, ſed in eodem Domino gloriemur, jucundemur & exultemus in miſericordia ejus qui C dicit: *Confidite, quia ego vici mundum*: & in alio loco: *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere*; ſed cum nos ſcriptis & verbis miſericorditer tecum ſpecialiter agendum eſſe decreverimus, mirandum valde eſt, cur multa, quæ nos ſtatueramus, aut aliter habita aut mutata eſſe noſcantur; & neſcimus, cujus ſtudio, vel neglectu variata monſtrentur. Ceterum ſcribens ſubintuliſti, quod, te innuens, non niſi ab iniqua gerentibus miſericordia ſit quærenda; quod & nos de his, qui Deum ſe ſcire non fantur, licet diſpenſatorie fatemur; tamen nos, quod lectum eſt, exaggerare nolumus, ne quod dignum eſt, judicare cogamur; ideoque talis excuſatio ſileat, ne hoc dicentes illa ſententia tangat, qua dici D tur: *Vos eſtis qui juſtificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominabile eſt apud Deum*: igitur laudabilis tua prudentia, quæ dicitur humilitatem ſcire, non moleſte ferat, quod ab eccleſia Dei miſerationem juſta eſt poſtulare: quin potius ſe, ut exaltetur, humiliet, & fraternum diſcat erga ſui miſerentem ſervare affectum. Quia nos, ſi tu debitam devotionem & fidelitatis incrementa erga ſanctam Romanam eccleſiam, & noſtram parvitatem obſervare ſtudueris, & ut fratrem amplectemur, & ut cariſſimum proximum retinebimus. Nam & ea, quæ pro cauſa tuæ reſtitutionis ſynodali decreto Conſtantinopoli miſericorditer acta ſunt, recipimus. Et ſi fortaſſe E noſtri legati in eadem ſynodo contra apoſtolicam præceptionem egerunt, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus exiſtere firmitatis.

* ſ. curvata

Joan. 16.

Joan. 15.

Luc. 16.

## CCLI. AD IMPERATORES AUGUSTOS.

Commendat eorum ſtudium in eccleſiæ concordia ſtabilienda: monet, ut in eo perſiſtant: agit gratias de dromonibus auxilio miſſis: de monaſterio ſancti Sergii, & de Bulgarorum diœceſi ſedi apoſtolicæ reſtituta: rogat ut Dei eccleſiam tueatur: demum ea quæ pro Photio in ſynodo Conſtantinopoli acta ſunt, ſe approbare ſignificat, ſi tamen legati contra ſua juſſa non egerint.

*Imperatoribus Auguſtis.*

POſt innumeras ſolicitudines, quibus nimirum oneratur imperiale faſtigium, laudabile clementiæ veſtræ cognoſcimus Chriſtianiſſimi imperatoris eſſe propoſitum; per quod ſummotis omnibus diſcordiarum, atque zizaniorum ſeminibus, quæ in agro dominico humani generis inimicus aſperſerat, ſanctæ catholicæ eccleſiæ piiſſimo mentis affectu conſulere voluiſtis. In quo ſcilicet animi voto, ac deſiderio, quantum rebus humanis B favere providentia divina dignetur, ſolicitudo clementiæ veſtræ Spiritu Dei incitata demonſtrat, quæ in catholica eccleſia miſericordem per auctoritatem & judicium ſedis apoſtolicæ, quæ Chriſto Domino delegante, totius eccleſiæ retinet principatum, nihil impacatum, nihil voluit eſſe diverſum: cum omnes ſchiſmatica pravitate diviſos, vel zelo quolibet ſeparatos, atque diſperſos, clementi affectione, vel ſtudio ad veræ pacis ſoliditatem, concordiæque ſinceriſſimæ unanimitatem revocare, & in uno Chriſti ovili cum proprio paſtore, Photio videlicet confratre & comminiſtro noſtro, aggregare curavit. Pro quibus videlicet noſtri paſtoralis magiſterii officium eſt, apud ſerenitatis veſtræ Auguſtalem clementiam C aſſidua ſemper ſolicitudine omnimodis intercedere; ut veſtræ pietatis majeſtas, more Chriſtianiſſimorum imperatorum, benigna circa omnes exiſtat; & quaſi Deo contemplante, populum Domini ſibi commiſſum felici regat ſemper & gubernet intuitu, nec amplius patiatur eos aliquibus ſæculi hujus procellis illidi, aut malignis perturbationibus concuti: quatenus poſt hoc vitæ præſentis, imperium cæleſte adipiſci, & in æternum cum Domino retinere valeatis. Nunc itaque pro tanta devotione, animique veſtri ſinceritate, quam non ſolum verbis, ſed lucifluis etiam operibus circa eccleſiam ſancti Petri, & noſtram paternitatem oſtendiſtis, immenſas poſt Deum ſerenitati veſtræ gratias agimus. Primo D quidem, quod dromones veſtros, qui pro defenſione terræ ſancti Petri in noſtro manerent ſervitio, nobis miſiſtis. Secundo autem, quod monaſterium ſancti Sergii intra veſtram regiam urbem conſtitutum, quod ſancta Romana eccleſia jure proprio quondam retinuit, divina inſpiratione repleti, pro honore principis apoſtolorum noſtro præſulatui reddidiſtis. Tertio vero vobis grates multas referimus, quia Bulgarorum diœceſin pro amore noſtro gratanti animo ſancto Petro, ut juſtum erat, permiſeritis habere. Unde obnixe petimus, ut veſtro potenti ſolatio ſanctam Romanam eccleſiam in hoc periculoſo tempore in omnibus adjuvare, defendereque non dedignemini: quatenus ex hoc veſtra imperialis glo- E ria apoſtolicis ſuffragantibus meritis, per cunctas mundi partes magis ac magis accreſcat, & apud omnipotentem Dominum dignam retributionem percipiat. Et iterum humiliter petimus, ut in hujus bonæ voluntatis ac pietatis affectu, quem pro amore Dei circa eccleſiam Chriſti habetis, immobiles permaneatis: quoniam nos Auguſtalem excellentiam veſtram ulnis extenſis amore paterno amplectimur, & honore debito veneramur, atque aſſiduis orationibus noſtris, juxta ſacroſancta beatorum apoſtolorum Petri ac Pauli corpora fuſis, omnipotenti Domino commendare ſtudemus, ut pro tantis beneficiis, quæ ſan-

cto

ctо Petro impenditis, ipſe vobis, & in hoc præſenti ſæculo veſtrum ſanctum imperium cum omni proſperitate magis ac magis conſervet incolume, clariſque ſemper dignetur ubique decorare triumphis; & in cæleſti poſtmodum regione ſempiternam gloriam & beatitudinem cum ſanctis & electis ſuis habere concedat. Nam & ea, quæ pro cauſa reſtitutionis reverendiſſimi Photii patriarchæ ſynodali decreto Conſtantinopoli miſericorditer acta ſunt, recipimus: [a] Et ſi fortaſſe noſtri legati in eadem ſynodo contra apoſtolicam præceptionem egerint, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus exiſtere firmitatis. Data Idibus Auguſti, indictione XIII. A. Ch 880.

### Nota Severini Binii.

a *Et ſi fortaſſe noſtri legati.*) Hanc ſynodum pſeudooctavam a Joanne VIII. ceteriſque ejus ſucceſſoribus pontificibus, & a concilio Florentino reprobatam fuiſſe, præter alia, de quibus infra, indicant iſta verba. Vide quæ notavimus in conciliabulo Coſtantinopolitano, ſub Joanne papa VIII. infra, verbo *Reprobatum*.

## CCLII. AD CAROLUM REGEM.

Gratias agit de ejus erga ſedem apoſtolicam obſervantia: ſuam erga eum benevolentiam teſtatur: adventum ejus pro eccleſiæ neceſſitatibus expectat, monetque ut aliquem legatum mittat: queritur de Georgio quodam excommunicato, qui ipſius imperatoris auctoritate fultus bona Romanæ eccleſiæ invaſerat: rogat ut promiſſa auxilia mittat.

*Excellentiſſimo & dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

RElegentes regalis excellentiæ veſtræ literas, devotionem veſtram quam circa ſanctam eccleſiam matrem veſtram, & circa noſtrum pontificium habetis, luce clarius novimus: unde multiplices gloriæ veſtræ gratias referimus. Nam & nos vos ſemper quaſi dilectum & ſpiritalem filium retinemus, & pio mentis affectu deſideramus amplecti, & pro augenda gloria veſtra aſſidue ſoliciti incunctanter exiſtimus. Quod autem nobis mandaſtis, ut veſtrum optatum præſtolaremur adventum, pro eorum adverſitatibus emendandis, qui nobis contraria inferre, & qui a noſtra ditione homines noſtros ſubtrahere præſumunt; nos quidem veſtrum adventum toto deſiderio pro tantis eccleſiæ Dei neceſſitatibus, quæ ad augmentum gloriæ veſtræ ſunt emendandæ, omnimodo optamus inſpicere. Sed ſicut vobis noſtris jampridem apoſtolicis literis ſuggeſſimus, ut veſtrum idoneum miſſum nobis direxiſſetis, cum quo aliquid de eccleſiaſticis utilitatibus potuiſſemus perficere; pro qua cauſa non eum miſeritis, miramur. Quamobrem petimus, ut eumdem miſſum, antequam veniatis, nobis dirigere non omittatis: ut cum, Deo auxiliante, veneritis, nobis ſimul convenientibus, vera inter nos dilectio, utpote inter ſpiritalem patrem & cariſſimum filium poſſit exiſtere. Præterea poſtquam Georgius excommunicatus & anathematizatus cum homine Vvidonis eſt a vobis reverſus, aſſiduo ſumus mœrore turbati; eo quod audacter veniens, quaſi veſtra fultus auctoritate, in proprietates olim ſuas, quæ ad jus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, (Carolo divæ memoriæ imperatore patruo veſtro concedente,) conlegaliter pervenerunt, (& nunc uſque juri noſtro defendebamus & tenebamus,) temere pariter cum aliis introivit: & noſtros, qui in circuitu homines exiſtunt, affligere, & deprædari non ceſſat. Unde obnixe rogamus veſtram magnitudinem, ut ſicut nobis ore proprio promiſiſtis, & per epiſtolam veſtram, atque legatos noſtros, Liutvvardo venerabili ſanctæ Vercellenſis eccleſiæ epiſcopo mediatore exiſtente, mandaſtis, præſentialiter nobis adimplere ſatagatis: quia nos ea, quæ vobis promiſimus, omnimodis adimplebimus, aut eoſdem infideles noſtros procul a nobis expellatis, ut nulla nobis adverſa, vel contraria valeant aliquatenus moliri, quouſque Deo propitio vos veneritis. Quarto Idus Septembris, indict. decimaquarta.

## CCLIII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Jubet eum Romam ad ſynodum cauſa diſſolvendi quaſdam quæſtiones advenire.

*Romano archiepiſcopo Ravennati.*

QUia bellica, immo Sarracena impediente anguſtia, juxta ſacros canones, quarto ſcilicet Idus Octobris, ſynodum ſicut volueramus celebrare nequivimus; opportune, valdeque neceſſario ſane prævidimus, ut hanc eamdem VI. Idus novembris iſtius quartædecimæ indictionis, adjuvante Domino, convocemus. Quapropter ſanctimoniam tuam hortamur, ut ad idem tempus ſine omni mora, immo omni occaſione poſtpoſita, Romam occurras; quatenus ea quæ ad honorem, ſive utilitatem ſanctæ Dei eccleſiæ pertinent, nobiſcum ordines & deffinias, & ſancti Spiritus gratia revelante, voto communi decernas. Interea negotium viri illuſtris Deuſdedit glorioſi ducis, qui noſtrum pontificium adiit, dicens, ſe a tua ſolertia pro conjugio ſuæ uxoris, quam illius conſanguineam fateris exiſtere, communione privatum, eſt procul dubio ventilandum; ut quidquid rei veritas hinc demonſtraverit, omnimodis exequamur. Qui pro eo quod tam diu apud nos eſt immoratus, & de tua parte, qui rationem redderet, non eſt inventus; rationabiliter erat a nobis interim abſolvendus: tamen quia in proximo, ſicut diximus, ſynodum, (qua hoc cum unanimitate aliorum conſacerdotum, fratrumque noſtrorum, & tua, eſt inter alia pertractandum,) celebrare debemus, dignius judicavimus (quod & ipſæ res expetunt) tuum præſtolari adventum: ut hoc ſynodali diſcutiamus collegio, & alterna viſione congratulantes, pari ſententia decernamus: in qua etiam quidquid ſupra generum ſuum habueris, ſimiliter diffiniri jubeamus. Præterea jam dicti viri conjunx, Maria nomine, libellum ſuæ reclamationis per Paulum legatum ſuum noſtro præſulatui dirigere procuravit, aſſerens tuam ſanctitatem in nuptiis per conſenſum patris de ea habitis, conſciam extitiſſe; & tam virum ſuum, quam ſe, poſtquam una caro effecti ſunt, tam ad ſpiritalem, ſive dominicam, quam etiam ad communiorem menſam, ſæpe non ſolum admiſiſſe, ſed etiam invitaſſe. Sed & hoc per eumdem ſuum libellum reclamando innotuit, quod Majoranus, qui & Maginpertus diaconus dicitur, in necem ſui patris conſenſerit, petens a nobis ex hoc convenientem juſtitiam, & obnixe poſtulans hoc indiſcuſſum non derelinqui, quem videlicet ſæpiſſime Bononienſis epiſcopus ſuæ eccleſiæ famulum quærere ſtuduit. Hujus rei gratia præcipimus, ipſum diaconum tecum nobis omnimodis exhiberi, ut quidquid rationis ordo popoſcerit, adjuvante Domino, canonice ventilemus, & ſynodice ſtatuamus. An. Ch 880.

Data

Data III. Kalendas Octobris, indictione decimaquarta.

## CCLIV. AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

Ut Romam ad ſynodum adveniant.

*Omnibus epiſcopis per ducatum Spoletanum, & Camerinenſem, & ad omnes epiſcopos per diverſas provincias conſtitutos.*

NOlumus ignorare veſtram fraternitatem, quia pro multiplicibus ſanctæ Dei eccleſiæ neceſſitatibus, VI. Idus Novembris iſtius quartædecimæ indictionis ſynodalem conventum, Domino adjuvante, celebraturi ſumus: & cum diverſis, præcipue Sarracenorum, impedimentis implicati eſſemus, nequivimus eum ſuo tempore congregare, dignum duximus ad augmentandas, atque perficiendas eccleſiaſticas utilitates, vel præfato tempore non prætermitti, quo minus tanta neceſſitas ſine conſultu aliorum confratrum noſtrorum indiſcuſſa non remaneret, ut veſtris ſalubribus conſiliis fulti, quidquid ad honorem Dei, & communem utilitatem pertinet, communiter perficere ſatageremus. Quapropter hujus noſtræ commonitionis ſanctitatem veſtram exhortamur apicibus: ut ſolita deſidia depoſita, ad eamdem ſynodum Romam venire non differatis: quatenus, ſicut diximus, ea, quæ agenda ſunt, Chriſto juvante, communiter peragamus, & quæ juxta noſtri miniſterii officia ſtatuenda ſunt, ſalubriter ſtatuamus. Videte itaque ne ſolito negligenter agatis, ne ſi per vos ea quæ honori & ſtatui ſanctæ Dei eccleſiæ ſunt proficua, inordinata remanſerint, &, quod non oportet, venire contempſeritis, canonicis ictibus non immerito feriamini. Data pridie Kalendas Octobris, indictione XIV.

## CCXLV. AD CAROLUM REGEM.

Lætatur de ejus incolumitate, Deumque orat, ut omnia ei proſpere eveniant: nunciat Sarracenos a Græcis victos, ſeque a Sarracenis, & aliis etiam valde premi: quare petit, ut ſibi quam citiſſime auxilio veniat.

*Carolo glorioſo regi.*

SUſceptis gloriæ veſtræ, ſpiritalis atque deſiderabilis fili, nobis directis apicibus, atque relectis, quia vos, Deo gratias, ſanitate vigere cognovimus, ineffabili, & ultra quam dici poſſit jucunditate refecti, in Domino gratulati ſumus: & ut magis ac magis vobis Dominus Deus noſter proſperitatem tribuat, triumphum de adverſantibus concedat, & felicia tempora ad regnum pacifice, atque juſtiſſime diſponendum multiplicet, continuis votis eumdem Dominum deprecamur. Quia nihil eſt omnino, fili cariſſime, nobis dulcius, nihilque amabilius, quam ut vos ſemper ad defenſionem, & exaltationem ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ cognoſcamus eſſe promptiſſimos; & eis qui eam diverſis modis impugnant, libera correctionis, ac diſciplinæ ſententia contraire. Nos autem licet in innumeris infirmitatibus, atque anguſtiis conſtituti, Deo gratias, utcumque valemus: ſed tunc potius noſtra ſanitas erit, ſi vos omni proſperitate, ut diximus, pollere cognoverimus; & ad nobis conferendum ſolatium feſtinanter occurrere, ut alterna viſione loquamur, non pati moras advertimus. Ceterum, quod dicitis ut Liutvvardum venerabilem epiſcopum communem fidelem noſtrum ad nos præmittatis, valde in Domino gratulamur: & cum eum pro communi utilitate ſemper deſudare cognoverimus, magnum nobis gaudium in adventu illius naſcetur, eo quod in ipſius præſentia veſtram intuebimur excellentiam. Poſtremo, fili cariſſime, quod ſciſcitamini de Græcis, atque Iſmaelitis, & ceteris quibuſque exteris nationibus, vel concivibus, qualiter res agatur, breviſſime reſpondemus. Sed ut hæc omnia ex intimo corde, atque dolenter advertatis, omni mentis conamine exhortamur: tamen Deo ſint grates & laudes, quia Græcorum navigia in mari Iſraelitarum victorioſiſſime ſtraverunt phalanges, & eos, prout Dominus voluit, debellati ſunt. Sed nos tamen tam ipſi jam dicti Iſmaelitæ, quam alii concives noſtri impugnant, ac perſequuntur, ut extra muros urbis nullatenus, vel qui labore manuum ſuarum vivere valeant, vel qui, ut ita dixerim, Chriſtianitatem ſuam, ſicut decet, obſervent, egredi libere poſſint: ac per hoc, immo pro his omnibus, ſi citiſſime, & omnibus occaſionibus, omnibuſque excuſationibus poſtpoſitis, & contemptis, ad omne nobis, & huic regioni valde afflictæ conferendum ſolatium non veneritis; procul dubio ſcire poteſtis, quia ad peccatum veſtrum, & damnum omnium hæc terra peribit. Unde pro Deo feſtinanter iter ad nos veniendi aſſumite, & ut bella domini vice illius præliemini, ad beatorum apoſtolorum limina, Deo præduce, pro Chriſtianorum omnium auxilio properate. Data III. Kalendas Novembris, indictione XIV.

## CCLVI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Inobedientiæ eum arguit, præcipitque, ut Rhodoaldum, & Vvarlenum monachos, quos injuſte in carcerem conjecerat, ad eorum monaſterium honorifice remittat.

*Anſperto Archiepiſcopo Mediolanenſi.*

DEcuerat te, frater cariſſime, pura animi ſinceritate eam reverentiam, eumque honorem ſanctæ ſedi apoſtolicæ, cui Deo auctore præſidemus, quotidie impendere, quæ uſque ad tua tempora omnes tui prædeceſſores laudabiliter viventes, huic eccleſiæ obtulerunt prona mentis devotione. Pro qua re ejus gremio ſuſcepti, quidam præ nonnullis amore dilecti ſunt: ſed ecce, quod ſine dolore dici non poteſt, neſcio qua antiqui hoſtis fraude, a die ordinationis tuæ, & tempore ſenectutis, contra ſanctam Romanam eccleſiam matrem tuam non deſtitiſti nunc inobediens, nunc doloſus te patefacere: qua neceſſitate compulſi, te corripere apoſtolico flagello operæ pretium duximus, ſed iterum paterna miſeratione te ad nos reducere non prætermiſimus, ſperantes in te de reliquo nullum veſtigium circa nos culpæ aliquo modo reperire, quia & profeſſio tua hoc coram nobis jurejurando ſpoponderat. En bone vir, aliquid deterius committere non formidaſti, cum quoſdam monachos noſtros nomine Rhodoaldum, & Vvarlenum Roma ad ſuum monaſterium Pultarienſe iter carpentes, comprehenſos juſſeris diu ſub cuſtodiæ vinculis reſervari. Quod quanti piaculi ſint ſano intellectu ipſe perpende, quantumque decus ſedis apoſtolicæ, quæ, Chriſto auctore, etiam in barba-

ras

ras nationes libera ſemper viſa eſt fungi legatione: quod nefas malum ſub omni celeritate te emendare hortamur, & prædictos Dei famulos cum omnibus ſuis illæſos abire patiaris ad locum, miſerante Deo, ſuæ habitationis. Et ſicut tuo conſilio pro certo eos cognovimus eſſe innocenter cuſtodiæ mancipatos: ita, te faciente, ſciamus eoſdem funditus, & cum competenti honore dimiſſos. Data menſe Novembris, indictione xiv.

## CCLVII. AD SALOMONEM PROCURATOREM PAPIÆ.

Ejuſdem argumenti.

*Salomoni procuratori Papiæ.*

APoſtolica tibi auctoritate præcipimus, ut monachos noſtros, id eſt Rhodoaldum, & Vvarlenum, quos, ſpreto Dei timore, a liminibus ſanctorum apoſtolorum ad ſuum monaſterium revertentes, & ſimpliciter per viam gradientes, comprehendere auſus fuiſti, & in cuſtodia retinere; ſine omni mora, & dilatione dimittas cum omnibus ſuis reverti ad ſuum monaſterium ſanos atque illæſos. Quia tantum ſcelus & injuriam pro hac re in ſedem apoſtolicam commiſiſti, pro quibus juſte carere debueras conſortio omnis Chriſtianitatis: & fatemur, ſi hoc continuo non emendaveris, a perceptione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & introitu eccleſiæ te prohibebimus. Data menſe Novembri, indictione decimaquarta.

## CCLVIII. AD ADELBERTUM MARCHIONEM.

Ab excommunicatione eum abſolvit, ejuſque homines, ſi ſpatio quindecim dierum intra menſem Martium eccleſiæ ſatisfecerint.

*Adelberto marchioni.*

TE vero quia converſum & fidelem circa ſanctam Romanam eccleſiam & nos cognovimus, abſque tenore ab omni excommunicatione abſolvimus; hominibus tuis ſub eo tenore ſacram reddimus communionem, ut omnem emendationem, ſicut promiſſum eſt, facere ad quindecim dies intra menſem Martium omnino accelerent. Quod ſi hoc facere neglexerint, omnes ſub eadem excommunicatione permaneant, donec iterum de perpetratis malis plenam faciant ſatisfactionem. Data ut ſupra indictione xiv.

## CCLIX.

*Monet ut perficiat quæ per legatos mandavit.*

SUſceptis literis gloriæ veſtræ, quibus vos plena intentione monſtratis ad limina apoſtolorum feſtine, immo potius præcipiti greſſu & velle convolare; quapropter attoniti, vel magis ſtupefacti miramur decentiam veſtram terminos patrum tranſcendere, & lineam generis veſtri ſuperbo ſpiritu conculcare, & in deterius, non in melius prorſus convenire. Et ecce dolenter cum apoſtolo compellor dicere: (1. Tim. 3.) *In noviſſimis temporibus inſtabunt tempora periculoſa, in quibus erunt homines ſemetipſos amantes, & quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti*. Sed nos te, fili cariſſime, in viſcere Chriſti plurimum diligentes, ad ea te A provocare geſtimus, quæ animæ veſtræ proficiant ad ſalutem. Legatos ſane e latere noſtro plene inſtructos direximus, quibus omnia ad purum credere non ambigatis in his, quæ verbo tenus, & ſcriptis capitulariter dedimus in mandatis. Qua de re paterno affectu monemus, ut omnia ſicut vobis direximus, per eoſdem legatos adimplere omnino curetis. Ideoque ſcitote, quoniam ſi pleno jure cuncta quæ deſtinavimus non adimpleveritis; nos enimvero quantum in nobis eſt, zelo Dei ſuccenſi ea quæ ad honorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ pertinent exaggerare penitus ſatagemus: a quibus nos nulla ferocitas, nulla malorum hominum comminatio, donec ſpiritus reget artus, poterit ſequeſtrare. Quod juſſionem noſtri B pontificii ingenti præſumptione abſurdam poſuiſti, omnimodis temetipſum proprio jaculo reverberaſti, & velut aſpis ſurda ſaluti tuæ congruentibus aurem non accommodaſti. Sed quid plura? iterum atque iterum inhibendo apoſtolica auctoritate præcipimus, terminum S. Petri ad ingrediendum animum veſtrum non incitetis: quouſque prædicti legati noſtri ad nos revertantur, omnia nobis renunciaturi, itemque alios ad nos tranſmittere cures. Data octavo Kalendas Februarii, indictione xiv.

## CCLX. AD ANSPERTUM MEDIOLANENSEM ARCHIEPISCOPUM.

C Confirmat Joſephi epiſcopi Aſtenſis ordinationem, qui alias contra canones Vercellenſis eccleſiæ fuerat epiſcopus conſtitutus.

*Anſperto Mediolanenſi archiepiſcopo.*

COnſultationis tuæ qua nos ſuper Joſeph, nuper in Vercellenſi eccleſia ordinati, nova nunc electione, vel ordinatione in eccleſia Aſtenſi, conſulere voluiſti, perſpectis ſuggeſtionibus, quibus ſuper hoc noſtræ auctoritatis conſultum requiris, canonicum judicavimus, & noſtris tibi decretis convenienter, propitia divinitate, reſpondimus. Fuerat autem de illo primum, ut ipſe mecum advertis, quoddam irregulariter inſtitu- D tum: ſed nos apud B. Petrum apoſtolum cum ſancta ſynodo reſidentes, ſalubri potiti conſilio, & animoſitatem illius correximus, & miſericordiæ fomenta, gratia S. Spiritus revelante, protinus adhibuimus, ſcilicet, ut eo in priſtinum ordinem reducto, ſi alium epiſcopatum ei concedere voluiſſes, & cleri, vel populi vota hunc ſibi concorditer in epiſcopum expeterent, & eligeretur, & ſicut qui nihil ab ordinatore prius acceperit, in epiſcopum crearetur. Interea accidit, ut Aſtenſis eccleſiæ rectore proprio obeunte, permiſſu Caroli glorioſi regis idem Joſeph poſt electionem cleri, & expetitionem populi, in eadem eccleſia deberet ordinari epiſcopus, tua fraternitas, tam noſtra abſolutione, quam etiam ipſius E regis exhortata monitionibus, hoc libenter admiſit, & canonice juſſa complere conata eſt. Quod quia nunc ſententiam noſtram tu quoque ſecutus, & regalem permiſſionem devote, ſicut condecet, es amplexatus, præfatum Joſeph presbyterum ſanctæ eccleſiæ Aſtenſi epiſcopum præfeciſti, & ordinationem illius ratam haberi decernimus, & omnium ora contra hoc quoquo modo muſſitantia apoſtolica auctoritate obſtruimus: quia ſicut de irregulariter quibuslibet habitis, nos ad hæc corrigenda zelus juſtitiæ excitat; ita de bonorum virorum laudabilibus factis gratia divina lætificat. Nam & ſedes apoſtolica, juxta

juxta quod S. Leo papa ſcribit, hanc temperan- A
tiam ſervat, ut & ſeverius agat cum obduratis,
& veniam cupiat præſtare correctis; & ideo his
omiſſis, de prælibati Joſeph iterata creatione ſan-
ctitas tua, in nullo penitus hæſitet: quia hanc
& nos approbatam admittimus, & ab omnibus
admittendam eſſe mandamus: quia quod non
oſtenditur factum per impoſitionem manus illius,
cui tempore ſuæ legationis, quod dare viſus eſt,
ut ita dixerim, non habuit, ratio non ſinit, ut
Ann.Ch.881. videatur iteratum. Data xv. Kalendas Martii,
indictione xiv.

## CCLXI. AD ANSELMUM MEDIOLANENSEM ARCHIDIACONUM.

Minatur illi excommunicationis pœnam, niſi ad
ſui archiepiſcopi obedientiam redeat.

*Anſelmo archidiacono Mediolanenſi.*

MIſſa præſulatui noſtro ſuggeſtione Anſpertus
ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ reverendiſſi-
mus archiepiſcopus, cujus miniſter eſſe videris,
ſuper te queſtus eſt, quod inter ceteras pertur-
bationis moleſtias a te ſibi temere illatas, & poſt
rerum ſuarum damna non modica, non propria
derelicta eccleſia, ab ejus te obſequio & conſor-
tio ſeparare, & velut ſchiſmaticus, per alienas
parochias contra canonica ſtatuta commorari præ-
ſumpſeris; nec non & apud principalem poten- C
tiam properando, noxias illi præparare inſidias
callida perſuaſione decretas. Unde his noſtris apo-
ſtolicis literis dilectionem tuam paterno affectu
convenimus, nihilo minus & cum omni jube-
mus imperio, ut de præſenti ad ſinum & gre-
mium ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ matris tuæ,
quam furibundo animo reliquiſti, valde devotus
redire feſtines, atque ſub proprii paſtoris regi-
mine, vel præſentia eſſe omni mentis alacritate
decertes, &, utpote idoneus miniſter, humili
prorſus devotione debitum, juxta ordinis tui lo-
cum, reverenter impendans obſequium, & obe-
dientiæ famulatum: quatenus ejus gratia poti-
tus, omnipotenti Domino de officii tui aſſidui-
tate ſemper placere valeas Quod ſi aliter con- D
tra præcipuas & non violandas ſanctorum pa-
trum inſtitutiones, atque contra hanc noſtram
ſaluberrimam juſſionem agere præſumpſeris, &
ad tuam eccleſiam, tuumque paſtorem, ſicut re-
gula eccleſiaſtica docet, redire contempſeris; ſcias
te Dei omnipotentis virtute, & beati Petri apo-
ſtolorum principis noſtraque auctoritate, atque
canonico patrum judicio, fore omni eccleſiaſtica
communione privatum: quouſque, ut prædictum
eſt, ad tuam eccleſiam redire, tuoque paſtori
humilitatis colla ſubdere omnino ſtudueris, quo-
niam ferro neceſſe eſt ut abſcindantur vulnera,
quæ ut illis manum adhibueris, fomentorum non
ſenſerint medicinam.

## CCLXII. AD ATTONIUM.

Excommunicat eum, niſi eccleſiæ Mediolanenſi
bona quæ abſtulerat reſtituat, & ad obedien-
tiam ſui archiepiſcopi cum ſociis redeat.

*Attonio excommunicato.*

MIſſa præſulatui noſtro ab Anſperto ſanctæ
Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopo rela-
tione, atque ſuggeſtione didicimus, te multa per
horrendæ temeritatis impudentiam, ſive audaciam
egiſſe illicita, & in contemptum beati Ambro-
ſii, atque ipſius antiſtitis contrarietatem, in lo-
cis, & rebus ei pertinentibus mala, & quæcum-
que poteras enormiter una cum filiis tuis com-
miſiſſe adverſa. A quorum ſcilicet perpetratione
aſſidua, te quaſi ovem gregis dominici, multis
jam vicibus arguendo, obſecrando, & increpan-
do convenire, atque removere curavit, ne anti-
qui hoſtis callida perſuaſione ſemel deceptum in
profundum mortis barathrum lapſum jacere omit-
teret. Sed quia te ſanctæ admonitionis verbis ſa-
lubribus humili prorſus devotione non obedire,
neque aurem cordis (velut aſpidem ſurdam)
inclinare, vel acquieſcere nolle aſpicens, poſt tot
correptiones una cum venerabilium coepiſcopo-
B rum cœtu a ſacroſancti corporis & ſanguinis Do-
mini ſecundum inſtitutionis paternæ cenſuram,
communione ſeparavit; & ab eccleſiæ Dei ſo-
cietate merito removit. Et adhuc in eadem ſor-
de iniquitatis fœtidum, & vulneratum te dolet
jacere, cordeque impœnitenti nolle ad te percu-
tientem reverti aſpiciens, clamat, ut per ſalutis
medicamenta animi tui valeat vulnera male in-
flicta ſanare. Unde & nos paſtorali ſolicitudine,
atque confratris noſtri archiepiſcopi hoc præſenti
dilectione commoti auctoritatis noſtræ ſtatuto ju-
bemus, ut tanta perverſitate, & cordis duritia
jam procul abjecta, quoniam hactenus Dei timo-
re poſtpoſito, multos tuæ iniquitatis lepra coin-
quinaſti, & tantorum malorum auctor eſſe non
C dubitaſti, præcipimus te cum omni celeritate re-
verti ad veram præfati pontificis tui ſatisfactio-
nem cum filiis, & tuis omnibus complicibus:
quorum incentor adhuc malorum poſt tantas cor-
rectiones eſſe non timuiſti, & ejus ſalubribus
monitis ſubditus, & ſubjectus exiſtas. Omnibus
tamen eccleſiæ deprædationibus in integrum re-
ſtitutis, & ſecundum ipſius eccleſiæ privilegium
emendatis, atque ſolutis: quod ſi poſt hujus no-
ſtræ præceptionis relectam epiſtolam in tua ini-
qua obſtinatione perdurans, ut dictum eſt, ad
præfatum pontificem tuum redire ſatisfaciendo
contempſeris, ex auctoritate Dei Patris, & Fi-
lii, ac Spiritus ſancti virtute, beatorumque apo-
ſtolorum Petri ac Pauli, & omnium ſanctorum
D patrum, noſtraque apoſtolica ſanctione ſecundum
jam dicti dilecti confratris noſtri archiepiſcopi,
& epiſcoporum ſententiam jam olim in te pro-
latam, jubemus te cum filiis & complicibus tuis
omni eccleſiaſtica eſſe communione privatum,
& a cœtu, atque ſocietate omnium Chriſtianiſ-
ſimorum, utpote tantorum malorum perpetrato-
res inconvertibiles, ſecluſos & damnatos exiſtere;
quouſque omnia, quæ perperam geſſiſtis, emen-
dando, canoniceque ſatisfaciendo, veniam condi-
gnam percipere mereamini. Data xv. Kalendas
Martii indictione xiv.

## CCLXIII. AD LUDOVICUM ET CARLOMANNUM REGES.

E Rogat ut cum Carolo imperatore conſentiant de
revocanda & Romam mittenda Angelberga:
ubi eam ita ſe cuſtoditurum pollicetur, ut
contra ipſos moliri nihil poſſit.

*Ludovico & Carlomanno regibus:*
*& Hugoni abbati.*

NOſſe volumus veſtram dilectionem, quia ſpi-
ritalem filium noſtrum Carolum ſereniſſi-
mum imperatorem Romæ nobiſcum degentem
rogavimus, ut ſpiritalem filiam noſtram Angel-
ber-

bergam Deo devotam, quæ ſe ſancto Petro apoſtolo, & nobis, cum ſuis omnibus commendaverat: quam etiam conjux illius divæ memoriæ Ludovicus Auguſtus adhuc vivens noſtræ tuitioni ſpecialiter ſubmiſerat, ab exulatu reduceret, & apud nos eam Romam, ubi nulla jam de illa ſiniſtra ſuſpicio oriri poſſet, pro amore Dei, & Chriſti clavigeri ipſius beati Petri apoſtoli, ſimulque noſtro dirigeret. Quod ille libenter ſe facturum promittens, quantum comperimus, veſtrum ſuper hoc præſtolatur aſſenſum. Et quidem nos de communi dilectione & pace ſive concordia veſtra gaudemus, & Deo pro hoc innumeras grates referimus. Sed tantum de ipſius ſpiritalis filiæ noſtræ recuperatione & reditu vos deprecamur, quantum, ſi ipſa ad nos reducta fuerit, ut nihil penitus jam, vel contra eumdem imperatorem, vel contra vos agere poſſit, noſtris vos atteſtationibus certiſſimos reddimus. Idcirco juncta veſtra devotio cum ejuſdem Auguſti obedientia, abſque omni protelatione, jam dictam Deo devotam fœminam, quam ad limina apoſtolorum, a quorum confeſſione altarium noſtro ſemper tuendam præſidio ſuſcepimus, pro amore Dei & noſtro remittere, quantum in vobis eſt, non omittatis. Quia ſi hic apud nos rediens habitaverit, tanta cuſtodia circumſpecta, nobis credite, erit, ut nec Boloni, nec alii homini, ad perturbationem imperii ſive regni, quodlibet adjutorium vel auxilium verbis aut ſcriptis præbere quoquomodo valeat. Verumtamen unum eſt, quod vobis veraciter, & unde occaſionem vos ad nos contemnendum non poſſitis aſſumere, hoc ecce proponimus: ſcilicet, ſi eamdem Angelbergam vel in modico contra imperialem aut noſtram voluntatem adverſi quippiam moliri aut velle manifeſtis cognoverimus indiciis, præſentialiter illam reddere ac remittere imperialibus ſatagemus obtutibus: quatenus quæ diſciplinam forte recipere, quod nec optamus, diſtulerit, non ſolum mundana veſtra judicia non evadat, verum etiam nec noſtram miſerationem, quæ delinquentibus parcere conſuevit, inveniat. Ideoque, cariſſime fili, eſtote in hoc noſtri cooperatores & adjutores, & audiat nos continuo excellentia magnitudinis veſtræ, ut & vos a Domino exaudiri mereamini, & per felicia tempora regni gubernacula moderantes, cum Chriſto regnum, quod finis nullus anguſtat, intercedentibus beatis apoſtolis, capeſſere valeatis. Data IV. Idus Martias, indictione XIV.

## CCLXIV. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Recipit Hadericum ſub tutela ſedis apoſtolicæ, & excommunicat omnes, qui illi, vel ejus eccleſiis moleſtiam intulerint.

*Omnibus reverendiſſimis epiſcopis & ſacerdotibus ſeu clero, ac populo ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ.*

BOni patrisfamilias, quem bene & fideliter laborantes remuneraſſe cognoſcimus, informati exemplo, & apoſtolicæ auctoritatis & miſerationis magiſterio, ſeu benevolentia, omnibus, quos pro eccleſiæ Dei utilitatibus fideliter deſudare conſpicimus, ſubvenire debentes, opportunum ac neceſſarium nos oportet præbere auxilium. Igitur quia te Hadericum venerabilem presbyterum, & abbatem ſacrorum monaſteriorum beatorum ſcilicet Gervaſii & Protaſii, atque Simpliciani, nec non ex xenodochii * ſanctorum Coſmæ & Damiani, quod Romanorum dicitur, & alia tua beneficia, vel patrimonia intra vel extra civitatem Mediolanenſem conſtituta fideli devotione, totoque mentis conamine pro priſtino ſtatu & vigore atque reſtitutione ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ ter quaterque in obſequio Anſperti reverendiſſimi archiepiſcopi tui atque confratris noſtri devotum atque in omnibus fideliſſimum permanere, atque decertare omnino, & evidenter comperimus, & legationem Ambroſianæ eccleſiæ catholica fide, te & prout vires ſuppleverunt, ardentiſſimo ardore explere, crebro cognovimus. Et ob hoc aliquos contumaciæ livore adverſum tuam commotos eſſe dilectionem, vel ob alias cauſas invidiæ, qui & modo labiis doloſis zeli contra te concitati, & poſtmodum callidis argumentis nocivam tibi moliuntur, noſtro ſtatuto decernimus, atque Dei omnipotentis auctoritate, beatique Petri apoſtolorum principis, & noſtra ſanctione ſtatuimus, nulli unquam archiepiſcoporum, vel ſacerdotum, aut cujuslibet ordinis clericorum ejuſdem ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ, nec aliarum eccleſiarum, neque alicui magnæ parvæque perſonæ, cujuſcumque honoris præditæ dignitate eſſe licitum, pro tuæ laudabilis devotionis affectu & pro tuæ fidei ſinceritate, atque caritatis certamine, quod pro ipſius eccleſiæ utilitate noſtris te diebus habuiſſe cognovimus, aliquam tibi quocumque modo, vel ſub eccleſiaſticarum rerum obtentu, inferre calumniam, aut his præfatis, quæ pro tui digni laboris merito retines beneficiis, & patrimoniis, vel a quibus propriis rebus mobilibus privare: ſed diebus vitæ tuæ, ſecundum auctoritatis noſtræ decretum, pro amore Dei, & mercede animæ noſtræ, tuaque fidelitate, quam tuæ te novimus habere eccleſiæ, liceat tibi ſub apoſtolicæ ſedis, ſucceſſorumque noſtrorum tutamine, cum propriis beneficiis, & cum omnibus tuis hominibus utriuſque ordinis, manere quietum, atque ſecurum. Porro quicumque contra hoc noſtrum ſtatutum, temerario auſu agere, teque pro hujuſmodi negotio calumniare præſumpſerit, omni eum eccleſiaſtica judicamus communione carere, quouſque per congruam ſatisfactionem, in noſtra ſucceſſorumque noſtrorum præſentia, quod perperam læſerat, emendare curaverit. Et ideo noſtra etiam apoſtolica auctoritate præcipimus, te nuſquam cujuslibet epiſcopi, vel ſacerdotis ſubjacere judicio, quouſque in noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum libere, ac ſecuriter ſine alicujus obſtaculo, vel impedimento præſentiam venias. Data *ut ſupra*.

* *aliquid deeſt.*

## CCLXV. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Arguit eum, quod non fregerit fœdus, quod cum Sarracenis fecerat, cum promiſerit illud rumpere: oſtendit multa mala ejus cauſa a Sarracenis, Chriſtianis fuiſſe inflicta: minatur illi excommunicationem, niſi fœdus illud rumpat.

*Athanaſio Epiſcopo Neapolitano.*

JAm quia te lactantium, & ab ipſis cunabulis educantium ſancta matris tuæ Romanæ eccleſiæ oblitus es uberum; vel noſtræ benevolentiæ non debueras oblivifci: quam tibi paternaliter exhibentes, & ſalutis tuæ conſulta prævidimus, & in temporalibus commodis juxta qualitatem tem-

temporis, præſidia quæque contulimus: & quo niam cooperatorem noſtrum in his, quæ Dei ſunt, te habere volumus: nimiſque tuam ſanctimoniam diligimus, monemus ut vel nunc ad cor redeas; ut prava quæque juxta tuum miniſterium diluas, & inimicorum Chriſtianorum nominis fœdus execrando devites: quatenus & animæ tuæ lucrum acquiras, & noſtris magis ac magis affectibus perfrui valeas, & blaſphemiis ac maledictionibus reliquiarum populi Chriſtiani, divinitate propitia careas. Memento quæſo quid es; memento, quid, ſi non reſipueris, eris; & judiciorum Domini memor eſto, ne pro tantis Deo rationem reddere cogaris, quanti per tuam deſidiam interempti ſunt, & captivi ducti diverſis mortibus perierunt. De quorum crudelitate quid dicere poſſumus? Cum tanta hinc flenda ſint & lugenda, ut ſi ſcribere velimus, & lacrymarum rivuli creſcent, & primum charta quam verba deficient. Denique apud Cajetam olim nobis neceſſario conſtitutis, legati tui promiſerant, ut intra ſpatium viginti dierum, non ſolum cum Agarenis habitum pactum diſſolveres; verum etiam Sarracenos caperes, & nobis eos tranſmitteres: ſed ecce, quod promiſſum eſt, fide hactenus caruit, & omnium ſponſionum tuarum dicta caſſata ſunt, & ut apparet, fruſtrata. Unde, ſicut diximus, ceſſet jam, ceſſet hæc immaniſſima peſtis, ut reliquiæ Chriſtianæ funditus non depereant, & tu animæ tuæ diſpendia non incurras: quia ſi populo Dei compaſſus fueris, & Deum tibi propitium facies, & noſtram paternitatem ſolito more percipies, & miniſterium tuum cuſtodies: alioquin non ſolum noſtra tibi non dimittemus, ſed etiam canonicam in te ſententiam juxta noſtrum miniſterium jaciemus. Sed & hoc noſtri apoſtolatus auctoritate monemus, & excommunicando modis omnibus interdicimus, ut quia *ecce tempus acceptabile eſt, ecce nunc dies ſalutis*, nullam ſeditionem, nullam commotionem, nulla diſcrimina, vel læſionem cum his, qui in Beroläſſi commorantur, aut facias, aut facientibus omnino conſentias: quatenus pacem ſectando, ab omni nequitia purgatus, munus Deo immaculatum offeras, & caritatem Dei in tuo vaſe diffuſam cohabitare permittas: quia nos, quibus de omnibus cura eſt, Deo juvante, congruenter illuc properabimus, & inter vos, te potiſſimum cooperante, pacem & amicitiam reformabimus. Data pridie Idus Martii, indictione XIV.

2. Cor. 6.

## CCLXVI. AD ADELCHISIUM EPISC. TRIDENTANUM.

Arguit eum, quod bona Veronenſis epiſcopi invaſerit: ejus cauſam quibuſdam epiſcopis ſe commiſiſſe ſignificat: monet ut eorum acquieſcat ſententiæ.

*Adelchiſio epiſcopo Tridentano*

SUggerente coepiſcopo noſtro Adelardo Veronenſi epiſcopo didicimus, ſanctitatem tuam aliter egiſſe quam ſe canonica, immo Chriſtiana obſervantia habere videtur. Quia ſcilicet contempto præcedentium patrum judicio, cui ipſe interfuiſſe dignoſceris, res quaſdam ad ſanctam Veronenſem eccleſiam pertinentes invaſiſſe diceris: & contra manus tuæ ſubſcriptionem te egiſſe quodammodo ſuſpicaris: in quarum rerum diffinitione, ſi ſedis apoſtolicæ legati non interfuiſſent, ſperaremus adhuc poſſe nos aliorum certificari ſuper hoc atteſtationibus. Sed quia hoc non eſſe opportunum prævidimus, Joanni Bononienſi, Egilulfo Mantuano, Ricardo Vicentino, & Viatori Ferrarienſi venerabilibus epiſcopis, ad hoc ſecundum Deum providendum, & quantum ad contemptum inobedientium pertinet, rurſum diffiniendum, vicem noſtram ſuper hanc quæſtionem commiſimus; ut in id ipſum convenientes, hoc litigium cum ſanctitate tua determinent, & irreprehenſibiliter, Deo præ oculis habito, diffinire procurent. Quapropter fraterno te amore monemus ut in hoc ita peragas, quatenus a nobis merito reprehendi non poſſis, & canonicam ſententiam non excipias: verumtamen ad locum, quem prædicti venerabiles epiſcopi tibi ſignificaverint, occurrere non omittas. Et de eiſdem rebus Aſianæ villæ reſpondeas, ut ex hoc jam nulla quæſtio prorſus remaneat, vel renaſcatur. Data *ut ſupra*.

## CCLXVII. AD JOANNEM, EGILULFUM, &c.

Cauſam inter Tridentanum, & Veronenſem epiſcopos verſantem eis committit: monet ut eam jure definiant, & ad ſe ſententiam mittant, ut eam confirmare poſſit.

*Joanni Bononienſi, Egilulfo Mantuano, & Ricardo Vicentino, & Viatori Ferrarienſi epiſcopis.*

SAnctitatem veſtram nolumus ignorare quoddam olim inter ſanctam Veronenſem eccleſiam, & Tridentanam de quibuſdam rebus Aſianæ villæ exortum fuiſſe litigium, quas Veronenſi eccleſiæ pertinuiſſe probavimus, ſicut a legatis noſtris, qui tempore illo in Italiæ partibus legationis noſtræ fungebantur officio, veraci relatione comperimus: quorum & judicii diffinitionem vidimus, & eorum ſubſcriptiones manuum lectione percurrimus; quo manifeſtius declaratur eaſdem res ad ſanctam Veronenſem eccleſiam juſte pertinuiſſe, & eas in perpetuum poſſidendas diffinitum fuiſſe. Sed quia ſæpe contentio ſolet generare diſcordiam, nunc, ſicut dicitur, Adelchiſius venerabilis Tridentanus epiſcopus, contra diffinitionem ipſam peragens, atque contra profeſſionem, manuſque ſuæ ſubſcriptionem movere præſumpſit, reverentiæ veſtræ ſuper hoc negotio vicem noſtram committimus, ut ad illas partes accedentes cum Adelardo, & eodem Adelchiſio, venerabilibus epiſcopis, hoc litigium, (licet hoc, quia cum legatis noſtris deliberatum eſt, ſuperfluum judicemus,) rurſum audientes deliberetis, & ad legitimum finem perducere modis omnibus ſatagatis: quo rite, & ſecundum ſeriem ſcripturarum ſuarum peracto, quidquid illud fuerit, noſtro apoſtolatui ſcriptis veſtris volumus intimari: ut nos & libenter accipiamus, & noſtra auctoritate ſtabilire non omittamus. Quia & primum coram apoſtolicis miſſis, aliiſque reverendiſſimis epiſcopis in ſynodo Ticinenſi, & poſt in Tridentina eccleſia, nihilo minus coram noſtris legatis & aliis imperialibus judicibus, de hoc judicatum fuit, & legaliter diffinitum. Data IV. Nonas Martii, indictione XIV.

## CCLXVIII. AD METHODIUM ARCHIEPISCOPUM.

Gratulatur de orthodoxæ fidei cultu, & de ejus erga religionem ſtudio & cura: precatur in dies ſpiritualem profectum majorem, eumque conſolatur.

*Methodio archiepiſcopo, pro fide.*

PAſtoralis ſolicitudinis tuæ curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo noſtro exhibes, approbantes, & orthodoxæ fidei te cultorem ſtrenuum exiſtere contemplantes, nimis in eodem Domino jocundamur, & ei immenſas laudes, & gratias agere non ceſſamus: quia te magis ac magis in ſuis mandatis accendat, & ad ſanctæ ſuæ eccleſiæ profectum ab omnibus adverſitatibus clementer eripiat. Verum auditis per tuas literas variis caſibus, vel eventibus tuis, quanta compaſſione tibi condoluerimus, ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis poſitum, ſanctæ Romanæ eccleſiæ doctrinam, juxta ſanctorum patrum probabilem traditionem, ſequi debere monuimus, & tam ſymbolum, quam rectam fidem a te docendam & prædicandam ſubdidimus; noſtriſque apoſtolicis literis glorioſo principi Sfentopulco, quas eis aſſeris fuiſſe delatas, hoc ipſum ſignificavimus, & neque aliæ literæ noſtræ ad eum directæ ſunt, neque epiſcopo illi palam, vel ſecreto aliud faciendum injunximus, & aliud a te peragendum decrevimus: quanto minus credendum eſt, ut ſacramentum ab eodem epiſcopo exegerimus, quem ſaltem levi ſermone ſuper hoc negotio allocuti non fuimus. Ideoque ceſſet iſta dubietas, &, Deo cooperante, ſicut evangelica & apoſtolica ſe habet doctrina, orthodoxæ fidei cultum fidelibus cunctis inculca, ut de labore tui certaminis Domino Jeſu Chriſto fructum afferas abundantem; & gratia ejus remuneratus, mercedem recipias competentem. Ceterum de aliis tentationibus, quas diverſo modo perpeſſus es, noli triſtari; quin potius hoc ſecundum apoſtolum, omne gaudium prorſus exiſtima. Quia ſi Deus pro te, nemo eſſe poterit contra te: tamen cum Deo duce reverſus fueris, quidquid enormiter adverſum te eſt commiſſum, quidquid jam dictus epiſcopus contra ſuum miniſterium in te exercuit; utramque audientiam coram nobis diſcuſſam, adjuvante Domino, legitimo fini tTrademus, & illius pertinaciam judicii noſtri ſententia corripere non omittemus. Data decimo Kalendas Aprilis, indictione decimaquarta.

## CCLXIX. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Nunciat imperatori, ſe iis malis a Sarracenis affici, ut amplius ſuſtinere non poſſit: rogat eumdem, ut ſibi ſubſidio exercitum mature mittat; eique palmam cum benedictione mittit.

*Carolo imperatori.*

Carolus ejus nominis tertius, Craſſus dictus, cujus ſupra in epiſt. 41. facta eſt mentio.

MUltarum oppreſſionum noſtrarum, fili cariſſime, vobis oblviſci non convenit, & calamitatum noſtrarum, quas ſancta mater veſtra Romana eccleſia patitur, oportet vos reminiſci, & tunc demum ad aliquam conſolationem noſtram manum veſtræ pietatis porrigere, & auxilium nobis præbere quantocius debetis: Scitis namque quæ, quanta & qualia, præcipue a Paganis mala, quantaſque etiam miſerias patimur; & in nobis commiſſis, quantum quotidie affligamur, & vos eſtis experti, & nos partim veſtræ clementiæ paulo ante ſignificavimus. Et cum quotidie hæc eadem mala non minui, ſed magis ac magis creſcere ac dilatari cernamus, dolor & gemitus, ac ſine fine triſtitia imminet, ac per hoc lib.. magis mori, quam, proh dolor! jam talia tolerare. Proinde ſpiritalis fili, ſemperque Auguſte, gloriam veſtram ſummopere deprecamur, ut pro amore Dei omnipotentis, & reverentia principum apoſtolorum Petri ac Pauli * hoſtilem exercitum, quem iſtas in partes venturum eſſe dixiſtis, moram perpeti non ſinatis, ſed cum omni velocitate, ad auxilium noſtrum, quæſumus, dirigatis: ut Domino adjuvante, ad reſpirationem noſtram Agarenos expugnet, & nobis quantulamcumque de ipſis Paganis tranquillitatem valeat ferre. Sed & e latere veſtro, qui eidem exercitui præeſſe poſſit, tam ſtrenuum, tamque idoneum miſſum mod's omnibus tribuatis, qui & ductor exercitus veſtri exiſtat, & quam defenſionem, vel adjutorium nobis faciant, ipſe prævideat; & quidquid veſtra vice eſt peragendum, poteſtateve perficiat. Alioquin non ſolum ex hoc maxima negligentia erit, & omnis veſtra utilitas deperiet, ſed etiam noviſſima noſtra erunt pejora prioribus; & vos, quantum ex hoc habeatis peccatum, dici non poteſt. Ideoque propter Deum ſuccurrite nobis, ſuccurrite, ut non dicant in circuitu nationes: Ubi eſt imperator eorum? Præterea honorificentiæ veſtræ cum benedictione apoſtolica palmam, per quam ſignum datur victoriæ, ecce ex more direximus, exoptantes, omnipotentemque Deum deprecantes, ut hanc cum lætitia vos in die tantæ ſolemnitatis geſtare faciat, atque permittat. Et ad omnium noſtrum utilitatem & profectum, aures præcordiorum veſtrorum divinitus inclinare dignetur. Data IV. Kalendas Aprilis, indictione XIV.

* f. veſtrum

## CCLXX. AD DIVERSOS EPISCOPOS.

De Athanaſium Neapolitanum epiſcopum, qui ſæpe monitus, nunquam, ſicut promiſerat, fœdus cum Sarracenis iſtum rumpere voluit, a ſe cum omnibus ei conſentientibus excommunicatum ſignificat.

*Omnibus epiſcopis Cajetam, Neapolim, Capuam Berolaſſim, & Amalfim, Beneventum, & Salernum incolentibus, a paribus.*

QUæ & quanta ab Athanaſio Neapolitano epiſcopo Chriſti eccleſia patiatur adverſa, optaremus vobis non eſſe dicturos, niſi eſſent ſupra modum gravia. Ecce enim, ut ipſi jam ex maxima parte non ignoratis, ad perditionem totius Chriſtianitatis, a multis retro temporibus cum filiis Iſmael & Deo ſcilicet odibilibus Sarracenis pactum faciens, omnem iſtam terram ita ad nihilum redegit, ut jam non ſit, qui eam prorſus inhabitet. Super quo ſcelere eum ſæpiſſime commonuimus, & corpori noſtro omnimodo non parcentes, uſque Neapolim properavimus, multumque argenti ei contulimus, & rogavimus, ut ab eorum ſe ſocietate divideret, ut tandem aliquando reſipiſcens, tantam peſtem deleret. Qui, ut ita dixerim, importunitatem noſtram licet ficte non tolerans, promiſit ſe ita eſſe facturum, & pactum cum Sarracenis habitum

tum ſoluturum, ſub ea dumtaxat conditione, ut ſi deinceps hoc malo ſe quocumque modo miſceret, & ſacerdotio eſſet privatus & anathemati ſubjaceret. Sed, heu, pro turpis lucri commodo, quod ab ipſis Sarracenis, de præda eorum partes recipiendo, hujus promiſſionis oblitus, noluit adimplere, quod multis coram poſitis ſcriptis & verbis promiſit. Rurſum nobis non modici argenti adauctis ponderibus, & apud Cajetam pervenientibus, per ſuos legatos ei mandavimus, ut ſi intra triginta dierum ſpatia cum Sarracenis habitum fœdus non rumperet, aut ea quæ nobis tergiverſando abſtulerat, non retranſmitteret, noſtro judicio iterum ſententiam, quam ipſe in ſe pertulit, prorſus exciperet: ſed tam varia juramenta, quam abſolutas promiſſiones poſtponens, nos de die in diem deluſit, & foris omnibus diſſipatis, intus vero per ſuam calliditatem multis noſtris ablatis, hactenus nec cum Sarracenis habitum pactum diſſolvit, nec reliquiæ Dei populi voluit miſereri. Quin potius cum ipſis converſans, de ipſis malis in pejus crevit, & Dei mandata contemnens, ſacerdotii etiam ſui oblitus non ſolum ſimilis illis effectus eſt, ſed etiam in multis deterior. Hujus rei gratia apud beatum Petrum apoſtolum ſynodice in eum ſententiam protulimus; & cum omnibus ſibi conſentientibus, ſive faventibus, omni eccleſiaſtica communione ſub anathematis interpoſitione privavimus. Modus autem excommunicationis hic eſt: Athanaſium Neapolitanum epiſcopum ſæpiſſime admonitionibus, & multis argenti ponderibus datis, ut pactum cum Sarracenis habitum diſrumperet, admonuimus. Ille autem idem pactum ſe omnimodo ſoluturum, & ab eorum ſocietate ſeparaturum eſſe promittens ſub ea conditione, ut ſi denuo cum illis quolibet modo fœdus habuiſſet, omni eſſet ſacerdotali honore privatus, & anathematizatus: ſed hæc omnia parvipendentem, & ad perditionem Chriſtianorum cum eis pactum habentem, & nos ſæpiſſime deludentem, & de præda eorum partem recipientem, judicio & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum Petri ac Pauli ſimul & noſtra, cum omnibus ſequacibus ſuis, & omni eccleſiaſtica communione privamus, & quouſque ſe ab ipſis Sarracenis penitus ſeparaverit, velut totius Chriſtianitatis inimicum anathematizamus. Data menſe Aprili, indictione XIV.

Ann.Ch.881.

## CLXXI. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Arguit quod Albericum comitem Ravennam aſciverit, & nobiles Ravennates contra jusjurandum ſibi præſtitum vexarit: cum Neapoli reverſus fuerit, ait ſe ea omnia curaturum: jubet Dominicum archidiaconum Faventinæ eccleſiæ epiſcopum conſecrari.

*Romano archiepiſcopo Ravennati.*

EA quæ noſtro præſulatui pro utilitate & neceſſaria ſanctæ Ravennatis eccleſiæ reſtitutione perficienda mandaſti, lucifluis anteceſſorum noſtrorum informati exemplis, congruum & opportunum eidem eccleſiæ libenter volumus, Deo favente, præbere ſolatium, & defenſionis auxilium: præcipue cum ipſius nos tibi commiſſum habeamus regimen. Sed quia multi nobilium Ravennatium, crebris dumtaxat querimoniis apoſtolatus noſtri aures pulſare non deſinunt, circa te clementiæ noſtræ benevolentia commota non immerito habetur. Nam ut cetera omittamus, quia Albericum comitem quaſi ex parte imperiali Ravennam adſciſcere, & nobiles cives ipſius nobis inconſultis auſu temerario diſtringere enormiter coegiſti, miramur, eo quod te adverſum tuam promiſſionem jurejurando coram nobis, & ſede apoſtolica prolatam, penitus egiſſe cognoſcimus. Pro quo nimirum te valde cavere oportet, ne pro talibus tua ſententia velut tranſgreſſorem ulciſcatur. Nos enim te gregem Domini paſcere, non perturbare; ſalvare, & non perdere ſtatuimus. Tamen cum nos, Deo volente, Neapoli, quo nunc proficiſcimur, fuerimus reverſi; & aut tu, ſecundum noſtram tibi juſſionem directam, Romam veneris, aut nos vel miſſus noſter iſtas in partes venerimus, plenariam de omnibus, quæ tuæ eccleſiæ cognoverimus eſſe neceſſaria, juſtitiam omnimodo faciemus. Defuncto præterea eccleſiæ Faventinæ epiſcopo prævidimus hunc Dominicum venerabilem archidiaconum, ſedis ipſius honore epiſcopali dignum exiſtere. Hoc auctoritatis noſtræ ſtatuto præſenti dilectioni tuæ præcipimus, ut abſque omni mora, vel protelatione eumdem archidiaconum ſtudeas ſecundum morem epiſcopum conſecrare. Nam ſi aliqua temeritate depravatus, hoc contra tuæ ſponſionis juratoriam paginam præſentialiter facere contempſeris, pro certo ſcias quia nos ipſius eccleſiæ curam & ſolicitudinem habentes, jam fatum archidiaconum ad nos ex noſtra præceptione illico revertentem epiſcopum conſecrabimus. Data *ut ſupra.*

## CLXXII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Arguit eum, quod alterius legitimam uxorem raptori tradi conſenſerit, & Romanæ eccleſiæ auſus fuerit adverſari: has ob cauſas illum a conferendis ſacris ordinibus ſuſpendit, donec a ſynodo, ad quam eum jubet venire, ejus cauſa cognoſcatur.

*Romano archiepiſcopo Ravennati miſſa per Deltonem venerabilem epiſcopum.*

INter cetera quæ de te audivimus, veniens Deuſdedit dux retulit nobis, quod uxorem illius, de qua legaliter diffinitum eſt, ad te callide venire feciſſes, & alteri viro raptori in ſtupro utique tradidiſſes: quod nimirum tanti flagitii ſcelus te, juxta tuum miniſterium, omnimodis prohibere, ac funditus reſecare oportebat: tu autem conſenſum illicite præbuiſti. Cognoſcimus etiam multis indiciis, quod auſu temerario contra ſanctam & dominam tuam Romanam eccleſiam recalcitrare, & contra tuæ juratoriæ ſponſionis tenorem luculentiſſime agere nullatenus dubitaſti. Unde auctoritate Dei & beati Petri, noſtraque tibi præcipimus, & præſenti ſtatuto jubemus, ut nullam omnino ſacerdotalem ordinationem pro talibus, quibus es irretitus criminibus, facere quoquomodo præſumas donec VIII. Kalend. Octobris futuræ quintædecimæ indictionis, ad ſynodum, quam, Deo favente, pro eccleſiaſticis videlicet utilitatibus, ſecundum ſanctorum patrum ſtatuta celebraturi erimus, omni poſtpoſita occaſione venire procures: quatenus ſynodali decreto ea, quæ de te didicimus, examinata canonicum finem percipiant. Data *ut ſupra.*

CLXXIII.

## CCLXXIII. AD EUNDEM.

Jubet Placentinos clericos, quos ſine commendatitiis litteris ad eum confugientes receperat, ad eorum epiſcopum remitti; ejuſdem etiam eccleſiæ clericos abſolvi, donec cum eis ad ſynodum veniat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Romano archiepiſcopo Ravennati.*

INter ceteras proprii affectus rationes incongruas, quibus teipſum quotidie mente improvida * inſerturi non dubitas, Paulo cariſſimæ Placentinæ eccleſiæ antiſtite ad aures apoſtolatus noſtri humiliter reclamante didicimus, quod clericos ipſius eccleſiæ regulæ normam ſectari nolentes, & idcirco ſine commendatitiis utique litteris ad te confugientes, contra ſacra beatorum patrum ſtatuta recepiſſes, receptoſque tibimet famulari decernas. Quod nimirum propter multam perturbationem, & ſeditiones, quæ ſæpe fiunt, auctoritate apoſtolica, & ſanctorum patrum præcipua inſtitutione amputare volentes, reverentiæ tuæ jubemus prædictæ Eccleſiæ * Faventinæ clericos, quos penes te enormiter habere videris, & præcipue Gauſum diaconum, de præſenti ſuo reddere, vel dirigere procures epiſcopo. Quia non licet quemlibet clericum in duarum civitatum conſcribi ſimul eccleſiis, & in qua ab initio extitit, & ad quam confugit quaſi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem: & ideo eos ad ſuam eccleſiam revocari decernimus, & de illis amplius nullo modo recipias. Te autem aliquid amplius agere cavere prorſus oportet, ne ſanctorum patrum judicio, quod contra hujus regulæ tranſgreſſores prolatum eſt, damnari omnino merearis. At ſi aliquid inter eos adverſi exortum fuerit, canonice inter eos diffinias: ſalvo ſedis apoſtolicæ honore, atque vigore, ſalvoque tuæ eccleſiæ privilegio. Et præterea ſacerdotes, & clericos Placentinæ eccleſiæ, quos excommunicaſti, ut ab eadem excommunicatione abſolvas, quouſque tempore congruo tu cum eis Romam ad ſynodum pariter veniatis. Data menſe Julio, indictione XIV.

## CCLXXIV. AD CONSTANTINUM SACERDOTEM.

Excommunicat eum, quod abſque ſua licentia ab archiepiſcopo Ravennate ad Faventinæ eccleſiæ epiſcopatum promotus fuerit: prohibetque eum illius eccleſiæ adminiſtrationem attingere, donec ad ſynodum Romanam veniat.

*Conſtantino ſacerdoti eccleſiæ Faventinæ de plebe ſancti Petri Tranſilvani.*

AUdientes te eſſe quaſi ad epiſcopalem honorem a Romano Ravennate archiepiſcopo, ſine noſtri pontificii auctoritate, ſeu licentia, & abſque canonicæ inſtitutionis regula enormiter promotum; his apoſtolatus noſtri literis ex Dei omnipotentis, ſanctorumque Petri ac Pauli apoſtolorum Principum auctoritate, noſtroque apoſtolico jure, te excommunicamus, ut nullo modo habeas licentiam aliquid de epiſcopali officio peragere, aut ipſam Faventinam eccleſiam quoquomodo invadere, neque in plebibus, vel rebus, ſeu hominibus ipſius eccleſiæ, aliquod dominium agere præſumas, uſque quo cum eodem Romano archiepiſcopo tuo, * octavo Kalendas Octobris quam, Deo favente, celebraturi Romæ erimus, tuam ſpecialem rebus præſentiam exhibere procures. Nam ſi contra hanc noſtram apoſtolicam juſſionem, & poſt hujus noſtræ excommunicationis ſententiam, aliquid de ipſo epiſcopali miniſterio agere præſumpſeris, vel in omnibus, quæ ad eumdem epiſcopatum pertinent, temerario te auſu intromittere tentaveris, atque ad denominatam ſynodum occurrere poſtpoſueris; ſcias pro certo, quia non ſolum omni eccleſiaſtica te communione privabimus, ſed etiam ſynodali decreto a ſacerdotali honore te ſanciemus alienum exiſtere. Data XVI. Kalendas Auguſti, indictione decima quarta.

## CCLXXV. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

Ad ſynodum Romam ſub pœna excommunicationis venire jubet, ut ad ea quæ objiciebantur, reſpondeat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Romano Archiepiſcopo.*

QUia jampridem miſſis tibi per Joannem venerabilem epiſcopum Montis Feretrani, apoſtolatus noſtri literis, ad ſynodale te collegium pro eccleſiaſticis duntaxat utilitatibus nobiſcum pariter celebraturum occurrere juſſimus, & tuam nobis contempſiſti præſentiam exhibere; nunc multis criminibus irretitum, multorumque hominum accuſationibus horrendis impetitum, & præcipue manifeſto perjurio eſſe pollutum, agnoſcentes, hac ſecundæ vocationis noſtræ auctoritate ad venerabilem ſynodum, quam Deo favente, octavo Kalendas Octobris futuræ quintæ decimæ indictionis, erimus celebraturi, omni occaſione, vel mora poſtpoſita, una cum omnibus ſuffraganeis tuis epiſcopis venire jubemus: quatenus ibi coram fraterno, & venerabili epiſcoporum cœtu, pro omnibus tibi objectis rite examinatis, ore proprio valeas reſpondere, & te innoxium demonſtrare; nam ſi aliqua temeritate tumidus, vel inobedientiæ ſtimulis motus hanc noſtram apoſtolicam & canonicam vocationem, quam tibi primitus per Deltonem, ſeu & modo per Joannem Callenſem venerabiles epiſcopos direximus, parvipendendo ad præfatam ſynodum venire contempſeris; ſcias pro certo, quoniam omni te communione eccleſiaſtica privabimus, & fugiendo, tuæ damnationis ſententiam, tuique honoris patieris jacturam. Data VI. Kalendas Auguſti, indictione XIV.

## CCLXXI. AD EUMDEM.

Deuſdedit Ravennatem injuſte excommunicatum abſolvit: confirmat illius cum Maria uxore conjugium: jubet eum defendi.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Romano archiepiſcopo Ravennati pro cauſa Deuſdedit Ravennatis, & Leoni venerabili epiſcopo miſſo & apocriſiario ſummæ ſedis noſtræ apoſtolicæ, nec non quibuſvis miſſis imperatoris & omnibus judicibus, & populis Romani territorii conſtitutis, cunctiſque fidelibus ſanctæ eccleſiæ, præſentibus ſcilicet atque futuris.*

OMnium reverentiam, omniumque induſtriam ſcire hortamur, quod Ravennas Romanus archiepiſcopus, & ore, cum Ravennæ fueramus, di-

dixerit, & ſcriptis tranſmiſerit, quod nonnulla inceſta conjugia in ſua parochia fuiſſent, & quotidie fierent. Deinde per ſuum legatum, Dominicum videlicet presbyterum, ut ipſi triginta & duo eſſent, dicendo ſignificavit, ſuggerens, ut noſtra auctoritate ipſi eos liceret canonice omnes judicare. Qui omnibus dimiſſis, quos etiam nominatim dixerat, & ſola inductus invidia ut remur, & poſtea in ſancta patuit ſynodo, Deuſdedit fidelem noſtrum (qui, dum Ravennæ fuimus, ipſe penes nos quotidie fuit, & coram me, & ipſo archiepiſcopo cauſas, ut debuerat, judicavit,) poſtquam ſedem apoſtolicam appellavit, excommunicare non formidavit. Ipſe Deuſdedit vero dux pro noſtra fidelitate his obedivit, & ad apoſtolicam præſentiam venire modis omnibus feſtinavit. Nos ſuam cauſam audientes, & qui eum accuſare non debuerant, ex parte archiepiſcopi non invenientes, poteramus ipſum abſolvere, ſed noluimus, uſquequo archiepiſcopo miſiſſemus, immo cui miſimus, dicentes: ut ipſe archiepiſcopus pro ſtatutis ſanctarum Dei eccleſiarum, VI. Idus Novembris ad ſynodum celebrandam veniret, deferens ſecum accuſatores & teſtes: quatenus his delatis negotium Deuſdedit inter alia canonice finiſſemus. Qui pro ſe ſui cardinis Dominicum presbyterum, & Joannem diaconem miſit, tranſmittens cum illis ſcriptas accuſationes: quibus ſcriptis coram ſancta ſynodo lectis, ad ea Deuſdedit reſpondit, & ſe inceſtum, atque nefarium commiſiſſe negavit; ſed coram omnibus ſe innocentem oſtendit, & divini mundanique juris auctoritate ſe conjugatum probavit. Quapropter una cum ſancta ſynodo illum abſolvimus, & eum communioni noſtræ recepimus, & Mariam conjugem ſuam illi uxorem eſſe legitimam firmavimus, cum benedictione Dei omnipotentis, & noſtra: & ſi præfatus archiepiſcopus, aut miniſtri ejus in rebus ſuis ſuorumque hominum invaſionem, & fortiam facere voluerit; vos Ravennates pro ipſo illum in ſuis defendite. Data *ut ſupra*, indictione decima quarta.

## CCLXXVII. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Petrum & Zachariam legatos ad eum mittit, cauſa corrigendi mala, quæ ſe, eo regnante, perpeſſum queritur.

*Carolo imperatori.*

QUia nunc eadem omnibus vobis, jam Deo favente, per humilitatis noſtræ officium regnantibus, ubique patimur, & ſuſtinemus adverſa, quæ ante veſtræ imperialis gloriæ provectionem nos ſuſtinuiſſe quotidie recordamur; his apoſtolatus noſtri apicibus directis dignum duximus Auguſtali ſerenitati veſtræ pro utilitate, ac multiplici neceſſitate eccleſiæ univerſalis, cui per Dei gratiam præſidemus, ſuggerere, atque cognitum omnimodis facere, quoniam ſecundum commune placitum atque decretum direximus Petrum, inſignem palatii noſtri, ſuper iſta delicioſum conſiliarium noſtrum, communemque fidelem, cum Zacharia venerabili epiſcopo, & bibliothecario ſedis noſtræ, pro recipiendis de omnibus, quæ hactenus perperam acta fuerant, juſtitiis, & emendationibus, ac pro totius terræ S. Petri ſalute, priſtinaque reſtitutione: quatenus in præſentia miſſorum veſtrorum ea, quæ neceſſario emendanda & corrigenda erant, jure legitimo corrigerentur, ut tam diuturnum malum finem acciperet.

## CCLXXVIII. AD RAVENNATES.

Præcipit ut ſe a Ravennatis archiepiſcopi in ſynodo excommunicati communione ſeparent, quouſque eum abſolutum cognoverint.

*Omnibus venerabilibus ſacerdotibus & clero atque univerſis judicibus populoque Ravennati.*

NOſſe volumus fidelitatem & unanimitatem veſtram quia Romanum archiepiſcopum veſtrum pro perjurii reatu manifeſte pollutum, aliiſque nefandis criminibus impetitum, & idcirco ad ſynodum pro ſui purgatione vocatum, occurrere contemnentem, omni eccleſiaſtica communione una cum ſanctæ ſynodi decreto privavimus, quouſque ſuam ſpecialem ſtuduerit nobis exhibere præſentiam. Quamobrem his apoſtolatus noſtri literis vobis jubemus, & ex auctoritate Dei, & beati Petri apoſtolorum principis, & noſtra præcipimus, ut omnes vos ab illius conſortio & communione modis omnibus ſeparetis, donec per noſtræ apoſtolicæ miſerationis officium, ab hujus excommunicationis vinculo eum cognoveritis abſolutum exiſtere. Quicumque autem ei ante audientiam, & abſolutionem noſtram aliquatenus communicare præſumpſerit, eodem excommunicationis laqueo, ſecundum ſanctorum patrum inſtitutionem, maneat irretitus, uſque dum a nobis fuerit miſericorditer abſolutus. Data menſis Octobris die quarta, indictione * duodecima.

* decima-quinta

## CCLXXIX. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Gratulatur de ejus incolumitate: gaudet ipſum adventurum eſſe ſtatim in Italiam: hortatur ut mature Romanæ eccleſiæ auxilio veniat, & Guidonem prædatorem ab eccleſiæ finibus ejici jubeat.

*Carolo imperatori.*

COgnoſcentes de veſtra incolumitate, quod oppido videbamus, Deo gratias egimus, & ut magis ac magis proſperitatibus, & innumeris gaudiis fulciamini, majeſtatem divinam ſupplicibus votis omnimodo flagitavimus, ſcientes & multis experimentis diſcentes, quod vos eadem vultis, eadem quippe deſideratis: quoniam ſi noſtra mediocritas viguerit, & valuerit illa, vos facturos hortabitur, unde & ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris veſtræ defenſio augmentabitur, & vobis copioſa merces in cælo in perpetuum reponetur. Quod autem dicitis, ut poſtpoſitis ceteris curis, iter veſtrum in Italiam recto itinere ordinatum habeatis; grato animo ſuſcepimus, & ut utinam non ſolum Papiæ, verum etiam propius eſſetis, neceſſitas maxima depoſcit. Ideoque quod cœpiſtis, cum Dei adjutorio, velociter veſtra ſublimitas perficere ſtudeat; & ad defenſionem, immo ſecuritatem ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ, ſicut dixiſtis, ceteris curis poſtpoſitis, mente & brachio potenter occurrat: quia quantis affligatur & conculcetur anguſtiis, jam dicere non valemus. Ceterum de VVidone Rabia, invaſore ſcilicet, & rapaci, veſtra gloria ſubveniat, & eum

eum de finibus noſtris, ut aliquantulum populus noſter relevari valeat, ejicere modis omnibus jubeatis. Data III. Idus Novembris.

## CCLXXX. AD LIUTVVARDUM EPISCOPUM.

Gratias agit, quod dederit operam, ut imperator in Italiam ad eccleſiæ defenſionem veniret.

*Litovardo epiſcopo.*

STudio tuo (quod cum ſpiritali filia noſtra imperatrice, ſicut aſſeris, ut domnus imperator pro defenſione ſanctæ Romanæ eccleſiæ ingrederetur Italiam, habuiſti), gratias agimus, & ut quod deeſt, ſtet quod te minime latet, tua inſtantia perficiat, multum hortamur: quia tantum nobis neceſſe eſt, quantum docere non valemus. Unde ita age, ut tibi magis ac magis gratias referamus & in temporalibus commodis viciſſitudinem reddere invitemur.

## CCLXXI. AD GENEVENSES.

Præcipit ut Optando epiſcopo a ſe conſecrato obediant.

*Clero & populo Genevenſi.*

DIlectiſſimi filii noſtri Caroli imperatoris, principumque ipſius relatu, veſtram eccleſiam viduatam cognoſcentes paſtore, & propter diſſenſionem Boſonis, cui ſociatus ejuſdem ſedis videtur metropolitanus, ordinationem electi veſtri Optandi differre, auctoritate & poteſtate apoſtolica, ſecundum deprecationem ejuſdem sereniſſimi imperatoris, filii ſcilicet noſtri ſpiritalis Caroli, atque optimatum ejus, præcognita veſtra omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem ſereniſſimus imperator eidem eccleſiæ electionem perenniter de proprio clero donaverat, diutius ipſa eccleſia ne viduata maneret paſtore, conſecravimus cum ſancti Spiritus gratia; & ad regendum vos paſtoraliter inſtructum direximus, quem devote & unanimiter ſuſcipientes, obedientes ei, utpote proprio patri ſpiritali ſitis in omnibus; ſalvo deinceps ejuſdem loci privilegio antiquo propriæ metropolis, ſancimus, ut quicumque huic noſtræ auctoritati, & apoſtolicæ deliberationi contra ſtare, aut reſiſtere, aut non obedire, vel, quod abſit, electionem ipſius eccleſiæ aliquando pervertere, aut infringere, quam, Deo propitio, juſta eſt aſſecuta, tentaverit; gladio utique canonicæ diſciplinæ noverit ſe feriendum, atque omnipotentis Dei vindictam non evaſurum, ſi digna celeriter non fuerit ſatisfactione ſanatus. Confirmamus denique noſtri apoſtolatus auctoritate, omnes res ejuſdem eccleſiæ pacifice, ac quiete perpetualiter poſſidere. Et quicumque eaſdem invadere ac diſſipare auſus fuerit, poſtquam a proprio epiſcopo canonice admonitus fuerit, ſi ſecundum divinas & humanas leges non emendaverit, ſub anathemate ſit damnatus.

## CCLXXXII. AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ET COMITES ITALIÆ.

Hortatur dent operam, ut Carolus imperator Angelbergam Romam venire patiatur, quam ſe ita cuſtoditurum promittit, ut nihil contra ipſum Carolum cum Boſone moliri poſſit; & ſi quid tentaverit, ſe eamdem remiſſurum pollicetur.

*Omnibus reverendiſſimis, & ſanctiſſimis archiepiſcopis & epiſcopis hujus Italici regni, & omnibus glorioſis comitibus filii noſtri imperatoris.*

SI ea quæ ſaluti & utilitati proximorum neceſſaria ſunt, ſecundum ſolicitudinem & curam gregis dominici nobis ad bene regendum commiſſi, divinæ pietatis memores agere ſtudemus; omnipotentem Deum in his, quibus & ipſi ex humana infirmitate quotidie indigemus, habebimus omnino propitium, & in bonis omnibus procul dubio adjutorium. Igitur ſanctitatem veſtram noſſe volumus quoniam miſſis, & apoſtolatus noſtri literis, dilecti ac ſpiritalis filii noſtri Caroli glorioſiſſimi imperatoris clementiam obnixe rogavimus, ut Angelbergam filiam noſtram, quam divæ memoriæ Ludovicus rex pater imperatoris, & Ludovicus imperator vir ejus nobis Veronæ commendaverunt, ac poſtmodum ipſa ſe ſancto Petro tradidit, & de ipſius altaris confeſſione tuendam recepimus, de loco in quo nunc eſſe conſtat, pro amore Jeſu Chriſti Domini noſtri, & pro ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli reverentia, noſtraque paterna dilectione præſentialiter reduci, & ad nos eam dirigere jubeat: Unde vos fratres & comminiſtros noſtros pio mentis convenimus atque hortamur affectu, quatenus in hujus fœminæ reverſione, vel ſalute nobiſcum cooperari, pariterque deſudare ſtudeatis; ut veſtro conſilio, veſtroque inſtanti hortatu, ipſe Auguſtus noſtræ petitionis affectum more parentum ſuorum libenti perficiat voluntate. Nam ſicut illud regnum, in quo nunc illa ſub cuſtodia manet, ejus eſt, ita & iſtud: & ſicut ibi cuſtoditur, ne aliquod ſolatium, vel conſilium dare, facereque poſſit Boſoni: ita & nos eam in tali loco habitare faciemus, quo nihil adverſi moliri, nihilque valeat machinari contrarium ad hujus regni, & imperii perturbationem. Et ſi contra ejus ac noſtram voluntatem aliquatenus eam agere, aut velle cognoverimus; illico ad imperialem remittemus præſentiam, nec noſtro erit amplius adjuta conſilio. Quod nimirum, ut nobis ſine omni dubitatione credatur, unum ex his legatis noſtris venerabilibus epiſcopis, quos pro ea imperatori direximus ſatisfaciendo, repromittere juſſimus ita nos eſſe incunctanter facturos. Neque enim, ſicut cum coepiſcopis, & primatibus ejus promiſſum eſt, nullum temporale adjutorium & conſilium jam fato ſe fore præbiturum Boſoni: & quod, ſicut prædiximus, diligentiſſime cuſtodita, non poterit de his omnibus quidquam agere. Idcirco per Dominum vos adjuramus, ut toto conamine in hoc opere nobiſcum pro amore Dei deſudare, eique manum porrigere procuretis, ut & nos in veſtris proficuis utilitatibus & neceſſitatibus eſſe prompti poſſimus: & cui manum porrigere vobiſcum omnimodis porrigamus, dignaſque veſtro Deo dilectæ ſanctitati pro veſtro labore, atque devotione gratias habere valeamus.

## CCLXXXIII. AD VVILIBERTUM ARCHIEPISCOPUM AGRIPPINENSEM.

Commendat ejus vigilantiam, & presbyterum quemdam excommunicatum, nunc ipſius teſtimonio longa pœnitentia purgatum, ejus precibus commotus abſolvit, & ſacerdotali miniſterio reſtituit: cauſam Gedeonis adulteri ei committit, ut ſententiam canonice ferat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo VVilliberto archiepiſcopo Agrippinenſi.*

ALmitatis tuæ prudentiam ſacerdotali vigilantia, pro gregis dominici ſibi commiſſi ſalute, atque de fauce hoſtis maligni, qui ſemper incautos ad æternæ mortis profunda pertrahere avide certat, liberatione, juxta paſtorale magiſterium reverentiæ tuæ divinitus delegatum ſolicitam fore, literis veſtris inſpectis luculenter agnoſcentes laudamus, cum apoſtolicæ ſedis privilegium perſpicaci mentis intuitu conſervando hunc tuæ diœceſeos presbyterum, nomine Tal, * Ingeltrudæ Boſonis quondam comitis uxori torum conjugalem, contra divinæ legis præcepta relinquenti. Et idcirco ab anteceſſore noſtro beatæ memoriæ papa Nicolao legitime excommunicatum improvide communicaſſe reperiens, ſacra jam olim communione privaſti. Quem ſciliçet, cum tuæ fidelis devotionis atteſtatione noſtro præſulatui dirigens, profeſſus es per annos undecim il latam ſibi excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinuiſſe: & quod ex polluto conſortio fœminæ venenum attraxerat, longa pœnitentiæ ſatisfactione purgaſſe, a vinculo ſuæ obligationis ut abſolveremus mandaſti. Nos vero miſericordiæ intuitu, precibus tuis inclinati, interni arbitrium judicis ſequentes, ab ipſius excommunicationis vinculo, ſi ita eſt, eum abſolvimus: & omne officium vel miniſterium ſacerdotale, juxta præcedentem conſuetudinem, jubemus ſolenniter, ac libere cum Domini ſemper timore peragere. Præterea de Gedeone, cujus uxorem cum germano iſtius adulterium perpetraſſe fateris, ex parte dubii exiſtentes, utrum verum ſit quod de hoc dicitur necne, dilectioni tuæ committimus, ut omni ex parte, diligentique cura, rei hujus veritate comperta, quid ſuper hoc excellentiſſimus doctor beatus Auguſtinus in libris de adulterinis conjugiis ad Pollentium dixerit; quidque beatus Innocentius papa vigeſimo ſexto capitulo ſtatuerit, relegens, ſecundum horum ſanctionem ita diffinire procuret; quatenus animabus eorum per pœnitentiæ remedia ſubveniri poſſit, & corpora per tuæ ſanctitatis providentiam ſecundum Deum in omnibus dirigantur.

* aliqua deſunt.

Epiſt. 2.

## CCLXXXIV. AD BARNIMERUM COMITEM, SACERDOTES, &c.

Oſtendit ſibi gratiſſimam fuiſſe eorum in ſedem apoſtolicam obſervantiam: hortatur ad perſeverantiam: jubet legatos ad ſe mitti, quibus revertentibus legatum ſuum miſſurum pollicetur, cui ipſi fidelitatem juxta eccleſiæ ritum promittant.

*Excellentiſſimo viro Barnimero glorioſo comiti & dilecto filio noſtro atque omnibus religioſis ſacerdotibus, & honorabilibus judicibus, cunctoque populo pax, & gratia a Domino Jeſu Chriſto.*

AUdita per Theodoſium venerabilem epiſcopum veſtrum fide & devotione, quam circa ſedem beati Petri apoſtoli, & noſtri pontificii vos habere cognoſcimus, immenſas Deo gratias referentes, magno gaudio ſumus repleti; qui vos nunc ad tantam gratiam perducere, & inter oves ſuas connumerare dignatus eſt, ſecundum quod Dominus ipſi principi apoſtolorum commiſit, dicens: *Si diligis me, Simon Petre, paſce oves meas*. Joann. 21. Unde veſtram fidelitatem, & Chriſtianiſſimam devotionem, his noſtris apoſtolicis literis admonemus & exhortamur, ut ſicut divina inſpiratione agere cœpiſtis, uſque ad finem perficere, & obſervare non prætermittatis: quatenus qui ſub ala & regimine, atque defenſione beati Petri apoſtoli, & noſtra, toto conamine vos ſubdere, atque in ejus ſervitio perſeverare, quaſi dilecti filii procuraſtis, apertius hoc oſtendatis, atque impleatis, ut Dominus in evangelio dicit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant bona opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt*. Matth. 5. Et ut ita hoc per orbem terrarum veſtræ ſponſionis diffametur, ut auxiliante Domino, & ſanctorum apoſtolorum ſuffragantibus meritis, ea quæ ſaluti & utilitati omnium veſtrum proficua ſunt, poſſimus ad honorem & exaltationem ſanctæ ſedis apoſtolicæ incunctanter perficere, ſicut nomine veſtro ſcripta nobis mandaſtis, ita in libro cæleſti ſcripta permaneant. Quapropter mandamus, ut revertente ad vos dilecto epiſcopo veſtro, idoneos legatos veſtros præſentialiter ad nos dirigere non prætermittatis, qui pro parte omnium veſtrum nos & ſedem apoſtolicam conſulant de his quæ mandaſtis, ut & nos cum illis miſſum noſtrum dirigamus ad vos, quibus ſecundum morem & conſuetudinem eccleſiæ noſtræ, univerſus populus veſter fidelitatem promittat. Interim monemus, ut conſtantes permaneatis, quoniam ſcriptum eſt: *Melius eſt votum non vovere, quam poſt votum promiſſa non implere*. Eccleſ. 5. Spiritus Domini, qui orbem terræ replevit, repleat veſtrum cor omni pace & gaudio in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

## CCLXXXV.

*Laudat ejus ſtudium erga ſedem apoſtolicam, eumque monet, ut perſeveret: pollicetur eum a ſe in amicorum numero referri: præcipit ut Romam veniat.*

SIcut nobis per literas tuas, & verbo tenus, per Deuſdedit religioſum presbyterum tuum mandaſti, ut fidem & devotionem, quam circa ſedem apoſtolicam habere debes, te velle toto conamine conſervare indiminutam aſſeras, gratanter ſuſcepimus. Unde te omnimodis admonemus, & his apoſtolicis literis exhortamur, ut nulla inimicorum calliditas, vel ſeductio amplius a noſtra fidelitate quoquomodo valeat te removere; ſed ſecundum ſponſionis tuæ tenorem in ea devotiſſime permanere procures. Quapropter ſcito quia ſine omni dubietate inter dilectos noſtros te retinere volentes, volumus etiam & præcipimus, ut & pro neceſſitate eccleſiæ, & pro tuæ cauſa utilitatis, Romæ ad noſtram apoſtolicam præſentiam præſentialiter venire indubitanter procures: quia & ſtatum ſanctæ Ravennatis Eccleſiæ incolumem conſervare, tuumque profectum & honorem perficere, auxiliante Domino, cupimus.

A

## CCLXXXVI. AD IMPERATOREM

Gratulatur de ejus obſervantia erga Romanam eccleſiam: lætatur ipſum Ravennam venire velle, ut de eccleſiæ & imperii ſtatu agat: rogat ut ante diem, quem præſtituerat, accedat.

*Ad imperatorem.*

RECeptis ſerenitatis veſtræ literis, atque perlectis, ac ſicut nobis per Joannem Venticinenſem epiſcopum verbo tenus mandaſtis: quia cognovimus vos honorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris veſtræ, & ſalutem terræ ipſius toto conamine velle perficere, exultantes ſumus ani- B mo gaviſi. Porro ſicut mandaſtis ut die purificationis beatæ Mariæ ſemper virginis Ravennæ venientes ſimul conjuncti fuiſſemus pro ad conſiderandum, cum Dei auxilio, & peragendum profectum ſanctæ Dei eccleſiæ, & ſtatum imperii veſtri; nos autem & hoc libenti animo recipientes, volumus quarto die ante jam dictam feſtivitatem vos ibi adeſſe, quia & nos ita deſideratiſſime cupimus vobiſcum ſimul conjungi, & veſtram petitionem libenter adimplere, ſi, Domino annuente, ſanitas corporis divinitus conceſſa fuerit. Et quoniam, ſicut audivimus, vos laborem atque certamen pro eccleſiarum Dei ſtatu, & imperii veſtri incolumitate, atque communi Chriſtianorum ſalute, pio affectu cupitis perfice- C re; his apoſtolatus noſtri literis admonemus & exhortamur ut magis ac magis in hoc veſtra imperialis ſolicitudo proficiat: hoc gloriam veſtram obſecramus, & magnitudinem veſtram, ut cum in has partes venire cœperitis, Supponem glorioſum comitem, & communem fidelem vobiſcum venire jubeatis.

## CCLXXXVII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Miratur quod legatos non miſerit, quemadmodum jamdiu promiſerat: monet ut id quamplurimum faciat.

*Dilecto ac ſpiritali filio Michaeli glorioſo regi Bulgarorum; gratia vobis, & pax a Deo patre, & Domino Jeſu Chriſto.*

MIramur quod tanto jam tempore tranſacto miſſos veſtros ad ſanctam Romanam eccleſiam matrem veſtram, & ad nos non tranſmiſiſtis. Modo vero (ſicut nobis retulit Theodoſius venerabilis epiſcopus) miſſos tuos cum eo dirigere promiſeras: ſed pro qua cauſa eos dirigere prætermiſeris, ignoramus. Unde vos jam recognoſcere oportebat, etiam ad paſtorem & pontificem animarum veſtrarum reverti tota devotione debueratis: unde his noſtris apoſtolicis literis, vos quaſi cariſſimos filios admonemus & E exhortamur, ut de præſenti veſtros idoneos miſſos nobis tranſmittere non dubitetis: quatenus ab uberibus matris veſtræ ſanctæ videlicet Romanæ eccleſiæ ſatiemini, omnique bono repleamini. Quia nos more paterno ulnis extenſis vos amplecti, & quaſi oves Chriſti nobis commiſſas alere & ſalvare parati exiſtimus, ſecundum quod Dominus dicit beato Petro: *Paſce oves meas*: quidquid enim vobis dirigimus, credere omnino poteſtis, quia pro ſalute veſtra ſemper agere ac perficere incunctanter cupimus. Optamus vos in Chriſto nunc & ſemper bene valere.

## CCLXXXVIII. AD OTERAMUM VIENNENSEM EPISCOPUM.

Arguit quod faveat ſociis Boſonis: idque a ſe imperari aſſerat; præcipit ut Romam accedat, ut crimina quæ ipſi objiciuntur diluat.

*Oteramo* * *Viennenſi epiſcopo.*

INter eximios nuncuſque Chriſti Dei noſtri ſacerdotes te habere, tenereque omnino volumus: ſed quia eccleſiaſticæ paci & utilitati contraria agere audimus, valde miramur, nihilo minus & turbati exiſtimus, eo quod, ſicut fidelium relatu comperimus, his, qui cum Boſone præſumptore, & regni perturbatore tyrannidem exercere non ceſſant, auſu temerario favere, eorumque malis operibus communicare præſumas, & in ſuperbiam eorum ſequax exiſtens, falſa opinione ſanctam noſtram Romanam eccleſiam infamare non dubitas, quod ad talia peragendum ipſius auctoritatem habere te certifices; quod quam evidenter oſtendere non poteris, pro qua ſcilicet Romana eccleſia te murum opponere omnibus iniqua agentibus debueras. Pro quibus nimirum tot malis, tantiſque præſumptionibus tibi ex auctoritate Dei, & ſanctorum apoſtolorum ac noſtra præcipimus, ut de præſenti Romam ad limina ſanctorum apoſtolorum, noſtramque præſentiam venire procures, ut de talibus te criminibus ſecundum auctoritatem ſanctorum patrum coram nobis & ſede apoſtolica ſatisfaciendo purgare valeas: quatenus te inter fratres & conſacerdotes retinere valeamus. Nam, quod non credimus, ſi aliter feceris, & venire diſtuleris, donec hanc noſtram juſſionem impleveris, ſcias te omni epiſcopali officio eſſe privandum.

* *Ottramnus qui ſæpe poſtea occurret.*

## CCLXXXIX. AD LEONEM, LANDULFUM ET LANDONEM.

Ut Auxentii filium ab Attinulfo captum, patri reſtituendum curent.

D *Leoni epiſcopo Thienenſi, item Landulfo epiſcopo, & Landoni Gaſtaldio patri ejus.*

AUditu certiori comperimus, quod filium Auxentii Capuani, noſtrum dumtaxat proprium hominem, Attinulfus caperet, & non bene tractans eum violenter teneret, quod admodum admiramur: & quod tale quid præſumpſerit agere, moleſte quippe accepimus. Unde vobis noſtri apoſtolatus literis injungere dignum duximus, ut omnem operam detis, & ex noſtra parte ipſi Attinulfo tamdiu inſiſtatis, quouſque eumdem Auxentii filium, hominem ſcilicet noſtrum, patri ſuo ſalvum reſtituat, & cum ſuis hominibus reddat illæſum. Alioquin ſententiam noſtram evadere non poterit, qui noſtrum hominem tam ſimpliciter ambulantem affligere non contempſit. Vos tamen rogamus, tam ſtrenue agite, ut vobis gratias referamus, & majora vobis committere invitemur.

## CCXC. AD LUDOVICUM ET CAROLOMANNUM REGES

Gratias agit de ipſorum erga Romanam eccleſiam affectu, & mutuum ſtudium pollicetur.

*Dilectiſſimis filiis Hludovico & Carolomanno glorioſiſſimis Regibus.*

AUdita per venerabilem epiſcopum devotione veſtra, quam circa ſanctam Romanam eccleſiam habere, totoque conamine exercere cupitis, maximas Deo & vobis gratias agimus. Unde a noſtra parte vos certos exiſtere volumus, quia ſicut dominus Carolus divæ memoriæ imperator avus veſter, ac poſtmodum genitor veſter Hludovicus rex, ſub protectione Romanæ eccleſiæ, noſtraque apoſtolica tuitione vos commendaverunt, ita noſtrum apoſtolicum affectum circa vos in omnibus oſtendere, voſque adjuvare ac protegere paterna dilectione atque amore ſemper parati exiſtimus. Præterea de his, quæ per jam dictum coepiſcopum verbo tenus mandaſtis, ita vobis per eum dictis reſpondendo direximus. Nam ea quæ noſtro conſilio reperimus, & vobis innoteſcendo mandavimus, ad veſtrum honorem proficua eſſe omnimodo credite.

## CCXCI. AD HUGONEM ET ALIOS COMITES.

Gratias agit de fide, quam Ludovico & Carolomanno regibus ſervabant.

*Hugoni eximio abbati, ſeu Bernaldo, Guitoni, & aliis regni glorioſis Comitibus.*

AUdientes bonam famam de vobis, quod protectores, defenſores, atque fideles Hludovico & Carolomanno excellentiſſimis regibus, qui nobis a progenitoribus ſuis commiſſi ſunt, in omnibus exiſtitis, gratias referimus maximas. Quapropter his apoſtolicis noſtris literis magnificentiam veſtram exhortamur, ut more fidelium parentum veſtrorum, magis ac magis circa eos veſtram ſinceriſſimam devotionem oſtendatis, quoniam & nos, Deo propitio, in eorum adjutorio vobiſcum pariter in omnibus prompti exiſtimus: ut dignam exinde vos, non ſolum a Deo & a nobis, verum etiam & ab illis retributionem percipere mereamini.

## CCXCII. AD ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

Arguit quod detruſo in carcerem Optando epiſcopo, alium in eccleſia Genevenſi conſtituerit: præcipit ut illum ſedi ſuæ reſtituat, atque ad ſynodum veniat ad diluenda ea quæ ipſi objiciebantur.

*Oteramo Viennenſi archiepiſcopo.*

RElatu veraci didicimus, ſanctimoniam veſtram in Genevenſi eccleſia epiſcopum conſecraſſe, cui nos, neceſſaria temporum qualitate perſpecta, jam primum clericis ejuſdem eccleſiæ ſuggerentibus, auctoritate apoſtolica præfeceramus epiſcopum nomine Optandum. Quo audito, audaciam & temeritatem veſtram nimium admirantes, ob id maxime turbati ſumus: eo quod non ſolum ſuper ordinationem noſtram obices manus habuiſtis, ſed etiam ad contemptum & injuriam ſedis apoſtolicæ præfatum epiſcopum turpiter capientes arcta cuſtodia retruſiſtis, & rebus, omnibuſque ſuppellectilibus ejus direptis, miniſterium veſtrum, quod nulli Chriſtiano licet, ſacerdotem Domini tetro carcere maceratis: non habentes præ oculis ſcilicet, quod ſacerdotes Domini ſacra ſcriptura aliquando deos, aliquando angelos nominet, & qui eos tangit, tangat pupillam oculi Domini. Zach. 2. Quapropter auctoritate Dei omnipotentis, & principum apoſtolorum Petri & Pauli, ſimulque noſtra, vobis præcipimus, ut accepta hac noſtra epiſtola, aut quoquomodo tenore illius audito, ſi intra octo dierum ſpatia jam dictum epiſcopum propriæ ſedi, proprioque honori & dignitati reddere, reſtituereque contempſeritis, a corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum omnibus vobis in hoc facto faventibus, ſitis prorſus extorres, quouſque juxta hanc noſtram diſpoſitionem perficere ſatageritis. Et quia alia multa vobis a quibuſdam objiciuntur, quæ ſynodali diſcuſſione ſunt corrigenda, decernimus ut omni excuſatione remota VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ indictionis Romam ad ſynodum occurrere non omittatis: ut tunc & de vobis objectis rationem reddatis, & ſi adverſus eumdem epiſcopum a nobis conſecratum aliquam querimoniam habetis, canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine diffinire. Hoc etiam ſcientes, quia ſi ad eamdem ſynodum præfato tempore venire diſtuleritis, canonicæ in vos cenſuram ſententiæ proferemus.

## CCXCIII. AD CAROLUM IMPERATOREM

Queritur multa bona eccleſiæ Romanæ a VVidone quodam marchione erepta: rogat ut eccleſiam defendat, & ipſemet adjutor veniat.

*Ad imperatorem Carolum.*

CUm & ante ſuſceptum imperium, & poſt Auguſtale ſceptrum, per humilitatis veſtræ miniſterium vobis divinitus attributum, nos quidem multoties pro innumeris neceſſitatibus, & multiplicibus oppreſſionibus, quas ſancta mater veſtra Romana eccleſia quotidie patitur, ingenti mœrore afflicti reclamaſſemus: nullum uſque adhuc optatæ conſolationis valuimus promereri auxilium vel defenſionis ſolatium: quia de omnibus immobilibus rebus territorii ſancti Petri, quas nobis Ravennæ conſiſtentibus, in præſentia ſerenitatis veſtræ, uterque VVido marchio pro reinveſtitione reddidit, nec unum recepimus locum; ſed ipſi & homines eorum contra jus & æquitatem omnia retinere præſumunt: nam nobis in Pentapoli, hoc eſt in urbe Fano conſiſtentibus, Adelardus reverendiſſimus epiſcopus, & delicioſus veſter, communiſque fidelis, ſecundum veſtræ delegationis juſſum advenit, & ibi præfati VVidonis, & ſatellitum ejus, qui noſtra violenter tulerunt, ac retinuerunt, præſentiam præſtolati ſumus: quatenus vel inde omnis emendationis & juſtitiæ cœpto initio, per ceteras urbes, de omnibus juxta clementiæ veſtræ decretum, recipiendo coram legato veſtro juſtitias, pariter proficiſceremur: ſed illo ſemper fugiente judicium, & veſtræ juſſionis piiſſimam ſanctionem callide declinando, non veniente, quia nobis ſine profectu aliquo per ipſas civitates, quæ illorum gravamine opprimuntur, proficiſci evidenter extitit ma-

maniſeſtum; direximus cum eodem Adelardo ve- A
nerabili epiſcopo miſſo veſtro, Valpertum reve-
rendiſſimum epiſcopum, & fidelem conſiliarium no-
ſtrum, qui vice noſtra recepiſſet conſolationem
juſtitia nobis in veſtra præſentia reddita, & le-
gitimam de aliis omnibus emendationem, qui
videlicet profecti nullum juſtitiæ fructum reci-
pientes, ad nos reverſi ſunt. Nos autem omnem
excuſationis eorum defenſionem penitus auferre
volentes, decrevimus eos iterum mittere, ut ſal-
tem poſtmodum reciperemus juſtitiam. Qui cum
ad prædictum VVidonem rurſum abiiſſent, nihil
emendationis, nihilque redditionis ab eo, vel ſe-
quacibus ejus, ſicut promiſſum fuerat, recipere
potuerunt. Sed ut antea ſine aliquo ad nos ef-
fectu reverſus eſt, & veſter ad vos abſque juſti- B
tiæ contemplatione omnimodo rediit: quamvis
ingenti & fideli devotione ipſe confrater noſter
Adelardus ad juſtitiam exigendam multimodis
decertaſſet. Nunc igitur pro certo ſcientes, nul-
lam nos de tantis malis poſſe habere juſtitiam
& emendationem per quemlibet celſitudinis ve-
ſtræ legatum, niſi per veſtram Imperialem præ-
ſentiam; rogamus obnixe, atque per omnipoten-
tem Dominum adjuramus, ut ad defendendam &
liberandam de manibus malefactorum, qui eam
atrociter devorat, eccleſiam beati Petri apoſtolo-
rum principis vobis commiſſam, quæ vos divino
nutu adjutores ac defenſores in omnibus elegit
habere, ipſi, Deo auxiliante, venire libenter di-
gnemini: quatenus Dei, & veſtro ſolatio freta, C
quæ ſua ſunt valeat ſecuriter retinere cum priſti-
næ dignitatis decore, ad laudem, & perpetuam
animæ veſtræ mercedem.

## CCXCIV. AD ATHANASIUM EPISCOP. NEAPOLITANUM.

Ab excommunicatione eum abſolvit, & miniſte-
rio ſacerdotali reſtituit, dummodo pactum cum
Sarracenis initum, ſicut promiſerat, rumpat,
& ex eis aliquos, ceteris jugulatis, captos mit-
tat, nec deinceps cum eis fœdus feriat.

*Athanaſio epiſcopo Neapolitano.*

BOni paſtoris eximio informati exemplo, qui
venit quærere & ſalvare quod perierat; tan-
to tempore te per devia errantem, abjecto Chri-
ſti levi jugo, cum infidelibus jugum obſcœna cu-
piditate ducere non dubitantem, quamvis ſero
ad te percutientem reverti velle mandaſti, alacri-
ter recipimus, & inter ceteros conſacerdotes no-
ſtros præcipue honorabilem cupimus retinere;
prout ipſe nos jam olim feciſſe procul dubio re-
miniſceris. Sed quia tua exigente ſceleris tanti
audacia, ſancti Spiritus judicio te a conſortio no-
ſtro divini myſterii jure ſubmovimus; nunc ſe-
cundum preces tuas, & relationem Petri vene-
rabilis diaconi tui, ſi modo pactum quod hacte-
nus cum impiis Agarenis habuiſti, maniſeſta de-
votione fregeris, & ab eorum nequiſſima ſocie-
tate conamine te ſeparaveris; atque ſi præſenti-
bus his miſſis noſtris, Marino videlicet reveren-
diſſimo epiſcopo & ſanctæ ſedis noſtro arcario,
& Siconi egregio viro, majores Sarracenorum
quantos melius potes, quos nominatim quæri-
mus, cum aliis omnibus ceperis, & jugulatis
aliis, eos nobis direxeris, a vinculo excommu-
nicationis abſolvimus, & juxta præcedentem con-
ſuetudinem epiſcopale officium reddimus. Eo ſci-
licet modo, vel tenore, ut captis & traditis an-
tea, ut dictum eſt, Sarracenis, deinceps nullum

A cum eis ulterius fœdus quoquomodo inire præſu-
mas. Nam ſi cum illis iterum pactum aliquod
facere tentaveris, in eadem te excommunicatio-
ne manere ſancimus, & auctoritate Dei omnipo-
tentis, & beati Petri apoſtolorum principis & no-
ſtra, omni epiſcopali honore te privandum, &
perpetuo anathemate damnandum eſſe decerni-
mus.

## CCXCV. AD OTERAMUM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Agit de Optando epiſcopo, ejus literis reſpon-
dens, & de literis, quas ſcribit epiſcopo
Maurienneſi, ut Romam veniat.

*Oteramo Vienneſi archiepiſcopo.*

SUſceptis veſtræ fraternitatis apicibus, quod eſ-
ſent alicujus, ut ita dixerim, rectitudinis ze-
lo compoſiti, ſatis ubertim cognovimus: quia poſt
plurima in eccleſia Genevenſi ſatemini vos con-
ſecraſſe epiſcopum, & ut quidam Optandus no-
mine clericus advenerit, qui in eccleſia Gene-
venſi nec baptizatus, clericatus, ordinatus, accla-
matus, eruditus unquam extiterat, eccleſiam il-
lam invaſerit. Multipliciter admiramur, cur illa
neſcire vos dicitis, quæ totus, ut remur, occidens
non ignorat. Præcedenti ſiquidem tempore nobis
fuerat nunciatum, ut vos in eadem eccleſia epi-
C ſcopum conſecrare contempſeritis; ideo nos, ne-
ceſſaria temporum qualitate perſpecta, clericis ejuſ-
dem eccleſiæ ſuggerentibus, auctoritate apoſtolica
illic epiſcopum Optandum nomine conſecravimus.
Qua ex re non bene vos feciſſe probamus, qui
ſuper ordinationem noſtram obices manus habui-
ſtis, & alterum epiſcopum ibidem ordinaſtis. De
hoc autem quod dicitis, quod ipſe Optandus in
Genevenſi eccleſia nec baptizatus, clericatus, or-
dinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterit,
interim ſilentio eſt tegendum, eo quod, cum ca-
ritate veſtra loquamur, nihil horum habens ve-
ſtra ſanctitas in Viennenſi eccleſia eſt conſecra-
ta. Verumtamen his interim neceſſario præter-
miſſis, ſanctimoniam veſtram jam dudum literis
D noſtris monuimus, ut quia quædam vobis a qui-
buſdam objiciuntur, quæ ſynodali diſcuſſione ſunt
corrigenda, omni excuſatione remota, VIII. Ka-
lendas Octobris futuræ indictionis primæ, Ro-
mam ad ſynodum occurrere ſtuderetis. Nihilo
minus autem iterato decernimus, ut eodem tem-
pore apoſtolicæ noſtræ vos præſentetis præſentiæ:
ut tunc & de vobis objectis rationem reddatis,
& ſi adverſus eumdem epiſcopum a nobis conſe-
cratum aliquam querelam habetis, nos canonico
valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante,
libramine diffinire. Ceterum Adalberto Maurien-
nenſis Eccleſiæ epiſcopo auctoritatis noſtræ literas,
quas ei a vobis dari mandamus, ecce tranſmiſimus,
ut cum Barnerio Gratianopolitanæ ſedis epiſcopo
E eodem VIII. Kalendas Octobris Romam occur-
rat: quatenus de his, quæ irreverenter tam te-
merario auſu ſui ordinis immemor intulit, co-
ram nobis pleniſſimam ſatisfactionem exhibeat.

## CCXCVI. AD ADALBERTUM EPISCOP. MAURIENNÆ.

Jubet ut Romam veniat cum epiſcopo Gratiano-
politano, quem ignominioſe tractarat.

*Adalberto Maurienneſi epiſcopo.*

TRiſtis nos nuncius perculit, quando audivi-
mus, quod tu ordinis tui immemor Barne-
rium

rium Gratianopolitanæ ſedis epiſcopum, hora ma-tutinali in eccleſia ſua publice agentem officium, cum multitudine populi, & armata manu, abſ-que reverentia eccleſiam ingrediens, nulla ab eo tibi culpa illata, irreverenter tecum abſtuleris, & ignominioſe tractaveris, quod tantum nobis diſplicuit, quantum te temere egiſſe modis om-nibus comprobamus. Ideoque noſtri apoſtolatus literis tibi mandamus, ut omni excuſatione re-mota VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ in-dictionis, cum eodem Barnerio venerabili epiſco-po Romam ad ſynodum noſtram occurras: ut quidquid inter vos litigii eſt exortum, nos æqui-tatis regula potiti, Deo juvante, diſcutere & diſ-finire aliquomodo ſtudeamus.

## CXCVII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Hortatur ut ad fidem & obedientiam Romanæ Eccleſiæ redeat, & legatos mittat.

*Michaeli regi Bulgarorum.*

CUm non tam initia ſint in bonis laudanda, quam finis, Deo omnipotenti factori om-nium viſibilium, & inviſibilium gratias agimus, qui veſtrum bene velle hactenus in ſoliditate veræ fidei ſolidavit, & ſui amatorem efficiens, tam-quam re vera ex tenebris olim lumen ſplende-tcere fecit, & ad ſalutem multorum benigniſſi-mum cor veſtrum gratia ſuæ potentiæ illuſtravit: ſed & hinc devotioni veſtræ dignum duximus congruas grates referre, quod partim finis oſten-dit, quam fidelitatem erga ſanctam Romanam eccleſiam omnium terrarum matrem & caput ob-ſervare curetis. Cum hanc & initio veſtræ con-verſionis quæſieritis, & ad præſens auxiliatricem habere ad perpetuam ſcilicet veſtram ſalvationem monſtrare non omiſeritis, ſanctos videlicet apo-ſtolos viſitando, & eorum, ut diximus, ſuffra-gia poſtulando. Igitur abſurdum valde eſt, ac in-conveniens, quod pia veſtra voluntas aliter ſe poſt habere voluit, quam, ſicut omnibus notum eſt, primum. Vos enim divinitus inſpirati matrem omnis religionis, ſanctam quippe Romanam ec-cleſiam ductricem, & viam per quam ad æterni-tatis paſcua duceremini, merito expetiſtis: & il-la, quia omnibus fidelibus viſcera materna præ-bet, ac præbuit, vos expanſis ad Deum ulnis, Chriſto gratias agens, recepit: conſequens fuit ut a recti greſſu itineris, in partem non flectere-mini, nec manum mittentes in aratrum, retro aſpicere cujuſcumque forte ſuaſionibus niteremi-ni. Numquid non fili cariſſime ſanctum evange-

Matth. 10. lium ſurda aure auditis, quo legitur: *Qui perſe-veraverit uſque in finem, hic ſalvus erit?* aut ſi

Iſai. 46. audiſtis, & obauditis: *Redite ad mentem veſtram, redite ad cor?* Et veſtræ ſponſionis reminiſcimini. Quia plus amor & timor Dei vos fecit eſſe cre-dulum apoſtolici privilegii, quam, ut ita dixe-rim, exempla multorum. Si enim quod quicum-que Deo vovit, hoc debet & reddere, valde opor-tet, ut vos quod ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſpon-te voviſtis, ſine tenus reddere ſtudeatis: non ignorantes quod B. Petrus apoſtolus regni cæle-ſtis claves a Domino Jeſu Chriſto acceperit, & quibuſque fidelibus aperiendi, aliis autem clau-dendi promeruerit poteſtatem. Hac igitur (ſicut & noſtri prædeceſſores) nos poteſtate, licet indi-gni utentes, cogimur, ſi non emendaveritis quod geſſiſtis, & ad præſens vos in hoc ſæculo digne corripere, & ut in futuro, quantum in nobis eſt,

A maledictionibus repleamini, non præterire. Hu-jus rei gratia, fili cariſſime, feſtinate corrigere quod inique geſſiſtis; & omni occaſione, omni-que mora poſtpoſita nobis per veſtrum legatum quidquid ſuper hoc emendare vultis, mandate: quia nos, Deo juvante, omnem voluntatem ve-ſtræ correctionis implebimus, & vos anima & corpore ſalvos exiſtere cupientes cauſam ſecun-dum Deum ordinare ſtudebimus.

## CCXCVIII. AD RICCARDEM AUGUSTAM.

Queritur nullam ſibi contra Sarracenorum excur-ſiones opem ferri: rogat ut ab imperatore ce-leriter poſtulet auxilium: legatum ſuum com-B mendat: petit det operam, ut Angelberga ab exilio revocetur, & Romam mittatur.

*Riccardi Auguſtæ, ſeu Liutwardo Vercellenſi epiſcopo, a paribus.*

TAnta cordis anguſtia, tantuſque dolor & ge-mitus hinc & inde cum irriguis lacrymarum rivulis noſtram ætatem quatiunt, & conquaſſant, tantuſque etiam luctus pro deſolatione terræ iſtius, quam jam funditus a Chriſtiani nominis inimi-cis, & Deo odibilibus Sarracenis deprædatam cer-nimus, nos afficit, & intima noſtra diſſolvit; ut & ſomnus ab oculis, & a guſtu cibus effugiat. Etiam cum Jeremia decantare compellar: *Quis* Jerem. 9.
C *dabit capiti meo aquam? aut oculis meis fontem la-crymarum?* & reliqua. Siquidem expectavimus lu-cem, & ecce tenebras; quæſivimus adjutorium, & muros urbis egredi non audemus. Nam ante veſtrum Romam adventum qualiſcumque nobis erat tranquillitas: modo vero intolerabilis, & im-portabilis perſecutionis extat tempeſtas: quia ne-que ſpiritalis filius noſter Auguſtus, neque alicu-jus alterius gentis homo nobis confert auxilium; & niſi divinitas ſumma ſubveniat, aut in deſpe-rationem aliquam lapſi, (quia non ſolum du-plum, ſicut Dominus dicit, ſed etiam triplum, & quadruplum exercitum contra nos venire con-ſpicimus) ea quæ pacis ſunt, poſtulabimus. Aut certe non ſolum jugo illorum coacti ſubdemur,
D ſed etiam ab eis capti impie jugulabimur. Quia, ſicut ſcitis, ſæpiſſime reclamavimus, & neque ipſe Auguſtus, ut prætulimus, qualemcumque defen-ſionem nobis exhibuit, neque homines civitatum noſtrarum, qui contra Deum, & contra omne privilegium noſtrum ab alienigenis, ac ſi noſtri non fuerint, detinentur, ad ſervitium ſanctæ Ro-manæ eccleſiæ faciendum, ſicut ſolitum erat, ab eorumdem alienigenarum jugo ſubtraxit. His er-go, cariſſima filia, clamoribus, ac ululatibus no-ſtris auditis, quia ſapientibus loquimur, continuo propter Deum, & propter ſanctos ejus apoſtolos, jam dicto ſpiritali filio noſtro Auguſto flexo po-plite ſuggere, ut omnibus omnino neceſſitatibus, aut omiſſis, aut certe ſuſpenſis, ſanctæ matris
E ſuæ calamitati ſubveniat, & conculcationem immo perditionem illius advertens, antequam pereamus, citiſſimum conferat adjutorium, aut congruum ſi-ne mora donet conſilium: quia vita noſtra nobis non prodeſt, & in extremo poſiti, etiam ſi non optaremus, jam mors ſe palam præbet videndam. Præſenti quoque Petro venerabili epiſcopo valde nobis credulo, & dilectiſſimo familiari noſtro, ſummam benevolentiam quæſumus exhibe, & ei utpote a tanta ſede directo, familiaritatis locum apud domnum Auguſtum congruentiſſimum tri-bue, atque ut nobiſmetipſis illi credulitatem pe-nitus adhibens, ea, quæ verbis retulerit, ſtudio

tuo

tuo operibus impleantur. Sed & hoc deprecamur, A ut pro eo, quod apud Ticinum eodem epiſcopo ea, quæ nos illi commiſeramus, ipſi Auguſto neceſſaria exponente, animus illius contra hunc eſt turbatus, tua inſtantia quidquid illud fuerit omnino aboleatur. Et ad hunc eumdem epiſcopum pie tractandum imperialis animus placabilis in cunctis reddatur: quoniam non hæc contumaciter, aut contra Auguſtalem dignitatem protulerat; ſed zelo Dei ductus ad nos inefficax redire nolebat. Poſtremo Chriſti cultrix, & Deo amabilis filia, moleſte accipimus, cur multoties deprecantes ſpiritali filiæ noſtræ Angelbergæ, nullam per vos potuimus conferre medelam; ut diſſoluto exilio ad ſanctum Petrum apoſtolum eam reducere faceremus. Unde etiam nunc ſummope- B re deprecamur, ut pro amore Dei, & noſtro, ſancta ſedes apoſtolica de hoc honoretur. Et ſicut jam dictus Auguſtus vobiſcum pariter repromiſit, a captivitate, qua fruſtra tenetur, ſalva & incolumis reducatur. Quia poſtquam nobis, quibus fuerat commendata, & defenſioni ſancti Petri apoſtoli protectoris ſui commiſſa, reddita fuerit, nullam de ea ſiniſtram quis habere poterit, crede nobis, ſuſpicionem.

## CCXCIX. AD ANSELMUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Mediolanenſis eccleſiæ privilegia confirmat: hortatur ut in Romanam eccleſiam ſit fidelis: nar- C rat Sarracenorum & iniquorum Chriſtianorum injurias: rogat ut pro eccleſia ad Dominum preces effundat.

*Anſelmo archiepiſcopo ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ.*

PRivilegii ſane auctoritati eccleſiæ veſtræ, eo quo fraternitas tua popoſcit modo, pernecesſario apoſtolica fulti moderatione, libenti annuimus animi caritate, ſimulque optantes ut ſemper ea, quæ ad animæ tuæ ſalvationem, tuique gregis cuſtodiam ſunt congrua, atque proficua, Spiritus ſancti infuſione poſtulare, quærere, atque operari .... ne deſinas. Ut ante tribunal æterni D judicis dignam ( gratia ſuæ miſericordiæ cooperante ) ratiocinationem poſiturus, meritum perennis vitæ cum ſanctis accipias. Inter hæc dilectionem tuæ fraternitatis hortamur, ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ, quæ pro vobis omnibus, veſtraque ſalute utpote caput pro ſuis membris laborare non ceſſat, toto annixu mentis, omnique devotione fideles exiſtere omnimodis ſatagatis: quoniam in ejus exaltatione, atque incolumitate, ſicut ab initio, erit omnium veſtrum apud Deum & præſens ſæculum certa ſalvatio. Nos enim in hac terra tam Paganorum, quam malignantium Chriſtianorum tantas perſecutiones patimur ut has verbis explicare non valeamus. Inter innumeras rapinas, deprædationes, & mala E quam plurima, ad augmentum doloris noſtri quidam ſceleratus Longobardus nomine, homo Widonis marchionis, octoginta tres homines cepit: manibus ſingulis detruncatis apud Narnienſem civitatem, plures ex tali ſunt inciſione ſine mora perempti. Unde communi ad Dominum prece ſupplicamus, ut ille eccleſiam ſuam ſanctam de præſentibus malis eripiat, pro qua unigenito filio ſuo non pepercit. Noſque paſtorali ſolicitudine baculum in manibus tenentes, lupis rapacibus, Domino protegente, reſiſtere non omittemus. Data menſe Auguſto, indictione * XII.

* f. xv.

## CCC. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Joannem diaconum benigne excipiat, & res ei ablatas reſtituat.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Romano archiepiſcopo Ravennati.*

QUia non ſolum tempore ordinationis tuæ, te ſcriptis & verbis ſecundum morem, & canonicam ſanctionem, ſed poſtmodum ſæpiſſime admonere curavimus; quatenus cum filiis, & membris ſanctæ tuæ eccleſiæ tranquilla ſemper mente, & alacri affectione, ceu idoneus paſtor exiſteres: valde miramur dilectionem tuam, monita noſtra contemnendo, eis præjudicium, ſicut audivimus, & importabiles gravitates inferre minime recuſaſſe. Unde iterum præſenti apoſtolatus noſtri ſtatuto jubemus fraternitati tuæ, ut huic Joanni venerabili diacono commendato noſtro, qui ad noſtram apoſtolicam ſedem confugiens præjudicium a te ſibi illatum ferre non valens, noſtro ſe petiit apoſtolico præſidio adjuvari, & ideo nos ſolita miſericordia moti apoſtolica tibi benignitate mandamus, ut eum in gremio ſanctæ tuæ eccleſiæ benigne recipias, & monaſteria, ſeu res quas illi tui occupaverunt miniſtri, libenti animo pro amore noſtro præſentialiter reddas. Et quæ de ipſis rebus a tuis ablata ſunt, modis omnibus reſtituas. Ita ſane, ut ei deinceps ad noſtras apoſtolicas aures non ſit neceſſarium reclamare. Similι etiam modo tibi mandamus, ut Joanni venerabili diacono, & chartulario eccleſiæ tuæ monaſterium ſancti Martini, quod a te dudum promeruit obtinere, de præſenti reddere ſtudeas: nos enim hoc patienter ad te peragendum apoſtolica benignitate direximus. Verum, quod non credimus, ſi aliter fraternitas tua peregerit, hi noſtri legati noſtra apoſtolica fulti auctoritate, hoc proculdubio explere ſtudebunt: quoniam juſtum fore decernimus, eos poſt longa obſequia, & diuturna ſervitia, quæ in ſancta Ravennate eccleſia peregerunt, non ſolum digna remuneratione non privari, ſed potius acquiſitis beneficiis alacriter gratulari: & in hoc ita peragat fraternitas tua, ut quæ a nobis pro eccleſiæ tuæ utilitate petieris, aſſequi omnimodis valeas. Data quinto Kalendas Septembris, indictione decima quinta.

## CCCI. AD CLERUM RAVENNATEM.

Ut Maimbertum quemdam, quem alias ab eccleſia Ravennate expelli juſſerat, comprehenſum, legato ſuo & Joanni duci tradant, & ad ſe mittendum curent.

*Omnibus venerabilibus ſacerdotibus, ſeu ſubdiaconibus, & univerſo clero ſanctæ Ravennatis eccleſiæ.*

AUdita ſæpe afflictione atque miſeria veſtra, quam per Maibertum Bononienſem clericum inceſſanter patimini, jam pridem noſtram apoſtolicam miſimus vobis auctoritatem per Joannem diaconum & chartularium præcipientes, ut omnes uno animo conſtantique devotione prædictum Maimbertum manifeſtiſſimum zizaniorum ſeminatorem ab archiepiſcopo, & a veſtra ſancta eccleſia, tanquam ovem morbidam expelleretis; ſed miramur quare hactenus a vobis hoc prætermiſſum ſit: unde nunc veſtra iterum petitione

moti,

A moti, & divino amore ſuccenſi, per hanc noſtram apoſtolicam auctoritatem vobis omnibus præcipimus, ut relecta priori epiſtola unanimiter juncti, & cum præſenti miſſo noſtro fideliter conglobati, eumdem Maimbertum adverſatorem veſtrum, ſi ſponte venire ad nos contempſerit, vel in partem aliquam ire voluerit, audacter comprehendere ſtudeatis: & huic miſſo noſtro ſeu & Joanni duci fideli noſtro ad exigendum ab eo, ſecundum noſtram juſſionem, nobis ad deducendum contradite, ſicut gratiam Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum & noſtram vultis habere. Nam ſi quis veſtrum in hoc ſe quoquomodo ſubtrahens pro cujuslibet rei gratia hanc noſtram juſſionem pro ſtatu & pace ſanctæ Ravennatis eccleſiæ directam gratanter ad effectum perducere contempſerit, & ex Dei omnipotentis ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli, & ex noſtra apoſtolica auctoritate a vino & cocto, etiam & a proprio miniſterio ſuſpenſus maneat uſque ad noſtram præſentiam. Data v. Kal. Septembris, indictione xv.

## CCCII. AD JOANNEM MARTINUM, &c.

Ejuſdem argumenti.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Martino, Joanni, ſeu Demetrio, atque Romano glorioſis ducibus, necnon & aliis fidelibus noſtris.*

OMnium veſtrum noſcat fidelitas, quia ſæpiſſime Romanum archiepiſcopum tam per venerabiles epiſcopos, quamque etiam noſtris apoſtolicis literis admonuimus, ut Maimbertum Bononienſem clericum a ſua ſuperſtitioſiſſima familiaritate ſeparaſſet, & ad propriam eccleſiam, ut canonicum eſt, remiſiſſet, & ipſe Maimbertus multoties, ut recederet, a nobis eſt proteſtatus: ſed minime acquieſcere noſtræ voluerunt apoſtolicæ juſſioni. Idcirco præcipientes præcipimus, & jubentes expreſſe jubemus, ut unanimes juncti ſimul cum iſto fideli miſſo noſtro, omni occaſione poſtpoſita, & dilatione remota, prædictum Maimbertum comprehendatis, & vi coactum ab D archiepiſcopo ſeparetis, & huic noſtro miſſo ſimul & Joanni duci ad exigendum ſecundum noſtram apoſtolicam auctoritatem validiſſime contradatis. Quod ſi in hoc negligentes vos, quorum nomina ſupraſcripta ſunt, fueritis, & ipſe quoquomodo effugerit a vobis; ſcitote, per unumquemque veſtrum centum aureos dabitis noſtræ parti. Inſuper ex Dei omnipotentis ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra apoſtolica auctoritate a vino & cocto ſuſpenſi manete uſque ad noſtram præſentiam: ceteri vero, ſi hoc, quod jubemus, aſſequi noluerint, aut ſubtrahendo quoquomodo ſe huc illuc diverterint, & uſque ad effectum rei non perſeveraverint, ſuperiori excommunicationi ſubjaceant. Data v. Kalendas Septembris, indictione xv.

## CCCIII. AD JOANNEM DUCEM.

Ut Maimbertum captum ad ſe ducat, & mulieres, quæ apud ipſum ſunt, detineat, & Romano archiepiſcopo epiſtolam deferendam curet.

*Joanni duci delicioſo fideli ſeu & miſſo noſtro.*

GRatulatos nos non modice credas, eo quod fidelitas tua erga ſanctam Romanam eccleſiam noſtrumque apoſtolatum conſtanter reperimus * vigilare: & ideo per hos noſtros apoſtolicos apices tuæ fidelitati jubemus, ut de Maimberto modis omnibus ſicut miſiſti, pariter cum iſto miſſo noſtro explere decertes, ut nullo modo effugere poſſit, ſed ſeparatum ab archiepiſcopo vi coactum, poſtquam ab eo omnia ſua conſtanter exegeritis, ad noſtram præſentiam diſtrictum deducere ſtudetote: etiam & illas mulieres, quas nunc in ſua manſione collectas detinet, in noſtro rectorio retinere jubemus uſque ad noſtram notitiam. Epiſtolam vero, quam Romano archiepiſcopo mittimus, ut res, aut monaſteria, quæ ab iſto Joanne diacono fidele commendato noſtro quoquomodo occupavit, reſtituere & inveſtire eum in omnibus ſtudeat, & quæ de rebus ejus ſui famuli abſtulerunt, reddere huic per omnia faciat, ipſi archiepiſcopo deportate, & coram ſacerdotibus, C & judicibus ipſam legere facite; ſimiliter autem & monaſterium ſancti Martini ſecundum noſtram juſſionem, Joanni diacono, & chartulario pro noſtro reddat amore. Nam & manſionem, quam Maimbertus ab ipſo diacono ſuam per fraudulentiam abſtulit, ſimili modo eum cum Petro nepote ſuo inveſtire ſtudete. Data *ut ſupra*, indictione xv.

* reperimur.

## CCCIV. AD RAVENNATES.

Dolet eorum antiſtitis morte: monet, ut electum ab eis archiepiſcopum congruo proſequantur honore: eccleſiam Ravennatem, & Deuſdedit & Joannis ducum bona defendant.

*Sacerdotibus & ſenatui populoque Ravennati fidelibus noſtris.*

RAvennatis antiſtitis, veſtri videlicet patris, obitum audientes, valde dolemus; pro quo ut oretis hortamur: ſolitam vero, tantamque fidelitatem veſtram erga nos unitate vigere cernentes, immo gaudemus, & ut omnipotens interceſſione apoſtolorum principum vos patre deſiderato recuperet, veſtro pro velle decertabimus. Ceterum monentes hortamur, & expreſſe jubemus, ut jam quem unanimiter, quomodo ſcripſiſtis, elegiſtis, unanimiter eum electum teneatis, diligatis, & veſtro de more honoretis: & uſquequo, Deo annuente, præſentia pontificii noſtri deſiderio veſtro E illuxerit, Ravennatem eccleſiam ab omnibus hoſtibus defendite, deprædationibus pro poſſe levate, ne ipſa eccleſia aliquam deprædationem ſuſtineat: quoniam nos hoc inultum nunquam dimittemus, & prædatores prædatorumque receptores legali vigore modis omnibus feriemus. Porro præcipimus, ut res mobiles, & immobiles, ſeſeque moventes, Deuſdedit, & Joannis glorioſorum ducum noſtrorum conſiliariorum ſalvare, & in illas, quas haſtenus invaſas habuerunt, nullam invaſionem facientes, illorum hominibus defendite: jam quia noſtro utuntur ſervitio, noſtra modia,

dis omnibus debent perfrui defenſione, ſervatori A hujus juſſus, gratia corruptoris pro juſſu erit nihilo minus compoſitori. (Locus corruptus)

## CCCV. AD HUGONEM ABBATEM.

Hortatur ſuadeat Ludovico regi ut ad ſe veniat: monet etiam, ut ſe a quorumdam communione ſeparet.

*Hugoni ſtrenuo, nobili, regali proſapiæ edito, atque excellentiſſimo abbati.*

QUanto vos, cariſſime fili, amore diligimus celeberrima fama veſtri boni operis circumquaque accenſi, explicare verbis nullatenus poſſumus. B Quapropter, ut noſtro deſiderio præſentiæ veſtræ capiamus effectum, mature volumus hortemini Ludovicum regem filium noſtrum, voſque cum eo ad nos concite properare: quatenus, Chriſto cooperante, exaltationem totius Chriſtianitatis communiter operemur. Sic agat veſtra dilectio, ut triſtitiam, quam animo de veſtra abſentia nuper Papia intuliſtis, lenire moderatiſſime valeatis. Inter hæc ab omni te conſortio Formoſi anathematizati optamus, fili cariſſime, ſeparare, Joannis archiepiſcopi * Rodomenſis *, Adelardi Turonenſis *, Frotarii Bituricenſis *. Data *ut ſupra*.

(* al. Rodomenſis. * id eſt, Rotomagenſis, nec quicquam mutandum. Edit. Rom. Beduticaus.)

## CCCVI. AD CAROLUM REGEM.

*Embolum ut Carlomannum regem in eccleſiæ Romanæ dilectione confirmet.*

JAm quod te, cariſſime fili, tantæ devotionis, tantæque fidelitatis erga veſtræ matris Romanæ eccleſiæ pontificium eſſe videmus, tanquam utero natum monentes rogamus, flagitantes hortamur, ut pro amore apoſtolorum principum, quaſi veſtro proprio conſulto, nec repræſentaliter, Carolomanno glorioſo regi mittatis, conſilium dantes, ut antiquos honorans amicos, truens caritate, ad parentum conſilium redeat, & de epiſtolis, quas illi ex maritimo itinere remiſimus, reſpondeat, & Romanam eccleſiam, quæ vobis utriſque omnibus decus regale & imperiale intulit, venerando diligat, mittens præſentialiter ipſis anathematizatis Lamberto & Adalberto. Data *ut ſupra*. D

## CCCVII. AD SUPPONEM COMITEM.

Mandat ut ad montem * Ciniſem obviam ſibi veniens, imperatricem Angelbergam, & præſules Mediolanenſem & Parmenſem idem facere moneat, ut ſimul quæ ad utilitatem eccleſiæ pertinent tractare valeant. (* Cinisium.)

*Dilectiſſimo filio Supponi glorioſo comiti.*

QUia nos, in quibus, Deo diſpenſante, fines ſæculorum devenerunt, pro ſanctarum Dei eccleſiarum ſtatu variis motibus ducimur, diverſiſque fluctuum procellis impellimur, ſed tamen non deſtituimur propter eum, qui nos confortat Chriſtum Jeſum, ſervata prædeceſſorum noſtrorum fide proli Francorum, ad Gallias properantes idcirco venimus, ut pacis, atque unitatis vinculo regum corda connecteremus. Sed completum videmus, quod in evangelio legimus: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcit caritas multorum*. (Matth. 24.) Quapropter veſtræ dilectioni fidentiſſimæ, & probatæ fidei mandamus, ut nobis cum officio decentiæ E veſtræ, ad montem Ciniſem obvii quantocius veniatis, ut pariter convenientes, quæ ad utilitatem congruunt, Domino permittente, tractare valeamus. Simulque hoc precamini dilectam filiam noſtram Angelbergam imperatricem, atque Anſpertum archiepiſcopum Mediolanenſem, Wibbodumque Parmenſem epiſcopum, alioſque fideles atque amicos. Data *ut ſupra*.

## CCCVIII. AD JOANNEM EPISCOPUM FICOCLENSEM.

Viſitationem Faventinæ eccleſiæ paſtore deſtitutæ, ejuſque curam ei committit, donec novus paſtor eidem præficiatur

*Joanni epiſcopo Ficoclenſi.*

OBitum Romani Faventinæ civitatis antiſtitis directa dudum relatio patefecit: quapropter viſitationis deſtitutæ eccleſiæ fraternitati tuæ operam ſolenniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de * provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud eſt in patrimonio eodem, a quoquam præſumatur eccleſiæ; & ideo * eccleſia tua ad prædictam eccleſiam ire procuret, ut quidquid utilitati illius congruit, interim ſolerti cura prævideat, quouſque, qualiter ſe habeat electio, vel ordinatio ſuccedentis epiſcopi coram nobis ſynodali diſcutia- C tur examine, & apoſtolica terminetur, Deo juvante, cenſura. Data XIII. Kal. Auguſtas, indictione XIV.

(* forte proventibus. * fraternitas)

## CCCIX. AD ALDEFONSUM * REGEM.

(* Hic inchoatur appendix epiſtolarum in editionibus Blaiana & Luparaa.)

Ovetenſis eccleſia Gallæciæ metropolitana efficitur.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Aldefonſo regi Chriſtianiſſimo, ſeu cunctis venerabilibus epiſcopis, abbatibus, vel orthodoxis Chriſtianis.*

D QUia igitur in cura nos totius Chriſtianitatis B. Petri apoſtolorum principis ſempiterna providentia efficit ſucceſſores, ea Domini noſtri Jeſu Chriſti conſtringimur adhortatione, qua beatum Petrum apoſtolum monuit, dicens quadam * voce *: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*, & reliqua. Hinc rurſus imminente Domini noſtri articulo glorioſæ paſſionis, inquit: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Ideoque quia veſtræ notitiæ fama per hos fratres limina apoſtolorum luſtrantes, per Severum * & Deſiderium presbyteros nobis miro odore bonitatis eſt revelata, paterna vos adhortatione commoneo, in cœptis bonis operibus, gratia duce, perſeverare, quatenus copioſa vos beati Petri protectoris veſtri & noſtra protegat benedictio. Et quotieſcumque, fi- E lii cariſſimi, ad nos venire quilibet veſtrum, aut tranſmittere voluerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de ultimis Gallæciæ finibus, cui vos præter me Dominus rectores conſtituit, tanquam jure filios noſtros, vos colligimus: & eccleſiæ Ovetenſi, quam veſtro conſenſu & aſſidua petitione metropolitanam conſtituimus, omnes vos ſubditos eſſe mandamus. Et concedimus etiam prædictæ ſedi, ut ea quæ reges, ſeu * fideles juſte obtulerunt, vel in futurum, Domino opitulante, contulerint, rata, firma, & inconcuſſa manere in perpe-

(* vice * privilegii Matth. 16 Luc. 22. * presbyterum & Synderedum * quilibet fidelis)

petuum præcipimus. Hos quoque latores literarum noſtrarum omnes hortor ut habeatis commendatos. Bene valete.

## CCCX. AD ALDEFONSUM * REGEM.

[Hæc & ſuperior epiſtola habentur in hiſtoria Sampiri. * Adefonſo]

Monet eccleſiam ſancti Jacobi conſecrari.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Aldefonſo glorioſo regi Gallæciarum.*

LIteras devotionis veſtræ ſuſcipientes, quia devotum vos eſſe cognoſcimus erga veſtram ſanctam eccleſiam, gratias vobis multiplices referimus, Dominum exorantes, ut vigor regni veſtri * abundet, de inimicis veſtris victoriam vobis concedat. Nam nos, fili cariſſime, ſicut petiſtis, ſedulas preces Domino fundimus, ut regnum veſtrum gubernet, vos ſalvos faciat, cuſtodiat, & protegat, & ſuper inimicos veſtros erigat: eccleſiam autem B. Jacobi ab Hiſpanis epiſcopis conſecrari facite, & cum eis concilium celebrate. Et nos quidem, glorioſe rex, ſicuti vos, a Paganis jam conſtringimur, die ac nocte cum illis bella committimus; ſed omnipotens Deus * dat nobis de illis triumphum. Hujus rei gratia rogamus dilectionem veſtram, & * animum depremamur, ut quia, ut diximus, valde a Paganis opprimitur, aliquantos utiles & optimos Mauriſcos cum armis, quos Hiſpani cavallos Alpharaces vocant, ad nos dirigere non omittatis. Qualiter nos recipientes, Dominum collaudemus, vobis gratias referamus, & per eorum portatorem de benedictionibus S. Petri vos remuneremus. Bene vale, dilectiſſime fili & clariſſime rex.

[* abunde] [* det] [* nimium]

## CCCXI. AD CLERUM SALERNITANUM.

*Joannes VIII. clero & ordini Salernitano.*

DE illis presbyteris qui tempore ſanctiſſimi deceſſoris noſtri domini papæ Nicolai excommunicati ſacrum miniſterium contingere præſumpſerint, ipſi in ſe damnationis, ſicuti ſancti canones ſtatuunt, ſententiam incurrerunt. Tamen quia miſeratio apoſtolica veniam ſolet præſtare correctis, ob multitudinem miſericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, ut ſancta communione deſaginati ſtudeant tribus continuis annis per hebdomadam omni ſecunda & ſexta feria, aut a vino, aut a * cibo penitus jejunare, & ultra lugenda nequaquam committere.

[* ſ. cocto, ut alibi legitur]

## CCCXII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

*Joannes VIII. Michaeli regi Bulgarorum.*

SI ab his quos excommunicatos habebamus ſacramenta quæcumque ſuſcipitis, conſtat quia idololatriam, non ut catholici eſſetis, ſed ut ſchiſmatici efficeremini, * deliquiſſe videmini.

[* Pro, dereliquiſſe. H.]

## CCCXIII. AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

Vices ſuas in Gallia & Germania committit Anſegiſo archiepiſcopo Senonenſi.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus ſanctiſſimis epiſcopis per Gallias & Germanias conſtitutis.*

VEſtræ omnium innoteſcimus ſanctitati, quia pro alleviandis multiplicibus oneribus eccleſiaſticis, quibus quotidie ſatis abundeque deprimimur, quibus maxime ſuper negotiis ex Galliarum & Germaniarum partibus nobis aſſidue deſtinatis arctamur, [1] Anſegiſum fratrem & coepiſcopum noſtrum Senonenſis eccleſiæ præſulem, qui quoties utilitas eccleſiaſtica dictaverit, ſive in vocanda ſynodo, ſive in aliis negotiis exercendis per Gallias & Germanias vice noſtra fruatur. Et volumus, ut decreta ſedis apoſtolicæ per ipſum vobis manifeſta efficiantur, & rurſus quæ geſta fuerint, ejus nobis relatione, ſi neceſſe fuerit, pandantur: ut majora negotia ac difficiliora quæque ſuggeſtione ipſius a nobis diſponenda & enucleanda quærantur. Quapropter vos huic piæ ſanctioni omnimodis intendentes, quæ ſuper hoc apoſtolica auctoritate decernimus unanimes admittite. Talem quippe illum agnovimus, talemque circa ſedem apoſtolicam devotum & in commiſſo fidelem reperimus, ut merito ei talia committi poſſe ducamus: quin & his majora conferri debere illi ſine cunctatione credamus, pro ſua ſcilicet ſanctitate, & fidei merito, atque divinitus ſapientiæ dono conceſſo. Optamus vos bene valere. Data IV. Nonas Januarias, indictione IX. *Recitata in ſynodo Pontigonenſi.*

### NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1. *Anſegiſum fratrem.*) Quem ex abbate S. Michaelis in epiſcopatu Bellovacenſi ad Senonenſem cathedram evectum didicimus anno DCCCLXXI. Romanæ ejus legationis, cum adhuc abbas eſſet, meminit Aimoinus lib. V. c. XXVII. Perverſe autem faciunt, qui hunc cum altero antiquiore Anſegiſo confundunt abbate Lobienſi, qui Caroli Magni & Ludovici Pii capitula in quatuor libros digeſſit anno DCCCXXVII.

## CCCXIV. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Ut in locum Hincmari ordinetur epiſcopus in Eccleſia Laudunenſi.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.*

* QUamvis de ſanctitatis tuæ judicio nihil dubitaſſemus, quia tamen cariſſimus filius noſter Carolus invictiſſimus imperator, a nobis diligentiſſime percunctatus, circumſtantiam judicii a beatitudine tua, coepiſcopiſque ſuis, in Hincmarum dudum Laudunenſem epiſcopum prolati apoſtolatui noſtro retulit, agnovimus juſtum fuiſſe omnino judicium. Neque enim tantus princeps niſi veritate fultum quidquam poterat affirmare. Unde nefas eſſe duximus ejus relationi non præbere incunctanter auditum. Noli ergo jam nunc eccleſiam Laudunenſem viduatam, & ſine regimine paſtorali dimittere: ſed indifferenter electum, & de Laudunenſis eccleſiæ clero, virum idoneum, & in quo omnium vota conſentiant, eidem eccleſiæ præfice prorſus epiſcopum. Cui electioni volumus etiam miſſum præfati piiſſimi imperatoris intereſſe, ut ſine ſæcularium ſtrepitu omni latere talis eligatur, qui aptus ſacris canonibus eſſe modis omnibus approbetur. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. *Data eſt Romæ Theodorico, juſſu papæ Joannis, & domni Caroli novi imperatoris, per manus Anaſtaſii, bibliothecarii, in ſecretario eccleſiæ ſancti Petri, anno incarnationis dominicæ* DCCCLXXVI. *Nonis Januarii, indictione* IX. *Et delata eſt ab eodem Theodorico in civitate Rhemis Hincmaro Rhemorum archiepiſcopo, eodem anno, & eadem indictione V. Idus Martii.*

## Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

1 *Quamvis de ſanctitatis tuæ.* ) Superſtite Hincmaro Laudunenſi alium in ejus locum ſubrogari jubet, Carolo imperatori de illius depoſitione aſſentiens, quam Hadrianus improbarat. Itaque tertio poſt menſe electus eſt Hedenulfus.

## CCCXV. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI REGIS BAIOARIÆ conſtitutos.

Arguit eos quod Ludovicum regem ab invadendo Caroli fratris abſentis regno non cohibuerint, monetque ut legatis, quos ad examinanda inter utroſque negotia mittit, ſatisfacere ſtudeant.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus reverentiſſimis, & ſanctiſſimis archiepiſcopis & epiſcopis in regno Hludovici glorioſi regis Bajoariæ conſtitutis.*

Apoſtolicæ moderationis ordinem ſequimur, ſi eccleſiarum Dei ſolicitudinem retinentes, pro domo ſpiritalis Iſraelis murum correctioni opponimus, & concordantes animos, aut ſub eccleſiaſticæ pacis unione complectimur, aut diſcordes ad concordiæ gratiam revocamus, aut certe inter nos & illos qui apoſtatæ angeli, zizanii ſcilicet ſeminatoris, fraudibus irretiti, ſanctæ ſedi apoſtolicæ concordare deſpiciunt, ſartaginem ferream juxta Ezechielis prophetæ magiſterium collocamus. Reverſurus enim ad Patrem Dominus pacis bonum diſcipulis attentius commendavit: eamque quaſi teſtamentum firmiſſimum futuris hæredibus dereliquit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, & beatus apoſtolus Paulus ait: *Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ:* quia videlicet ad unam vocationis ſpem nequaquam pertingunt, ſi non ad eam cum proximis unita mente curratur. Quapropter ſicut filii Dei, qui ex teſtamento ejus ſibi per apoſtolos derelicto pacem cuſtodiunt, ita nimirum diaboli ſunt filii, qui pacem confundunt. Ille quippe ab initio mendax fuit, & in veritate non ſtetit, ejuſque invidia, ſicut ſcriptum eſt, mors introivit in orbem terrarum. Nam dum protoplaſtis invidens, deceptionis laqueum jam deceptus utique a ſemetipſo compoſuit, mortis poculum mortalibus propinavit; & quos immortales obedientiæ merito futuros noverat, inobedientiæ veneno infecit, ſicque in omnes homines mortis ſententiam vitæ hoſtis induxit. Denique eiſdem laqueis, quibus protoplaſtos deceperat, adhuc Adæ filios jugulat, & odio ſuæ ambitionis fraterna corda diſſociat: ita ut quos unum patris femur tenuerat, jam Galliæ omnes non capiant, fraternis provectibus frater invideat, & quem monitis apoſtolicis ſæpius etiam in duriſſimis caſibus obſequentem ſequi deſpexerat, hunc a ſede apoſtolica ſibi prælatum doleat, immo ut Cain fratris hoſtia, ſcilicet obedientia, ſtimulatus, contra fratrem frendens occurrat: fideles ejus fraudibus diverſis inficiat, ad pejerandum terribilis Dei nomen impellat, pacem regni diuturno fratris ſtudio radicatam corrumpere geſtiat, & lactatus a peccatoribus, ſuis dumtaxat complicibus acquieſcens, pedes ſuos ad malum currere faciat, madentibus adhuc campis Fontanicis, quos in juventute ſua humano ſanguine tinxerat, in ſenectute decrepita, minarum & cædis ſpirans, ad fundendum Chriſtianorum multorum ſanguinem pro ſua ſingulari ambitione diſcurrat. Et qui amore fratris a ſede apoſtolica obedientiæ ſuæ merito benedictionem ſperare, ſuumque piis operibus propagare debuerat, alterius regnum pervicaciter ſibi ſuis armis ſubjugare deſiderat, ſcilicet ut quos armis acquirit, ditione poſſideat, & colla veteris libertatis ingenua nova ſervitute proſternat. Quis hoc, dilectiſſimi nobis, niſi antiquus humani generis adverſarius, inter tales ac tantos fratres, quos nos pari ſpiritus amore complectimur, per ſuos ſatellites operatur? qui dum bonorum provectibus invidet, in agro ſanctæ Dei eccleſiæ ſemper zizania ſeminare contendit. Quis hoc, cariſſimi, niſi diabolus operatur? qui Caroli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis invidens, ejuſque religioſum propoſitum longius propagari paveſcens, levibus primo jaculis, quamquam frequentibus, laceſſivit: deinde adverſitatibus multis, quaſi duriſſimis arietibus ſtimulavit: fideles ejus frequentiſſime rebellare ſuaſit: in procinctu contra Northmannos pro eccleſiæ Dei liberatione pugnanti, & inimicos crucis Chriſti uſque ad ultimam deditionem conſtringere ſatagenti, ſenioris veſtri utrimque animum ad invaſionem relicti imperii ſuſcitavit: ipſos familiares, ipſum poſtremo filium, ad ejus extinctionem hoſtiliter provocavit. Et ne quandoque ad imperium, quod ei conſtat non humano collatum beneficio, licet per noſtræ mediocritatis miniſterium, ſed divino, pertingere potuiſſet, tota fraudulentiæ ſuæ virtute prohibuit, tota conſilii ſui verſutia debellare contendit. Sed Deus omnipotens, cujus providentia per mutabilium rerum principes mundi latitudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudiri voluit, deprimi penitus, ſicut vobis eſt cognitum, nunquam permiſit. Et afflictiones ſanctæ ſuæ eccleſiæ per eum ſpecialiter, ſicut divinitus revelatum fuerat, & nunc veraciter credimus, tandem aliquando revelare contendens, hunc, a deceſſoribus noſtris, reverendæ ſcilicet memoriæ Nicolao & Hadriano pontificibus, diu quidem deſiderari voluit: tandem uſque ad hæc periculoſiſſima tempora, quibus a Belial filiis pene tota vallatur Italia, miſericorditer reſervavit, angelicis ductibus vias ejus per invia loca direxit, fruſtratis inſidiis ei compoſitis liberavit, paludes lubricas equitabiles reddidit, vada profundorum fluminum multis ſæculis incognita tranſmeabilia demonſtravit: ei elementis contra naturam cedentibus diffidentium corda perterruit: non ſolum ſine ſanguine, verum etiam cum magnis honoribus, hinc inde gaudentibus populis, Italiam penetrare permiſit, & per apoſtolicæ ſedis privilegium, cunctorum favoribus approbatum ſceptris imperialibus ſublimavit: ut qui per tot annos, communibus peccatis merentibus, pro defectibus ſanctæ Dei eccleſiæ diverſis modis affligimur, per ejus ſolicitudinis expertam prudentiam conſolemur, per quem Gallicanarum eccleſiarum ſtatus, & totius religionis vigor illis in partibus plauſibiliter refloruiſſe cognoſcitur. Hæc itaque hoſtis humani generis futura proſpera præcavens, dilecti filii noſtri Hludovici glorioſi regis veſtri, ſi tamen filius dici meretur, qui apoſtolicæ ſedis monitis per anteceſſores noſtros, perque nos ipſos prolatis, ſemper inobedientiſſimus extitit, ſi glorioſus dici debet, cui contra Chriſticolas bella geri placuit, nullos habitura triumphos, ſi rex dici poteſt, qui ſemet ipſum regere noluit, quo minus contra fratris abſentiam inglorius pugnaviſſet, animos incitavit, ut neque divinum timorem præ oculis retinens, neque imminens ſibi judicium provectæ ſenectutis agno-

agnoſcens, neque ſanguinis affinitatem fraterna que pacta perpendens: ſed neque Chriſtianæ religionis diſciplinam cuſtodiens: tam deceſſorum noſtrorum ſcripta, quam recentia noſtra monita religioſorum principum, & quod eſt mirabilius, contra conſuetudinem tyrannorum veterum, parvipendit, & indictum ſibi a nobis tempus cum mediantibus nobis cum fratre jure paciſceretur, præripiens, quantum in ſe fuit, per veſtram negligentiam ſive condeſſenſionis audaciam, fratris abſentis regnum pervaſit, ac per hoc totius eccleſiæ Dei pulchritudinem maculavit, pacem corrupit, religionem fugavit, & ut cum Terentio compendioſe dicamus, dum in alieno bonorum extortor & legum contortor apparuit, cunctis criminibus licentiam relaxavit. Nos etenim, quamvis illum, quem interim filiolitatis amore complectimur, oppido reprehenſibilem non negemus, vos tamen multo reprehenſibiliores agnoſcimus, qui in illis partibus ſacerdotali magiſterio præditi, & apoſtolatus noſtri recentibus monitis inſtituti, dum ex officio veſtro reſtitiſſe libere nunquam videmini, procul dubio conſenſiſſe probamini, & vos qui paſtores dicimini, gregem vobis creditum quia non retraxiſtis, utique ad præcipitium provocaſtis. Et ubi eſt, quæſumus, quod vicem Chriſti in eccleſia fungimur, ſi pro Chriſto contra inſolentiam principum non luctamur; [Ephes. 6.] præſertim cum ſecundum apoſtolum non ſit nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates. Ubi eſt quod epiſcopi dicimur, ſi de ſublimibus eccleſiaſticæ diſcretionis ſpeculis gladium venientem non cernimus, cernentes ut devitetur annunciare diffugimus? Enimvero ſacerdotes non ad gratiam, ſed ad pompam immerito dici cognoſcimur, ſi quos docere debuimus ſequi contendimus, ſi quos corrigere debuimus, ſaltem verbis paſtoralibus non terremus. Hinc Dominus per Iſaiam prophetam ſacerdotum taciturnitates increpat dicens: [Iſai. 56.] *Canes muti, non valentes latrare*. Hinc per Ezechielem ſacerdotum negligentias arguit dicens: [Ezech. 13.] *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini*. Ex adverſo quippe aſcendere eſt, pro defenſione gregis libera voce hujus mundi poteſtatibus contraire: & in die Domini in prælio ſtare eſt, pravis decertantibus ex juſtitiæ amore reſiſtere. Quod rurſum per eumdem prophetam deterret inquiens: [Ezech. 33.] *Si non annunciaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram*. Quid ad hæc dicemus, fratres? Forſitan ideo vos excuſabiles creditis, quia regem non arguendum dicitis, ſed monendum. Ad hæc apoſtolica tuba reſpondet: [Act. 5.] *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*: & Paulus Timotheo: [2. Tim. 4.] *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Item Tito: [1. Tim. 6.] *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſuperbe ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum ſuarum*. Aut perſecutionem quamlibet præcaviſtis. Sed a Domino juſſum eſt ita: *Cum vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Aut mortem, quæ cunctis ultima pœna eſt, timuiſtis. Sed idem redemptor noſter in evangelio nos hortatus eſt dicens: [Matth. 10.] *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*: Verum quia nihil horum, quia nec inferendum vobis ab aliquo fuerat, timuiſtis, reſtat procul dubio, quia non ſolum ſecundum prohibitionem ſedis apoſtolicæ compatriotas veſtros ab invaſione regni alterius ſacerdotaliter non vetuiſtis, immo cupiditati eorum veſtri favoris conniventiam ſociantes, quaſi pulvillos ſub cubito eorum manuum conſuiſtis, & illud Væ vobis propheticum maturaſtis, quo dicitur: [Ezech. 13.] *Væ his qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*. Quaſi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, dum correctionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla contradictionis aſperitas pulſat. Sed hæc rectores qui ſemetipſos diligunt, his procul dubio, juxta quod beatus prædeceſſor noſter Gregorius meminit, exhibent, a quibus ſe minus poſſe ſtudio gloriæ temporalis timent. Quid igitur, fratres, ſi tamen adhuc fratres dici meremini, qui ſedis apoſtolicæ ſalubria monita contemnentes pro Chriſto legatione functi non eſtis, vobis agendum eſt, niſi ut tandem aliquando, cum ſancta ſede apoſtolica ſentientes, tam dilectum filium noſtrum Hludovicum regem veſtrum, quem paternis affectibus adhuc complectendum decernimus, quam cunctos illius regni ſubditos, voce libera moneatis, & ab invaſione ſive oppreſſione imperii dilecti filii noſtri Caroli ſemper Auguſti penitus compeſcatis? nunquamque de reliquo, ſive blandimentis, ſive terroribus, conſenſum quemlibet favoremve præſtetis ad funeſtum prælium conferendum, & Chriſtianorum ſanguinem profundendum, ſi non vultis, amiſſis ſacerdotalibus infulis, ab apoſtolica communione præſentialiter ſequeſtrari, & perpetuis anathematis vinculis, quod nunquam cupimus, obligari? Nam cujuſcumque ſit gradus, ordinis, ſublimitatis, ſive profeſſionis, qui cum præſentibus legatis noſtris, Joanne Siculenſi, itemque Joanne Tuſcanenſi, venerabilibus epiſcopis, quos vice noſtra * illas in partes ad examinanda ſimulque diffinienda canonice ſive legaliter, quæ hoc anno inter utroſque emerſere negotia, convenire in loco ab eis deſignato, eiſque ſatisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis, veniam ſibi deinceps noverit denegari: nec amodo communionis noſtræ, ut verbis ſanctiſſimi noſtri prædeceſſoris utamur, futurum eſſe conſortem, quiſquis eſſe noluerit diſciplinæ. Optamus ſanctitatem veſtram ſedis apoſtolicæ monitis obſequentem ſemper in Chriſto bene valere.

[* Forte deeſt miſimus Harduinus.]

*Recitata in ſynodo Pontigonenſi.*

## CCCXVI. AD COMITES IN REGNO LUDOVICI REGIS BAJOARIÆ conſtitutos.

Arguit eos, quod Caroli regnum pervadere tentarint; monetque ut Ludovicum regem ab ea mente revocent, & ut legatis, quos mittit, ſatiſfacere non detrectent.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus glorioſis comitibus in regno Hludovici regis Bajoariæ conſtitutis.*

MInisterii noſtri eſt, univerſalis eccleſiæ Dei ſolicitudinem, ſecundum beati Pauli apoſtoli ſententiam, circumferre, & quid in qualibet mundi parte congruat, ſive non congruat, cenſoria gravitate depromere: quatenus oves dominicæ, quæ vocem paſtoralis noſtræ ſolicitudinis cognoſcentes, paſtorum principem humiliter audiunt, in ovile dominicum recognitæ collocentur, & oves morbidæ, quæ pervicaciter negligunt, ab ovili dominico, ne ſanas vicini pecoris contagio lædat, quia nimirum multa corporibus tranſitione nocent, per apoſtolicæ auctoritatis miniſterium repellantur. Scriptum quippe eſt: [Jerem. 15.] *Si ſeparaveris ca-*

*Matth. 7.* *rum a vili, quaſi os meum eris;* & iterum: *Au*
*ferte malum de medio veſtri:* & Dominus in evan-
gelio præcipit, ut ſi oculus, pes, vel manus ſcan-
dalum nobis generat, abſcindatur atque projicia-
*Matth. 18.* tur: & illud poſt alia: *Si eccleſiam non audierit,*
*2 Theſſ. 3.* *ſit ſicut ethnicus & publicanus.* Item apoſtolus: *Si*
*quis non obedierit verbo noſtro per epiſtolam, hunc*
*notate, & non commiſceamini cum illo.* Quibus te-
ſtimoniis evidentiſſime provocamur, ut vos, quos
contemptis apoſtolicæ ſedis epiſtolis, regnum di-
lecti filii noſtri Caroli Chriſtianiſſimi imperato-
ris, contra interdictum noſtrum, immo contra Dei
omnipotentis timorem, pervadere, ſicut audivi-
mus, pacemque ſanctæ Dei eccleſiæ corrumpere
tentaviſtis, a corpore totius ejuſdem eccleſiæ,
quam per anteceſſores noſtros, perque noſmet-
ipſos, vos ſuis epiſtolis commonentem audire ha-
ctenus noluiſtis, ſequeſtrari præſentialiter debea-
tis. Sed quoniam ſanctæ ſedis apoſtolicæ miſera-
tio vos interim filiorum dilectione complectitur,
& diſſimulare peccata veſtra magis quam punire
velle cognoſcitur, has iterum caritati veſtræ ſan-
ctæ Dei eccleſiæ literas deſtinamus, hortanteſque
inſtamus, ut divini judicii memores, & fraterni
fœderis recordantes, imminentemque veſtræ voca-
tionis diem ultimum præcaventes, fraudem diabo-
licam, per quam mors introivit in orbem terra-
rum, effugiatis: diſcordiam, quæ nutrix eſt cun-
ctorum criminum quaſi venenum peſtiferum de-
clinetis: ne ſimiles ei efficiamini, de quo Salo-
*Prov. 6.* mon ait; *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore*
*perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur,*
*pravo corde machinatur malum, & in omni tempo-*
*re jurgia ſeminat.* Pacem & ſanctimoniam, ſine
qua nemo videbit Deum, diligatis: quoniam ſi-
cut pacifici ſunt a Domino non ſolum beati, ſed
etiam filii Dei vocati: ita ſatanæ ſunt filii, qui
pacem confundunt. Nam diſcordes tamdiu nul-
lum boni operis Deo ſacrificium immolant, quam-
diu a proximorum caritate diſcordant. Unde per
*Matth. 5.* Matthæum præcipitur: *Si offers munus tuum ad*
*altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus ha-*
*bet aliquid adverſum te, relinque munus tuum an*
*te altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, &*
*tunc veniens offer munus tuum.* In qua dominica
præceptione penſandum eſt, quorum hoſtia reſ-
puitur, quam intolerabilis culpa monſtratur. Cum
enim mala præterita bonis operibus diluantur,
penſare debetis, o prudentiſſimi comites, quanta
ſunt mala diſcordiæ, quæ niſi extincta fuerint,
bonum fieri ſubſequi non permittunt. Quis
itaque, dilectiſſimi, vos ad tantæ diſcordiæ crimi-
na, niſi antiquus humani generis adverſarius, pro-
vocavit? qui ex angelo factus apoſtata bonæ meſ-
ti ſemper zizania ſuperſeminare laborat. De cu-
*1 Petr. 5.* jus aviditate per apoſtolum dicitur: *Adverſarius*
*veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens*
*quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Et certe
fides ſine operibus mortua eſt: & beatus Paulus,
collatis multis virtutibus, caritatem, quæ multi-
tudinem peccatorum operit, prætulit dicens: *Sive*
*1 Cor. 13.* *prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive*
*ſcientia deſtruetur:* & infra: *Nunc autem manent fi-*
*des, ſpes, caritas, tria hæc, major autem his eſt*
*caritas.* Unde bene per Joannem dicitur: *Deus*
*1 Joan. 4.* *caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo ma-*
*net, & Deus in eo.* Conſtat ergo, quia qui in
Deo non manet, in diabolo manet, cujus mem-
bra ſunt omnes qui jurgia ſeminant, & eccleſia-
ſticam diſciplinam recuſant, quibus veraciter di-
*Joan. 8.* citur: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Qui videlicet Ca-
roli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis invi-
dens, ejuſque religioſum propoſitum longius pro-

A pagari paveſcens, multis adverſitatibus laceſſivit,
fideles ejus frequentiſſime rebellare ſuaſit: in bel-
lo contra Northomannos pro eccleſiæ Dei libera-
tione pugnanti, eoſque uſque ad ultimam dedi-
tionem compellere ſatagenti, ſenioris veſtri, pa-
rentum quoque, ſive veſtrum animum ad invaſio-
nem relicti ejus imperii, ſicut & modo feciſſe di-
gnoſcitur, ſuſcitavit. Ipſos familiares, ipſum po-
ſtremo filium, ad ejus exterminium hoſtiliter pro-
vocavit: & ne quando ad imperium, quod ei con-
ſtat non humano collatum beneficio, licet per no-
ſtræ mediocritatis miniſterium, ſed divino, per-
tingere potuiſſet, tota fraudulentiæ ſuæ virtute
prohibuit, tota conſilii ſui verſutia debellare cer-
tavit. Sed Deus omnipotens, cujus providentia
B per mutabilium rerum principes totius mundi la-
titudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudi-
ri frequentibus voluit; deprimi penitus, ſicut a
vobis crebro probatum eſt, nunquam permiſit, ut
ſcilicet futurus imperator in regni poteſtate diſce-
ret, quantum timere Dominum in proſperis, quan-
tum in adverſis Deo confidere debuiſſet. Et qui-
dem reprehenſibilis eſſet, ſi metas ſui regni in-
grediens fines alterius uſurpaſſet, ſi fideles alte-
rius ſolicitans, ad perjurium, ſicut vos feciſſe pro-
bamini, compuliſſet, ſi pacem regni, ſicut vos
facitis, temeraſſet. Nunc vero, cum divinitus
præſcitus & prædeſtinatus, non a ſemetipſo, ſed
ab eccleſiæ Dei filiis invitatus advenerit, ſine ſan-
guine, ſola ſua benevolentia hujus Italiæ fortiſſi-
C mos ſibi duces devinxerit, angelico munere vias
ſuas per invia loca directas inſpexerit, fruſtratis
inſidiis ei compoſitis divinitus liberatum ſe ſenſe-
rit, paludes invias ſibi pervias factas invenerit,
vada profundorum fluminum, velut alter dux
Iſraeliticus, exercitibus ſuis pene ſicca repererit,
miramur & obſtupeſcimus, cur eum a Domino
prælatum non intelligitis vos, qui ſenſibiles eſtis,
quem elementa inſenſibilia ſenſiſſe videntur. Mi-
ramur & obſtupeſcimus, cur parricidalia contra
eum arma ſuſtollitis, quem ab ipſa ſua infantia
multis adverſitatibus fatigatum vidiſtis, ſuperatum
vero protegente Domino minime cognoviſtis. Mi-
ramur, inquam, & obſtupeſcimus, cur eum,
quem obedientiæ ſuo merito vobis divinitus præ-
D latum cognoſcitis, non ſicut revera imitabilem
ſequimini, ſed ſicut deteſtabilem, quantum in vo-
bis eſt, perſequi laboratis. Cum ſi exemplo illius
obedientiæ vos ſancta ſedes apoſtolica ſibi aliquo-
ties devotiores cognoſceret, benedictionis ſuæ vos
& in hoc ſæculo gratia debriaret, & in futuro ad
hæreditatem regni cæleſtis admitti ſuis continuis
precibus impetraret. Sed quando ſanctæ ſedis apo-
ſtolicæ debitam vos obedientiam ſervaturos puta-
bimus, quos contra Dei omnipotentis ordinatio-
nem tam manifeſtis indiciis rebellare videmus?
Neque enim contra Carolum eſt murmur veſtrum,
ſed contra Dominum, cujus eſt regnum, & cui
voluerit ipſe dat illud, qui etiam per Salomonem
dicit: *Per me reges regnant:* item per doctorem *Prov. 8.*
E gentium teſtatur dicens: *Non eſt poteſtas, niſi a* *Rom. 13.*
*Deo:* & iterum: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordina-*
*tioni reſiſtit.* Redite igitur prævaricatores ad cor,
& quia mors non tardat, nolite differre de die
in diem. Nolite ſocialia bella committere: noli-
te parricidales gladios in perniciem veſtri ſuſtol-
lere. Nolite Fontanicum deteſtabile prælium re-
vocare: quia ſicut qui pro eccleſiæ Dei defenſio-
ne moritur, ſuo ſanguine coronatur: ita qui con-
tra Dei eccleſiam pugnans ut refuga Chriſtiani-
tatis perimitur, procul dubio condemnatur. No-
lite, cariſſimi, pro brevibus vitæ commodis æter-
næ remunerationis vobis januam claudere. Noli-
te

te pro rebus tranſitoriis æternorum bonorum com- A modâ præterire. Quia juxta beati Marci ſententiam, *nihil prodeſt homini ſi lucretur totum mundum, anima vero ſuæ detrimentum patiatur.* (Matth. 8.) Hujus rei gratia generalitatem veſtram, quam paterno affectu complecti volumus, his apoſtolicæ auctoritatis literis identidem hortamur ac obteſtamur, ut tandem aliquando nobiſcum pariter ſentientes, tam dilectum noſtrum Hludovicum glorioſum regem veſtrum, (ſi tamen filius dici meretur, qui apoſtolicæ ſedis monitis ſemper inobedientiſſimus extitit, ſi glorioſus dici debet, qui adhuc in ſenectute decrepita Chriſtiani ſanguinis effuſionem deſiderat, ſi rex dici debet, qui neque vos, neque ſemetipſum regere valuit, quominus abſentis fratris regni pacem corrumperet,) B quam cunctos veſtri regni homines, voce libera moneatis, & ab invaſione ſive oppreſſione imperii dilecti filii noſtri Caroli ſemper Auguſti funditus retrahatis: nunquamque de reliquo, ſive blandimentis, ſive terroribus, aſſenſum quemlibet, favoremve præſtetis ad funeſtum prælium inferendum, & Chriſtianorum ſanguinem, quod Dominus averterit, effundendum. Nam cujuſcumque ſit ſublimitatis, dignitatiſve perſona, quæ præſentibus legatis noſtris, Joanne Siculenſi, itemque Joanne Tuſcanenſi, venerabilibus epiſcopis, quos vice noſtra * illas in partes, ad examinanda ſimulque diffinienda canonice, ſive legaliter, quæ hoc anno inter utroſque fratres emerſere negotia, convenire in loco ab eis deſignato, eiſque C ſatisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum principum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis, veniam ſibi deinceps noverit denegari, nec amodo communionis noſtræ futurum fore conſortem; qui ſocius eſſe noluerit diſciplinæ. Optamus gloriam veſtram apoſtolicis monitis obſequentem ſemper in Chriſto bene valere.

* *Forte deeſt, miſimus. Harduinus.*

## CCCXVII. AD EPISCOPOS ET COMITES IN REGNO CAROLI, conſtitutos.

*Laudat illos, quod in fide conſtantes erga Carolum perſtiterint: & de legatis, quos ad componenda diſſidia mittebat in Galliam.*

BEnedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui veſtræ ſinceritatis fideique conſtantiam duriorem, ut ita dixerimus, adamante erga fidelitatem invictiſſimi principis domni Caroli ſpiritalis filii noſtri, ſemperque Auguſti, hactenus non indebite fecit perſiſtere, & quanti caloris in vobis caritas vigeat, dono gratiæ largitatis ſuæ clarius demonſtravit; quatenus notam faceret gentibus virtutem gloriæ ſuæ, & divitias bonitatis ſuæ, ad profectum fidelium, & ad correctionem infidelium, omnibus revelaret. Oſtendiſtis enim, cariſſimi, quantum ſit erga pacis & concordiæ cultum veſtræ benevolentiæ benignus E affectus, & impleſtis opere quod ipſe a vobis exigit Chriſtus, dicens in evangelio: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* (Matth. 7.) & apoſtolus ait: *Fides ſine operibus mortua eſt.* (Jacob. 2.) Unde noſter apoſtolatus immenſæ lætitiæ repletus tripudio, primum quidem Deo omnipotenti ſufficientes ac laudes debitas, quia nihil ſine eo facere poſſumus, retulit, & vobis, qui ſtudioſe tanto imperatori fidem immaculatam ſervaſtis, multimodas gratiarum actiones agere, digniſque vos efferre laudibus non omittit. Siquidem, dilectiſſimi, ſatis vobis prudenter conſuluiſtis, quando aliis, quod flentes dicimus, vel ſponte, vel callide ac fraudulenter deceptis, vos, ſicut diximus, fidei calore utentes, & Deum præ oculis habentes, noluiſtis iniquorum vel tyrannorum faſcibus onerari vel maculari. Quin potius reſtitiſtis, pravitatibus eorum non conſentiſtis, & peccatis alienis minime communicaſtis. Idcirco libere dicere valebitis: Non adhæſit mihi cor pravum: quoniam nulla pars fidelis cum infideli, Chriſti ad Belial, juſtitiæ ad iniquitatem, vel lucis ad tenebras. Ergo, quia ita eſt, ſtate in fide, & viriliter agite, ſeniorique veſtro Domino imperatori fidem ſpecialiter repromiſſam, ſicut cœpiſtis, inconvulſam ſervate, & in melius confortati ejuſdem honori ſeu profectui providete: ac ne pro temporalibus æterna, pro corporalibus ſpiritalia, pro terrenis cæleſtia gaudia amittatis, ſummopere decertate; ſcientes quia adjuvante illo qui dicit: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit,* (Matth. 10.) & poſſe vobis cælitus dabitur, & perſeverantia tribuetur: opeque ſummæ divinitatis veſtrum cor confortabitur, immo & ad omnes inimicorum inſidias reprimendas confortabit Dominus mentes veſtras in caritate & gratia, & tuebitur vos in ſæcula ſæculorum: ut iterum atque iterum benedicatur Dominus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & a noſtro pontificatu, immo ab univerſis Chriſti fidelibus, vobis innumeræ gratiæ referantur. Porro, ſi qui adhuc, quod minime credimus, in aliquo læſi quicumque veſtrum reperti fuerunt, hortamur ut reſipiſcant, & dignam emendationem ſe corrigendo exhibeant. Nam cujuſcumque ſit ſublimitatis, dignitatis, vel ordinis, qui cum præſentibus legatis noſtris, Joanne videlicet & Joanne venerabilibus epiſcopis, dilectis quoque familiaribus noſtris, quos voce noſtra illas in partes ad examinanda, ſimulque diffinienda canonice, ſive legaliter, quæ hoc anno inter utroſque fratres emerſere negotia, convenire in loco ab eis deſignato, eiſque ſatisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum principum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis, veniam ſibi deinceps noverint denegari, nec amodo communionis noſtræ futurum fore conſortem, qui ſocius eſ- D ſe noluerit diſciplinæ. Optamus ſanctitatem vel gloriam veſtram in Chriſto bene valere. Data XIII. Kalendas Martias, indictione IX. *Recitata in ſynodo Pontigonenſi.*

## CCCXVIII. AD EPISCOPOS, QUI A CAROLO DESCISCENTES, Ludovico regi adhæſerant.

*Increpat eorum infidelitatem, monetque ut reſipiſcant, ac legatos a ſede apoſtolica miſſos benigne ſuſcipiant.*

RElatione vera didicimus, quod dilecto ac ſpiritali filio noſtro Carolo glorioſiſſimo imperatore Auguſto, ſeniore veſtro, ad limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli principum veniente, ubique, ut Chriſtianiſſimum decet eccleſiæ Chriſti patronum, vota ſua priſco jam tempore præoptata Domino Deo humiliter exolvente, Auguſtaleque diadema, ſibi divinitus ſine dubio collatum, per humilitatis noſtræ miniſterium accipiente, fratri ejus, Hludovico ſcilicet regi, ſi tamen rex jure dici debeat, qui mentis ſuæ motus in abruptum impietatis cadentes non rexit, in regnum ipſius collecta populi nefandi multitudine intranti, & Paganorum more eccleſiam Dei, populum videlicet pretioſo Chriſti cruore redemptum,

ptum, in pace poſitum conturbanti, relictis ve- A
ſtris concivibus atque ſodalibus, qui Deo & ſe-
niori ſuo fideles procul dubio eſſe videntur, hæ-
rere, atque cum eo adverſus Dominum, gentem,
& populum veſtrum, ab ſtatu veſtræ fidelitatis,
& promiſſione divinorum ſacramentorum, contra
ſacri miniſterii veſtri officium, & contra ſponſio-
nis ac fidei veſtræ jusjurandum, arma cum hoſti-
bus elevare, pariterque nefanda & impia commit-
tere præſumpſiſtis. Heu proh dolor! quare tantæ
iniquitatis ſcelus ſponte committere, quare tantæ
infidelitatis malum mundo univerſo, ſicut Judæ
Iſcariotæ, execrabile in exemplum oſtendere non
dubitaſtis? Quæ gens hoc audiens vos non odiat?
quod regnum vos exoſos fore non judicet? quan-
do etiam gentibus, quæ Deum verum utique igno- B
rant, tale committere nefas videtur incongruum.
Quarum pro terrenis lucris vel minis eos, quos
ſocietate & unanimitate veſtra defendere, ſalva-
reque ut voſmet debuiſtis, appetere, & cum ini-
micis perſequi non contempſiſtis? cum dicen-
Joan. 15. te Domino, *majorem caritatem nemo habet, quam
ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis*, in quo
ſcilicet vos eam, quæ per dilectionem operatur,
caritatem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo,
in qua totam legem & prophetas pendere ſcimus,
nullatenus conſtet habuiſſe, quin potius Cain fra-
tricidam diu mente geſſiſſe. Nonne lux mundi, C
& ſal terræ, Veritate atteſtante, vos eſtis, qui
verbis pariter & exemplis, quaſi luminaria mun-
do lucere omnibus, atque inſulſas hominum men-
tes ſapientiæ cæleſtis ſale condire inſtantiſſime de-
betis? Nonne vos poſuit Spiritus S. epiſcopos re-
gere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo?
Nonne magis veſtrum erat docere populum, non
autem in tam perverſis rebus aſſenſum præbere?
Dolemus itaque de vobis, quaſi de membris cor-
Jerem. 4. poris Chriſti, dicentes cum propheta: *Ventrem
meum doleo, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei
turbati ſunt*: & iterum: *Quis dabit capiti meo*
Jerem. 9. *aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plan-
gam populum iſtum die ac nocte?* Quapropter mo-
nemus, hortamur, & ſaluti veſtræ volentes pro
affectu conſulere magnopere ſuademus, ut reſipi-
ſcentes, tantæ iniquitatis auctore ſceleſto relicto,
ad Deo dilectum imperatorem ſeniorem veſtrum
Auguſtum toto animo fidelique voluntate rever-
ti, ac deinceps ei fideliores exiſtere omnibus mo- D
dis procuretis. Nam veſtrum erat pacem annun-
ciare his qui prope, & his qui longe ſunt, dicen-
te Domino: *Supra montem excelſum aſcende tu qui*
Iſaiæ. 40. *evangelizas Sion. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exal-
ta vocem tuam*: veſtrumque erat annunciare po-
pulo ſcelera & peccata ſua, ne ſanguis eorum de
manu veſtra a Domino requiratur, non, ut di-
ctum eſt, ſequi. Et ideo contaminati eſtis ſecun-
Iſaiæ 6. dum prophetam dicentem: *Væ quia tacui, quia
vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi pol-
luta labia habentis ego habito*: & communicantes
pravis eorum ſceleribus, infructuoſiſque operibus
vos reprehenſibiles oſtendiſtis. Tamen quia ſci-
mus procul dubio late patere viſcera pietatis Dei,
revertimini, & nolite de cetero jugum cum in E
fidelibus ducere. Nolite amplius imitari eos, qui
pacis ſanctæ fœdera violant, unitatem dividunt,
& in agro dominico zizania ſuperſeminare ad pro-
priam infelicitatem præſumunt. Revertimini &
ſectamini chariſmata meliora, nec iterum antiqui
hoſtis verſutiis pareatis: ſed ſicut Dei miniſtri,
Domini præcepta ſequentes, in omnibus cum jam
dicto imperatore cariſſimo filio noſtro perfecte
ſtare ſatagite. Quia ſi cum præfato rege Hludo-
vico, vel aliquo filiorum ejus ad ſcandalum &

A regni perturbationem manere, aut eis aliquod ad-
jutorium modo quolibet præbere tentaveritis, &
non potius ad eumdem dilectum filium noſtrum
Cæſarem Auguſtum certiſſime redieritis, atque
cum eo adverſus ejus inimicos viribus totis fide-
liter non ſteteritis, ſcitote vos per auctoritatis
noſtræ legatos anathemati ſubmittendos. Præſen-
tes autem miſſos noſtros, Joannem videlicet &
Joannem venerabiles epiſcopos, dilectoſque fa-
miliares noſtros, benigne admittite, injunctam ſi-
bi legationem intelligenter audite, & efficaciter
obaudite: ut in hoc quam vere ſitis filii pacis
cunctis detur intelligi, & neminem poſſit latere
mortalium. Pro Chriſto enim, qui eſt pax no-
ſtra, legatione funguntur, cum procul dubio a
B ſede apoſtolica pro pace mittuntur. Optamus vos
in Chriſto nunc & ſemper bene valere. *Recitata
in ſynodo Pontigonenſi.*

### NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Relatione vera.*) Eorum qui tunc a Carolo deſci-
vere princeps fuit, Aimonio teſte, Ingelramnus nuper
camerarius, regique intimus, nunc Ludovico Germa-
niæ regi auctor fraterni regni invadendi. De his ergo * Immo ejus Continuator ex annalibus Bertinianis ad an. 871.
* Aimonius idem lib. v. cap. xxxii. *Ad obſiſtendum*,
inquit, *Ludovico primores regni Caroli, jubente Richil-
de regina, ſacramento ſe confirmaverunt, quod non ſer-
vaverunt, ſed ex ſua parte regnum Caroli peſſumdantes
boſtili more devaſtavere. Similiter & Ludovicus cum ſuo*
C *exercitu idem regnum peſſumdedit.*

## CCCXIX. AD UNIVERSOS GALLOS ET GERMANOS.

De damnatione Formoſi epiſcopi, Gregorii no-
menclatoris, & aliorum, qui Romæ in
ſynodo fuerant excommunicati.

*Joannes ſervus ſervorum Dei reverentiſſimis & ſan-
ctiſſimis confratribus noſtris, archiepiſcopis, epiſco-
pis, abbatibus, ſacerdotibus, cunctiſque judicibus,
& univerſo populo, per omnes Gallias & Germa-
nias conſtitutis.*

ZElo Chriſtianæ religionis eccleſia Dei quæ pe-
nes nos eſt, inſtinctuque dilecti filii noſtri
ſereniſſimi imperatoris, immo ſpiramine Spiritus
ſancti commonita, pro diverſis eccleſiæ Dei reſe-
rendis incommodis, contra Gregorium nomencu-
D latorem, & Georgium generum ejus, duo ſcili-
cet iniquitatis vaſa contra excelſi Dei religionem
pugnantia; tam præterito menſe Februario præ-
ſentis nonæ indictionis, per Petrum venerabilem
Foroſemproniatem epiſcopum penes præfatum ſpi-
ritalem filium lacrymabilem ſuggeſtionem depo-
ſuit: quam noſtram quoque pontificalem ſuggeſtio-
nem pridie Kalendas Aprilis die contra eoſdem
per ſemetipſam offerre curavit. Quapropter nos
per Zachariam & Gaidericum venerabiles epiſco-
pos, & Chriſtophorum ſedis apoſtolicæ primice-
rium, eis ſuggeſtionum conteſtationem emiſimus,
admonentes atque jubentes, ut ſi aliquid de con-
ſcientiæ ſuæ puritate confiderent, ad condictum
venire ſtuderent examen. At illi mollibus ſermo-
E nibus, & exquiſitis adinventionibus, ſe quidem
venturos, & ad voluntatem noſtram cuncta ſe
emendaturos dixerunt: ſed de die in diem ſub ob-
tentu ægritudinis tamdiu judicii diem diſtulerunt,
donec aut nos cum fidelibus eccleſiæ Dei potuiſ-
ſent perimere, aut Sarracenos, quos jam per ſuos
familiariſſimos æque Sarracenos invitaverant, in
Romanam urbem ad perditionem omnium intro-
mittere valuiſſent. Cumque nos contra utramque
fraudem juvante Domino præparatos vidiſſent, &
imminere ſibi judicii ſtatutum diem cognoſcerent,
dece-

decepti ſe cum quibuſdam ſuis complicibus, videlicet Formoſo epiſcopo, Stephano ſecundicerio, & Sergio magiſtro militum, & Conſtantino nomenculatoris filio, quos non noſtræ conventionis judicium, ſed reatus propriæ conſcientiæ ſtimulabat, contra ſalutem reipublicæ & regni dilecti filii noſtri Caroli ſereniſſimi principis, cui ſemper infideles fuerunt, & cujus provectioni ſemper detraxerunt, conſpirantes, neſcimus quo profecturi, noctis ſilentio cum adulterinis clavibus portas urbis, quæ vocatur ſancti Pancratii, aperuerunt, & cum ſuis complicibus, cumque omnibus theſauris ſanctæ Dei eccleſiæ, Sarracenis undique populantibus, diffugerunt: portaſque patentes relinquentes, multis margaritis fugiendi, & Sarracenis ingrediendi aditum, niſi nos divina cuſtodia tueretur, procul dubio reliquerunt. Itaque obſtupeſcentes in talibus, Dominicum & Grimoldum venerabiles epiſcopos ad evocandum eos direximus. Qui revertentes nunciaverunt ſibi a ſatellitibus ſuis fuiſſe reſponſum, neſcire ſe, quonam profecti fuiſſent. Judicio ſane in diem alterum protelato, cum eos iterum ſynodice ſimulque & legaliter quæreremus, & habere minime valeremus, cum omni Dei eccleſia in baſilica ſanctæ Dei genitricis, quæ ad martyres vocatur, ſynodum vocavimus, & poſt regulares allocutiones, ſententias in eos protulimus, quarum exempla ſecundum eccleſiaſticum morem generalitati veſtræ direximus, ne vobis communicandi cum eis occaſionis aditus tribuatur. Quæ ſcilicet ſententia ita ſe habet: Formoſum Portuenſem epiſcopum, qui a beatæ memoriæ domno prædeceſſore noſtro papa Nicolao in Bulgarorum patriam deſtinatus, noviter in Chriſto regenerati regis animos adeo ſuis calliditatibus vitiavit, ut terribilibus ſacramentis eum ſibi obſtrinxiſſe teſtatus ſit, ne ſe vivo quemlibet epiſcopum a ſede apoſtolica ſuſcepiſſet, ſeque eidem terribilibus nihilo minus juramentis, ut ad eum quantocius reverti debuiſſet, obſtrictum fuiſſe profeſſus ſit, quique a nobis proficiſcendi illuc licentiam, literas & neceſſaria adjutoria impetravit: quoniam jamdudum per ambitionem a minori eccleſia in majorem, videlicet ſanctam ſedem apoſtolicam, proſilire conatus, plurimos ſibi conſolatores effecit, & nunc per repertam hypocriſim retrorſum rediens, ſine licentia vel conſcientia noſtra, propriam parœciam deſeruit, urbe diſceſſit, & contra ſalutem reipublicæ, dilectique filii noſtri Caroli a nobis electi & ordinati principis, cum ſuis fautoribus conſpiravit: niſi amodo intra diem decimum, id eſt III. Kalendas Maii præſentis nonæ indictionis, præſentiam ſuam nobis ſatisfaciendo monſtraverit, auctoritate Dei omnipotentis, ſanctoque apoſtolorum principum Petri & Pauli, omni eccleſiaſtica communione privatum eſſe decernimus. Decernitis & vos ita? Reſponderunt omnes: Decernimus: & niſi poſt diem decimumquintum, id eſt IV. Nonas Maii præſentis IX. indictionis, reſipiſcens ſatisfacturus nobis occurrerit, auctoritate & judicio ſancti Spiritus qui ſemper effugiet fictum, omni ſacerdotali miniſterio penitus denudatum fore judicamus. Judicatis & vos ita? Reſponderunt omnes: Judicamus. Qui ſi nec hujus dilationis miſeratione commotus, humiliter ſe poſt diem XX. id eſt VII. Idus ejuſdem Maii menſis, præſentiæ noſtræ reddiderit, vel ſi in eccleſia Dei in aliquo conturbare præſumpſerit, ſi contra hanc communem omnium noſtrum ſententiam agere vel reſultare tentaverit, anathema ſit a Patre, & Filio & Spiritu ſancto, nunquamque in ulla ſynodo recuperationis ſpem, aut ſatisfactionis aditum ſibi no-

An. Ch. 876

A verit reſervatum. Gregorium nomenculatorem, Theophylacti quondam nomenculatoris filium, qui jusjurandum fidei ſuæ diverſo modo corrumpens, puritatem ſanctæ Dei eccleſiæ ſuis fraudulentiis, avaritiis, rapinis, cupiditatibus, ſimulque calliditatibus, per octo ferme annorum curricula maculans, ſummum Romanæ urbis pontificium, conjurantibus ſibi dudum ſuis complicibus, factioſe præripere affectavit; & de multis palam recitatis capitulis, tam primo penes dilectum filium noſtrum Carolum ſereniſſimum imperatorem, quam poſtea penes nos ad generalitatem ſanctæ Dei eccleſiæ, per nonnulla ſuggeſtionum capitula noxius diffamatur, & pro eiſdem criminibus a nobis per Zachariam & Gaudericum venerabiles epiſ- B copos, & Chriſtophorum primicerium ſanctæ ſedis apoſtolicæ, cum fratre & genero, ſuiſque complicibus, juridice conteſtatus, examini ſe præſentandum fore, & cuncta, quæ eccleſiis, vel piis locis, aliiſque hominibus abſtulerat, ſub jurisjurandi interpoſitione reſtituturum promiſit: deinde conventum noſtrum de die in diem fraudulenter, (uſquequo nos vel fideles hujus eccleſiæ interimere, vel hoſtes Chriſtiani nominis, id eſt, Sarracenos, quos per ſuos familiariſſimos Sarracenos jam invitaverat, intra Romanam urbem introducere potuiſſet,) eluſit: & præfinitum diem, quo canonice ſive legaliter audiri debuiſſet, fraudulenter præripiens, cum Georgio & Sergio magiſtris militum, nec non & Stephano ſecundice- C rio, aliiſque ſuis complicibus, nocturno ſilentio portas hujus ſacræ urbis, Sarracenis circumquaque imminentibus, cum clavibus adulterinis aperuit, ſeque contra ſalutem reipublicæ ſimulque quietem imperii præfati filii noſtri ſereniſſimi Auguſti, contra leges conſpirando, fraudulenter proripuit, & cum omnibus pene theſauris eccleſiæ Romanæ, dubium quo profecturus, exceſſit. Simulque Stephanum ſecundicerium, qui diverſas eccleſias ſpolians per avaritiam, turpiſque lucri compendia, tributa vetera multiplicavit, & in omnibus perverſitatibus ſuperius nominatis fratri complex & conſentaneus extitit. Necnon & Georgium Gregorii primicerii filium, qui germani proprii concubinam ſubripiens, eum veneno neca- D vit: deinde poſt execrabiles Chriſtianis inceſtus, vivente nepte ſanctiſſimæ recordationis Benedicti papæ, cujus opibus de paupertate ſurrexerat, præfati nomenculatoris Gregorii filiæ ſe fornicario more commiſcuit: propter quam pene publice jam dictam legitimam uxorem peremit. De cujus homicidio, & principibus adulterinos miſſos eruens, adjudicante conſcio ſocero nefandus gener impunitus exiliit. Quique poſt diverſa homicidia, deprædationis & malignitatis genera, tam patriarchium, quam veſtiarium ſedis apoſtolicæ ſibi commiſſum, non tantum auro, argento, vel paliis, verum etiam æreis ſignis, vaſiſque privavit: & in omnibus impietatibus ſocerum ſequens, immo præveniens, Sarracenis undique ſævientibus, portas E urbis cum eo fraudulenter aperuit, & cum ſibi conſpirationibus contra ſalutem reipublicæ demigravit. Simulque Sergium magiſtrum militum, Theodori magiſtri militum filium, qui reverendæ memoriæ domno Nicolao, cujus neptem in conjugium ſuſcipiens, ita ingratus ac inhumanus extiterat, ut vivente eo, & in extremis poſito, eidem theſauros ſuos ad eleemoſynas faciendum cum præfatis ſuis complicibus abnegaſſet. Quique eadem ſua conjuge, propter quam de maxima paupertate convaluerat, derelicta, cum Valuiſindula concubina, præſtito jurejurando ut eam nuptialiter ſumeret, nuper effugit, & in omnibus

ini-

iniquitatibus cum nominatis ſuis complicibus con-
ſpiravit. Sed & Conſtantinam præfati Gregorii
nomenculatoris filiam, quæ primo per conſenſum
patris, ſub conditione jurisjurandi, legaliter Cel-
ſacio Pipini potentiſſimi veſtararii filio copulata,
dein conſumptis omnibus ſoceri ſui divitiis, vi-
ventem & valentem ſponſum ſuum ſine ulla le-
gali diſquiſitione deſeruit, & ad Gratiani Grego-
rii magiſtri militum filii nuptias publice convola-
vit: poſtremum cum alio fugere geſtiens inceſtum
commiſit, ex quo prægnans inventa prædictum
Gratianum Gregorii filium maritum ſuum relin-
quens, cum rapacibus, perjuris, ſacrilegis, mœ-
chis, fornicatoribus turpiter fornicatura diſceſſit.
Niſi intra diem decimum, id eſt III. Kalendas
Maii præſentis nonæ indictionis, præſentiam ſuam
nobis præfati, videlicet Gregorius, Stephanus,
Georgius & Sergius, ſimulque Conſtantina, con-
grue ſatisfacientes exhibuerint, auctoritate Dei
omnipotentis, ſanctorumque apoſtolorum princi-
pum Petri & Pauli omni Chriſtiana communio-
re privatos, cum omnibus communicatoribus &
fautoribus ſuis permanere decernimus. Et niſi poſt
diem quintumdecimum, id eſt IV. Nonas Maii
jam dictæ præſentis indictionis, ſimpliciter & hu-
militer nobis, immo eccleſiæ Dei, ſæpedicti ſcili-
cet Gregorius, Stephanus, Georgius, Sergius, &
Conſtantina, purificaturi occurrerint, eos aucto-
ritate & judicio S. Spiritus, cum cunctis ſibi com-
municantibus, perpetuo anathemate condemna-
mus. Hi vero qui ab omni ſe ſocietate removen-
tes ad unitatem ſanctæ apoſtolicæ ſedis redierint,
communionis & benedictionis noſtræ gratiam ſibi
reddendam eſſe confidant. His itaque auctoritate
ſancti Spiritus promulgatis, omnium veſtrum ge-
neralitatem his apoſtolicis literis exhortamur, ut
has literas per omnes diœceſes veſtras publice re-
legentes, & ad vicinas parœcias dirigentes, præ-
tatorum depoſitorum, excommunicatorum, & ana-
thematizatorum conſortia, quaſi venenum peſtiſe-
rum declinetis: neque cum eis communicantibus
in cibo, potu, ſive colloquio communicetis, ſcien-
tes eum qui eis, ſive communicationibus eis, ſe
in oratione, cibo, potu, colloquioque miſcuerit,
eadem excommunicationis & anathematis cenſura
juxta canonicum capitulum modis omnibus obli-
gatum, nunquamque a nobis ſine digna ſatisfa-
ctionis pœnitentia ſibi fore communicandum. Op-
tamus ſanctitatem veſtram in Chriſto nunc & ſem-
per bene valere. Data XI. Kalendas Maii. *Reci-
ta in ſynodo Pontigonenſi.*

## CCCXX. JOANNIS PAPÆ VIII. NOMINE SCRIPTA AD PHOTIUM.

### De proceſſione Spiritus ſancti.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei Photio reve-
rendiſſimo & catholico fratri patriarchæ
Conſtantinopolitano, gratiam deſuper
ad opera ſalutarem.*

NOn ignoramus, quod nonnulli eorum, qui
apud vos ſunt pacis parum ſtudioſi de no-
ſtra eccleſia & de nobis ipſis, veritate neglecta,
male loquuntur. Reſque eo progreſſa eſt, ut pa-
rum abſit, quin tua fraternitas de nobis, & de
iis qui nobis ſunt ſubditi, male ſentiat. Et illi
quidem nacti ſunt occaſionem, ſicut etiam ego
ipſe affirmarem hujuſmodi propoſito ſatis con-
gruam, veritas tamen ipſa, uti ſe habet, nullo
pacto eſt adulterata, neque vitiata, ut procedens
ſermo rem manifeſtam faciet, & Deus hoc ipſum
A nobis ſuo teſtimonio deſuper confirmabit. Ve-
rum illi inſtar eorum, qui vinum aqua miſcent
& adulterantur, nonnulla a ſeipſis falſa fingentes
& excogitantes adhibent. Oportet enim ut dæ-
mon qui ab initio mali opifex fuit & inter nos
& Deum inimicitias poſuit, ac deinde noſtrum
primum parentem a Dei amore ſeparavit, &
creatori ſuo inimicum illum conſtituit, etiam
nunc aliquos habeat ſui miniſtros & hos ipſos
impellat, ut inter eccleſias ſcandalum aliquod
concitent.

Ego vero ad Deum potius auctorem & largi-
torem oculos dirigens, qui inimicitias etiam in
cruce ſua morti tradidit, pro viribus illorum ho-
minum qui malis delectantur, ora obſtruere con-
B tendo. Et hac de cauſa etiam antequam tua
fraternitas aliquid mihi ſignificet, hæc tibi ma-
niſeſta facere decrevi, ut de rebus noſtris ſatis
edoctus, aures minus præbeas iis, qui contende-
re & conviciari ſtudent: ſed ipſos rejicias potius
& reſpuas, efficias præterea, ut alii eorum ver-
bis fidem non adhibeant.

Novit etiam tua fraternitas, quod cum nuper
ad nos acceſſit qui a te miſſus eſt, & de ſancto
ſymbolo nos conſuluit, quomodo invenit nos
illud inconcuſſum, ſicut nobis ab initio tradi-
tum eſt, conſervare, neque aliquid addidiſſe,
vel detraxiſſe, cum recte noverimus, quod eos
qui talia facere audent, gravis condemnatio ex-
pectat. Reverentiæ itaque tuæ iterum ſignifica-
C mus, ut de hac additione in ſymbolo (ex Filio
ſcilicet) tibi ſatisfacimus, quod non ſolum hoc
non dicimus, ſed etiam quod eos qui principio
hoc dicere ſua inſania auſi ſunt, quaſi tranſ-
greſſores divini verbi condemnamus, ſicut theo-
logiæ Chriſti Domini everſores, & ſanctorum
patrum qui ſynodice convenientes ſanctum ſym-
bolum nobis tradiderunt, & una cum Juda illos
collocamus, quod eadem ipſa quæ ille patrare
non ſunt veriti; non quia dominicum corpus
morti tradiderunt, ſed quia Dei fideles, qui
ſunt ejus membra, ſchiſmate ſegregarunt, & in-
vicem diviſerunt; & ita æterno igni illos præci-
pites dantes, & multo magis ſeipſos, ut fecit
prædictus Judas indignus Chriſti diſcipulus, ſuf-
D focarunt.

Arbitramur autem, tuam reverentiam recte
noſſe, cum ſis ſapiens & doctrina præditus, quod
dum, ut reliqui noſtri epiſcopi nobiſcum idem
ſentiant, totis viribus contendimus, non me-
diocrem id nobis moleſtiam affert. Et revera
rem adeo gravem cito commutare, nullus id fa-
cere poſſet, licet brevi tempore ortum habuerit,
nec multorum annorum ſpatio fuerit confirmata.
Et hac de cauſa rationi congruum nobis viſum
eſt, ne violenter aliquis cogatur a vobis additio-
nem illam dimittere, quam ipſe adjeciſſe ſym-
bolo ſe noverit, ſed potius manſuetudine aliqua
hujuſmodi homines admonere, & paulatim a
blaſphemia revocare: *Paſcite*, inquit ſummus a-
poſtolorum Petrus, *qui in vobis eſt gregem Dei*, 1. Pet. 5.
*providentes non coacte, ſed ſpontanee, neque ut do-*
E *minantes in cleris, ſed forma facti gregis.* Qui
igitur ita nos accuſant, ac ſi talia male ſentia-
mus, non jure nos accuſant. Tuam itaque de-
cet fraternitatem, neque ſcandalum aliquod ad-
verſus nos pati, neque a reliquo eccleſiæ corpo-
re proſcindi, ſed potius nobiſcum fidei agones
ſuſtinere cum prudentia & longanimitate; & alios
qui a veritate declinaverunt, ad illam ample-
ctendam revocare, ut pro his eamdem nobiſcum
mercedem recipias. Vale in Domino, reveren-
diſſime & catholice frater.

NOTA

## Nota Severini Binii.

Calumnia de proceſſione Spiritus ſancti a Photio Joanni papæ objecta refutatur.

a *Epiſtola.*) Photius inter alias etiam hanc Joanni papæ affingens calumniam, quaſi eadem cum Græcis de Spiritus ſancti proceſſione ſenſerit, finxit hanc epiſtolam ſub nomine Joannis papæ VIII. ad ſe Photium ſcriptam de proceſſione Spiritus ſancti: quam vel ab ipſo Photio, vel alio quodam effictam eſſe oportet. His enim temporibus in Romana eccleſia abſque aliqua ambiguitate uſu receptum fuiſſe ut Spiritus ſanctus a Patre Filioque procedere diceretur, poſt alias ea imprimis ratione manifeſte probatur, quod Joannes ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus ſcribens ad hunc ipſum Joannem pontificem quatuor a ſe elaboratos libros vitæ ſancti Gregorii papæ, ubi agit de dialogis ab eo ſcriptis, & in Græcum a Zacharia papa translatis, juſte queritur, quod cum ipſe ſanctus Gregorius in eis aſſeruerit diſertis verbis, Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere, illi textum corruperint, illaque verba *Filioque* abradendo inde abſtulerint; illos magnopere redarguens, quod audacter nimis ſicut & impudenter ſancti Gregorii textum ita corruperint: plane ſignificans Romanam eccleſiam nihil diverſum ab ipſo ſancto Gregorio ſentire, nec Joannem, ad quem ſcribit, ab ea ſententia diſcrepare. Vide quæ dicam infra in notis conciliabuli pſeudooctavi, verbo *conciliabulum*.

## FRAGMENTA QUÆDAM ALIARUM EPISTOLARUM JOANNIS PAPÆ VIII.

### Quod ſacerdos homicida non poteſt in ſacerdotio manere.

*Cennemoco epiſcopo Venetenſi.*

diſt. 50 Miror minus.

MIror minus doctam ſcientiam tuam ſacerdotem putare poſt perpetratum homicidium poſſe in ſacerdotio miniſtrare: immo, quod eſt pejus, nobis ſuadere velle, ut ipſi tali præſumptioni præberemus aſſenſum. Quis enim tam demens, tamque perverſi ſenſus, tale quid æſtimaret, vel poſt quantamcumque pœnitentiam concedendum, cum omni ſit canonicæ diſciplinæ contrarium? Debet ergo ſacerdotio privatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere: ut talibus ſaltem remediis curatus, ſalutis poſſit invenire ſuffragium.

### Communione privetur ſponſa, niſi raptorem deſerere, & ad ſponſum ſuum redire voluerit.

*Roſtagno archiepiſcopo Arelatenſi.*

27. q. 2. Atho præſentium.

Atho præſentium lator, dum in noſtro ſervitio fideliter excubaret, quemdam virum fœminam ſibi deſponſatam queritur rapuiſſe. Et ideo fraternitas tua, auctoritate noſtra ſuffulta, ſuffraganeos ſuos epiſcopos præſentialiter convocet: ſicque unanimi ſententia, ſi ſponſam huic raptor non reddiderit, tam idem, quam rapta, ſi ad ſponſum priſtinum remeare noluerit, omni communione priventur.

### De examinanda cauſa cujuſdam presbyteri.

*Sigibodo archiepiſcopo Narbonenſi.*

Ivo part. 10. cap. 26.

Præſentium literarum gerulus, ſedi apoſtolicæ præſentatus, ſe presbyterum eſſe querula & lamentabili voce perhibuit, & a ſanctitati tuæ ſubjectæ diœceſeos epiſcopis ab officio presbyteratus ſuſpenſum, & aliis quibuſdam epitimiis uſque ad ſpeciale judicium noſtrum ſubmiſſum, pro eo quod inquit, facto tumultu, quidam ſe apprehenſum, & a terra brachiis ſublevatum, in proprium fratrem forti jactaverit impetu, ut idem germanus ſuus tanti * operis male impulſus in

* ſeg. ponderis malo.

A terram ruerit, & proſtratus atque oppreſſus vitæ flatum violenter amiſerit. Denique illi reverendi antiſtites, cum ſibi, ut iſte retulit, res in dubium veniret, utrum commiſſo ſibi, dudum carere, nec ne, penitus debuiſſet officio, non ipſi hanc deliberare, ſed noſtro decerni & definiri judicio voluerunt. Sed tunc hoc ſolemniter agerent, ſi primum ipſi plenario, & ex canonibus in cauſa presbyteri delegato judicio, quatuor deputatis ex venerandis decretis & legibus perſonis præſentibus, hanc ventilaſſent, & ſubtili examine diſcuſſiſſent: ut ita facta ſcripto relatione, ſi quid dubium ſibi ſeu difficile ingeſſiſſe videretur, noſtrum ſuper hoc more priſco decretum expoſcerent. At ubi nobis & perſona relatoris inco- B gnita, & nullo epiſcoporum ſcripto commendatio approbata eſt, & rurſus ubi nulla eſt accuſatoris objectio, nec accuſati reatus confeſſio, nec fidelium comprobatio teſtium, nos nec illius ſolius narrationi creduli eſſe poſſumus, nec rurſus in eum definitivam damnationis ſententiam proferre valemus. Ergo ſaltem nunc fraternitas tua metropolitani jure potita, ex epiſcopis ſub ſe degentium vel vicinorum ſex, una cum epiſcopo, cujus eſt iſte parœciæ, ſibi ſocians, tantum negotio ſubtili ventilet diſcuſſionis ventilabro, & invento quod juſtum eſt canonice decernat, & communi fratrum cenſura diffiniat.

### Pallium, niſi poſt conſuetam fidei profeſſionem, dari non debet.

C

*Vuiliberto Colonienſi archiepiſcopo.*

Diſt. 100 c. Optatum.

Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus, quam oporteat, continere reperimus: cum videlicet in ea nullam ſanctarum univerſalium ſynodorum, in quibus fidei noſtræ ſymbolum continetur, nec decretalium pontificum Romanorum conſtitutorum, ſecundum morem, feceris mentionem: ſed nec illam propria ſubſcriptione munieris, nec aliquem qui hanc jurejurando firmaret miſeris.

☞ *Joannes VIII. Ludovico Imperatori.*

D

Ivo par. 10. cap. 51.

Qualiter Rainaldus Caſtri Fœlicitatis Epiſcopus ſuper homicidio tam penes apoſtolicam quam penes Imperatoriam ſedem publico murmure fuerit denotatus, & Gregorio dilecto filio nomenclatore miſſo & apocriſiario ſanctæ ſedis noſtræ cum Gregorio illuſtri magiſtro militum ac veſtiario ſacri noſtri Patriarchii apud dilectiſſimam filiam noſtram Imperatricem Auguſtam conſiſtente, a matre perempti juvenis aliiſque parentibus fuerit impetitus, & ad purificandum ſe a nobis per frequentes excommunicatorias epiſtolas acceſſerit Romam coactus, ſerenitati veſtræ credimus manifeſtum. Sed quia idem Romam veniens purgationis ſuæ tempus præripuit, & in- E dicta pro ſe Synodo deputatum ſibi a nobis locum, fraudulentus excedens more furis per urbis ſe muros dejecit, & vera fuiſſe crimina, quæ ſibi illata ſunt, indicium ſubterfugiens, propalavit, hinc auctoritate Dei omnipotentis ſanctorumque Apoſtolorum Principum & noſtræ mediocritatis ab omni eccleſiaſtica ſimul & chriſtiana communione penitus ſequeſtramus.

*Joannes VIII. Marino & Pulchari.*

Sed & provinciis veſtræ fidelitatis vobis injungimus, ut cum aliquibus navibus veſtros milites robu- Ibid. cap. 60

☞ robuſtiſſimos præſentialiter deſtineris, qui qua-draginta Sarracenos, qui dudum Græcorum no-ſtrorum navibus in mare fugere, quique poſtea terreſtrium noſtrorum militum expoliati armis omnibus virtute, in montis Circei latibulis eva-ſerunt, una cum noſtris pedeſtribus appreben-dant, quia nos pro tantillis Sarracenis dromones noſtros fatigare nolumus, dum de vobis confi-dere (ſicut & ipſi velle dicimini) provocamur modis omnibus confidentes. Quia ſi obedientiæ veſtræ conſtantiam & fidei puritatem cum vir-tutis efficacia circa S. R. E. amodo conſenſeri-mus, non ſolum de his tribus, quibus vos ultra conſuetudinem prægravatos dicitis, in quantum ratio poſtulaverit, levigabimus; verum etiam, ut propriam S. Petri familiam terra marique vos tueri, Domino confortante, ſtudebimus.

*Joannes VIII. Angelbergæ imperatrici.*

Ivo par. 10. cap. 69. Siquidem cum virtute Dei, melius quam Na-letam, quæ noſtra ſunt defendemus & illorum in nullo penitus indigemus. Dromones videlicet cum ceteris navibus conſtruentes, & cetera va-ſa bellica & apparatus, quin potius & ipſos ani-mos hominum præparantes, & adverſus hoſtiles incurſus indeſinenter armantes.

*Joannes VIII. Domaſol Duci glorioſo.*

[illegible] VIII. c. Præterea Ivo ibid. cap. 70. Præterea devotionis tuæ ſtudium exhortamur, ut contra marinos latrunculos qui ſub prætextu tui nominis in Chriſticolas debacchantur, tanto ve-hementius accendatur, quanto illorum pravitate famam tui nominis obfuſcatam fuiſſe cognoſcis, quoniam licet credi poſſit quod, te nolente, illi navigantibus inſidientur; tamen quia a te com-primi poſſe dicuntur, niſi eos compreſſeris, in-noxius non haberis. Scriptum quippe eſt: Qui crimina, cum poteſt emendare, non corrigit, ipſe committit.

*Joannes VIII. Imperatori & Imperatrici.*

Ibid. cap. 71. Cum reverſi fuiſſemus omnia littora noſtra deprædata etiam & in Fundis & in Terracina, velut in domo propria multos Sarracenos inve-nimus reſidere, pro quibus non pluſquam quin-que diebus in Urbe manentes, quamvis corporis non modica detineremur moleſtia, exivimus cum fidelibus noſtris, quorum Domino adjuvante cœ-pimus naves octodecim. Sarraceni vero multi oc-ciſi ſunt, captivos autem fere ſexcentos libera-vimus. Ideo vobis venientibus neceſſe valde eſt ut talis in littoribus mariuis fortitudo virorum remaneat, quorum virtute noſtra omnia ſalva conſiſtant, & ea quæ necdum deprædata ſunt lo-ca, non prædentur.

*Joannes VIII. Neapolitanis, Salernitanis & Amalphitanis.*

Ibid. par. 1. cap. 72. Conſcientia veſtræ in Chriſto dilectionis juſte dijudicet, quantum Chriſto averſi ſunt hi qui cum ejus infidelibus contra prohibitionem Pauli tanti Apoſtoli pollutam fœderis ineunt unitatem. Cum enim regis rebellionibus quocumque parti-cipio conjunguntur, pariter majeſtatis criminibus obnoxii judicantur, parique ſententia condemnan-tur: quantum a corpore Chriſti probantur ex-tranei, qui ejus hoſtibus fœderati, membra ipſius tanto pernicioſius lacerant, quanto vicinius Ec-cleſiæ Dei colliminant? *Item*

Quantum autem Deo ſit execrabile cum im-pio fœdera pangere, luculenter ex hoc deprehen-ditur: quod Joſaphat rex Juda, qui tot de an-teacta vita præconiis extollitur, de Achab ami-citiis increpatur, cum ei per Jehu propheta di-citur: Impio præbes auxilium, & his qui ode-runt Dominum amicitia jungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te eo quod abſtuleris lucos de terra Juda. Quantum præterea ſit Deo delecta-bile ab inimicorum Dei pace deſiſtere, noſter Pſalmographus manifeſtat cum dicit: nonne qui oderant te Domine oderam illos, & ſuper ini-micos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam il-los, inimici facti ſunt mihi. Ex quo dilectiſſimi filii patenter oſtenditur, quanto crimine cum peſ-ſimis pax tenetur, ſi Propheta tantus hoc velut in hoſtiam Deo obtulit quod contra pravos pro Deo inimicitias excitavit. Hinc Levi tribus, aſ-ſumptis gladiis per caſtrorum media tranſiens quia feriendis noluit peccatoribus parcere, Deo manus ſuas dicta eſt conſecraſſe: hinc Phinees peccantium civium gratiam ſpernens, coeuntes cum Madianitis perculit, & iram Dei iratus pla-cavit.

*Joannes VIII. Luitberto Archiepiſcopo Magontino.*

Engeltrudem uxorem Boſonis noveris non ſo-lum excommunicatione quæ a fraterna ſocietate ſeparat, ſed & anathemate, quod ab ipſo corpo-re Chriſti quod eſt eccleſia, recidit, crebro per-cuſſam. Ibid. par. 14.

*Joannes VIII. Petro epiſcopo.*

Si Deodatus & Gregorius ſtatuto jam tem-pore ad nos venire & omnia juſte atque cano-nice emendare contempſerint gravioribus eos per-petui anathematis vinculis innodabimus, eorum-que ſcelera & excommunicationes, & anathema-ta ſcribentes ante ſanctiſſimam beati Petri Apo-ſtoli imaginem ſuſpendemus ut omnibus de toto mundo ad limina Apoſtolica venientibus illorum ſit nota iniquitas & conſortio ſacræ Eccleſiæ vi-deantur extranei. Ibid. cap. 66.

*Joannes Papa VIII.*

Joannes Papa VIII. Si quis domum Dei vio-laverit & aliqua ſine licentia illius, cui commiſ-ſa eſſe dinoſcitur, inde abſtulerit, vel in Eccle-ſiaſticis perſonis injuriam fecerit, donec in con-ventu admonitus legitime ſatisfaciat, ſciat ſe communione fore privatum. Si vero poſt ſe-cundam & tertiam conventionem coram epiſco-po ſatisfacere detrectaverit, ſacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut ſecundum Apoſtolum nemini fidelium miſceatur. Ex Baluz. Miſcell. T. I. pag. 402. nov. edit. Lucenſis.

*Joannes VIII. Ludovico II. Imperatori inter cetera.*

Nam monaſterium Sanctæ Mariæ in Coma-clo, quod Pompoſia dicitur, & monaſterium ſan-cti Salvatoris in monte Feretri, aliudque mona-ſterium quod vocatur ſancto Probo, atque colo-nos in territorio Ferrarienſi & Adrienſi & Gal-licata & Fanventillam Ravennati Archiepiſcopo non abſtulimus, ſed ea monaſteria & loca ab anteceſſoribus noſtris poſſeſſa reperientes poſſedi-mus hactenusque jure proprio retinemus. Alia quoque loca & villas & prædia de quibus ali-quam Ex eodem Baluzio.

quam functionem per D. jam annos Eccleſiæ Ra- A
vennas recepit, volumus ut priſtinam functio-
nem & dationem eadem Eccleſia deinceps reci-
piat. Et quia eidem Eccleſiæ alia loca nec tuli-
mus nec occupari fecimus, habeat quæ hactenus
habuit abſque prædictis locis, ideſt Gallicata, &
maſſa Faventilla, & abſque præfatis monaſteriis,
quouſque in præſentia noſtra & ipſa loca quæ
ſua eſſe putat, noſtræ potius Eccleſiæ lege & ra-
tione pertinere omnimodis cognoſcatis. Datum
IV. Kal. Febr. indictione VII.

*Joannes Epiſcopus Angelbertæ Imperatrici inter cetera.*

Ex eodem Baluzio. Ad hoc uſque malum crevit & incraſſatum B
eſt ut factione Ravennatis Archiepiſcopi Mauri-
nusque cum ſuis complicibus, qui excommunicati &
anathematizati a nobis jam ſunt Ravennam in-
grederetur & fidelium noſtrorum res cum eis
funditus raperet ac devaſtaret, adeo ut claves ci-
vitatis Ravennæ a Veſtarario noſtro violenter
ſubtraheret & pro libitu ſuo, neſcimus cujus au-
ctoritate, ipſi Archiepiſcopo, quod nunquam fa-
ctum fuiſſe recolitur, poteſtative concederet.

*Joannes Epiſcopus Annoni Friſinguenſis Eccleſiæ Epiſcopo.*

Ex eodem Baluzio. Efficaciam tuæ fidelitatis circa ſedem Apoſto-
licam, quam nimirum literis tuis extuleras, ope- C
ribus te approbare velle ſatis devotiſſime pro-
mittentem & gratanter accepimus & pro com-
mendatione rerum Romanæ Eccleſiæ proviſioni
tuæ ut aſſeris commiſſarum. Noveris itaque nu-
perrime nos literas dilecto filio noſtro Hludowi-
co Regi, ſed & Epiſcopis & Comitibus Italici
regni qui earum redditus nobis deferri ſalvos fa-
ciant tranſmiſiſſe, nihilque aliud ſupereſſe cogno-
ſcimus niſi ut aurum aliaſque ſpecies quas te
collegiſſe fateris ſimul cum præteritæ indictionis
qui minus fuerunt redditibus ſub omni plenitu-
dine nobis per totum Septembrem futuræ VII. in-
dictionis, aut per temetipſum deferas aut tranſ-
mittas, ſciens quia ſi hoc condicto tempore red-
ditus nobis non venerint, nullius alterius niſi D
tuæ moroſæ negligentiæ ſpecialiter imputandum.
Precamur autem ut optimum organum cum ar-
tifice, qui hoc moderari & facere ad omnem
modulationis efficaciam poſſit ad inſtructionem
muſicæ diſciplinæ nobis aut deferas, aut cum
eiſdem redditious mittas: quatinus dum vile me-
tallum beato Petro conferre feſtinas ab eo aurea
regni cæleſtis munera capeſſas.

*Joannes Papa VIII. Roſtagno Archiepiſcopo Areiatenſi, Sigiboldo Archiepiſcopo Narbonenſi, & Roberto Archiepiſcopo Aquenſi a paribus.*

Ex eodem Baluzio. Veracium relatione comperimus, Gilbertum
Nemauſenſem venerabilem Epiſcopum, quod E
quoddam monaſterium noſtrum quod ſuper eun-
dem Epiſcopum acquiſivimus, ipſe Gilbertus te-
mere invaſerit, cunctaſque res ipſius monaſterii
per ſuos homines diſtribuerit, & illius mona-
chos inde contra ſacras Regulas omnino expule-
rit. Quod tantum nobis diſplicuit, quantum,
ſicut ipſe nobiſcum advertis, calcata reverentia
venerandorum canonum contra Privilegium Apo-
ſtolicæ Sedis eum feciſſe non ambigis. Quapro-
pter fraternitati tuæ dirigimus ut vice noſtra
cum confratribus & coepiſcopis noſtris junctis
eundem Nemauſenſem epiſcopum ad commune

colloquium convocetis, & ex auctoritate noſtra
conveniatis ut ab omni invaſione ipſius mona-
ſterii tam ſe quam ſuos removeat, & ulterius
nec res ejus, nec monachos illic Domino famu-
lantes moleſtare præſumat. Quod ſi ipſe ſurda
aure, quod abſit, per vos monita noſtra audie-
rit, tunc ex auctoritate Beati Petri Apoſtoli, cui
idem monaſterium pertinet, ſimul & noſtra, il-
lum a miniſtro ſacerdotali excommunicando ſuſ-
pende quouſque dum aut ab ipſa invaſione ſe
ſubtrahat, aut ad Sedem Apoſtolicam, vel ad
noſtram præſentiam nobis ſatisfacturus occurrat.
Agat in his ſanctimonia tua, ſicut illam agere
decet ut & nos Deo laudes, & tibi gratias re-
feramus. Data XVIII. Kal. Julii. Indictione XII.

*Excommunicatio Joannis VIII. in eos qui de morte Romani clerici ſuſpecti erant.*

Qui de homicidio Romani religioſi clerici Ex Ivone par. 10 cap. 17.
ſuſpecti, a nobiſque canonicæ ſuæ excommuni-
cationis intentione, mediante Junio præſentis
octavæ Indictionis, vocati venire contempſerunt,
& ob hoc per noſtras literas ſecundo & tertio
advocati, extremum vero per Joannem, Leo-
nem epiſcopos omnimoda communione privati,
quia Apoſtolatus judicium hactenus ſubterfugiſſe
& neque veniſſe neque miſiſſe probantur: aucto-
ritate Sancti Spiritus anathematizatos eſſe decer-
nimus quouſque futuris Kalendis Octobribus, fu-
turæ nonæ Indictionis purificari canonice merean-
tur. Si autem neque tunc pleniſſimam nobis ſa-
tisfactionem oſtenderint: perpetuo anathemate te-
neantur innexi, ita ut quicumque amodo eis in
cibo, potu, vel oratione communicaverint, pari
cum eis anathematis ſententia colligentur.

*Joannes VIII. Auſberto Archiepiſcopo Mediolanenſi.*

Vir ſpectabilis Rudolphus nomine, imperato- Ex eodem par. 8. cap. 119.
rius homo nos nuper adierat, quæritans & aſſe-
verans ſe uxorem ſuam nomine Bauam zelo pu-
doris fervente obſcœnæ ſuſpicionis macula deno-
taſſe, ac ſiniſtra crebeſcente fama carnalis accu-
ſatione criminis impetiſſe. Qui cum hanc ad
purgandum ſecundum legis propriæ tenorem,
parentibus ejus & conſanguineis tradidiſſet, ultra
ſpatium anni fuerit ſub criminalium reatu calum-
niarum retenta. Qua de re nos æquitatis amo-
re ſuccenſi, apoſtolica parentibus ejus auctorita-
te præcipimus, quatenus mediante menſe Augu-
ſto præteritæ ſeptimæ indictionis ſive purgatam,
ſive aliter eandem fœminam viro proprio reddi-
diſſent, haud dubium quin ſubituram ſi non ſe-
cularis legis, ſaltem eccleſiaſticæ pietatis mede-
lam. Alioquin corporis & ſanguinis Domini no-
ſtri Jeſu Chriſti ſe noſcent cum ea communio-
ne privandos, qui nec mundanarum, vel divina-
rum legum cenſuram, nec Apoſtolicæ ſedis reve-
rentes decretum. Horum nihil (ut prædictus vir
ad nos iterato veniens retulit & ipſius rei exitus
innuit) agere curaverunt. Quamobrem in ſacro
communionis munere ſecundum quod illis inten-
tando comminati fueramus, eos merito privare-
mus niſi alteram partem audiendam fore judica-
remus. Unde quia nos eſſe juſtos mediatores o-
portet, unius autem mediator non eſt, eoſdem
vexare longius proficiſcendo nolumus, ſanctitati
tuæ ſuper hujuſcemodi controverſiæ circumſtan-
tia, vice noſtra delegata hortamur, ut ſtatuto
& indicto tempore venerabiles Lintfridum Fici-
nenſem, Paulum Placentinum antiſtites ad cer-
tum accerſias, & uxore jam memorati Radulphi

miſſis veſtris & literis advocata, quæ legis ſive A mundanæ, ſive Divinæ ſunt, ſuper utroque conjuge incunctanter exerceas, ſecundum præſtitutam vobis ſacerdotalis menſuram dumtaxat officii. Quæ ſi poſt vocationem veſtram quam tertiam eſſe poſt ſecundam noſtram proculdubio conſtat, ad virum proprium collata ſibi legali & indubitabili ſe libertate purgandi, minime redire delegerit, examenque ſanctitatis veſtræ ſubterfugiens declinaverit, a ſacris & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti communione in idipſum una cum ſpiritu noſtro convenientes, tam ipſam quam nequiter eam tuentes & defendentes conſanguineos, quinimmo fautores ejus & omnino communicatores, donec obediant, ſequeſtrate.

*Joannes VIII. Ludovico Imperatori.*

Dist. 10. c. Vides. Dist. 83. c. facientis. Ivo p. 6. c. 113.

Vides fili chariſſime, quia quod contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur. *Item*. Facientis proculdubio culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe eſt: Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt, participes judicantur. Et libat Domino proſpera, qui ab afflictis pellit adverſa. Et negligere, cum poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt quam fovere: nec caret ſcrupulo contentionis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare. Et probat odiſſe ſe vitia, qui condemnat errantes: nec relinquit ſibi locum deviandi, qui non pepercerit excedenti. Et primus innocentiæ C gradus eſt, odiſſe nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate conſenſum, & nihil prodeſt alicui non puniri proprio, qui puniendus eſt alieno peccato.

*Joannes VIII. Neapolitanis, Salertinis & Amalphitanis.*

Ivo p. 4. c. 133.

Quia fidelibus & myſterium Chriſtianitatis ſcientibus loqui nos credimus, per ſacrarum Scripturarum teſtimonia longius tendere devitamus, dilectioni veſtræ Donatum venerabilem epiſcopum, cujus laus eſt in ſancta octava Synodo, & Eugenium religioſum presbyterum, dilectos filios & conſiliarios noſtros ecce dirigimus.

## CONSTITUTIO JOANNIS PAPÆ VIII.

*De jure cardinalium.*

Itemque ex noſtra præſenti conſtitutione bis in menſe vel eo amplius, vel apud illum vel illum titulum, ſive apud illam vel illam diaconiam, ſive apud alias quaslibet eccleſias vos convenire mandamus. Et ob veſtram & inferiorum clericorum vitam, & mores, & qualitates, & habitus veſtium perſcrutandum, & qualiter quilibet præpoſiti ſe erga ſubditos habeant, vel quod ſubditi ſuis præpoſitis non obediant, & ad E quæque illicita amputanda, clericorum quoque & laicorum querimonias, quæ ad noſtrum judicium pertinent, quantum fieri poteſt, definiendas. Quippe cum ſicut noſtram manſuetudinem Moyſi, ita & veſtram fraternitatem ſeptuaginta ſeniorum, qui ſub eodem cauſarum negotia dijudicabant, viciſſitudinem gerere, certum habeamus. Item monaſteria abbatibus viduata & abbatum, noſtra præcedente conſcientia, ſubſtitutionem his qui ſunt inter * nos, vel fuerint monaſticæ profeſſionis, diſponenda committimus.

* vos

Propter ſolicitudinem autem eccleſiarum & clericorum earumdem diſciplinam, ſive laicorum querimonias definiendas, bis in hebdomada ad ſacroſanctum palatium, juxta decreta prædeceſſoris noſtri Leonis quarti, vos convenire mandamus.

Item ſancimus de parochiis noſtris, quantumque pontifici competit, pontificali beneficio vos in perpetuum poſſidere, & in principalibus eccleſiis juxta primatum veſtræ conſecrationis viciſſim officia divina peragere, & earum oblationibus, ſalva ſemper cardinalium diaconorum priſca conſuetudine, æqualiter participare tam propter uſum veſtrum, quam in eccleſiarum veſtiarum luminarium concinnationes.

## B APPENDIX EPISTOLARUM JOANNIS PAPÆ VIII.

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Polliciti ſumus in noſtra conciliorum hiſtorica ſynopſi nos fragmentis epiſtol. Joannis papæ VIII. corollarium aliquod σὺν Θεῷ adjecturos, ac ne lectores diutius differremus prægustandam ipſis promulſidem obtulimus ex codice m. ſ. viri clariſſimi Claudii Hardy ſenatoris Pariſienſis: hoc eſt diploma ad Vvalonem Metenſem epiſcopum, cui & alia nonnulla deinceps ſubjungemus aliunde a nobis accerſita.

## I. AD VVALAM SEU VVALONEM METENSEM EPISCOPUM.

Concedit illi pallium certis diebus deferendum.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Vvala venerabili epiſcopo Mediomatricorum eccleſiæ, quæ & Mettis vocatur, in honore ſcilicet ſancti Stephani primi martyris.*

Si paſtores ovium ſolem geluque pro gregis ſui cuſtodia die ac nocte ferre contenti ſunt, ac ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morſibus rapiatur, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant; quanto ſudore quantaque cura debemus eſſe pervigiles, nos qui paſtores animarum dicimur? Attendamus ad ſuſceptum, of- D ficium exhibere erga cuſtodiam dominicarum ovium non ceſſemus, ne in die divini examinis pro deſidia noſtra ante ſummum paſtorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia ſublimiores inter ceteros judicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad miſſarum ſolemnia celebranda conceſſimus, diebus vitæ tantummodo: quod tibi, non eccleſiæ tuæ, aliter privilegiis in ſuo ſtatu manentibus, uti concedimus. Quoniam indumenti honor modeſta actuum vivacitate ſervandus eſt, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo utriſque poſſis eſſe conſpicuus. Itaque vita tua filiis tuis ſit regula. In ipſa ſe ſemper conſiderando proficiant, ut tuum poſt Dominum videatur eſſe, bene quod vixerint. Corrigant, ne proſpera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adverſa dejiciant; ſed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincant. Nullum apud te locum odia, nullus favor indiſcretus inveniat. Sub ea videlicet ratione concedimus fraternitati tuæ, ut a ſecretario uſque ad ſacrum altare, & ab altari uſque ad ſecretarium, ſicuti priſca extitit * palleatis conſuetudo, indui debeas. Auctoritate autem beati Petri apoſtolorum principis licentiam diebus vitæ tuæ ſub jure & ditione noſtra, ut diximus, habeas. Nullum uſum vel conſuetudinem ſucceſſoribus tuis per

* Pro palliatis. B.

per hoc noſtrum tibi conceſſum apoſtolicum pri- A vilegium habere cenſuimus. Et neque epiſcopus, archiepiſcopuſque adverſus te pro hoc altercationis contentionem commoveat. Ita Domino regente & gubernante cor tuum, commiſſam exequi gubernationem ſtudeas, ut adepto hujus honoris officio, dignitate & probitate morum amplius procures adornari. Scriptum per manum Georgii ſcriniarii S. R. E. in menſe Septembrio, indictione XII. Data VIII. Idus Septembris per manum Vualperti humillimi epiſcopi ſanctæ Portuenſis eccleſiæ, anno Domino propitio pontificatus domini noſtri Joannis ſummi pontificis & univerſalis papæ in ſacratiſſima ſede beati Petri apoſtoli ſexto, indictione XII. *Hoc eſt anno 878. verum aut September in Octobrem, aut indictio 12.* B *in 11. mutanda: quod ex privilegiis Floriacenſi, Cabilonenſi, aliiſque diſces: & nos fuſius alias explanabimus, licet non diffiteamur in antiquis diplomatibus indictionem nonnunquam uſque ad natalem Chriſti diem aut pridie Kalendas Januarii protendi ab incurioſis tabellionibus librariiſve.*

## OBSERVATIO PHILIPPI LABBE S. J.

Auctor hiſtoriæ Treviriciæ nondum quod ſciam editæ, cujus exemplar calamo exaratum penes me eſt, hujus a Joanne papa conceſſi Vualæ privilegii, turbarumque inde exortarum meminit hiſce verbis:

... Anno quinto Bertolfi moritur Adventius Metenſis epiſcopus: Vualo ei ſubſtituitur, cui or- C dinationis ſuæ anno ſecundo tranſmiſſum eſt pallium a Joanne papa cum literis docentibus quibus in feſtis eſſet uſurus. Bertulfus vero metropolitanus audiens Vualonem in die ſancto paſchæ cum pallio procedere, miſſis literis Treveris evocatum percunctatus eſt, quando, vel quomodo vel a quo procedere cum pallio ſibi fuerit conceſſum. Vualo lecto in auribus omnium qui aderant quod ſibi a papa tranſmiſſum fuerat de uſu pallii privilegio aſſeruit non ſe primum, ſed quintum fuiſſe, quem apoſtolica ſedes hoc honore dignata ſit ſublimare: ſalva tamen in omnibus metropolitano ſubjectione. I. Urbicium. II. Pippini regis ex ſorore nepotem Crodegangum. III. Angelramum. IV. Drogonem Caroli Ma- D gni imperatoris filium. Bertulfus his aſſertionibus non ſatisfactus capitulo canonum lecto quo aſſeritur nulli ſuffraganeorum novum & quod non ab omnibus in eccleſia ſua prædeceſſoribus non habebatur abſque metropolitani ſui conſilio & licentia præſumendum, interdixit ei per ſanctam quam in omnibus eccleſiaſticis negotiis deberet obedientiam, ne ulterius niſi ab eo petita & conceſſa licentia pallio uteretur. Cumque Vualo apoſtolicam auctoritatem prætenderet, archiepiſcopus vero metropolitanorum privilegia defenderet, grandis utrimque conflata eſt inimicitia. Hincmarus igitur reverendiſſimus Remorum archiepiſcopus & eloquentia clariſſimus audiens hanc diſſidentiam, epiſtolam Vualoni tranſmiſit E ſapientiæ ac ſacri concilii ſale conditam, per quam eum ad metropolitani ſui inſtruxit obedientiam & reſtituit concordiam, &c.

Meminit ejuſdem diſſenſionis Flodoardus libri tertii hiſtoriæ Rhemenſis cap. 23. ſcriptamque teſtatur ab Hincmaro ad Vualonem epiſtolam de pallio a ſede Romana obtento, & Bertulfum literas papæ noluiſſe ſuſcipere. Eadem quoque narrat paulo fuſius chronicon ſancti Trudonis libri II. primæ partis cap. 13. hujus fragmentum recitat pag. 275. hiſtoriæ Metenſium epiſcoporum F. Meuriſſius O. M. epiſcopus Madaurenſis ac Metenſis epiſcopatus ſuffraganeus.

## II. AD GEILONEM ABBATEM

### TORNUTIENSEM EJUSQUE monachos.

Illorum omnia, vel regia, vel epiſcopalia privilegia, pontificia auctoritate ſancit, anno Chriſti 876. quibus addit exemptionem ab omni cujuslibet antiſtitis juriſdictione.

* *Ex autographo in philyra, literis uncialibus Gotticis deſcripto, longo pedes circiter* XII. *lato duos.*

* Edidit R. P. Chitnetius S. J.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Geiloni inclyto abbati, dilectiſque filiis noſtris in Tornutio monaſterio, a ſpirituali filio noſtro, glorioſo Carolo imperatore Auguſto, ſanctæ & intemeratæ ſemperque virgini Dei genitrici Mariæ, atque pretioſo confeſſori Chriſto Philiberto largito, ſub regula ſancti Benedicti religioſa converſatione degentibus, nunc & futuris temporibus.*

QUando ab ea quæ catholicorum imperatorum corda pontificalibus ſunt monitis provocanda, ita ardenti deſiderio divina præveniente gratia tam ſuccenduntur, ut ab eis ultro poſcantur, tanto alacri & læto ſunt animo concedenda, quanto & ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent C facere, peti debuerant. Proinde juxta ſcripta petitoria filii noſtri, præcellentiſſimi imperatoris Caroli, hujuſmodi privilegium præſentis auctoritatis noſtræ decreto, eidem venerabili monaſterio veſtris futuriſque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus: ut ſicut ipſe glorioſiſſimus filius noſter, divino ductus amore, de villis ac facultatibus, ſeu ſtipendiis ſpecialiter monachorum & eccleſiæ ornamentorum, vel luminariorum, ac matriculariorum, ſeu hoſpitum, atque pauperum uſibus ſervata, vel emeliorata ſeu aucta ordinatione præcepto ſuæ auctoritatis firmavit privilegium quod venerabilibus fratribus ac filiis noſtris epiſcopis illarum regionum fieri & confirmari fecit; ita ſicut eodem privilegio, D atque præceptis, in primis filii noſtri Caroli exinde factis continentur, perpetuo inconvulſa permaneant. Quamvis enim fama fuerit hoc tenuiſſe ad epiſcopatum Matiſconenſem, nullaque ibi auctoritate qua teneri poſſit adjunctum longo interveniente tempore fuerit, melius, multoque ſanctius apoſtolicæ diſcretionis noſtræ viſum fuit, ut monaiticis utilitatibus in prædicto monaſterio confirmetur, quam laicalibus ſine aliqua acquiſitione ſanctorum locorum depopulationibus indulgeatur. Conſtituimus alia auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antiſtitum vel abbatum, ſeu quilibet quacumque præditus dignitate, de his qui in præfato privilegio, ſeu in præceptis ipſius filii noſtri Caroli ex his quæ præmiſimus factis E continentur, vel in futuro, ab eo vel a quibuslibet aliis de proprio fuerint his ſpecialibus uſibus jure collata, ſub cujuslibet cauſæ occaſione ſive ſpecie, quicquam minuere vel auferre, ſive ſuis uſibus applicare, vel aliis quaſi piis cauſis pro ſuæ avaritiæ excuſatione præſumat concedere: ſed cuncta quæ præfatis uſibus monachorum, & eccleſiæ ornamentorum, vel luminariorum, matriculariorum, hoſpitum, & pauperum oblata ſunt, vel offerri contigerit, perenni tempore inlibata & inconvulſa, ac ſine aliqua inquietudine, eorum uſibus pro quorum ſuſtentatione gubernationeque conceſſa ſunt, modis omnibus profutu-

futura permaneant. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique noſtri pagina continet, tam vobis quam cunctis qui in eo quo eſtis ordine locoque ſucceſſerint, in perpetuum cdnſervanda decernimus. Salva in omnibus quæ hujus decreti pagina continentur, auctoritate & honore ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & ſedis apoſtolicæ privilegio. Placet etiam ut per futura tempora, ipſi monachi ex ſcriptis habeant licentiam eligere abbatem. Si quis autem temerario auſu, magna parvaque perſona, contra hoc noſtrum apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculo eſſe innodatum, & a regno Dei alienum, & cum omnibus impiis, æterni incendii ſupplicio condemnatum. Qui autem verus cuſtos & obſervator hujus confirmationis extiterit, benedictionem, & gratiam & cæleſtem miſericordiam a Domino conſequi mereatur. Scriptum per manum Anaſtaſii notarii regionarii, & ſcriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Octobrio, indictione decima. Bene valete.

Subſcriptum Idus Octobrias, per manum Chriſtophori primicerii ſanctæ ſummæ ſedis apoſtolicæ, imperante domino piiſſimo principe Auguſto Carolo, a Deo coronato, magno imperatore anno primo, & poſt coronationem ejus anno primo, indictione decima. *

* An Chriſti 876

## III. AD CAROLUM IMPERATOREM, GEILONEM ABBATEM TORNUTIENSEM, ejuſque monachos,

Cellæ Godith, a Deſiderio principe fundatæ ſua jura confirmat: quibus addit immunitatem ab omni epiſcopali juriſdictione anno Chriſti 887. C

* Ex autographo in philyra idem edidit R. P. Petrus Franciſcus Chifflectius S. J.

*Joannes * epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ſpirituali filio noſtro glorioſo Carolo imperatori Auguſto, ac Geiloni inclyto abbati, dilectiſque filiis in Trenorchio monaſterio ſanctæ & intemeratæ, ſemperque virginis Dei genitricis Mariæ, atque pretioſo confeſſori Chriſti Filiberto largito, ſub regula ſancti Benedicti degentibus nunc & futuris temporibus.*

POſtquam enim auxiliante Chriſto eccleſiæ cœpit origo, ſemper impiorum flatibus agitatur. D Sed quia noſtris temporibus alis imperialibus ſuſtollitur, nos in quantum valemus, apoſtolicis auctoritatibus confirmare debemus. Proinde juxta petitionem filii noſtri præcellentiſſimi imperatoris Caroli, privilegium hujuſmodi auctoritatis noſtræ, eidem monaſterio veſtris futuriſque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus, ut ſicut ipſe glorioſiſſimus filius noſter, per deprecationem Deſiderii principis, cellam quæ vocatur Godith in pago Vallavenſi, in loco qui dicitur Vallis anguſta, loco prædicto, necne præſcriptis ſanctis, cum villis ac facultatibus ſeu ſtipendiis conceſſit, & præcepto ſuæ auctoritatis roboravit, atque privilegio fratrum & filiorum noſtrorum epiſcoporum illarum regionum confirmari fecit: ita ſicut in eadem charta nobilitatis quam fecit Deſiderius, & præcepto filii noſtri Caroli continetur, inconvulſa permaneant: ut nullus regum, nemo antiſtitum vel abbatum, ſeu quilibet quacumque præditus dignitate, de his quæ in hoc privilegio vel in præceptis ipſius filii noſtri Caroli continentur, quicquam exinde minuere vel auferre præſumat; ſed cuncta quæ præfatæ eccleſiæ Godithi oblata ſunt vel offerri contigerit, inconvulſa & illibata permaneant. Conſtituimus alia auctoritate beati Petri, ut eccleſia in valle prædicta conſtructa, & in honore ſalvatoris, ejuſque genitricis dicata, immunis habeatur ab omni dominatione terrena: quia injuſtum decernimus ut glorioſa mundi regina, quæ cum Filio juncta, exaltata eſt ſuper choros angelorum, humanis ſubdatur poteſtatibus. Anathematizamus igitur, ut nemo antiſtitum locum ſibi vindicare audeat, ſeu qualibet occaſione abſolutionis, atque excommunicationis, vel ſacræ ordinationis adire præſumat, niſi ab abbate loci, vel a monachis ibi Deo ſervientibus fuerit invitatus. Ceterum ab omni ſæculari perſona decernimus eſſe liberum & quietum, ut in præceptis Filii noſtri Caroli continetur. Si quis autem temerario auſu, magna parvaque perſona, contra hoc noſtrum decretum agere præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculo eſſe innodatum, & a regno Dei alienum, & cum impiis æterno incendio condemnatum. Scriptum per manum Anaſtaſii notarii re- B gionarii, & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe Junio, indictione * quinta. Bene valete. *In plumbo Joannis papæ.*

* decima an ſcilicet 897

## IV. PRIVILEGIUM A JOANNE VIII. PAPA, ANNO CHRISTI DCCCLXXVIII. in concilio Trecenſi Geiloni abbati & monaſterio Trenorchienſi datum, & patrum ejuſdem concilii auctoritate firmatum.

ANno dominicæ incarnationis, &c. *Vide paulo poſt Cabilonenſem conventum anno* 875.

## V. RESCRIPTUM DE ANSEGISO SENONENSI ARCHIEPISCOPO apoſtolicæ ſedis legato.

* *Idem cum epiſt.* 315 *ut ſupra pag.* 226. B

ILlud perhibetur fuiſſe mſ. in bibliotheca Antonii Auguſtini Tarraconenſis archiepiſcopi. *Videant qui Scorialenſem in Hiſpania theſaurum ſervant, an inde quid ſperare liceat reipublicæ literariæ.* Sapientia *enim* abſconſa & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque. *Eccleſiaſtici* xx. 32.

## VI. PRIVILEGIUM MONASTERIO FLORIACENSI S. BENEDICTI ad Ligerim conceſſum.

D JOannes *epiſcopus*, &c. Quoniam ex apoſtolica. *Videſis ad annum* 878. *ſectionem ſeu caput* XIII. *concilii Tricaſſini II.*

## VII. COMMONITORIUM AB EODEM JOANNE VIII. PAPA DATUM LEGATIS Paulo & Eugenio ac Petro, ſeu ab impoſtore Photio falſatum.

CUm primum, &c. *Vide infra concilium Romanum III.*

Iis vero non pigebit ſubjungere.

E EPISTOLAM EPISCOPORUM GERMANIÆ AD JOANNEM PAPAM VIII. a Joanne Cordeſio poſt Hincmari opuſcula & epiſtolas anno 1615. excuſam Pariſiis cum jam ab anno 1611. Monachii in appendice chronici monaſterii Reicherſpergenſis in Bajoaria opera Chriſtophori Geuvoldi cum pluribus aliis antiquis diplomatibus prodiiſſet.

Ep.

## *Epiſtola epiſcoporum Germaniæ ad Joannem papam VIII.* *

* In notis docebo ad Joan. IX. ſcriptam fuiſſe.

### De Slavis ad fidem Chriſtianam converſis & eorum archiepiſcopo & epiſcopis.

*Summo pontifici & univerſali papæ domino Johanni Romanæ ſedis magnifico gubernatori, humillimi paternitatis veſtræ filii, Theotmarus Juvanenſis eccleſiæ archiepiſcopus, Vualdo Friſingenſis, Erchenpaldus Eyſtatenſis, Zacharias Sabonenſis, Tutto Ratiſponenſis, Richarius Patavienſis eccleſiæ epiſcopus, necnon & univerſus clerus, populuſque Chriſtianus per totam Noricam, quæ & Bavaria vocatur, proſperum in ſalvatore noſtro provectum, catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum.*

ANteceſſorum veſtrorum decretis, & ſanctorum patrum inſtitutis pleniſſime inſtruimur in omnibus noſtro ſacerdotali miniſterio obſtantibus & averſantibus Romanum appellare pontificem, ut quod ad unitatem concordiæ, & ad cuſtodiam pertinet diſciplinæ, nulla diſſenſione violetur, ſed ab ipſo ſummæ proviſione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audivimus, ut de illa ſancta & apoſtolica ſede, quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, origo Chriſtianæ religionis, profluxerit quippiam perverſitatis, ſed doctrina & authoritas eccleſiaſticæ rationis. Sed venerunt, ut ipſi promulgaverunt, de latere veſtro tres epiſcopi, videlicet Joannes archiepiſcopus, Benedictus & Daniel epiſcopi, in terram Slavinorum, qui Moravi dicuntur, quæ legibus noſtris & populo noſtro, nobis quoque cum habitatoribus ſuis ſubacta fuerat, tam in cultu Chriſtianæ religionis, quam in tributo ſubſtantiæ ſæcularis, quia exinde primum imbuti, & ex paganis Chriſtiani ſunt facti. Et idcirco Patavienſis epiſcopus civitatis, in cujus diœceſi ſunt illius terræ populi, ab exordio Chriſtianitatis eorum, quando voluit & debuit, illuc nullo obſtante intravit, & ſynodalem cum illis, & cum ſuis, & etiam inibi viventibus conventum frequentavit: & omnia, quæ agenda ſunt, potenter peregit, & nullus ei in faciem reſtitit. Etiam & noſtri comites illi terræ confines placita ſæcularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda ſunt correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis reſtiterunt, uſque dum incraſſante corda eorum diabolo Chriſtianitatem abhorrere, & omnem juſtitiam detrectare, belloque laceſſere ac obſiſtere ſæviſſime cœperunt: adeo ut via epiſcopo & prædicatoribus illuc non eſſet, ſed libitu ſuo egerunt quæ voluerunt. Nunc vero, quod nobis grave videtur & incredibile, in augmentum juſtitiæ jactitant, ſe magnitudine pecuniæ egiſſe, vos eoſdem præfatos epiſcopos ad ſe direxiſſe, & in eodem Patavienſi epiſcopatu talia egiſſe, qualia de illa apoſtolica ſede nunquam exiſſe, neque canonum decreta ſanxiſſe, ut tantum ſchiſma una pateretur eccleſia. Eſt enim unus epiſcopatus in quinque diviſus. Intrantes autem prædicti in veſtro nomine, ut ipſi dixerunt, epiſcopi, ordinaverunt in noſtro eodemque epiſcopatu unum archiepiſcopum (ſi in alterius epiſcopatu archiepiſcopus eſſe poteſt) & tres epiſcopos ejus ſuffraganeos, abſque ſcientia archiepiſcopi, & conſenſu epiſcopi, in cujus fuerunt diœceſi: cum in concilio Africano capite 20. decretum ſit, *Ut plebes, quæ in diœceſibus ab epiſcopis retinentur, quæ nunquam epiſcopos habuerunt, nec niſi cum vo-*

Eo teſtior & damnabilior calumnia, quo ſub aliena perſona diffunditur.

A *luntate ejus epiſcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores & epiſcopos*. Item in eodem concilio cap. 65. *Ut plebes quæ nunquam habuerunt proprios epiſcopos, niſi ex concilio plenario uniuſcujuſque provinciæ, & primatis, atque conſenſu ejus, ad cujus diœceſim eadem plebs pertinebat, epiſcopos minime accipiant*. In decretis papæ Leonis cap. 15. ſcriptum eſt: *Nulla ratio ſinit, ut inter epiſcopos habeantur, qui a provincialibus epiſcopis, cum metropolitani judicio non conſecrantur*. Item cap. 49. *Ut ſi indignis quibuſque, & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis paſtorale faſtigium & gubernatio eccleſiæ detur: non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen*. Et in eodem cap. poſt pauca inquit, *Difficile eſt,* B *ut bono peragantur exitu quæ malo ſunt inchoata principio*. Et in decreto papæ Cœleſtini anteceſſoris veſtri capite decimoſeptimo continetur, *ne alicui locus concedatur ſacerdoti in alterius injuriam*: Anteceſſor veſter Zuentibaldo duce impetrante, Vvichingum conſecravit epiſcopum, & nequaquam in illum antiquum Patavienſem epiſcopatum tranſmiſit, ſed in quamdam neophytam gentem, quam ipſe dux bello domuit, & ex paganis Chriſtianos eos eſſe patravit. Cum autem eiſdem Slavis locus familiaritatis apud legatos veſtros dabatur, accuſabant & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus inſtabant, quia nemo eis vera reſpondebat, dicentes, nos cum Francis & Alemanis ſcandalum & diſcordiam habuiſſe: cum hoc C falſum eſſe ex hoc convincitur, quia amiciſſimi noſtri ſunt, & charitativi cooperatores; Et etiam cum ipſis impacatos eſſe accuſabant. Quod non noſtra culpa exigente, ſed ſua potentia faciente, ita fatemur eſſe. Quia quando Chriſtianitas illis cœpit vileſcere, & inſuper debitum tributum ſenioribus noſtris regibus, & principibus eorum ſolvere reſpuerunt, belloque reſiſtere, & gentem noſtram cœperunt laceſſere, orta eſt ſeditio inter illos. Et quoniam armis ſibi eos defenderunt, in ſervitium redegerunt; idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt, & debent; & ſive velint, ſive nolint, regno noſtro ſubacti erunt. Quapropter oportet nos ab alto ſpeculari, & moderaminis temperiem præ omnibus te- D nere, ne pejor pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque ſereniſſimi ſenioris noſtri Hludovici, videlicet imperatores, & reges ex Chriſtianiſſima Francorum gente prodierunt: Moravii vero Slavi a paganis & ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam rempublicam ſublimaverunt, iſti damnarunt: illi Chriſtianum regnum confortaverunt, iſti latibulis & urbibus occultati fuerunt: illorum conſilio apoſtolica ſedes pollebat, iſtorum perſecutione Chriſtianitatis dolebat; in omnibus his juvenculus rex noſter, nulli prædeceſſorum ſuorum ſecundus, nulli & inferior, ſed ſecundum virtutem a Deo ſibi datam, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & vobis ſummo Patri, cum omnibus regni ſui principibus, E adjutor optat eſſe fortiſſimus. Omne namque regnum divinitus ſibi commiſſum, ad Dei ſervitium, ſuumque adjutorium, unum vult & operatur. Unde & pace viget & concordia gratulatur, atque ad veſtram paternitatem, ſicut patres ſui, ſe pertinere lætatur. Quod nos præfati Slavi criminabantur cum Ungaris fidem catholicam violaſſe, & per canem ſeu lupum, aliaſque nefandiſſimas & ethnicas res ſacramenta & pacem egiſſe, atque ut in Italiam tranſirent, pecuniam dediſſe, ſi vobis coram poſito ratio inter nos agitaretur, ante Deum, qui cuncta novit antequam fiant, & coram vobis qui vicem

ejus

cjus apoſtolicam tenetis, eorum falſitas maniſe- A
ſtaretur, & noſtra innocentia probaretur. Quia
enim Chriſtianis noſtris, longe a nobis poſitis,
ſemper imminebant, & perſecutione omnia afflic-
gebant, donavimus illis nullius pretioſæ ſubſtan-
tiæ pecuniam, ſed tantum noſtra linea veſtimen-
ta, quatenus eorum aliquoties * virilitatem mul-
ceremus, & ab eorum perſecutione * quieſcere fa-
ceremus. Talia namque, ut præſcripſimus, juxta
malitiam cordis ſui argumentantes, & pontifices
veſtros ad injuriam noſtram incitantes, adeo ut
directa nobis epiſtola quaſi ab apoſtolica ſede hæc
omnia improperabant, & diverſas injurias inge- B
rebant, atque inter alia divino gladio feriendos
dignos dicebant. Impletur enim in nobis quod
quidam ſapiens ait: *Juſtus tulit crimen iniqui*.
Ipſi enim crimen, quod nobis falſo ſemel factum
impoſuerunt, multis annis peregerunt. Ipſi Unga-
rorum non modicam multitudinem ad ſe ſum-
pſerunt, & more eorum capita ſuorum pſeudo-
chriſtianorum penitus detonderunt, & ſuper no-
ſtros Chriſtianos immiſerunt, atque ipſi superve-
nerunt, & alios captivos duxerunt, alios occide-
runt, alios peſſima carcerum fame & ſiti perdi-
derunt, innumeros vero exilio deputaverunt, &
nobiles viros, ac honeſtas mulieres in ſervitium C
redegerunt, eccleſias Dei incenderunt, & omnia
ædificia deleverunt, ita ut in tota Pannonia no-
ſtra maxima provincia tantum una non appareat
eccleſia, prout epiſcopi a vobis deſtinati, ſi fate-
ri velint, enarrare poſſunt, quantos dies tranſie-
rint, & totam terram deſolatam viderint. Quan-
do vero Ungaros in Italiam intraſſe comperimus,
pacificati cum eiſdem Slavis, teſte communi Deo,
multum deſideravimus, promittentes ei propter
Dominum omnipotentem, ad profectum indulge-
re omnia mala contra nos noſtroſque facta; &
omnia reddere, quæ de ſuis noſtros conſtaret ha-
bere, quatenus ex illis ſecuros nos facerent, &
tamdiu ſpatium darent, quamdiu Longobardiam
nobis intrare & res ſancti Petri defendere, popu-
lumque Chriſtianum divino adjutorio redimere,
liceret: & nec ipſum ab eis obtinere potuimus.
Et poſt tanta maleficia habent beneficia & ſunt
falſi accuſatores, qui ſemper fuere Chriſtianorum
perſecutores. Si quis in toto mundo alìorſum nos
oberraſſe, & juſtitiæ reſtitiſſe conetur, veniat præ-
ſens, & eum ludificaſſe, & nos de hac re ſen-
tietis puriſſimos eſſe. Idcirco ſinguli omneſque ad-
monendo precamur, ne ullo modo alicui falſo
de nobis aliquam ſuſpicionem referenti creduli ſi-
tis, antequam opportunitas exigatur, ut hujus
rei gratia miſſus de veſtra celſitudine nobis, aut
a noſtra parvitate directus appareat vobis. Com-
munis gemitus, & generalis dolor anguſtat quos
Germania & tota tenet Norica, quod unica ec-
cleſia dividitur ſciſſura. * Ideo ſi quid fraus ma-
ligna Slavorum calliditate adduxerit, juſtitia aver-
tat: voſque ex alto virtute induti & apoſtolica
poteſtate armati, juxta prophetam, *quod fractum
eſt, alligate, quod infirmum conſolidate, quod ab-
jectum reducite*, ut deinceps populus & fidei in-
tegritate gratuletur, & ſancta eccleſia tranquilla
devotione lætetur. Theotmarus indignus archiepi-
ſcopus, & apoſtolicarum rerum procurator prom-
ptiſſimus, pecuniam veſtro juri debitam, propter
infeſtam paganorum ſævitiam, nec per ſe perfer-
re, nec per alios poterat tranſmittere: ſed quia
Dei gratia liberata eſt Italia, quantocyus pote-
ro, vobis tranſmitto. Precatur noſtra humilitas,
ut dignetur veſtra ſublimitas reſpondere per ſin-
gula ad tranſmiſſa cum epiſtola.

*Alme pater mundi, dignus prænomine Petri,*
*Nomine quem ſequeris, utinam virtute ſequaris;*
*Siſque tuis famulis protector verus, & ipſos*
*Commendes Domino, cælo qui præſidet alto.*

* ſeritatem
* quieſceremus.
* Eſt enim, ut præmiſimus, unus epiſcopatus in quinque diviſus.

ANNO CHRISTI 871. 872.

# APPENDIX EPISTOLARUM JOANNIS VIII.

## *IN SEQUENTES EPISTOLAS ADMONITIO.* D

Ex Suppl. Manſi tom I pag 1014.

EPiſtolas Joannis VIII. a Labbeo, ceteriſque
poſt illum collectoribus conciliorum, præter-
miſſas, ipſe pariter omittere conſtitueram, quod
raræ eſſent, nihilque continerent ad canonicam
ſcientiam, ſive ad hiſtoriam eccleſiaſticam illu-
ſtrandam pertinens. Sed cum aliquas ex illis da-
re hæc eadem neceſſitas cogeret; aliqua pariter
de nonnullis adnotanda ſuccurrerent; ideo cum
ſpicilegium quoddam dandum fore animadverte-
rem, malui omnes, quotquot collegeram, exhi-
bere. Cum præſertim fieri potuerit, ut quas ego
ſupervacaneas reputavi, hæ lectorum quorumdam E
conſilio maxime ſervirent; ac præſtare judicarim
inutile potius aliquid tradere, quam aliquid omit-
tere, quod unius vel alterius Lectoris commodis
ſervire poſſet.

Inter eas vero, quæ colligendæ ſuppetebant,
epiſtolæ, ſuum ſibi locum præ cæteris vindicaret
epiſtola, ita enim appellat, quam Baluzius Mi-
ſcellan. tom. VII. velut ineditam pag. 352. re-
præſentat; continet enim pontificis illius in vio-
latores raptoreſque rerum ſacrarum ſanctionem.
At dum illam excutio, agnovi tandem, factaque
collatione reperi, ipſum eſſe canonem V. conci-
lii Ravennatenſis, cujus canones Holſtenius pri-
mum, dein Labbeus in ſua collectione vulgavit.
Hac ergo omiſſa reliquas produco.

ANNO CHRISTI 872. 873.

## I. JOANNIS VIII. BULLA

*Qua confirmatur partitio monachorum*
*S. Medardi Sueſſionenſis.*

*Johannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerandæ*
*congregationi religioſorum monachorum venerabi-*
*lis monaſterii ſancti & confeſſoris Chriſti Medar-*
*di, necnon & beati martyris Chriſti Sebaſtiani*
*imperpetuum.*

Ibid. Ex Mabillon. An O.S. B tom. III. num. XX. append.

QUotiens illa a nobis tribui pro deſiderio po-
ſtulantis, quæ omni rationi incunctanter
conveniunt, animo nos decet libenti concedere,
& pie petentibus impartiri ſuffragium. Igitur om-
nium Chriſti fidelium cognoſcat ſolertia, quoniam
dilectiſſimus filius noſter Carolus imperator au-
guſtus, beatorum Petri & Pauli apoſtolorum prin-
cipum adiens limina, nobis mente devota ſug-
geſſit, quatenus eidem prædicto venerabili mona-
ſterio ad utilitatem & uſum tam nominatorum
monachorum, ibidem Domino ſervientium, per
apoſtolatus noſtri privilegium confirmaremus, &
immobilia loca, quæ idem chriſtianiſſimus Cæ-
ſar, tam pro veneratione eorumdem ſanctorum,
quamque pro mercedis ſuæ augmento per regale
præceptum contuliſſe dinoſcitur, quorum nomi-
na inferius ſcripta leguntur, Bernejum ſcilicet,
Croviacum, Domno regium, Sodoleum, Berzia-
cum

ANNO CHRISTI 872. Ex Suppl. Manſi tom. I. pag. 1014.

cum una cum molendino, Berziſo, mariſiacos A
duos, atque ſpicarium & propter has Murocine-
tum, Cerniacum-vadum, ſicut Hilduinus ante-
rior abba ad ſuum tenuit dominicatum, ſuper-
addens in Murocincto manſum unum, Malcas
etiam & piſcinas ſuper mare & Cubonimaci cul-
tæ terræ bonaria XXIV. & Ruminiaco manſos
quinque, & partem prati de loco Gelgio, &
manſos duos in villa, quæ dicitur Lentegere-vi-
cinium; decernens, ut cameta veſtimentorum mo-
nachorum habeat tres villas, Capram, Albiacum,
& Solmam; & hoſpitalis nobilium accipiat no-
nam ex villis ipſius abbatiæ ſecundum priſcam
conſuetudinem, & habeat Cauciacum ſimul cum
lignariis de Pivone: & hoſpitalis peregrinorum
accipiat decimam, & habeat Hatoniſcurtem. B
Theſaurarius autem & portarius, atque hoſpita-
larius, necnon & camerarius intra octo dierum
dominicæ nativitatis, & reſurrectionis Dominicæ
ſpatia, bis in anno plenariam refectionem ha-
beant; inſuper ex præfatis aliis villis terminum
nativitatis dilecti filii ſui Carolomanni plenariam
refectionem habeant, & poſt ejus obitum diem
nativitatis transferant in diem depoſitionis, ſimi-
liter ex villa Bernoilo decrevit refectionem abun-
danter fieri eiſdem monachis in anniverſario Ber-
tæ amitæ ſuæ, & luminaria exhibeat eccleſiæ
ſanctæ Sophiæ inferiori, & ſanctæ Trinitatis ſu-
periori, ſicut in privilegio ejuſdem pii auguſti de
his omnibus facto continetur: ut quicquid ab eo-
dem illuſtriſſimo Cæſare tam de mobilibus, & C
immobilibus rebus, quam de theſauro collatum
eſt, & in futuro conferetur, pro animæ ſuæ re-
mediis firmum & inviolabile in perpetuum om-
nino conſiſtat. Hujus rei gratia, quia eumdem
ſublimem imperatorem divino amore contactum
pia egiſſe confidimus, congruis ſuggeſtionibus ejus
favere volentes, decernimus, ſtabilimus, & apo-
ſtolica auctoritate omnimodis confirmamus cuncta
ſuperius dicta immobilia loca cum nobilibus, ſeu
famulis utriuſque ſexus, una cum theſauro ad
uſum & utilitatem ſupra dictorum monachorum,
utpote idem præſtantiſſimus imperator auguſtali
præcepto eidem monaſterio ob ſalutem animæ
ſuæ conceſſit, vel conceſſurus erit. Statuimus au-
tem ſub divini judicii obteſtatione, & anathema- D
tis interdicto, ut nemini mortalium liceat quo-
quo modo aliquid dare de his omnibus a jure
venerabilis noſtri monaſterii, vel utilitate mona-
chorum auferre, alienare, ſubripere, aut per qua-
lemcumque modum, vel argumentum ſubtrahe-
re: ſed omnia hæc, & quæ adhuc in theſauro
ab ipſo pio Cæſare vel ab aliis Deum timentibus
in jus, dominium, vel utilitatem noſtri venera-
bilis monaſterii ac monachorum ibidem moran-
tium conferentur, perennibus conſiſtat omnino
temporibus. Si quis autem, quod numquam op-
tamus, contra hoc noſtræ confirmationis præce-
ptum, aliter agere non formidans, aliquid inde
alienare, minuere, ſubtrahere, vel temerario au- E
ſu mutare præſumpſerit, aut aliter ordinare, præ-
ter quod jam ordinatum eſt, tentaverit, vel in
toto, vel in parte tranſgreſſor apparuerit, Dei
omnipotentis judicio ſciat ſe eſſe anathematis vin-
culis innodatum, & cum Diabolo, & ejus atro-
ciſſimis pompis; atque cum Juda traditore Do-
mini noſtri Jeſu Chriſti; & cum impiis omnibus
portionem habeat, & a regno Dei alienus exi-
ſtat. Qui vero pio in omnibus intuitu verus ob-
ſervator, & curator extiterit benedictionem, gra-
tiam, & cæleſtem miſericordiam, ſive veniam de-
lictorum ſuorum a juſto judice Domino Deo no-
ſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Be-



ANNO CHRISTI 872.

A nedicti notarii regionarii, & ſacro-ſanctæ Roma-
næ eccleſiæ in menſe Januarii, indictione nona.
Bene valete, quarto nonas Januarii, per manum
Anaſtaſii Bibliothecarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ,
anno Deo propitio pontificatus Domini Joannis
quarto, imperatore domino piiſſimo perpetuo Au-
guſto Carolo a Deo coronato magno imperatore
anno primo, & poſt conſulatum ejus anno pri-
mo, indictione nona.

## II. AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

*Quid agendum de monachis ab abbate ſuo ordinatis.*

B *Joannes ſervus ſervorum Dei epiſcopus Romanæ urbis, in Chriſto fratribus univerſis epiſcopis citerioris Britanniæ ſalutem in Chriſto & viſitationem.*

Ibid. Ex Anecdot. Marten. tom. III. col. 368.

QUia vice B. Petri apoſtolorum principis Do-
mino Deo dignante omnium eccleſiarum cu-
ram ſuſcepimus, ſollicitudinem, quæ uniuſcujuſ-
que fides integra in eodem Domino reſervetur,
ſine qua nullus ei placere valebit, ubique ſevere
obſervare debemus, ideoque notum ſit vobis quo-
niam cariſſimus frater noſter Arduinus, ſanctæ
Turonenſis eccleſiæ archiepiſcopus, veniens ad
apoſtolorum limina Romam oratum, interpella-
vit nos, quod jura ſui archiepiſcopatus, quæ ab
C antiquis temporibus per decreta ſanctorum ponti-
ficum ſanctæ Romanæ matris eccleſiæ ſuis præ-
deceſſoribus conceſſa & confirmata fuerunt, a ve-
ſtro archiepiſcopo & ſuis deceſſoribus per violen-
tiam, & paganorum Normannorum contrarieta-
tem ſublata videntur, unde apoſtolica auctoritate
vobis ſciatis interdictum, ne illius ullo modo ju-
ri reſiſtatis deinceps, de omnibus quæ prædictus
archiepiſcopus confirmat archiepiſcopatui ſui per-
tineri debere, quouſque ille veſter archiepiſcopus,
aut aliquis ex vobis cum Arduino archiepiſcopo,
ſive cum ſuo ſuffraganeo, vel alio fideli miſſo ad
noſtram ſanctam matrem eccleſiam veniat, ut ibi
præcognitis cauſis inter vos & illum, quod æquum
comprobabimus, diffiniatur, ad laudem Dei, &
D Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quod ſi aliter quam
jubemus contra voluntatem ejus feceritis, cogno-
ſcatis voſmetipſos Dei, & B. Petri principis apo-
ſtolorum per noſtræ humilitatis mandatum, au-
ctoritate excommunicatos ab omni eccleſiaſtico
officio.

Quod ſi vere debitam reverentiam circa prædi-
ctum fratrem noſtrum obſervare vobis placuerit,
ſecundum juſtitiæ decretum a S. Romana eccle-
ſia ſtatutum, permaneatis cum Dei benedictione
in unitate noſtræ catholicæ communionis. Inter-
ea ſciant regni veſtri homines maxime nobiliores,
nominatim Berengarius, & filius ſuus Conanus,
& Hoel cum fratre ſuo Guerech, cum ceteris
E majoribus, ut ſi contra juſtitiam inobedientes fue-
rint huic noſtræ juſſioni, & contrarii ſeu rebel-
les extiterint prædicto fratri noſtro Turonenſi epi-
ſcopo, ſint & ipſi excommunicati, & noſtra be-
nedictione apoſtolica privati.

R III. AD

ANNO CHRISTI 872. Ex Suppl. Manſi tom I. pag. 1014.

## III. AD TICINENSEM EPISCOPUM.

*Archiepiſcopalia inſignia utenda concedit cum facultate vocandi ad ſuam Synodum archiepiſcopos Ravennatenſem, & Medıolanenſem.*

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei,*

*Reverendiſſ. Joanni S. Ticinenſis eccleſiæ &c. in perpetuum.*

Ex Ughell. in Papienſi bus tom. 1.

SUpernæ miſerationis ad hoc regiminis curam
ſuſſepimus, & apoſtolicæ miſerationis ſollici-
tudinem gerimus, ut juſte precantium votis li-
B benti animo habeamus, & libramine æquitatis
cunctis in neceſſitatibus poſitis ſubvenire debea-
mus. Nam ſummæ ſedis gerentes auctoritatem
de venerabilium locorum ſtabilitate, quantum ex
divino adjutorio poſſibilitas datur, ſatagere debe-
mus; hoc namque ſtudio & divina placatur cle-
mentia, & laus, atque utilitas Chriſti eccleſiæ
procuratur. Igitur poſtulante a nobis tua reve-
rentia, quantum ea quæ ad ſtabilitatis integrita-
tem, & ad profectum honoris ſanctæ tuæ perti-
nere noſcuntur eccleſiæ, cui ex divina largitate
præeſſe dignoſceris, enucleanter perficere ſtudea-
mus, inclinati precibus tuis per hoc noſtrum apo-
ſtolicæ auctoritatis privilegium confirmamus tibi
ſucceſſoribuſque tuis omnia privilegia tam ſacro-
C rum pontificum, quam glorioſorum Auguſtorum
præcepta, quod pro honore ſanctæ tuæ eccleſiæ,
& re am omnium mobilium, & immobilium ſta-
bilitate collata ſunt; nec non & apoſtolica cen-
ſura ſtatuimus, ut ſecundum ſacros canones, ſpiri-
tu Dei conditos, clerici vel ſanctimoniales, aut
viduæ ſub tua, tuæque eccleſiæ cura, & ſollici-
tudine ſtare debeant, nulluſque tam ſacri ordinis
præditus honore, quam etiam ſecularium miniſter
dignitatum, quocumque modo eos, eaſque ad pu-
blicum pertrahere judicium, aut ob hoc res il-
lorum, illarumque in bannum ponere præſumant;
ſed æquo judicio, ſpecialique præſentia tua, ſuc-
ceſſorumque tuorum de quibuſcumque cauſis, vel
negotiis, quæ ſecundum temporis qualitatem ac-
D ciderint, juſtitiam, judiciumque faciant. Sanci-
mus etiam, ut monaſteria, quæ intra tuæ diœ-
ceſis fines conſiſtunt, ſub tuo, & eorum, qui
tibi ſucceſſerint, jure canonico permaneant in
perpetuum videlicet, & conſecratione abbatum,
vel abbatiſſarum, & in eorum earumque crimi-
num diſcuſſione; ita ſane ut nulli in eiſdem ve-
nerabilibus locis quoties opportunum fuerit ſine
tua, tuorumque ſucceſſorum providentia, atque
conſenſu fiat electio, ſicut canonica jubet aucto-
ritas, ſalvo ſcilicet in omnibus ſedis Apoſtolicæ
privilegio ſpeciali; harumque tenore præcipien-
tes, ut monaſterium S. Donati fundatum a Luit-
prando epiſcopo, deceſſore tuo in loco, qui di-
E citur Scogialo, cum omnibus rebus mobilibus, &
immobilibus ſecundum teſtamenti ſui ſeriem col-
latis, & aliud monaſterium S. Mariæ poſitum in
Cariata, quæ juri eccleſiæ tuæ proculdubio &
pertinere videntur, te, ſucceſſoreſque tuos perpe-
tuis temporibus juriſd ctionem tenere, habereque
decernimus, & quamvis in alienis parochiis con-
ſiſtant, apoſtolica jubemus auctoritate in omni-
bus, quæ ibi agenda, vel ordinanda erunt, libe-
ram ſine alicujus contradictione habeas poteſta-
tem; Presbyteros vero, & monachos prædicto-
rum omnium Cœnobiorum ad tuum canonicum,
prout eccleſiaſtica neceſſitas exegerit, ſine alicu-
jus contradictione ſtatuimus venire concilium.

A Quod ſi aliqua in eiſdem monaſteriis præcepta ca- ANNO CHRISTI 872.
nonicis in aliquo regulis obviare videntur, fue-
rint reperta, major hoc canonice factum illis ha-
bere auctoritatem decernimus. Ita etiam de cœ-
meteriis, quæ intra, vel extra civitatem Ticinen.
conſiſtunt, præcipimus, ut ſub tuæ eccleſiæ cu-
ra, & poteſtate antiſtitis, abſque alicujus contro-
verſia permaneant. Sancimus etiam apoſtolica au-
ctoritate largiendo tibi tuiſque ſucceſſoribus cru-
cem habere quocumque volueris ferre, pallium
quoque ſimiliter concedimus, nec non album
equum coopertum equitare in ramis palmarum,
& ſecunda feria poſt paſcha. Sancimus etiam, ut
ſecundum tenorem capituli decimi, quod ſynoda-
li decreto Ravennæ ſtatuimus per indictionem de-
B cimam, nullus unquam cujuſque dignitatis aut
potentiæ homo, quaſi ſub obtentu hoſpitalitatis,
in tuo venerabili epiſcopio, aut in domibus ſa-
cerdotum tuorum, & omnium clericorum ſine
tua, tuorumque ſucceſſorum voluntate applicare
præſumat. His ita prælibatis decernimus, ut ſi
humana contradictione tuæ ſedis epiſcopus ex hoc
mundo migraverit, de proprio clero quem ido-
neum præ cæteris clerus & populus repererit,
poteſtatem habeat ſecundum ſtatuta venerabilium
Patrum, & Romanæ ſedis antiſtitum, nulla ſe-
culari contradicente potentia, eligendi epiſcopum.
Quod ſi fortaſſe in eadem plebe (quod minime
credimus) tantæ ſedis honore dignus repertus non
fuerit, tunc ſi alter de altera eccleſia canonice
C providendus eſt, conſenſu tamen & voluntate
ipſius plebis nonniſi antea electus ordinetur anti-
ſtes. Atque in his partibus mala moleſtaque con-
ſuetudine a quibuſdam ſacras leges ignorantibus
Clericalis ordinis viros ſub jugo ſervitutis poſt
conſecrationem teneri, famuloſque velle vocari
audivimus, quod dici nefas eſt. Volumus, atque
expreſſe jubemus, ut ſicut is, qui nullius unquam
conditionis fuit, ita etiam & ille, cui ad hoc
officium ſuſcipiendum morum dignitas ſuffraga-
verit, nullius viri vinculo poſtmodum teneatur
adſtrictus. Quia humana lege non debet arctari,
quem divina gratia ad tantam ſacri ordinis di-
gnitatem provehere dignata eſt. Præcipimus et-
iam, ut in omnibus mobilibus & immobilibus,
D rebuſque S. tuæ eccleſiæ pertinentibus, hominibus
quoque utriuſque ſexus, tam liberis, quam ſer-
vis, nullam a quoquam contrarietatem, aut for-
tiam, nullam violentiam, aut invaſionem abſque
legali calculo aliquibus fieri. Confirmamus etiam
S. eccleſiæ tuæ Xenodochium fundatum intra Ti-
cinen. civitatem juxta eccleſiam S. Mariæ quæ di-
citur Minor, quod filius noſter Dominus Caro-
lus imperator Auguſtus eidem eccleſiæ, a qua in-
juſte ſubtractum fuerat, legaliter per præcepti ſui
paginam reſtituere curavit, ut ſibi jure, ac di-
tione tua, tuorumque ſucceſſorum ſine aliqua re-
fragatione perpetualiter maneat; immunitatem et-
iam ipſius eccleſiæ ſecundum imperialia præcepta
ſtatuimus, & hoc noſtro apoſtolico privilegio in-
E concuſſam, ſtabilemque manere jubemus. Si quis
autem temerario auſu contra hujus noſtræ apo-
ſtolicæ præceptionis ſeriem pie a nobis, & cano-
nice promulgatam venire, agereque tentaverit,
& omnia, quæ ſuperius ſtatuta ſunt, tuæ S. ec-
cleſiæ fine tenus non obſervaverit, ſciat ſe Do-
mini noſtri apoſtolorum principis Petri anathe-
matis vinculo innodatum, & cum Diabolo, &
ejus atrociſſimis pompis, atque cum Juda tradi-
tore Domini Dei, & ſalvatoris noſtri Jeſu Chri-
ſti, æterno incendio concremandum, & qui pro
intuitu cuſtos, obediens atque obſervator hujus
noſtræ ſalutiferæ præceptionis extiterit, benedi-
ctio-

ANNO CHRISTI 872. Ex Suppl. Manſi to. I. pag. 1014.

ctionis gratiam, & cœleſtis retributionis æterna gaudia a juſto judice Domino Deo noſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Leonis Scriniarii S. R. E. in menſe Septemb. bene valete. Datum eſt hoc nono Kal. Septembris, per manum Leonis epiſcopi miſſi & Apocriſarii S. Sedis apoſtolicæ, imperante Dom. Carolo coronato magno imperatore. Et ut certius appareat hoc noſtrum privilegium, & inconcuſſum permaneat, ſigillo noſtro juſſimus inſigniri. Anno II. poſt conſulatum ejus anno II. indict. XI.

Zacharias humilis epiſcopus S. eccleſiæ Anagnien. in hoc privilegio conſenſi, & ſcripſi.

Petrus epiſcopus Foroſempronienſis eccleſiæ in hoc privilegio conſenſi, & ſcripſi.

Laurentius humilis epiſcopus Campaniæ eccleſiæ conſenſi & ſcripſi.

Leo humilis Scriniarius & Notarius S. R. E. & cum juſſione reverendiſſ. D. Joannis papæ ſcripſi, & aliis roborandam protuli, & eſt ſigillatum ſigillo plumbeo magno impreſſo, habente imaginem ſanctiſſ. olim papæ Joannis, cum literis infraſcriptis ſimilibus, videlicet: Joannes papa.

## IV. AD MONACHOS S. VEDASTI ATREBATENSIS.

Ibid.

*Confirmat omnia contenta in diplomate Caroli imperatoris.*

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, fratribus monaſterii B. Vedaſti, quod vocatur Nobiliacus, vel Atrebas, ubi ipſe S. Vedaſtus confeſſor Chriſti corpore quieſcit in perpetuum.*

Ex tom. I. Vet. Monum. Marteni.

SI utilitatibus ſervorum Dei pie conſuluimus, locaque Chriſto dicata apoſtolicis fulcimus ſanctionibus, quo divini cultus ſervitores, inibi Deo vacantes, a turbinibus, & variis tempeſtatibus ſecularium muniantur excurſibus, nihil hoc holocauſto gratius redemptori noſtro credimus offerendum. Qua de re luce clarius patet omnibus eccleſiæ filiis, quia cariſſimus filius noſter Karolus rex, adiens limina beatiſſimorum apoſtolorum Petri & Pauli, honorifice a nobis exceptus, poſtquam ſolemniter vota regia perſolviſſet ad ſepulchrum B. Petri, die nativitatis Domini, in eccleſia ipſius B. Petri apoſtolorum principis dignitatem imperialem per impoſitionem manuum noſtrarum adeptus eſt. Dehinc non minus ſincere, quam devote a nobis expetiit, ut B. Petri apoſtolorum principis, ſimulque apoſtolatus noſtri auctoritate decerneremus privilegium Romanæ, atque apoſtolicæ ſedis aſtipulatione roboratum, fratribus jam dicti monaſterii confeſſoris Chriſti Vedaſti, per quod ſtabili jure, ac ſine perturbatione poſſiderent clauſtrum ac prædictum monaſterium, & omne quod eis per ſuum præceptum conceſſerat, ac Gallicanorum epiſcoporum decreto muniri fecerat. Hujus rei gratia, quia eumdem Auguſtum divino contactum amore id feciſſe perſpeximus, gratanter ejus petitionibus aſſenſum præbuimus, decernentes apoſtolica auctoritate, ea quæ hic inſerta habentur inconvulſa manere. Ad matriculam ſcilicet eccleſiæ Maisbodvillam, Bais, Senous, Herbodciſternam, Pomerias, Herlincurtem, & in Boninicurtem manſos, & cum Longobragium, Manium, Morſele, & Sceldogotheim, Juventiacum, & in Dominica curte manſum I. & in Fatreolo manſum I. Ad neceſſaria vero fratrum, victus ſcilicet, & potus, medietatem vici, qui vocatur Hovavilla, & taA bernam unam, Filciacum dominicam curtem, Theuludum, Bigartium, Hecnam curtem, Berne villam, Mediolanas, Puteas aquas, Angeli-curtom, vallis cum camba una, & duobus molendinis, Stagras, Saltiacum, Atiamentarius, Maſt, Marcheim, Seringe-him, precariam Emmonis, & Tangigarii. Ad cameram vero villas ſitas in pago Batua, quas circumfluit Rhenus bicornis fluvius, his nominibus Rehxnam, VVulfrum, una cum capella ibidem poſita, Rotheim ſuper fluvium Verſiam ſitam. Item in altera Rotheim manſos VI. præterea etiam ultra Rhenum prælibatum fluvium manſos numero XXXVI. pariter cum ſilvis appendentibus. Deinde in pago Atrebatenſi Athejas, Saltiacum, Liniacum, Campa-
B nias, & in Fontanido manſos III. & in Lambras manſum I. & alterum in Hadas, & tabernam I. in vico monaſterii. Ad portam Bernejam villam, & in Anzinio manſum I. cum molendino & in Enez manſos V. cum molendino & decimam omnis abbatiæ. Ad hoſpitale pauperum in Daginvilla manſos VII. in Bonejam villam, & Lentſales manſos III. & quintam partem omnis decimæ. Ad domum vero infirmorum omne thelonium ex mercato, & has villas quas pro remedio animæ ſuæ dedit, vel reddidit S. Vedaſto, Frontellicurte, Cilliacum, Lutoſum montem, atque Tilgidum. Has ergo villas cum om-
C nibus appenditiis, & reditibus & mancipiis, quemadmodum per præcepti paginam ordinata ſunt, atque tradita, per noſtri apoſtolatus auctoritatem ſancimus, ut nulli mortalium liceat aliter ordinare, mutare, vel aliud quid quoquo modo exinde, vel parum agere, præter quod a ſæpe dicto filio noſtro piiſſimo Auguſto conſtitutum eſt; ſed omnis ordinatio in arbitrio abbatis pendeat. Qui ergo ea quæ ſancta atque apoſtolica ſedes ſtabilivit pro nihilo duxerit, temerarioque auſu avaritiæ, diabolicæque cupiditatis inſtinctu qualitercunque violare tentaverit, ſi ex toto, aut ex parte tranſgreſſor apparuerit, B. Petri apoſtolorum principis, noſtrique apoſtolatus auctoritate anathematis nexibus, ut fur, & ſacrilegus aſtri-
D ctus, atque ab unitate matris eccleſiæ & participatione corporis & ſanguinis Chriſti ſequeſtratus, cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Diabolo ejuſque atrociſſimis pompis in tremendo die magni examinis ſententiam damnationis accipiat. At qui his apoſtolicis conſtitutionibus ſincero amore obſervator extiterit, benedictionem, & miſericordiam a Domino Jeſu Chriſto percipiat, & partem, & ſocietatem cum eis, quorum nomina ſunt ſcripta in libro vitæ agni a conſtitutione Mundi. Amen.

Data per manus Anaſtaſii primiſcrinii anno primo imperii Karoli ſereniſſimi Auguſti, & poſt conſulatum ejus anno I. indictione VIII.

ANNO CHRISTI 872.

E

## V. AD ABBATEM, ET MONACHOS HERENSES.

Ibid.

*Approbat donationem monaſterii S. Porciani illis factam.*

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Geiloni religioſo abbati venerabilis monaſterii ſanctæ Dei genitricis, ſemperque virginis Mariæ Dominæ noſtræ, & S. Filiberti, ac per te eidem venerabili monaſterio in perpetuum.*

COnvenit apoſtolico moderamini pia religione pollentibus benevola compaſſione ſuccurrere; poſcentium animis alacri devotione impertiri aſſen-

Ex ſpicileg. D. Acher. tom. III. pag. 351.

ANNO CHRISTI 872.

Ex Suppl. Mansi to. I. pag. 1011.

aſſenſum. Ex hoc enim lucri potiſſimum præ- A mium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint ſine dubio ſtatum perducta.

Igitur omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, & noſtris, præſentibus, & futuris notum fieri volumus, qualiter reverentia tua per Adalgarium ſanctiſſimum epiſcopum ſanctæ Eduenſis eccleſiæ noſtro ſuggeſſit apoſtolatui, obſervans quod abbatiolam, quæ vocatur S. Portianus, quamque piæ memoriæ Karolus imperator, ſpiritualis ſcilicet filius noſter, ob ſui perennem memoriam, per præcepti ſeriem in eodem venerabili monaſterio conferens largitus eſt, noſtri apoſtolici pri- B vilegii auctoritate confirmaremus.

Nos autem conſiderantes hanc petitionem ſalubrem fore, & eidem venerabili monaſterio, cui præeſſe dignoſceris, ſtabilimentum conſiſtere; præcipue cum omnia pia loca proprium habere optemus; inclinati petitionibus tuis a præſenti nona indictione præfatam abbatiolam cum omnibus rebus ſuis mobilibus, vel immobilibus, ſibi juſte & legaliter pertinentibus, quemadmodum ex prædicto eodem Auguſto conceſſum eſt, per hoc apoſtolicum noſtrum privilegium in ſæpe dicto venerabili monaſterio confirmamus, & perpe- C tualiter ſtabilimus, & ad mercedem noſtram roboramus; ita quoque apoſtolica auctoritate munientes decernimus, ut nullus epiſcoporum ad negotia divina illuc, aut pro alia re peragenda, niſi a te ſucceſſoribuſque tuis abbatibus fuerit invitatus, ire pertentet; immo ne judiciaria poteſtas quamcumque vel moleſtiam, aut deſtructionem quamlibet pergens facere audeat, quam ſecundum ipſius venerabilis monaſterii ritum, & prædicti Auguſti conceſſionem, nec non & hanc apoſtolicam conceſſionem, & confirmationem ab omnibus Chriſti fidelibus obſervandam ſancimus.

Si quis autem cujuslibet dignitatis homo con- D tra hoc noſtrum apoſtolicum privilegium (quod non credimus) in toto vel in parte ire præſumpſerit, ac quod a nobis ſalubriter ſancitum eſt, in aliquo frangere auſus fuerit, auctoritate Dei omnipotentis, & beati Petri apoſtoli, atque noſtra, ſciat ſe propria communicatione privatum; & niſi cito reſipuerit, ac canonicæ ſanctioni obedierit, anathemate perpetuo condemnatum: qui vero cuſtos & obſervator extiterit, benedictionem, & gratiam a Domino Deo noſtro conſequi mereatur.

Scriptum per manus Anaſtaſii notarii regionarii, & Scriniarii Sanctæ Romanæ eccleſiæ in menſe Octob. indictione nona. Bene valete.

Datum idus octob. per manum Chriſtofori Primicerii ſanctæ ſummæ ſedis apoſtolicæ. Imperante Domino piiſſimo Auguſto Karolo a Deo coronato magno imperatore, poſt conſulatum ejus anno primo, Indictione nona.

## *JOANNES EPISCOPUS.*

*Commonitorium Paulo epiſcopo fungenti legatione in Germaniam & Pannoniam.*

Collect. Canon. in biblioth. Taur. ſignata F. IV. 7.

Non enim ſolum inter Italiam, ac ceteras Heſperiæ provincias, verum etiam intra totius Illyrici fines conſecrationes, ordinationes & diſpoſitiones apoſtolica ſedes antiquitus patrare conſuevit. Porro ſi de annorum numero forte cauſatur; ſciat quia inter Chriſtianos & eos qui ſunt unius fidei numerus certus affixus eſt. Cum tamen ubi Paganorum, & incredulorum furor eſt in cauſa, quantalibet pertranſeant tempora juri (non) præjudicant eccleſiarum, quæ corporalia neſcientes arma, ſolum Dominum propugnatorem ſuum, quomodo ei placuerit miſereri patientem, expectant. Verum, ſi annorum proli- C xitas in talibus impedit, ergo Deus ipſe reprehendendus, qui poſt 400. & 30. annos filios Iſrael de ſervitute Pharaonis e fornace ferrea liberavit, & qui hominum genus poſt longa tempora de clauſtris inferni, & Dæmonum potentia eripuit.

*Joannis VIII. papæ.*

Adminiſtratores ſecularium dignitatum, qui ad eccleſiarum, ac viduarum tuitionem rapaciumque refrænationem ſunt conſtituti, quotiens ab eccleſiaſticis viris conventi fuerint, eorum querimo- D nias attentius audiant; & quod neceſſe illis fuerit diligenter & cito perficiant; quod ſi neglexerint vindicare vel corrigere poſt tertiam admonitionem priventur a communione.

*Ejuſdem.*

Præſides, cum ad præſidiatum promoti fuerint, literas accipiant eccleſiaſticas communicatorias; ita tamen, ut in quibuſcumque locis præſidiatum geſſerint, ab epiſcopis ejuſdem loci cura de illis agatur, ut ſi cœperint contra publicam agere diſciplinam a communione ſecludat divina.

# ☞ CONCILIUM ROMANUM

*In Adalgiſum ducem Beneventanum, & pro ſanciendis eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus nonnullis celebratum,*

Anno 872. Joannis VIII. anno I.

Ibid.

REgino ad annum 872. hæc de concilio iſto E ſcribit: *Ludovicus imperator Romam veniens, ibique conventum celebrans coram ſummo pontifice, multa ſuper Adalgiſi* (Beneventani ducis) *tyrannide conqueſtus eſt ..... Joannes papa imperatorem a juramento, quo ſe obligaverat, authoritate Dei, & S. Petri abſolvit, affirmans nihil obeſſe, quod ad mortis periculum evadendum coactus fecerat.* Hæc ille de rebus in eo concilio geſtis. Ad illud forte concilium ſpectat ea ſanctio de eccleſiarum poſſeſſionibus nemini niſi quibus canones permittunt, concedendis, quam idem Joannes in canone II. concilii Tricaſſini II. olim, priori anno ordinationis ſuæ, ediდiſſe ſe affirmat his verbis: *Ut eſt illud primo anno ordinationis noſtræ apud Beatum Petrum apoſtolum conſtitutum.* ☞

CON-

ANNO CHRISTI 873.

# CONVENTUS FRANCOFORDIENSIS

## ANNO DCCCLXXIII.

### A Ludovico Germaniæ Rege celebratus.

A ANno Chriſti 873. Ludovicus Germaniæ Rex menſe Januario Epiſcoporum & Comitum Conventum habuit Francoſurti, ubi 7. Kalendas Februarias Carolus ejus filius natu minimus a malo dæmone invadi contigit, uti ex Annalibus Francorum refert Baronius ad hunc annum 2. n. 6. & 7. Et Aimoinus lib. 5. cap. 30. hæc habet: *Ludovicus Germaniæ Rex ante nativitatem Domini ad Franconofurth palatium venit, ibique nativitatem celebravit, & Placitum ſuum ibidem circiter Kalend. Februarias condixit.*

ANNO CHRISTI 873.

# CONCILIUM OVETENSE

## IN HISPANIA

Anno Chriſti non 872. ſed 873. aut aliquo proxime ſequenti, die XVIII. Kalend. Julii æra non 910 ſed 911. aut alia quavis conſequente, ſi vere, ut ajunt Hiſpani ſcriptores, celebratum fuit ſub Joanne VIII. papa, & Adelfonſo Galliciæ rege.

*Ex Sampiri Aſturicenſis epiſcopi hiſtoria a Prudentio Sandovallio epiſcopo Pompejopolitano edita cum aliis quatuor Hiſpanicis ſcriptoribus iiſdemque epiſcopis.*

CUm tantis triumphis ( Adelfonſus III. rex ) lætatus eſt nimis & velociter presbyteros ſuos Severum & Synderedum Romam ad papam Joannem cum literis ſuis miſit, & reverſi a domino papa una cum Raynaldo gerulo ſuo & cum ſubſcriptis epiſtolis licentiam conſecrandi eccleſiam beati Jacobi apoſtoli, ſive & concilium celebrandi cum Hiſpanis epiſcopis.

Hanc epiſtolam aſportatam de urbe Romenſe a duobus presbyteris Severo & Synderedo menſe Julio æra * DCCCCIX.

*Joannes epiſcopus*, &c. *Vide ſupra Epiſt.* 309.

Item alia epiſtola ab eodem papa Romenſe directa per Raynaldum gerulum menſe Julio æra * DCCCCIX.

* Scribendum fuit DCCCXI. hoc eſt an. Chriſti 873.
* Scribendum eſt DCCCCXI.

*Joannes epiſcopus*, &c. *Vide ſupra Epiſt.* 310.

Viſis itaque rex epiſtolis, magno gaudio gaviſus eſt, tunc conſtituit diem conſecrationis jam dictæ eccleſiæ; ſive & concilium celebrandum apud Ovetum cum omnibus epiſcopis qui in illius erant regno, ii ſunt:

Epiſcopi qui affuerunt.

Joannes Oſcenſis, Vincentius Legionenſis, Dulmerus Aſturicenſis, Hermegildus Ovetenſis, Naucidius Salmanticenſis, Jacobus Caurienſis, Theoſtus Conimbrienſis, Argimirus Lamecenſis, Theodemirus Veſſenſis, Gumadus Portugalenſis, Argemirus Bracharenſis, Didacus Tudenſis, Egila Aurienſis, Siſnandus Irienſis, Recharedus Lucenſis, Theodeſiodus Britonenſis, & Elecca Cæſarauguſtenſis epiſcopus ibi interfuit.

Comites totius regni Adelfonſi.

Igitur auxiliante Domino venit rex ad ſtatutam diem cum uxore ſua, & filiis, & cum prædictis epiſcopis, & cum univerſis poteſtatibus, ſive & cum ſubſcriptis comitibus ſuis pernominatis, Alvarus Egunenſis comes, Veremundus Legionenſis comes, Sarracinus Aſtoricæ, & Berizo comes, Veremundus Torrenſis comes, Betotus Indeza comes, Ermegildus Tude, & Portugalle comes, Arias filius ejus in Minio comes, Pelagius Breganciæ comes, Ordarius Caſtellæ & Auſæ comes, Sylus Prucii comes, Erus in Lugo comes & cum iſtis omnibus omnis plebs catholica, ubi facta eſt turba immodica ad videndum, ſive & audiendum

Conſecratum eſt templum divi Jacobi 7. die Maii. At æra Cæſaris hic adſcripta addique temporum characteres videtur mendoſi, ut excutiemus in notis.

B verbum Domini in prima die, quod erat nonas Maii anno incarnationis Domini æra DCCCCLXXIX. ſecunda feria deducebat animum ad lunæ curſum IV. luna XI. conſecratum eſt jam dictum templum a prædictis pontificibus hoc ordine ſubſcripto. In primis conſecraverunt altare in honorem ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti, & ad dextrum prædicti altaris conſecraverunt altare in honorem apoſtolorum Petri & Pauli, & ad lævam jam dicti altaris conſecraverunt altare in honorem ſancti Joannis apoſtoli & evangeliſtæ. In altari quoque quod eſt ſuper corpus beati Jacobi apoſtoli, quod conſecratum fuerat a ſeptem diſcipulis ejus, quorum C nomina ſunt hæc, Calocerus, Baſilius, Pius, * Griſogonus, Theodorus, Athanaſius, Maximmus, tamen nemo ex dictis epiſcopis auſus fuit aliquid in eo agere, niſi tantum orationem, miſſamque cantare.

* Pro, Chryſogonus. H.

Peracta dies dedicationis prædicti pontificis juſſu regis ſecus flumen Ulliain, montemque qui ab antiquis vocatur Ilianarius, conſecraverunt eccleſiam in honorem ſancti Sebaſtiani martyris, & ab illa die uſque hodie vocatum eſt nomen ejus mons ſacratus. His peractis abjerunt omnes.

Tranſactis itaque XI. menſibus prædictus rex D una cum uxore & filiis, & cum prædictis epiſcopis, ſive & comitibus, & poteſtatibus venerunt Oveto, ad celebrandum concilium cum auctoritate domini papæ Joannis, & cum conſilio * Caroli principis Magni. Memorati itaque epiſcopi rege præſente & univerſalis Hiſpaniæ concilium illis faventibus Ovetenſem urbem metropolitanam elegerunt ſedem, & in ea Hermegildum conſecraverunt archiepiſcopum. Et dixerunt:

* Hoc eſt Caroli Calvi.

Ovetenſis eccleſia metropolis erigitur poſt nativitatem Domini ob incarnatione 873.

Infeſtatione namque, & incurſione gentili extra Aſturiarum montes, nonnullis præſulum a ſuis penitus ſedibus pulſis; Nos vero in noſtris nimium inquietati ad ipſam domum Domini & ſalvatoris E noſtri Jeſu Chriſti de hoſtium faucibus conſugimus erepti, ubi ipſius protectione muniti ad ejus laudem, qui nobis præſideat conſtituimus archipræſulem, quo præſenti concilio præmiſſo triduano jejunio decernimus unumquemque noſtrum paſtora-

ANNO CHRISTI 873.

ſtorali cura ſecundum canonum inſtituta regere populum ſibi commiſſum, ad hoc ſancimus ut conſilio regis, & optimatum regni & eccleſiæ plebis eligamus archidiaconos boni nominis viros, qui per monaſteria, & parochiales eccleſias eundo bis in anno concilia celebrent, & lolium extirpando ad gregem Domini prædicationis ſemina miniſtrent, ipſaque monaſteria, ſive eccleſias ita diſponant, quatenus nobis fideliter rationem reddant. Si vero quiſpiam eorum negotium ſibi commiſſum indigne & fraudulenter tractaverit, canonis ſententiæ ſubjacebit.

Tunc inquit prædictus rex, rogandus eſt itaque ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut omnes illas ſedes ſupradictas tam populatas, quam etiam a gentibus diruptas pia miſeratione reſtituat, eiſque tales epiſcopos conferat, qui ei placeant, ſedemque Ovetenſem metropolitanam & præſidium habeant. Tunc inquiunt prædicti epiſcopi: Nunc igitur quicumque in præfatis ſedibus fuerunt epiſcopi, ad concilium vocentur, eiſque in Aſturiis manſiones ſingulæ de ſede ſancti ſalvatoris dentur, quibus quiſque ſua neceſſaria teneat; ne dum ad concilium tempore ſtatuto venerit, victus ſupplementum ei deficiat. Aſturias enim patria tantum terrarum ſpatio eſt diſtenta, ut non ſolum Chriſti epiſcopis in ea ſingulæ manſiones poſſint attribui, verum etiam ſicut prædictus princeps Magnus Carolus per Theodulſum epiſcopum nobis ſignificavit, Chriſti præſulibus ad vitæ ſubſidia valeant impendi ſingula loca, cum ad concilium celebrandum venerint.

Princeps Magnus Carolus quis hic fuit?

Tunc rex inquit iterum: Vos ergo venerandi pontifices in ſolitudinem redactas reſtaurate ſedes, & per eas ordinate antiſtites; quia, *qui domum Dei ædificat, ſemetipſum ædificat*; unde Daniel loquitur dicens. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos:* * *& quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: & Dominus in evangelio ait. *Gratis accepiſtis, gratis date.* In Aſturiarum vero circuitu poſuit montes firmiſſimos, Deus, & Dominus eſt cuſtos in circuitu populi ſui, ex hoc, nunc & uſque in ſæculum; infra quorum montium ambitum, qui quidem vix x. dierum ſpatio valet circui, poſſunt Chriſti epiſcopi, manſiones ſingulas datas vobis ex ſede ſancti ſalvatoris obtinere, veſtriſque ſedibus extra honeſte providere.

1 Cor. 14. 4.
Dan. 12.
* Vel, erunt.
Matth. 10.

Tunc iterum inquiunt prædicti pontifices: Roma namque ab hominibus ædificata, ſimili modo plures habet epiſcopos, qui foris præſunt & provident decenter ſuis ſedibus, quæ eis neceſſaria miniſtrant in civitate morantibus, & Romano pontificici ſamulantibus, cujus Romani pontificis Joannis juſſu & conſilio congregati Oveto ſumus. Quo ſane loco, ut præmiſimus, montium munimine, manu Domini ſalvatoris noſtri, ejuſque glorioſæ genitricis Mariæ virginis, necnon & duodecim apoſtolorum, quos ipſe Dominus juſſit evangelium prædicare, & eccleſiam ſuam toto orbe terrarum congregare, vera humilitate & fideli devotione conveniremus; quemadmodum ſuper ipſos apoſtolos Spiritus ſanctus in igne deſcendit, eoſque linguis variis magnalia Dei loqui edocuit. Itaque ita procul dubio idem Spiritus ſanctus ſuper nos veniet, qui nos doceat, & ignem ſuum cordibus noſtris infundat, & gentes, quæ nos infeſtant, reprimat, noſque ad cælorum regna perducat. Si quis autem noſtrum ſe obliviosſus concilii unitate ſubſtraxerit; a vera & integra ſocietate ſanctorum ſegregatus, pariterque anathemate cum Juda Domini proditore, cum diabolo & angelis ejus in perpetuum ſit damnatus. Modo erga nos epiſcopi vel reliqui ſacerdotes Ovetenſem ſedem quam Deus elegit, metropolitanam colligimus, ac pro poſſe noſtro fideliter erigimus, & ſicut ſuperius diximus, locis qui nobis ab ipſa ſede per Aſturias adtribuuntur, rei noſtræ rectos procuratores ponimus, ut prædiffinito tempore ad concilium Oveto recurramus.

Dationem iſtam in fine libri hujus invenies eam, ea videlicet manente, ut per ipſas ſedes, quæ foris ſunt, communi conſilio laboremus: in hac civitate videlicet Aſturiis, quam Deus fortiſſimam fundavit, ſubſtantiam noſtram reponamus, & contra hoſtes ſanctæ fidei concordi mente dimicemus: nam Dominus & ſalvator noſter ad ſuorum fidelium refugium, & eccleſiæ firmamentum, eam firmiſſimam elegit: in qua ſi omnes caritatis vinculo vincti fuerimus, ipſo auxiliante adverſariis noſtris reſiſtere, campoſque defendere, ex quibus intus victum poterimus habere: ſcriptum quippe eſt; *Civium concordia in hoſtes eſt victoria.*

Tunc inquit Hermegildus Ovetenſis eccleſiæ archiepiſcopus: Hoc ergo reverendi epiſcopi una cum Romanis epiſtolis, unuſquiſque veſtrum diligenter ſcribite, & per concilia celebrate, legiteque. Quod ſi aliter feceritis & a noſtro præcepto alienos vos habueritis, videte ( quod abſit ) ne in judicium Domini incurratis. His peractis jam dictus rex ſurrexit, & faventibus cunctis, qui aderant in concilio tam eccleſiaſticus ordo quam ſæcularis, ſubſcriptam diœceſim jure perpetuo tradidit Ovetenſi eccleſiæ. In Gallecia Suarnam cum poſſeſſionibus ſancti Martini, & ſanctæ Mariæ de Villavoli cum omnibus ſuis appenditiis, Vallem longam, & poſſeſſionem ſanctæ Mariæ cum omnibus ſuis appenditiis. Neram cum poſſeſſionibus ſancti Martini de Aſperella, & ſancti Jacobi de Corias cum omnibus appenditiis earum: Flanioſam, & poſſeſſionem ſancti Martini de Perellinos cum omnibus ſuis appenditiis; Totam Sarriam, & poſſeſſionem ſanctæ Mariæ de Corvella cum omnibus ſuis appenditiis. Paramum uſque ad flumen Mineum, totam Lemoſtum, Vintio, & Veroſino, & Saviniano, & Froiane uſque ad flumen Sylum. Totam Luneam cum eccleſiis de Patraio quæ ædificatæ ſunt, vel fuerint inter Ornorium flumen, & Sylum, terminum montis Baron, & per aquam Zore, uſque in fluvium, & fundum Arnoie; & per ipſum diſcurſum uſque in flumen Mineum. In Veza uſque in Portellam de Vanati: & eccleſias de Sallar inter Arnoiam, & Sylum cum eccleſiis de Barroſa Caſtellani, & poſſeſſiones ſancti Salvatoris de Ilbaſmœſas cum Saucam, Barvantes, Aura, & Avion, Aſina, Camba, Aviancos, & poſſeſſionem eccleſiæ ſanctæ crucis de Soto ſenatori cum omnibus ſuis appenditiis, ſicut prædictam ſedem hæreditaverunt noſtri prædeceſſores, & Vandali reges ſtabilierunt, ita nos eam præcipimus ſtare & confirmamus.

Ovetenſis eccleſiæ diœceſis.

Tunc omnes, qui erant in concilio una voce dixerunt: Placet, placet omnibus.

Deinde tractaverunt ea, quæ pertinent ad ſalutem totius regni Hiſpaniæ; his peractis, ſolutoque concilio abierunt unuſquiſque in ſua cum gaudio.

Solvitur concilium.

Actum concilium XVIII. Kal. Julii æra * DCCCCX.

* Immo DCCCCXI. aut aliqua ſequenti.

### Observatio Philippi Labbe, S. J.

Supra jam monuimus æram illam Hiſpanicam corruptam eſſe, atque Amanuenſis incuria excidiſſe ſaltem unitatis notam, ſcribendumque eſſe DCCCXI. aut DCCCCXII. neque enim Joannes VIII. Hadriani II. Kalendis Novembris anni 872. defuncti in pontificia dignitate ſucceſſor electus dumtaxat die XIV. Decembris ejuſdem anni duas ad Adelfonſum, quæ initio concilii memorantur, epiſtolas menſe Junio, Juliove ſcribere potuit, antequam,

pon-

ANNO CHRISTI 873.

pontifex fieret, neque concilium ab eo indictum cele-
brari, niſi vel anno 973. aut aliquo ex proxime ſequen-
tibus: Sandovallius in notis meminit diplomatis Calliſti
papæ II anno 1122. conceſſi in hæc verba: *Eccleſiam*
*Ovetenſem pro qua nos exoraſti, cujus privilegia, regalia-*
*que teſtamenta & diœceſis determinationes nobis præſenta-*
*re ſtuduiſti, ſicut rex Adelfonſus Ordonii filius & omnes*
*illius temporis epiſcopi Hiſpanienſes cum auctoritate* ( ſic
enim legendum, non *ante* ), *prædeceſſoris mei bonæ me-*
*moriæ Domini Joannis papæ conſtituerunt, & confirmave-*
*runt eis, in perpetuum ſtare præcipimus & apoſtolicæ au-*
*ctoritatis privilegio ſancimus*. Ceteros temporum chara-
cteres qui in hiſtoria Sampiri mendoſi apparent excu-
tientur a nobis accuratius alio in loco.

## ACTA CONCILII OVETENSIS.

*Ex m. ſ. eccleſiæ Toletanæ & Ovetenſis primum edidit Cardinalis de Aguirre.*

I. SUmmi diſpoſitoris providentia permanen-
te, pleriſque Hiſpanienſium a gentilibus
ſubverſis urbibus, mole peccaminum exigente, glo-
rioſiſſimi regis Adephonſi Caſti, & Adulphi Ove-
tenſis epiſcopi ſolerti conſideratione, nec non piiſ-
ſimi Francorum principis Caroli conſilio, quem
equidem miſſa legatione ſuper hoc convenimus
Oveti negotio nos hic ſubſcripti Pontifices: Theo-
demirus Columbrienſis, * Agrimundus Bracaren-
ſis, Didacus Tudenſis, * Theoderindus Irienſis,
Vincentius Legionenſis, Wimaredus Lucenſis, Go-
mellus Aſturicenſis, Abundantius Palentinus, &
Joannes Oſcenſis, * rege præſente, & univerſali
Hiſpanienſium concilio nobis favente; Ovetenſem C
urbem metropolitanam eligimus ſedem. Infeſta-
tione namque & incurſione gentili extra Aſturia-
rum montes nonnullis præſulum a ſuis penitus
ſedibus pulſis, nos vero in noſtris nimium inquie-
tati, ad ipſam domum Domini & Salvatoris no-
ſtri de hoſtium faucibus confugimus erecti: ubi
ipſius protectione muniti, ad ejus laudem, qui
nobis præſideat, conſtituimus archipræſulem.

* Ovet. Aglila Auricenſis, Argimundus, &c. * Ovet. Theodeſindus. * Ovet. & Heleca Cæſarauguſtanus, & rege &c.

II. Quo præſenti concilio, præmiſſo triduano
jejunio, decrevimus unumquemque noſtrum paſto-
rali cura, ſecundum canonum inſtituta, regere
populum ſibi commiſſum.

III. Ad hæc ſancimus, ut conſilio regis & op-
timatum regni, & eccleſiæ plebis, eligamus ar-
chidiaconos, boni nominis viros, qui per mona- D
ſteria & parochitanas eccleſias eundo, bis in an-
no concilia celebrent; & lolium exſtirpando, gre-
gi Domini prædicationis ſemina miniſtrent: ipſa-
que monaſteria ſive eccleſias ita diſponant, qua-
tenus nobis fideliter rationem reddant. Si vero
quiſpiam eorum negotium ſibi commiſſum indi-
gne & fraudulenter tractaverit; ſi forte eccleſiæ
ſervus exſtiterit, a dignitatis honore publice re-
moto, ſeptuaginta ei flagella conferamus; & ini-
tio ſervitioque infimo redigamus, & ad gradum
priſtinum nullo in tempore revocemus. Si autem
ingenuus fuerit, nos epiſcopi cum comitibus &
plebe eccleſiæ conjuncti, ut ſuperius ab honore
ſublato ſeptuaginta flagella ingeramus: & juxta
ſententiam canonicam, & librum Gothorum, quid- E
quid de facultatibus eccleſiæ illicite diſtraxerat,
pro quantitate culpæ perſolvat; communique con-
ſilio alius loco ejus ſuccedat. Quod ſi quis epiſ-
coporum veritatis contemptor injuſte objecerit cri-
men archidiacono, quod ratione nequeat proba-
ri; tantum de ſuis facultatibus falſe accuſato im-
pendat, quantum ſi ipſe archidiaconus foret con-
victus, perſolvere debuerat. Inſuper communi de-
creto concilii pro foribus eccleſiæ quadraginta dies
pro commiſſo facinore pœniteat.

IV. Præterea monaſteria, quæ de ſancti Salva-
toris Ovetenſis archiepiſcopali datione, & regali
A conceſſione, nobis ſingulis conferuntur, ſingula
fidelibus diſpoſitis proviſoribus ædificare curemus,
ne aliquam victus inopiam toleremus, dum ad ce-
lebranda concilia Ovetum venerimus: quæ qui-
dem ſedes metropolitana ex Lucenſi ſede archie-
piſcopali eſt tranſlata. Lucenſis namque ſedis prius
metropolitana, Bracaræ fuit deinde ſubdita: Bra-
cara vero a gentibus deſtructa, Lucenſis ſedes in
concilio ſancto Ovetenſi archiepiſcopo pio eſt
ſubdita.

V. Omnes igitur epiſcopi ordinati, ſeu in ſub-
ſcriptis ſedibus ordinandi, id eſt, in Bracara, in
Tude in Dumio, in Iria, in Conimbria, in A-
quaſcalidas, in Veſeo, in Lamego, in Cœlenes,
in Portugale, in Boenes, in Aurienſe, in Brito-
B nia, in Aſtorica, in ambas Legiones, quæ ſunt
una ſedes; in Palentia, in Auca, in Saxomone,
in Segovia, in Oxonia, in Avela, in Salmanti-
ca, ſubditi ſint eccleſiæ Ovetenſi Salvatoris no-
ſtri Jeſu Chriſti, qui pacificavit omnia ex Patre
genitus ante ſæcula; qui ipſum locum muro fir-
miſſimo, montium videlicet munimine vallavit,
& ante ſæcula ad fidelium ſalvationem præſcivit,
quos per ſervum ſuum Pelagium liberavit. Ro-
gandus eſt itaque ipſe Dominus noſter Jeſus Chri-
ſtus, ut omnes iſtas ſedes ſupradictas tam popu-
latas, quam etiam a gentibus dirutas, pia miſe-
ratione reſtituat, eiſque tales epiſcopos conferat,
qui ei placeant, ſedemque Ovetenſem metropoli-
tanam ut præſidium habeant. Si vero antiquas
C ſedes, quæ in canonibus reſonant, vel alias quas
modo nominavimus, id eſt, Legionem, Saxo-
monem, Cœlenes, vel alias, quas nec Suevi nec
Gotthi reſtaurare potuerunt, ſcire volueritis; Ida-
tium librum legite, & per ipſas civitates annota-
tas invenietis ſedes.

VI. Nunc igitur quicumque in præfatis ſedi-
bus inventi fuerint epiſcopi, ad concilium vocen-
tur; eiſque, ſicuti & nobis, in Aſturiis manſio-
nes ſingulæ dentur, quibus quiſque ſua neceſſaria
teneat; ne dum ad concilium tempore ſtatuto ve-
nerit, victus ſupplementum ei deficiat. Aſturia-
rum enim patria tanto terrarum ſpatio eſt diſten-
ta, ut non ſolum viginti epiſcopis in ea ſingulæ
manſiones poſſint attribui; verum etiam ( ſicut
D prædictus magnus rex Carolus per Theodulfum
epiſcopum nobis ſignificavit ) triginta præſulibus
ad vitæ ſubſidia valeant impendi ſingula loca.
Vos ergo, venerandi Pontifices, in ſolitudine re-
dactas reſtaurate ſedes, & per eas ordinate anti-
ſtites: quia *Qui domum ædificat, ſemetipſum ædifi-* 1. Cor. 14. 4. Dan. 12.
*cat*: unde & Daniel loquitur dicens: *Qui ad ju-*
*ſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtella in per-*
*petuas æternitates*. Et Dominus in evangelio ait:
*Gratis accepiſtis, gratis date*. Matth. 10

VII. Ne igitur cuiquam videatur diſſonum, &
quaſi rationi contrarium, Lucenſem, ſeu Braca-
renſem archiepiſcopatum Oveto fuiſſe tranſlatum;
legimus Gotthos dignitatem Carthaginis Toleto
tranſtuliſſe; eique ſedes viginti ſubdidiſſe. Judi-
E cio autem divino propter peccata retroacta ceci-
dit Toletus, elegit Aſturias Dominus. Toletus
quippe in ambitu habet quinque vel ſex millia
paſſuum: cujus civitatis ambitus humano artificio
auctus, fuit deſtructus, quia valuit diſſipari a gen-
tibus. In Aſturiarum vero circuitu poſuit mon-
tes firmiſſimos Dominus, & Dominus eſt cuſtos
*in circuitu populi ſui ex hoc nunc & uſque in ſæ-*
*culum*. Infra quorum montium ambitum ( qui
quidem vix * viginti dierum ſpatio valet circui- * Ovet. decem.
ri ) poſſunt viginti epiſcopi manſiones ſingulas ob-
tinere, ſuiſque ſedibus extra honeſte providere.
Roma namque ab hominibus ædificata, ſimili mo-
do

do plures habet epiſcopos, qui foris præſunt, & A provident decenter ſuis ſedibus, quæ eis neceſſaria miniſtrant in civitate morantibus, & Romano Pontifici famulantibus; cujus Romani Pontificis Joannis juſſu & conſilio congregati ſumus Oveto.

VIII. Quo ſane loco ( ut præmiſimus ) montium munimini manu Domini firmato, ſi in domo Domini Salvatoris noſtri, ejuſque glorioſæ genitricis Mariæ Virginis, nec non & duodecim Apoſtolorum, quos ipſe Dominus miſit evangelium prædicare, & eccleſiam ſuam toto orbe terrarum congregare, vera humilitate & fideli devotione conveneritis; quemadmodum ſuper ipſos Apoſtolos in ſancta civitate Jeruſalem propter metum Judæorum in unum congregatos, Spiritus ſanctus B in igne deſcendit, eoſque linguis variis magnalia Dei loqui edocuit; ita procul dubio idem Spiritus ſanctus ſuper vos veniet, qui vos doceat, & ignem ſuum cordibus veſtris infundat, & gentes quæ vos infeſtant reprimat, voſque ad cælorum regna perducat. Si quis autem noſtrum ſe ab hujus concilii unitate ſubtraxerit; a vera & integra ſocietate ſanctorum ſegregatus, parique anathemate cum Juda Domini proditore percuſſus, cum diabolo & angelis ejus in perpetuum ſit damnatus.

IX. Adhuc etiam, ut omnes invidos & refragatores Oveto metropolitanæ translationis leviter convincamus, alia exempla adducimus. Nulli quidem eſt dubium, olim Babyloniam mundi urbium C tenuiſſe principatum. Deſtructa vero a Domino Babylonia, mundi principatum obtinuit Roma, quam beatus Petrus accepit in ſorte ſua. Sic & Hieroſolyma, quæ antea Romæ & Babyloniæ fuit ſubdita, omnium provinciarum facta eſt domina, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro noſtra omniumque redemptione pati, & in ejuſdem confinio Bethleem eſt dignatus naſci. Poſtquam autem idem Redemptor noſter victor cælos aſcendit, culpa infidelitatis eſt derelicta, velit tugurium in vinea, & crevit fides Chriſti per univerſa mundi climata. Simili etiam modo Toletus totius Hiſpaniæ antea caput extitit, nunc vero Dei judicio cecidit, cujus loco Ovetum ſurrexit.

X. Modo ergo vos, epiſcopi, vel reliqui ſacer- D dotes, Ovetenſem ſedem, quam Dominus elegit metropolitanam, colite, ac pro poſſe veſtro fideliter erigite: & ſicut ſuperius diximus, locis, quæ vobis ab ipſa ſede per Auſtrias attribuuntur, rei veſtræ rectos procuratores ponite; & definito tempore ad Concilium Ovetum recurrite; ea videlicet ratione manente, ut per ipſas ſedes quæ foris ſunt, communi conſilio laboremus; & in hac civitate, videlicet Aſturiis, ( quam Dominus fortiſſimam fundavit ) ſubſtantiam noſtram reponamus; & contra hoſtes ſanctæ fidei concordi mente dimicemus. Nam Dominus & Salvator noſter ad fidelium refugium, & ſuæ eccleſiæ firmamentum erexit; in qua ſi omnes caritatis vinculo juncti fuerimus; ipſo auxiliante adverſariis noſtris re- E ſiſtere, campos etiam defendere, ex quibus intus victum poterimus habere. Scriptum quippe eſt: *Civium concordia in hoſtes eſt victoria.*

XI. Verumtamen niſi prius fuerit diſſenſio in Domini filiis, non revelabitur filius perditionis: quia ſi in Aſturiis non fuiſſet diſſenſio, & duorum Principum electio; aut in epiſcopis & ceteris ſervis Dei ſanctæ caritatis fuiſſet dilectio; profecto gladius furoris non immineret Oveto; qui circa adjacentem eccleſiam beati Petri pleroſque ex utraque parte divino judicio interfecit. Surrexerunt namque alienigenæ, & plerique falſi Chri- A ſtiani cum duce Mahamut, miniſtro diaboli, & filio perditionis, tunc temporis principante Aſturienſibus Chriſtianis Mauregato invaſore regni Adephonſi Caſti, invaſerunt fines Aſturiarum; quibus rex Catholicus occurrens cum multitudine Chriſtianorum, loco prædicto commiſerunt bellum. Peracta itaque, ut præmiſimus, ſtrage utrimque infinita, Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti clementia, cui mente devota noſtra famulatur patria, Chriſtianis tandem ceſſit victoria. Hoſtes igitur terga vertentes, partim ſunt gladio cæſi, partim vero, ad exemplum Ægyptiorum, alveo Minei fluminis ſunt ſubmerſi. De qua victoria, fratres, Dominum collaudantes, conjuncti ſimus ſummæ caritatis dilectione; nec recedamus a præce- B ptis Dei & Salvatoris noſtri, qui nobis ſuper ſanctæ eccleſiæ hoſtibus conſolationem dabit; inſuper cum ſanctis electis in regno cælorum nos annumerabit.

XII. Hoc ergo, reverendi epiſcopi, privilegium unuſquiſque veſtrum diligenter ſcribat, & per concilia celebrata legat. Quod ſi aliter feceritis, & a noſtro præcepto alienos vos habueritis; videte ( quod abſit ) ne judicium Domini incurratis. Actum privilegium, XVII. Kalend. Julii, Æra DCCC. X. VIIII.

## SUBSCRIPTIONES.

Adephonſus sereniſſimus Princeps hoc privilegium confirmo.

Adulphus Oventenſis epiſcopus confirmo.

Argimundus Bracarenſis eccleſiæ epiſcopus confirmo.

Didacus Tudenſis eccleſiæ epiſcopus confirmo.

Theoderindus Irienſis eccleſiæ epiſcopus confirmo

VVimaredus Lucenſis eccleſiæ epiſcopus confirmo.

Gomellus Aſturicenſis eccleſiæ epiſcopus confirmo.

Vincentius Legionenſis eccleſiæ epiſcopus confirmo.

Abundantius Palentinæ eccleſiæ epiſcopus confimo.

Joannes Oſcenſis eccleſiæ epiſcopus confirmo.

## Adnotatio P. Antonii Pagi

*ad An. Ch. 882. n. 4. & ſeqq.*

*Sampirus* Aſturicenſis Epiſcopus, cujus Hiſtoriam Sandovallius publicavit, narrat, *Adelfonſum* III. Legionis & Aſturiarum Regem, poſt varias victorias de *Saracenis* reportatas, Presbyteros duos Romam ad Joannem VIII. Papam miſiſſe, qui ab eo peterent, ut Eccleſia beati Jacobi Apoſtoli conſecraretur, & Concilium celebraretur. Epiſtola Joannis VIII. ad Adelfonſum eſt ordine CCCIX. in Regiſtro Epiſtolarum Joannis VIII. qui ea concedit, ut *Ovetenſis Eccleſia* Gallæciæ Metropolitana efficiatur. Ea vero qua monet, ut Eccleſia Sancti Jacobi conſecretur, eſt ordine CCCX. Viſis literis *Adelfonſus* venit cum uxore & filiis ac Epiſcopis & totius regni Comitibus, conſecrataque Eccleſia, & *tranſactis XI. menſibus venerunt Oveto ad celebrandum Concilium cum auctoritate Domini Papæ Joannis, & cum conſilio Caroli Principis Magni*. Ibi Ovetenſis Urbs Metropolis declarata actumque de reſtituendis Sedibus a Saracenis depopulatis, eiſque Epiſcopos præficiendi. *Ovetenſis* Eccleſia ceteris prælata, quod, ut inquiunt Patres, ad montana Aſturiarum poſita, eſſet velut unicum Chriſtianorum refugium, in qua proinde præcipua Sedes eſſe deberet, ut dicitur in eodem Concilio, cujus Acta nunquam hactenus edita, publicavit Em. Card. de Aguirre Tom. III. Concil. Hiſpaniæ. Quibus adde in Codicibus MSS. Sampirii ab Anonymo qui aſſervatur in Bibliotheca Mazarina viſis, dici etiam Concilium coactum *XVIII. Kal. Julii*.

Hic Anonymus pag. 58. monet etiam, quatuor lineas, quibus dicitur Concilium *æra DCCCCIX.* celebratum, additias eſſe, pag. 59. *æra CIX.* dicitur interpolata, & lineis ſequentibus unicam Joannis Papæ Epiſtolam in duas eſſe diviſam. Tum notat, hæc verba additia eſſe,

ANNO CHRISTI 873.

ſe, *in prima die, quod erat Nonas Maii anno Incarnatio-* A *nis Domini æra DCCCCLXXIX. ſecunda feria, deducebat animum ad lunæ curſum IV. Luna XI.* Addititia eſt etiam hæc nota temporaria Concilii, *Actum Concilium XVIII. Kal. Julii æra DCCCCX. congregato magno exercitu ac triennio peracto æra DCCCCXL. urbes deſertas ab antiquis populari Rex juſſit*, legendumque juxta proba exemplaria MSS. *Actum Concilium XVIII. Kal. Julii, de triennio peracto urbes deſertas ab antiquitus populare Rex juſſit*, & delenda æra Hiſpanica, quæ nullibi exprimitur.

Sandovallius in Notis & Diſſertationibus ſuis pag. 245. ait, fuiſſe, qui exiſtimarint, Concilium iſtud ante annos centum, regnante *Alfonſo Caſto*, congregatum eſſe, innixos Privilegio Monaſterio ſancti Vincentii Montisfortis in eodem conceſſo; ſed cum annus, quo illud emiſſum, diuturnitate temporum corruptus ſit, Sandovallius concludit, anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo habitum, quia Eccleſiæ Sancti Jacobi dedicatio ad æram nongenteſimam decimam quartam, ſeu ad annum Chriſti DCCCLXXVI. neceſſario pertinet. Sampirus enim ſcribit, *tranſactis XI. menſibus*, a dedicatione B nempe illius Eccleſiæ, Regem cum uxore & filiis, Epiſcopis & Comitibus veniſſe *Oveto*, *ad celebrandum Concilium cum auctoritate Domini Papæ Joannis, & cum conſilio Caroli Principis Magni*, & Ovetenſem Urbem Metropolitanam elegiſſe Sedem, & in ea *Hermegildum* conſecraſſe *Archiepiſcopum*, idque *Nonas Maii*. In exemplari edito hæc verba leguntur, *ſecunda feria, deducebat animum ad Lunæ curſum IV*, (quod recte Sandovallius de numero aureo explicat) *Luna XI. conſecratum eſt jam dictum templum*, qui characteres annum A DCCCLXXVI. ut ſubjungit Sandovallius, certo deſignant. Verum quidem eſt, eos interpolatos eſſe; ſed cum inter ſe exacte conveniant, non dubitandum, quin ex aliquo antiquo Monumento ab Interpolatore excepti fuerint.

Video, quid ad hæc reſponderi poſſit, morem nempe tuliſſe, ut eccleſiarum Dedicationes diebus Dominicis fierent. Verum is mos non ſemper ſervatus, præſertim hoc tempore in Hiſpaniis, ubi qui Aſturiarum & Gallæciæ montes incolebant, diſciplinæ Eccleſiaſticæ prorſus rudes erant, & in extrema verſabantur barbarie, ut ipſimet Hiſpani fatentur. Præterquam quod hanc dedicationem ſeptima die Maii anni DCCCLXXVI. peractam, & *Concilium Ovetenſe* menſe Martio octingenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi coactum, demonſtratione conſtat; in Codice enim MS. non ſolum, ut in exemplari impreſſo, legitur, *ad celebrandum concilium cum auctoritate Domini Papæ Joannis, & cum conſilio Caroli Principis Magni*; verum etiam, *Caroli magni Imperatoris Romanorum & Regis Francorum memorati*. Quæ verba ſecundum Sampirum oſtendunt, Carolum Calvum, qui *Magnus* cognominabatur, Imperatorem tunc fuiſſe. Denique Interpolator Hiſpanus chartam ſancti Vincentii Montisfortis, antequam depravata eſſet, videre potuit. Hujus itaque Concilii epocha nunc certa videtur; cum regula a diebus Dominicis deducta, nec generalis, nec ſine exceptione fuerit. Ex his, ſicuti & ex dictis anno DCCCXLIX. apparet, *Carolum Calvum* magno in honore apud Hiſpanos fuiſſe. Nomina Epiſcopatuum Ovetenſi Metropolitæ ſubjectorum legenda anno DCCXII. num. ult.

# CONCILIUM CABILONENSE,

## IN ECCLESIA SANCTI LAURENTII

### trans Ararim celebratum anno Chriſti DCCCLXXIII.

Ex editione P. Sirmondi.

*Synodi hujus meminit Petrus a ſancto Juliano in hiſtoria rerum Cabilonenſium, ad eamque conveniſſe narrat Remigium Lugdunenſem & Adonem Viennenſem archiepiſcopos, Liudonem Æduenſem, Girboldum Cabilonenſem, & Bernardum Matiſconenſem epiſcopos, Leuboinum item chorepiſcopum Lugdunenſem, cum abbatibus & clericis ac monachis permultis. Meminit & decreti ab ea conditi de eccleſia ſancti Laurentii, in qua ſynodus agebatur, cum de ea quæreretur, liberane ac ſui juris eſſet, an ſancti Marcelli eccleſiæ, quod iſta contendebat, poteſtati obnoxia. Qua de re quid ſtatutum ſit a ſynodo, non declarat. Decreto autem appoſitam fuiſſe notam teſtatur anni Caroli Calvi regis in Lotharii nepotis ſui regno tertii, qui incidit in annum regni ejus* XXXIII. *Chriſti* DCCCLXXIII.

* Ex Chartulario S. Marcelli Cabilonenſis edidit R. P. Claudius Perry S. J. in probationibus hiſt. Cabil.

* CHARTA RESTITUTIONIS ECCLESIÆ SANCTI LAURENTII CABILONENSIS FACTÆ canonicis ſancti Marcelli a concilio epiſcoporum habito in eadem eccleſia ſancti Laurentii XII. Kal. Judii anno Chriſti DCCCLXXIII. Caroli Calvi in Burgundia tertio poſt mortem Lotharii regis.

Remigius ſanctæ Lugdunenſis ſedis archiepiſcopus, & cum eo Ado reverendiſſimus archiepiſcopus Viennenſis, Liudo quoque Auguſtodunenſis epiſcopus, nec non & Girboldus Cabilonenſis; Bernaldus etiam Matiſcenſis reverendi epiſcopi, ſed etiam Leubonius * chorepiſcopus Lugdunenſis, ſimulque acceptabilis multitudo canonicorum monachorum, archidiaconorum, abbatum, ac reliquorum ordinum, ſecundum Dei voluntatem in ſuburbio Cabilonenſi nobiſcum congregata, apud baſilicam ſancti Laurentii, quæ juxta * monita civitatis ejuſdem conſtructa eſt. Omnibus Chriſtum per orbem quadrifidum adorantibus, C pacis, concordiæque * munus. Notum ſit cunctis, quod nobis reſidentibus in eadem eccleſia, antefati martyris nomine inſignita, anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIII. regni domini Caroli tertio poſt mortem nepotis ſui Lotharii, in Burgundia; venit in ipſo concilio quidam presbyter, nomine Leuterius, præpoſitus & advocatus canonicorum ſancti Marcelli martyris. Et ſtans in medio ſynodi, monſtravit nobis per privilegia ejuſdem loci, ipſam eccleſiam in qua reſidebamus ſancto Marcello a regibus ipſius loci conſtructoribus, ex conſenſu epiſcoporum Cabilonenſis civitatis fuiſſe tributam: eamque injuſte per incuriam & negligentiam * prædictorum canonicorum ſancti Marcelli, ab epiſcopis prædeceſſoribus uſurpatam. D Qua de re dominum & fratrem noſtrum, præclarum videlicet virum, Girboldum epiſcopum interrogantes quid ei placeret; ut juſtis rebus fuit ſemper annuens, dixit: Si hæc a noſtris anteceſſoribus jam dicto loco donata, ut ſuprema nobis pateſcerent limina, hæc ipſa ex noſtra parte dare debuiſſemus ei donaria. Sed quia hujuſce cauſæ nobis evidentia monſtrantur ſcripta, quod eatenus a nobis ipſa tenetur eccleſia; decernat ſanctitas veſtra quid nos conveniat agere. Cujus verba audientes, ex ipſius, cunctæque illius congregationis, & canonicorum conſenſu, judicavimus ſancto Marcello ipſam eccleſiam reddi, atque ut deinceps illi ſervientes poſſiderent. Cunctum concilium judicium noſtrum per has litteras laudavit, E & firmavit, ac in ipſo nemo contradixit, ut quicumque clericus vel laicus contrariari præſumpſerit, humanis legibus * coactus, etiam divinis uſque ad emendationem ſub anathemate foret. Hanc autem ſcripturam fieri præcepimus: ac ut in futuris temporibus teneatur, manibus roboravimus.

Remigius humilis epiſcopus.

* Leuboinus

* Pro mœnia. H.

* ſit animu

* perditam habere:

* conv.

ANNO CHRISTI 873.

Ado Viennenſis epiſcopus,
Liudo ſanctæ Eduenſis eccleſiæ epiſcopus.
Bernaldus Matiſcenſis epiſcopus.
Girboldus Cabilonenſis Epiſcopus.
Leuboinus * chorepiſcopus.
Heriboldus monachus.
Herpinius abbas.
Eudo humilis abbas.
Theodbertus diaconus.
Gontranus * presbyter.
Bertrannus * diaconus.
Gontardus abbas.
Leviſingus * archidiaconus.

Data anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIII. regni domini Karoli tertio in Burgundia. XII. Kal. Junii. Marcellus non meritus levita ſcripſit, & roboravit in Dei nomine feliciter. Amen.

* Leaboinus.
* Guntramnus.
* Bertradus
* Penefingus ſive Leutfringus.

# CONCILIUM COLONIENSE,

## SIVE MONUMENTUM SYNODI MAGNÆ

anno incarn. dominicæ DCCCLXXIII. indict. VIII. * ſub piiſſimo rege Ludovico, anno imperii ejus XXXIII. apud Coloniam Agrippinam collectæ VI. Kalendas Octobris ex pervetuſto bibliothecæ Geleninæ codice ſcripto manu Hermanni de VVeſalia V. Cl. quem Federicus III. Cæſar ſancti Severini Coloniæ, & beatæ Mariæ virginis Aquiſgrani canonicum fecit.

* corrige VII. quæ biduo ante cœpit die 24 Septembris; vide ſubſcriptiones.

* Editum ad calcem libelli de ſuffraganeis Colonienſibus miſſi ad nos a R. P. Joannes Gamans S. J. presb.

IN nomine * ſanctæ & individuæ Trinitatis VVilibertus divina prædeſtinante clementia Colonienſis civitatis archiepiſcopus.

* matris

Licentia proprietatis.

Noverit omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, qualiter Gunthariuſ ſedis noſtræ venerabilis paſtor divino ductus amore, una cum conſenſu & voluntate ſuorum clericorum ac laicorum noſtræ * matricis eccleſiæ rebus privatim ſingulis monaſteriis ad hunc pertinentibus ac canonice in eis commorantibus ſumptuum ſuorum neceſſaria habenda delegavit atque contradidit, quatenus deinceps videlicet eadem monaſteria & iidem canonici futuris temporibus perpetualiter inde conſiſtere quiviſſent abſque alicujus ſumptus indigentia. Præterea quidem & hoc quiſque eccleſiæ amator agnoſcat qualiter jam fatus vir paſtoralis (ſumptibus neceſſariis, ut prælibatum eſt, in præſignatorum jus clericorum ex donatione ordinabiliter atque regulariter delegatis atque diſtributis) illis conceſſit atque donavit ultra licitum fore cum ſecura poteſtate & libero arbitrio inter ſe ordinare & facere tam de ſua electione, quam de omnibus ſuis rebus abſque ejus conſultu & imperio: ſimiliter vero cunctis innoteſcat, quod idem ſupra memoratus paſtor in futurum præcavens ne prælati ordine regiminis confuſe utendo aliquando inter ſe fortem diſſenſionem inde incurrerent, ac ne ob hoc ſtatu tum clerici tandem inſtabiles denuo ſicut prius abſque correctionis & increpationis timore huc illucque vagabundi liberius diſcurrerent, decrevit, ut præpoſito in ſibi ſubjectis nullus nec prælatione nec poteſtate ſuperponeretur, ſed idem potius in ambobus ſuper omnes præſtantiſſimus haberetur, ac inſuper eorumdem ſubjectorum res communes interius exteriuſque ipſe ſolus cum conſilio prudentum benevolentiumque fratrum gubernans, diligenterque providens, totum in ſuam aſſumeret reſervandum cuſtodiam, quicquid ex his debite proveniret, & ſic poſtea ſumma cura atque diligentia idipſum in illorum utilitatem miniſtrando diſpenſaret. Nihilominus, ſcilicet ipſe idemque beatæ & dignæ memoriæ vir & divini conſilii inſpiratione admonitus firma ac perpetua lege ſancivit, ut nullus unquam pontifex ſine illorum conſcientia ſive conſenſu de ipſa ſubſtantia, minimam unquam præbendam alicui per potentiam tribueret, aut item in domibus ſive ædificiis in urbe vel exterius circa urbem ſibi jam a quibuslibet in eleemoſynam datis ſeu deinceps donandis, aut uſquam alibi in ceteris univerſis illorum locis in omnibus rebus abſque conſenſu, & communi cunctorum voluntate, quidquam eis per potentiam ſive per aliquam vim deſtrueret, illorum donationem ſeu traditionem quam inter ſe in clauſtro de qualibuſcumque ſuis rebus, teſtibus adhibitis feciſſent, hoc illis quaſi in jus hæreditarium firmiter concedens, quatenus quiſque illorum ſive nobilis ſive ignobilis eſſet, uſque in ſempiternum liberum haberet arbitrium ſuam manſionem cum ceteris quibuſcunque rebus donare ſeu etiam tradere cuicumque ſuo confratri voluiſſet, poſt obitum ſuum poſſidendum abſque ullius epiſcopi conſultu ſive contradictione. Hujus itaque ordinationis ac conceſſæ electionis atque memorialis decreti præſens conſcriptum ob memoriam & eleemoſynam noſtri fieri volentes, juſſimus illud in conſpectu totius ſynodalis conventus publice recitari, quem ſimul nobiſcum hodierno die collectum habuimus ob noſtræ eccleſiæ dedicationem faciendam & ob plurima divina tractanda negotia, id eſt, coram Luitberto ſancto viro Moguntinenſis eccleſiæ archiepiſcopo, nec non Bertolpho Trevirenſis eccleſiæ archiepiſcopo ac coram plurimis aliis epiſcopis tam ſuis quam noſtris ſuffraganeis, nec non coram ceteris omnibus ſacri ordinis viris prælto habitis, quatenus illorum communi examinatione probaretur, ſi eſſet a nobis recipiendum nec ne. Cunctis autem unanimiter diiudicantibus, non ſolum recipiendum fore, verum etiam digne & juſte & ſecundum regulam adimplendum, eo quod regulariter atque rationabiliter in omnibus ordinatum haberetur, tam noſtra manu ſubtus id firmavimus quam etiam propriis ſingulorum manibus roborari fecimus. Unde juxta illorum judicii authoritatem una cum ipſis proferre damnationis ſententiam firmiſſime decrevimus, quiſquis quaſi eccleſiaſtici ordinis violator & contemptor hoc in perpetuum auſu temerario vel infringere vel diſturbare aggrederetur. Et ideo quicumque ſucceſſorum noſtrorum id ſcienter facere præſumpſerit, omnibuſque conſiliariis ejus, quorum conſilio hoc nefas egerit, Deus conteret dentes eorum & in ore ipſorum molas confringet Dominus. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens, convertantur ad veſperam & famem patiantur ut canes. Ac propter hæc opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum ſit. Pedes eorum ad malum currant: cogitationes eorum inutiles: vaſtitas & contritio in viis eorum. Viam pacis neſciant, & non ſit judicium in greſſibus eo-

Libertas electionum.

De temporalibus curet præpoſitus.

Licentia teſtandi.

Synodus habita propter dedicationem & ſacra negotia.

Synodales perſonæ.

VVilibertus & alii ſubſcripſerunt.

Maledictiones ſynodales.

ANNO CHRISTI 873.

eorum, ſemitæ eorum incurvatæ ſint, in tenebris ambulent & palpent ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectent. Salus elongata ſit ab illis, multiplicatæ ſint iniquitates eorum coram te Domine. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur in æternum Domine. Fiant corruentes in tempore furoris tui Domine, & duplici contritione contere eos Domine Deus noſter, amen. Decidant a cogitationibus ſuis, convertantur dolores eorum in caput ipſorum, & in verticem eorum iniquitates eorum deſcendant. Pones eos Domine in clibanum ignis, in tempore vultus tui: fructum eorum de terra perdes, erubeſcant & conturbentur & deducantur in infernum; muta fiant labia eorum. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, veniat mors ſuper illos. Deſtrue illos in finem, & diſperge illos in virtute tua Domine. Evelle eos de terra & radicem eorum de terra viventium. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum; obſcurentur oculi eorum ne videant: effunde ſuper eos iram tuam. Fiat habitatio eorum deſerta: appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum. Deleantur de libro viventium. Fiant cum illis qui dixerunt Domino Deo: Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Imple facies eorum ignominia, erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi. Fiant dies eorum pauci & anni eorum non memorentur amplius. Maledicti ſint in agro, maledicti in domo, maledictus fructus eorum. Habeant oculos & non videant, aures & non audiant, nares & non odorentur, guſtum & ſaporem neſciant, ſenſum ut non intelligant, tactum inutilem atque inſenſibilem præſtante te Jeſu Chriſte, qui vivis & dominaris per cuncta ſæcula. Amen.

His ita rite peractis proſtraverunt ſe in terram adorantes Dominum atque laudantes dicebant: *Benedictus Dominus quod ſuæ ſanctæ eccleſiæ talem dignatus eſt conferre paſtorem*. Tunc ſurgentes in medio Luitbertus atque Bertolphus archiepiſcopus dixerunt: *O ſanctiſſimi patres, licet nobis adhuc de authoritate ſanctorum patrum paroxim damnationis ſententiam inferre:* Reſpondentibus omnibus: *Licet:* Luitbertus archiepiſcopus dixit: Quiſquis, ut antedictum eſt, vel eccleſiaſtici ordinis violator & contemptor hoc perpetuum infringere aggredietur, vel quicumque ſucceſſorum noſtrorum id poteſtative ſeu qualicumque modo vel ingenio irritum facere præſumpſerit, fiat ei juxta apoſtoli ſententiam dicentis: *Qui nos conturbat, portabit judicium quicumque eſt ille:* & iterum. *Utinam abſcindantur, qui nos conturbant*. Inſuper ſciat ſe irrevocabili anathemate innexum haberi, & in extremæ ultionis die, cum diabolo & angelis ejus cruciandum, juxta hoc quod S. Baſilius de paſtoribus eccleſiæ dixit: Si is qui præeſt fecerit, aut cuiquam quod a Domino prohibitum eſt facere juſſerit, vel quod præceptum eſt prætererit, aut poteſtative mandaverit, ſancti apoſtoli Pauli ſententia ingerenda eſt ei dicentis: Etiamſi nos aut angelus de cælo evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Si quis prohibet nos facere quod a Domino præceptum eſt, & a ſanctis patribus traditum eſt: vel rurſum imperat fieri, quod Dominus & SS. PP. fieri prohibent, execrabile ſit Deo & omnibus qui diligunt Dominum. Item de eodem de cujus ſupra epiſcopus dixit: qui clero præeſt ſi præter voluntatem Dei præterquam quod in ſcripturis ſanctis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid vel imperat tanquam falſus teſtis Dei aut ſacrilegus habeatur. Actum Coloniæ in ſupradicta civitate V. Kalendas Octobris die, ſub piiſſimo rege Ludovico, anno imperii illius XXXIII. Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIII. Indictione ſeptima.

Ego Vvilbertus prædictæ civitatis Colonienſis archiepiſcopus, qui hoc præſens regularis electionis conſcriptum fieri juſſi, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Luitbertus Moguntinenſis eccleſiæ archiepiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Bertolphus Trevirenſis eccleſiæ archiepiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Bernardus Virdunenſis Eccleſiæ epiſcopus ſimiliter.

Ego Alfridus Hildinisheimenſis eccleſiæ epiſcopus ſimiliter.

Ego Theodoricus Mimidonen. eccleſiæ epiſcopus ſimiliter.

Ego Gerolphus Firdenſis eccleſiæ epiſcopus ſimiliter.

Ego Luithardus Paderborn. eccleſiæ epiſcopus ſimiliter.

Ego Hildigrimus Halverſtad. eccleſiæ epiſcopus ſimiliter.

Ego * Hodolfus Mimigernafurdenſis eccleſiæ epiſcopus ſimiliter.

Ego * Lobertus Oſnaburgenſis eccleſiæ epiſcopus ſimiliter.

* al. Odolfus, & Hedolfus & Holdolfus.
* al. Hebigebre Chuburgenſis

Luibertus presbyter ſimiliter.

Sibaldus presbyter & præpoſitus ſimiliter.

Everardus presbyter ſimiliter.

Hundolphus presbyter ſimiliter,

Reginhardus presbyter ſimiliter.

Ego Adelvvinus indignus diaconus ad vicem Adeloldi presbyteri atque cancellarii ſupſcripſi.

Et manu Vviliberti:

*Miſerere Domine; miſerere miſero Vviliberto indigna agenti & digna patienti: aſſidue peccanti & tua flagella quotidie ſuſtinenti. Memento mei Deus in bono, Deus ne deleas miſerationes meas, quas feci in domo Dei mei & in cæremoniis ejus. Amen.*

Corroboratio glorioſiſſimorum archiepiſcoporum Domini Vviliberti Colonienſis, Luitberti Moguntinenſis, Bertolphi Trevirenſis, nec non & aliorum epiſcoporum ac ſuffraganeorum ſuorum cum ceteris ſacri ordinis viris quam plurimis ac nobilibus laicis, de ſumptibus canonicorum & de electione perpetualiter habenda, ac regiminis regularis ordinatione, ut ſi qui eam infringere conentur, ſicut infra ſcriptum, teneantur ſummo anathemate uſque in perpetuum, niſi pœnitendo reſipiſcant; extinguaturque lucerna eorum in perpetuum. Amen. *Hactenus mſ.*

IN eadem ſynodo ab iiſdem epiſcopis confirmata eſt fundatio illuſtriſſimi Parthenonis Aſſindienſis; cujus hæc eſt clauſula:

Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXVII. (lege III.) ſub piiſſimo rege Ludovico anno imperii ejus XXXVI. (lege III.) apud Coloniam civitatem V. Kalen. Octob. in ipſa die dedicationis baſilicæ S. Petri. Ego Alfridus epiſcopus hoc privilegium coram Domino VViliberto prædictæ civitatis archiepiſcopo, recitavi, necnon coram Luitberto Moguntiacenſi archiepiſcopo, & Bertolpho Trevirenſi archiepiſcopo &c. (*eodem quo ſupra ordine*) Epiſcopis, nec non coram aliis compluribus ſacri ordinis viris, qui ob ſupradictæ eccleſiæ dedicationem convenerant. Prælecto itaque hoc privilegio in omnium ſupradictorum conſpectu acclamantibus omnibus hanc conſtitutionem ſalubriter atque ordinabiliter inſtitutam, ut non modo addi, verum etiam aliquid minui damnoſum videretur, omnes unanimiter hujus conſcri-

Fundatio Eſſendienſis.

ANNO CHRISTI 873.

pu aliquo malo ingenio violatorem in perpetui
anathematis ſoveam detruſimus. Univerſis mecum
uno ore clamantibus; Ex authoritate Dei omni-
potentis Patris & Filii & Spiritus ſancti, & SS.
apoſtolorum excommunicamus & anathematiza-
mus omnes, qui ſua præſumptione vel aliquo ma-
lo ingenio hanc conſtitutionem ſcienter violare
præſumpſerint.

Hactenus clauſula ex copia fundationis & confirma-
tionis Aſſidienſis in membrana conſcriptæ, cui appen-
ſum eſt plumbum exhibens crucem decuſſatam ab una
parte, & ab altera ſignum Alfridi epiſcopi nomen ejus
exprimens. Porro in eadem ſynodo vel certe tempore
hujus ſynodi videtur erecta & ſtabilita fuiſſe dotatio
Gerrisheimenſis parthenonis; ita enim ſuadent perſonæ
nominatæ in dotationis forma, quam eidem parthenoni
in honorem S. Hippolyti martyris a S. Gerico duce fun-
dato, dedit B. Regenberga dotatrix ejuſdem partheno-
nis, cujus hæc eſt clauſula.

*Gerrisheimenſis fundatio.*

Monarchiam imperii gubernante Ludovico im-
peratore Auguſto & ſanctæ eccleſiæ Colonienſi fi-
deliter præſidente Vviliberto archiepiſcopo, Re-
genberga indigna Chriſti famula, & militis Geri-
ci filia pro ſpe & requie futura beatæ vitæ, ea
quæ ad me hæreditario jure pervenerunt jura man-
cipiorum, prædia & eccleſias quaſdam ad cœno-
bium patrio nutu ac ſumptu in Gerresheim pro
remedio cæleſtis patriæ conſtitutum & a venera-
bili ſupradicto archiepiſcopo dedicatum tradidi, at-
que ſub teſtimonio & auxilio archicancellarii Lut-
hardi, nec non archicapellani Lotberti, atque ad-
vocati hujus præſcripti loci Hatheboldi patruelis
noſtri, ſub authoritate regali atque pontificali fir-
mavi.... coram archiepiſcopo Vviliberto, nec-
non principibus, quam multis clericis atque lai-
cis, ea lege......

Hactenus monumenta ſynodalia, de quibus inſignem,
qui poſſet attexi commentarium, relinquo * avunculo
meo R. D. Ægidio Gelenio hiſtoriæ Coloniæ perveſtiga-
tori: illud ſolum dicam.

** editoris Colon. verba ſunt.*

1. Guntarium, cujus hic mentio honorifica habetur,
etſi ob conſenſum datum in repudium Lotharii impera-
toris ſit ſuſpenſus, & cauſam Romæ agere debuerit,
uti apud Baronium, Miræum, & imprimis Brovverum
in Trev. hiſtor. legimus, non tamen ita eſſe abdicatum,
ut papa in novi epiſcopi electionem conſentiret: ut pa-
tet ex jure canon. diſt. 63. cap. 4. & epiſt. mox citan-
da, nec ita malum fuiſſe, ut continuo nihil boni ope-
ris in eo poſſet reperiri. Annal. Franc. a Pithæo editi
Guntherum pœnituiſſe dicunt.

*Aliqua Guntharii defenſio.*

2. Vvilibertum ſucceſſorem Guntharii anno 869. ele-
ctum, teſte Reginone, & a Luitberto Mogunt. archie-
piſcopo anno 870. conſecratum in quadam ſynodo, quæ
ab antedicta diverſa eſt, & de qua annales Pithœani,
Herm. Contractus a Caniſio editus, Sigebertus vero ad
an. 871. & alii meminerunt: qui errore lapſi noſcuntur
in hoc quod ſynodum, in qua eſt conſecratus Vviliber-
tus, cum ſynodo altera dedicationis confuderint, & æ-
ris diverſis utendo lectorem implicuerit, & quamquam
Hadrianus PP. indict. 3. 5. Kal. Jul. (id eſt anno 870.)
in literis ad Ludovicum regem Germ. ſcribat:

*Diverſæ ſynodi Colonienſes.*

Miramur præterea gloriam veſtram præficiendo
epiſcopum Agrippinæ Coloniæ, tam indiſcrete præ-
buiſſe conſenſum, cum evidentiſſime ſcires, quod
apoſtolicæ ſedis judicio atque conſenſu ibidem de-
buerit ordinari antiſtes, cujus cenſura nuper fue-

A rat eadem eccleſia ſuo privata rectore. Et quidem
quod poſt judicium ſedis apoſtolicæ factum eſt,
dure ſuſcepimus, ſed quod tua ſuper hoc devotio,
quam circa nos habere probaris omnimodis tacuit,
durius æſtimamus. Præcipue quia Guntharii du-
dum archiepiſcopi cauſam, antequam in locum
illius ſubſtitueretur epiſcopus, nos iterum auditu-
ros & vocem ejus admiſſuros fore ſpopondimus:
Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus,
nec ratam habere decernimus, quouſque ille qui
ordinatus eſt noſtræ exhibeatur præſentiæ, & utra-
que pars coram nobis diſcuſſa conventus ſynoda-
lis perpendatur audientia.

Quamquam hæc Hadrianus PP. reſcripſerit, Vvilber-
tus tamen in epiſcopatu permanſit, & eodem anno (cir-
ca Auguſti menſem) in Italia defuncto Gunthario, in
B ſynodo Colonienſi eſt conſecratus. Eidem tamen pallium
negavit ſucceſſor Hadriani Joannes, eo quod id conſue-
to modo non petierit, ut eſt in jure can. diſt. 100. cap.
4. qui etiam ad Vvilibertum hunc plures dedit epiſto-
las videlicet 106. 283. V. ſynodum Pontiniac. in conc.
Gallicanis & Binii.

3. Ex catalogo epiſcop. qui ſynodo Colonienſi ſubſcri-
pſerunt, reſtaurandos eſſe catalogos Monaſterii Oſnab.
Mind. & Paderbon. epiſcoporum, & eorum hiſtoriam
illuſtrandam, quo ad martyres qui an. 879. vel 880. in
Ebbekeſtorff in inferiore Saxonia martyrio ſunt corona-
ti: ex quo perſpicuum fit Gerricum ducem Gerrishe-
menſem fundatorem, non eſſe illum qui in Ebbekeſtorff
cum antedictis epiſcopis a Normannis eſt occiſus, quip-
pe cujus corpus ſub ducis Lotharingiæ titulo virgines
apud ſe aſſervant, cum illorum martyrum corpora in
cumulum congeſta & tabo infecta dignoſci nequiverint.
Plura de his Crantzius cum in epiſtola quadam, tum
in hiſtoria Saxonica conſultus docebit.

C Illud tamen non prætermittam dicere, quod ad hæc
tempora ſpectet Vverdenſis monaſterii cum eccleſia con-
ſecratio, quam Vvilibertus archiepiſcopus una cum Hil-
degrimo Halberſtadenſi epiſcopo peregit teſte Cleinſor-
gio. Et forte evenit ut pars epiſcoporum, uti Colonia
cooperata fuerat, Gerrisheimium, & inde Vverdenam
ſit cum Vvilberto profecta, quo eidem ſuffragaretur in
pontificio ritu; ut vel idcirco ſynodus hæc intermitti
non debuerit, quin ſuffraganeis noſtris jungeretur, præ-
terquam quod eadem ſynodus erit auctarium quoddam
tribus conciliorum Gallicanorum tomis a P. Sirmondo
S. J. nuper utiliſſime & ad hiſtoriam eccleſiaſticam
optatiſſime editis Pariſiis.

*Vverthinia conſecratio. Exemplar archivi Vverdenſis habet an. 875.*

Cum autem, ut ſupra dictum eſt, Vvilibertus novam
ſancti Petri baſilicam a B. Hildebaldo cœptam in veſti-
gio Caſtelli Ubiorum collocaſſet & dedicaſſet, neceſſe
fuit eccleſiam, unde metropolitica dignitas transfere-
batur, quæque a ſancto Materno in honorem B. Ma-
riæ & S. Petri anno 94. dedicata fuerat, ac poſtea ſan-
D ctæ Eugeniæ dicta, alio titulo decorari, idcirco idem
Vvilibertus ei eccleſiæ titulum ſanctæ Cæciliæ indi-
dit, & collegio virginum honoravit, quod cum nomi-
ne manet ad præſens tempus unum e præcipuis colle-
giatis urbis eccleſiis. Ipſa vero Vvilibertina ædes pri-
dem diruta eſt in gratiam anguſtioris illius molis, quæ
parte ſui perfecta miraculum mundi octavum præferre
videtur.

*S. Cæciliæ dedicatio.*

*Sacrarium Agripp. pag. 23. Hierotheca Gelenii pag. 45.*

Denique Vvilibertus hic ita epiſcopatum geſſit, ut li-
cet Joannes PP. ei pallium dignitatis eccleſiaſticæ (ob
neſcio quas cauſas) negaverit, ut eſt diſt. 100. cap. 4.
gloriæ tamen cæleſtis decore ornatus in ſanctis catalo-
gis paſſim recenſeatur, & locum habeat in martyro-
logiis Ferrarii, Caniſii & aliorum 11. Septembr. Sedit
(ſi ſeptem annos quibus ſedes Colon. ob Guntharium
vacavit ei accenſeas) 26. annis, alias 20. & obiit
E anno 890.

*Laus Vviliberti.*

# [1] CONCILIUM SILVANECTENSE,

## IN QUO EPISCOPI DUARUM PROVINCIARUM,

Senonenſis ac Rhemenſis, Caroli regis juſſu congregati, Carlomannum ejus filium clericum, ob varias graſſationes & perduellionem, diaconi gradu dejecerunt, laicæque communioni reddiderunt, anno Chriſti DCCCLXXIII.

Ex editione P. Sirmondi.

*CArolomannum Caroli Calvi regis filium, Mel-* A
*denſis eccleſiæ diaconum, in cuſtodiam propter*
*rebellionem & inſidias in patrem, apud Silvanecten-*
*ſem urbem miſſum anno* DCCCLXX. *fuiſſe ſupra dictum*
*eſt ex Aimoino lib.* V. *cap.* XXIV. *Eum inde depre-*
*cantibus Hadriani papæ legatis ſolutum, patremque*
*in expeditione Gerardum ſequi juſſum, idem eſt au-*
*ctor cap.* XXV. *At fuga mox elapſus in Belgicam,*
*quod directionibus omnia fœdaret, patris juſſu pri-*
*mum ab epiſcopis per encyclicas literas excommunica-*
*tus, tum deinde ſynodi apud Silvanectum, ubi ite-*
*rata cuſtodia tenebatur, ſententia diaconi gradu ex-*
*auctoratus, atque in laicorum ordinem rejectus eſt.* B
*Quæ de re in hæc verba idem Aimoinus cap.* XXIX.
Quia multi erant, *inquit*, in regno Caroli, & in
aliis regnis, qui expectabant ut per Carlomannum
filium ejus adhuc rediviva mala remergerent, epiſ-
copos apud Silvanectenſem civitatem, in qua idem
Carlomannus morabatur, convocavit, ut ſecun-
dum ſacros canones epiſcopale miniſterium exe-
querentur. Quod ſane ipſi fecerunt, deponentes
illum ſecundum ſacras regulas ab omni gradu ec-
cleſiaſtico, laica ſibi communione ſervata. *Syno-*
*di hujus acta non habemus? fuiſſe aliquando conſtat*
*in codice ſancti Laurentii Leodicenſis, in quo hærent*
*adhuc ſingularum ſynodi partium tituli, quinque ca-*
*pitibus diſtincti, id eſt:*

I. Proclamatio diverſarum querimoniarum Caroli adverſus Carlomannum, ſcripta ad Anſegiſum archiepiſcopum, & Hildegarium Meldenſem epiſcopum, concluſa in capitulis XV.

II. Epiſtola ejuſdem Caroli regis de eodem Carlomanno.

III. Recapitulatio prioris epiſtolæ, ſcilicet ad Anſegiſum & Hildegarium, ac ceteros epiſcopos ex duabus provinciis Senonum & Rhemorum, qui ſacro conventui apud Silvanectis adfuerunt.

IV. Sententiæ judiciariæ in Carlomannum prolatæ: ſed & ſubſcriptiones epiſcoporum ſimul inſertæ.

V. Tria capitula a rege Carolo epiſcopis data, ubi accuſatio adverſus Carlomannum, & quæſitio conſilii de eo tenendi continetur.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Silvanectenſe.* ) Ex ſynodi hujus actis, poſt indicem quem deſcripſimus, reſtabat in veteri codice initium proclamationis Caroli regis hoc titulo: *Carolus gratia Dei rex Anſegiſo & Hildegario ac ceteris epiſcopis, qui in Chriſti nomine congregati huic ſanctæ ſynodo intereſtis*: Omnibus negotiis divinæ res præponen- C dæ ſunt, *& cetera*, uſque ad finem pagellæ. Reliqua enim ad delendam, ut reor, funeſti judicii memoriam, jam olim exciſa.

# [1] CONCILIUM DUZIACENSE II.

## ADVERSUS INCESTA CONJUGIA,

& rerum eccleſiaſticarum pervaſiones, apud Duziacum villam, Idibus Juniis, indictione VII. celebratum, anno Chriſti DCCCLXXIV. Joannis papæ VII. anno II. Caroli Calvi regis XXV.

*Epiſtola ſynodica concilii ad epiſcopos Aquitaniæ.* D

Primus edidit Sirmondus ex MS. Codice S. Laurentii Leodienſis. H.

SAncta ſynodus plurimarum provinciarum, nu-
tu divino, & ſanctione domni Caroli regis
glorioſi, apud Duziacum ſecus municipium Mo-
ſomum Rhemenſis parochiæ, in Dei nomine an-
no incarnationis dominicæ DCCCLXXIV. indictione
VII. Idibus Juniis convocata, dilectis fratribus &
venerabilibus conſacerdotibus noſtris, in provin-
ciis Aquitanicæ regionis ſanctas Dei eccleſias gu-
bernantibus, plurimam in ſalvatore ſalutem. Si-
cut ad humilitatem noſtram non incerta relatio-
ne atque exinde conſultatione perventum, quam-
plures, & maxime carne nobiles, & honore tem-
porali ſublimes, inter alia Deo & ſuæ ſaluti con-
traria, inceſtis conjunctionibus, & rerum eccle-
ſiaſticarum pervaſionibus, peſtilentia exitioſa in
regionibus illis depereunt: aſſumentes de inceſti
pollutione velamentum ſecuritatis quorumdam pra-
va & perverſa doctrina, de hoc quod S. Grego-
rius, ſanctæ catholicæ atque apoſtolicæ Romanæ (Reſponſ. interrog. 6.)
primæ ſedis eccleſiæ pontifex, Auguſtino primo
Anglorum epiſcopo interroganti uſque ad quo-
tam generationem fideles debeant cum propinquis
ſibi conjugio copulari, & ſi novercis & cognatis
liceat conjugio copulari, reſcripſit dicens; Quæ-
dam terrena lex in Romana republica permittit,
ut ſive fratris & ſororis, ſeu duorum fratrum ger-
manorum, vel duarum ſororum filius & filia miſ-
ceantur. Sed experimento didicimus, ex tali con-
jugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere, & ſacra lex
prohibet cognationis turpitudinem revelare. Un-
de neceſſe eſt, ut jam tertia vel quarta genera-
tio fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam ſe-
cunda, quam diximus, a ſe omnimode debet ab- E
ſtinere. Cum noverca autem miſceri, grave eſt
facinus, quia & in lege ſcriptum eſt: *Turpitudi-* (Levit. 8.)
*nem patris tui non revelabis.* Neque enim patris
turpitudinem filius revelare poteſt. Sed quia ſcri-
ptum eſt: *Erunt duo in carne una*, qui turpitudi- (Geneſ. 2.)
nem novercæ, quæ una caro cum patre fuit, re-
velare præſumpſerit, profecto ejus turpitudinem
reve-

ANNO CHRISTI 874.

revelavit. Cum cognata quoque miſceri prohibi-
tum eſt, quia per conjunctionem priorem caro
fratris fuerat facta. Pro qua re etiam Joannes Ba-
ptiſta capite truncatus eſt, & ſancto martyrio con-
ſummatus, cui non eſt dictum, ut Chriſtum ne-
garet, ſed pro Chriſti confeſſione occiſus eſt: &
quia iſdem Dominus noſter Jeſus Chriſtus dixe-
rat: *Ego ſum veritas*, quia pro veritate Joannes (Joan. 14. Reg. ad lat. 7)
occiſus eſt, videlicet pro Chriſto ſanguinem fu-
dit. Quia ſunt multi in Anglorum gente, qui dum
adhuc in infidelitate eſſent, huic nefando conju-
gio dicuntur admixti, ad fidem venientes admo-
nendi ſunt, ut ſe abſtineant, & grave hoc etiam
peccatum cognoſcant. Tremendum Dei judicium
timeant, ne pro carnali delectatione tormenta æ-
terni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re B
ſacri corporis & ſanguinis Domini communione
privandi ſunt, ne in eis illa ulciſci videantur, in
quibus ſe per ignorantiam ante lavacrum baptiſ-
matis adſtrinxerunt. In hoc enim tempore ſancta
eccleſia quædam per fervorem corrigit, quædam
per manſuetudinem tolerat, quædam per conſide-
rationem diſſimulat, atque ita portat & diſſimu-
lat, ut ſæpe malum, quod averſatur, portando &
diſſimulando compeſcat. Omnes autem qui ad
fidem veniunt, admonendi ſunt ne tale aliquid
audeant perpetrare: ſi qui autem perpetraverint,
corporis & ſanguinis Chriſti communione privan-
di ſunt. Quia ſicut in his qui per ignorantiam
peccaverunt, culpa aliquatenus toleranda eſt, ita
in his fortiter inſequenda, qui non metuunt ſcien- C
do peccare. Sed non eſt mirum, ſi juxta beati
apoſtoli vocem indocti & inſtabiles hæc intellectu
perverſo depravant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad
ſuam ipſorum perditionem, & fiunt magiſtri erro-
ris qui noluerunt fieri diſcipuli veritatis, introdu-
centes ſectas perditionis, magiſtri mendaces, pro-
mittentes ſcientiam falſi nominis, & circa fidem
excidentes. Sed & de his, qui talium doctrinam (2. Tim. 4.)
potius, quam veritatem ſequi ad ſuam ſalutem
diligunt, egregius prædicator dicit: *Erit*, inquiens,
*tempus, cum ſanam doctrinam non ſubſtinebunt; ſed
ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurien-
tes auribus: & a veritate quidem auditum avertent,
ad fabulas autem convertentur.* Et item: *In noviſ-* (2. Tim. 3.)
*ſimis*, inquit, *diebus inſtabunt tempora periculoſa, D
& erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſu-
perbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati,
ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, in-
continentes, immites, ſine benignitate, proditores,
protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam
Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem au-
tem ejus abnegantes; & hos devita.* Si enim pra-
va hinc unde agitur exitiabiliter docentes, & li-
benter obaudientes veritatem magis quam falſita-
tem, & ſalutem magis quam perditionem ſuam
quærere & ſequi ſtuderent, non de ſalubri anti-
doto ſpiritalis medici B. Gregorii neophytis con-
fecto potionem ſibi veneficam temperarent, legen-
tes, & non negligentes, quæ hinc Felix Sicilien- E
ſis epiſcopus, & B. Gregorio conutritus, ad eum-
dem papam ſcripſit. Ait enim inter cetera in epi-
ſtola ſua præfatus Felix ad B. Gregorium: Perla-
tum eſt ad nos a quibuſdam Roma venientibus,
vos Auguſtino conſodali noſtro, per venerabilem
ſanctitatem veſtram poſtmodum epiſcopo Anglo-
rum genti ordinato, & illuc directo, atque An-
glis ſcripſiſſe, quos olim ad fidem converſos per
vos cognovimus, ut quarta progenie conjuncti non
ſeparentur. Quæ conſuetudo dudum illis aut iſtis
in partibus, quando una nobiſcum ab infantia nu-
tritus atque eductus fui, non erat, nec in ullis
prædeceſſorum veſtrorum decretis, aut reliquorum

A generaliter vel ſpecialiter patrum inſtitutis legi,
aut hactenus ab ullis ſapientibus eſſe conceſſum
didici: ſed ſemper uſque ſeptimum originis ſuæ
gradum hæc a ſanctis anteceſſoribus veſtris, & ce-
teris ſanctis patribus, tam & in Nicæna ſynodo,
quam & in aliis ſanctis conciliis congregatis, ſer-
vari debere reperi, & a recte viventibus ac Deum
timentibus hominibus ſtudioſe provideri cognovi.
Unde beatus Gregorius inter cetera eidem Felici (Epiſtola ultima, Felici epiſcopo Meſſanæ.)
reſcripſit: Quod, inquiens, ſcripſi Auguſtino An-
glorum gentis epiſcopo, alumno videlicet, ut re-
cordatus es, tuo, de ſanguinitatis conjunctione,
ipſi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem ve-
nerat, ne a bono quod cœperat metuendo auſte-
riora recederet, ſpecialiter, & non generaliter ce-
B teris me ſcripſiſſe cognoſcas, unde & mihi omnis
Romana civitas teſtis exiſtit; nec ea intentione
hæc illis ſcriptis mandavi, ut poſtquam firma ra-
dice in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriam con-
ſanguinitatem inventi fuerint, non ſeparentur,
aut intra affinitatis lineam, id eſt uſque ad ſepti-
mam generationem conjungantur. Sed adhuc il-
los neophytos exiſtentes, ſæpiſſime eos prius illi-
cita eſſe docere, & verbis & exemplis inſtruere,
& quæ poſt de talibus egerint, rationabiliter &
fideliter excludere oportet. Nam juxta apoſtolum (1. Cor. 3.)
qui ait: *Lac vobis potum dedi, non eſcam*, iſta il-
lis modo, non futuris, ut præfixum eſt, tempo-
ribus tenenda indulſimus, ne bonum, quod infir-
ma adhuc radice plantatum erat, exureretur, ſed
C cœptum firmaretur, & uſque ad perfectionem cu-
ſtodiretur. Sane ſi in his ſecus quam debuimus
aliquid egimus, non propter ipſa in futurum ſer-
vanda, ſed commiſerando actum eſſe cognoſcas:
*& quæ ſequuntur, uſque* præmia mercedis acqui-
rant. *Et poſt aliquanta.* Progeniem vero ſuam
unumquemque de his qui fideliter edocti, & jam
firma radice plantati ſtant inconvulſi, uſque ad
ſeptimam obſervare decernimus generationem: &
quamdiu ſe cognoſcunt affinitate propinquos, ad
hujus copulæ non accedere ſocietatem. Nec eam,
quam aliquis propria conſanguinitate conjugem ha-
buit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in
conjugium ducere ulli profecto Chriſtianorum li-
cet, vel licebit: quia inceſtuoſus eſt talis coitus,
D & abominabilis Deo & cunctis hominibus. Ince-
ſtuoſos vero nullo conjugii nomine deputandos a
ſanctis patribus dudum ſtatutum eſſe legimus. Ideo
nolumus nos in hac re a vobis, ſive a ceteris fi-
delibus reprehendi: quia quod in his Anglorum
genti indulſimus, non formam dando, ſed conſi-
deratione, ne Chriſtianitatis bonum quod cœpe-
rant imperfectum dimitterent, egimus. Paterna
ergo vos dulcedine ſalutantes hortamur, ut pro-
poſitas opportunitatis occaſiones in veſtra effica-
cia enixus elaborare debeatis, atque id modis qui-
bus poſſibile fuerit, omni ſtudio agere contenda-
tis, quatenus prædicabile deſiderium noſtrum in
auxilium omnium adjuvante Domino compleatis.
Nec hoc quoque in hac ſolicitudinis parte relin-
E quimus, quod omnes inceſtuoſi a liminibus ſan-
ctæ eccleſiæ ſunt ſeparandi, quo uſque per ſatiſ-
factionem precibus ſacerdotum canonice eidem ſan-
ctæ eccleſiæ catholicæ reconcilientur: *& reliqua
uſque* plures conveniunt ſacerdotes? Sic & ſancta
catholica & apoſtolica eccleſia, ſecundum ſancta-
rum tramitem ſcripturarum, prædicationemque ma-
jorum, diffinivit, quia omnis illicitus concubitus
inceſtus ſit: multo magis concubitus cum propin-
quis, Deoque dicatis fœminis, habetur inceſtus.
Qui enim vel cum Deo ſacratis, vel cum ſangui-
ne propinquis miſcentur, inceſti, id eſt incaſti,
judicantur. Tamdiu vero, ut Chriſtiana religio
& au-

ANNO CHRISTI 874.

& auctoritas ſanctæ eccleſiæ ſancit, conjugia inter proximos vitanda ſunt, quamdiu neceſſitudinum nomina perſeverant: quoniam nunquam Chriſtianis convenit, ut duæ aut tres neceſſitudines, ut beatus ait Auguſtinus, in homine uno fiant. Auctoritate quippe Dei ſancta eccleſia, quam ab apoſtolis ſibi traditam creditur obſervare, cui refragari fas non eſt, & mundanæ legis cenſura, nec non & ipſius naturæ honeſtiſſimo ordine perdocetur, propinquitatis conjugia uſque ultra ſeptimum gradum differenda. Unde ſanctus Auguſtinus in libris de civitate Dei dicit, ne ipſa propinquitas longius abeat, & eſſe deſiſtat, hanc matrimonii vinculo rurſus colligari, & quodammodo fugientem revocari. Iſidorus itaque de conſanguinitate ſic loquitur: Cujus ſeries ſeptem gradibus dirimitur hoc modo. Filius & filia, nepos & neptis, pronepos & proneptis, abnepos, & abneptis, adnepos & adneptis, trinepos & trineptis, trinepotis filius, & trinepotis filia. Hæc conſanguinitas dum ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens uſque ad ultimum gradum ſeſe ſubtraxerit, & propinquitas eſſe deſierit, eam rurſus lex matrimonii vinculo repetit, & quodammodo revocat fugientem. Et arbor juris legis Romanæ, eccleſiaſticis concordans legibus, a præcedentibus & ſubſequentibus, dextra lævaque, uſque ultra ſeptimum gradum neminem nemini legaliter ſociari permittit: & filii, qui ex tali conjugio naſcuntur, in hæreditatem ſecundum legalem cenſuram legitime non admittuntur. Sciendum eſt etiam, quia propinqui filii vel filiæ ex parte patris agnati vocantur, ex parte autem matris cognati appellantur: & patris frater, vel ſoror, patruus & amita, patrui vel amitæ filius, patruelis, patrui vel amitæ filia, amitina, & ſic agnatio ex parte patris uſque ad ſeptimam generationem vadit. Frater matris, avunculus dicitur, ſoror matris, matertera, avunculi vel materteræ filius, conſobrinus: avunculi vel materteræ filia, conſobrina, conſobrinæ filius ſobrinus, conſobrini vel conſobrinæ filia, ſobrina, & ſic cognatio ex parte matris uſque ad ſeptimam generationem procedit. Patris pater avus, avi pater proavus, proavi pater abavus, abavi pater atavus, atavi pater tritavus, tritavi pater, pater tritavi vocatur. Matris mater avia, aviæ mater proavia, proaviæ mater abavia, abaviæ mater atavia, ataviæ mater tritavia, tritaviæ mater, mater tritaviæ dicitur. Avi frater propatruus, propatrui filius, propatruelis, & ſic ex parte avi cognatio uſque ad ſeptimam vadit generationem. Aviæ frater, major avunculus, aviæ ſoror, matertera magna, avunculi filius, proprius ſobrinus, materteræ filia propria ſobrina, inde ſobrini & ſobrinæ, & ſic uſque ad ſeptimam generationem cognatio ex parte aviæ vadit. Proinde neceſſe eſt, ut unuſquiſque fidelis hujuſmodi inceſta conjugia caveat: ne id quod licite poteſt cum aliis, illicite gerendo cum propinquis, & peccati lapſum incurrat, & apoſtolico anathemate percellatur: ſicut beatus junior papa Gregorius ante corpus beati Petri ſynodali definitione ſub anathematis vinculo hæc quæ ſequuntur decrevit, dicens: Si quis presbyteram duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis diaconam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis commatrem ſpiritalem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis neptem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis novercam, aut nurum ſuam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis conſobrinam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis virginem, niſi deſponſaverit, furatus fuerit in uxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis ariolis, aruſpicibus, vel incantatoribus obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Et ſanctum Ilerdenſe concilium decrevit, dicens: De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit ut quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad miſſam tantum catechumenorum in eccleſia admittantur. Cum quibus etiam nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum, ſicut apoſtolus juſſit, oportet. Et hinc Toletanum concilium: Nam & hæc ſalubriter præcavenda ſancimus, nequis fidelium propinquam ſanguinis ſui, uſquequo affinitatis lineamenta generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari, *& cetera, uſque* habeatur extraneus. Et venerabilis ſynodus Agathenſis hinc decrevit hoc modo: De inceſtis conjunctionibus, nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero, nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus: Si quis relictam fratris, quæ pene prius ſoror extiterat, carnali conjunctione violaverit: ſi quis fratris germanam uxorem accipiat: ſi quis novercam duxerit: ſi quis conſobrinæ, ſobrinæve ſe ſociet. Quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea, quæ ſunt ante nos inſtituta, non diſſolvamus. Si quis relictæ vel filiæ avunculi miſceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ ſuæ conjugio polluatur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. De his autem, qui ex hujuſmodi piaculis egerunt pœnitentiam, & eam minime ſervaverunt, S. papa Siricius ad Himerium Tarraconenſem epiſcopum ſcripſit hoc modo: De his, inquiens, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludricas voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint, a dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur: ut hac ſaltem diſtrictione correcti, & ipſi in ſe ſua [illegible]ata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandum eſſe cenſemus.

De pervaſione ſiquidem rerum eccleſiaſticarum, in

Marginal notes: De civitate Dei lib. 15. — Lib. 15. cap. 16. — Iſid. lib. 9. orig. cap. 6. — Concilium Romanum ſub Gregorio II. — Can. 4. — Can. 5. Concilium Toletanum II. can. — Concilium Agath. can. 61. — Siricius ep. 1. cap. 5 — Concilium apud Tuſia cum.

ANNO CHRISTI 874.

in epiſtola epiſcoporum XIV. provinciarum, a ſy-
nodo in Dei nomine congregata in villa Tuſiaco
Tullenſis parochiæ Aquitanis directa, ſufficienter
de ſacris auctoritatibus collectum habetur. De
quibus quædam hic repetere non nobis eſt pi-
grum, quia experientia didicimus neceſſarium.
Unde ſanctus papa Anacletus, ab ipſo beato Pe-
tro apoſtolo presbyter ordinatus, poſtea in ſede
Romana ſucceſſor illius factus epiſcopus, cum to-
tius mundi ſacerdotibus judicavit: Qui abſtulerit,
inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ par-
ticeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui
nos creavit: mater vero noſtra eccleſia quæ nos
in baptiſmo ſpiritaliter regeneravit. Ergo qui Chri-
ſti pecunias & eccleſiæ rapit, aufert, vel frauda-
tur, homicida eſt, atque homicida ante conſpe-
ctum juſti judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam
& res eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & ut
ſacrilegus judicandus eſt. Item S. Urbanus papa
& martyr: Res & facultates eccleſiaſticæ oblatio-
nes appellantur, quia Domino offeruntur, & vo-
ta ſunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque pa-
trimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt
damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hu-
juſmodi tradere ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit in
die Domini. Item ſanctus Lucius papa: Rerum
eccleſiaſticarum ac facultatum raptores, *& cetera*,
*ut ſupra in concilio apud Tuſiacum*, *uſque* ambula-
re cum Deo tuo. His rite perpenſis, quicumque
vult ab excommunicationis anathemate, inceſtis,
vel rerum eccleſiaſticarum pervaſoribus judicio ſan-
cti Spiritus intentato, eſſe immunis, eis poſt evan-
gelicam commonitionem non communicet, donec
ſeparatione & pœnitentia congrua, ab hac conta-
gione pollutionis vel ſacrilegio ſe purificent, ob-
audientes apoſtolum, immo per apoſtolum loquen-
tem Dominum: *Nolite*, inquit, *communicare ope-* Ephes. 5.
*ribus infructuoſis tenebrarum: magis autem & re-
darguite*. Quam ſententiam ita beatus Auguſtinus
exponit: Duobus, inquit, modis non te maculat
malus; ſi non conſentias, & ſi redarguas. Quia
enim parum erat non communicare, id eſt non
conſentire operibus tenebrarum, ſi ſequeretur ne-
gligentia diſciplinæ, ait apoſtolus, *magis autem &
redarguite*, Domino item in ſcriptura dicente:
*Anathema in medio tui: non poteris ſtare coram ini-* Joſue 7.
*micis tuis*. Hæc fratres & filii, in quocumque or-
dine & dignitate quiſque ſit Chriſtianus, ad vos
ex Domini mandato dirigimus, qui de omnibus
hominibus omni epiſcopo dicit: *Tu autem audiens* Ezech. 3.
*nunciabis eis ex me. Ex me*, inquit, & non, Ex
te. Nos enim non noſtra, nec nova cudimus,
vel condimus, ſed vetera per ſanctos veteres pa-
tres, Spiritu Dei condita vobis annunciamus. Pro-
pterea hæc ſicut Domini mandata ſuſcipite, cujus
potentiæ non poteſtis, & voluntati atque manda-
to non debetis reſiſtere, ſi non vultis ut veſtri
proprii inimici ſaluti veſtræ obſiſtere. Nos autem Ezech. 3.
talia vobis tacere nec poſſumus, nec audemus:
quia Dominus nobis per prophetam dicit, quod
ſi non annunciaverimus vobis, ſanguinem veſtrum
de manu noſtra requiret: & ab illis patribus &
prædeceſſoribus noſtris, quorum vices tenemus in
terris, coram Domino degradamur in cælis, ſi
non exequimur quæ illi ſtatuerunt regulis divini-
tus inſpiratis: quoniam ſicut beatus Leo papa ſan-
cto Spiritu inſpirante dicit, ſubditorum culpæ ad
nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides ne-
gligenteſque rectores, qui multam ſæpe nutriunt
peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhi-
bere medicinam. Propterea ſi vos ab his, unde
commonemini, quantocius non correxeritis, ſicut
illi in cælo, & nos in terra, una cum apoſtoli-
A cæ ſedis præſule, & omni ſacerdotum unanimita-
te, vos a Chriſti & fidelium ejus conſortio ſegre-
gabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro
Chriſto & veſtra ſalute obnixius deprecamur. Vos
autem, ſi mandatis dominicis obedire ſtudueritis,
& veſtram ſalutem præſentem ſcilicet & futuram
agetis, & gloria atque corona noſtra coram Do-
mino eritis, qui de vobis reddemus illi in die ju-
dicii rationes, ſicut & vos de omnibus vobis com-
miſſis rationem eſtis ſine dubio reddituri. Quod
tunc erit, ſi modo a diabolicis & malis operibus,
atque a perverſis hominibus vos ſegregaveritis,
vindicantes contra diabolum & vitia atque pecca-
ta honorem veſtrum, qui homines ad imaginem
Dei facti eſtis. Ad hoc enim, ſicut ſcriptum eſt,
B ut Deum timeat & mandata ejus cuſtodiat, fa-
ctus eſt omnis homo, propter quem factus eſt
Deus homo, qui cum Deo Patre in unitate Spi-
ritus ſancti vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.
Amen.

## DIFFINITIO EJUSDEM SYNODI.

*De quadam monacha nomine Duda ſacrilege corru-
pta: ſed de ejuſdem ſceleris conſentientibus
Berta & Erpreda.*

CAuſam ſceleris inter Dudam monacham,
partu convincente vix tandem confeſſam ſe
de Huntberto presbytero concepiſſe ac peperiſſe,
C & eumdem Huntbertum hoc pertinaciter ſæpe
denegantem, quia putat ſe juramento iniquitatem
ſuam poſſe abſcondere, jurando cum presbyteris
complicibus, qui juxta quod ſcriptum eſt, umbra
ejus umbram protegunt, videlicet defenſione il- Iſai. 40.
lius iniquitatis, cum de hujuſmodi fuerint inter-
pellati, ſuam nequitiam abſcondendo ſe poſſe
protegere, & inter monachas Bertam & Erpre-
dam huic ſceleri conſentientes, quæ hinc interroga-
tæ facile dicuntur fuiſſe confeſſæ, ſecundum tra-
mitem ſcripturarum, prædicationemque majorum,
per ſacras leges ac regulas, quas conjunctim mul-
toties in decretis ſuis ad cauſas diffiniendas bea-
tus papa Gregorius ponit, rationaliter diffiniri
poſſe putamus.

D

### I.

Primum quidem attendendum eſt in Huntber- Iſai. 34.
to presbytero, de peccato manifeſto ſe excuſan-
te, quod beatus Gregorius in regula paſtorali di- Greg. Paſtor. part. 3. cap. 11.
cit: *Ibi habuit foveam ericius*. Ericii quippe no-
mine impuræ mentis ſeſeque callide defendentis
duplicitas deſignatur: quia videlicet ericius cum
apprehenditur, ejus & caput cernitur, & pedes
videntur, & corpus omne conſpicitur; ſed mox
cum apprehenſus fuerit, ſemetipſum in ſphæram
colligit, pedes introrſus ſubtrahit, caput abſcon-
dit, & intra tenentis manus totum ſimul amitti-
tur, quod totum ſimul antea videbatur. Sic ni-
mirum, ſic impuræ mentes ſunt, cum in ſuis
exceſſibus comprehenduntur. Caput enim ericii
E cernitur, quia quo initio ad culpam peccator ac-
ceſſerit, videtur: pedes ericii conſpiciuntur, quia
quibus veſtigiis nequitia ſit perpetrata, cognoſci-
tur: & tamen adductis repente excuſationibus im-
pura mens introrſus pedes colligit, quia cuncta
iniquitatis ſuæ veſtigia abſcondit: caput ſubtra-
hit, quia miris defenſionibus nec inchoaſſe ſe
malum aliquod oſtendit: & quaſi ſphæra in ma-
nu tenentis remanet, quia is qui corripit, cun-
cta quæ jam cognoverat ſubito amittens, invo-
lutum intra conſcientiam peccatorem tenet: &
qui totum jam reprehendendo viderat, tergiver-
ſatione pravæ defenſionis illuſus totum pariter
igno-

ANNO CHRISTI 874.

ignorat. Unde neceſſe eſt, ut ex alia ſua actione quam negare non poteſt, idem Huntbertus conveniatur, ſicut idem ſanctus Gregorius in præfata regula docet: Nonnulla, inquiens, ſunt ſubtilia occulte perſcrutanda, ut quibuſdam ſignis erumpentibus rector in ſubditorum mente omne quod clauſum latet inveniat, & interveniente correctionis articulo ex minimis majora cognoſcat. Unde ecce ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, fode tibi parietem*. Ubi mox iſdem propheta ſubjunxit: *Et cum perfodiſſem parietem, apparuit oſtium unum, & dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt*. Hic notandum itaque eſt, quia prius foramen in pariete, ac deinde oſtium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonſtratur. Quia nimirum uniuſcujuſque peccati prius ſigna forinſecus, deinde janua apertæ iniquitatis oſtenditur, & tunc demum omne malum, quod intus latet aperitur.

Ezech. 8.

## II.

Dicitur namque quod præfata Duda aſpirans ad regimen abbatiſſæ, aſcivit ſibi familiarem Huntbertum presbyterum, qui ſcribebat breviculos, quos ipſa Duda contra regulam ſuæ profeſſionis per diverſos mittebat, ut ſatagerent quatenus abbatiſſa fieret: decernente B. Benedicto, ut nullatenus liceat monachæ, neque a parentibus ſuis, neque a quoquam hominum, nec ſibi invicem literas, vel eulogias, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare, ſine præcepto abbatiſſæ. Quæ autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ regulari ſubjaceat. Et adeo latens malum excrevit, ut ipſe Huntbertus contra abbatiſſam, cui fidelitatem juravit, ſed & contra præpoſitum ſuum, falſos breves ſcripſerit, ut abbatiſſa depoſita, Duda regimen poſſet aſſumere. Quos breves uſque ad præſentiam & inquiſitionem regiorum miſſorum protulit, & de mendacio, ac infidelitate, ſeu perjurio, exinde in præſentia illorum revictus fuit, ac per hoc calumniatoris crimen incurrit. Unde ſacræ leges, quibus una cum ſanctis regulis ſancta moderatur eccleſia, dicunt: Calumniatores ſunt, qui falſa deferentes contra cujuſcumque innocentis perſonam, principum animos ad iracundiam commovere præſumunt, qui omnes infames effecti in exilio detrudentur. Et item: Non eſt ratio, qua manifeſti calumniatoris ſupplicium differatur. Nec enim patimur frequentia iterari, quæ conſiſtere prima accuſatione nequiverunt, atque alienam innocentiam ſecuritatemque ſine crimine damnabili appetitione terreri. Et item: Quicumque ſcripturam in audientiam protulerit, veritatem ejus probare jubeatur: quia hoc in omnibus cauſis ſtatutum eſt, ut ſcripturam prolator affirmet. Nam ſi is qui ſcripturam protulit, ejus non adſtruxerit veritatem, ut falſitatis reum eſſe retinendum. Inter decem quippe præcepta, quæ Dominus in monte Sina per famulum ſuum Moyſen Iſraelitico populo dedit, falſum teſtimonium ſpecialiter prohibuit. *Non falſum*, inquiens, *teſtimonium dices*. Hi namque, qui contra juſtitiam falſitatem opponunt, ut catholici doctores tradunt, ſimiles ſunt falſis teſtibus, qui in paſſione Chriſti falſum contra eum dixerunt teſtimonium. De falſis quoque teſtibus in libro Deuteronomii ita jubetur: *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum prævaricationis, ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu ſacerdotum & judicum, qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentiſſime perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddant ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit. Et auferes malum de medio tui, ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere, & non miſereberis ejus*. De falſis quoque teſtibus Salomon ait: *Teſtis falſus non erit impunitus*. Et alibi, in ſex quæ ſe Deus odiſſe dicit, teſtem fallacem & proferentem mendacia annumerat. Teſtis falſidicus tribus eſt perſonis obnoxius: primum Deo, quem pejerando contemnit: ſequenter judici, quem mentiendo fallere cupit: poſtremo innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. In ſancta quoque ſua lege Dominus ſpecialiter falſum teſtimonium & perjurium atque mendacium prohibuit. Quicumque igitur unum ex his tranſgreſſus fuerit, dominici præcepti prævaricator ſine dubio exiſtit. Et de his tribus præfatis presbyter Huntbertus convictus ante miſſos regios fuiſſe dicitur. Quapropter vocem non habet, ut ſacramento de hoc ſacrilego adulterio ſe, vel ſingulariter, vel cum ſuis complicibus, valeat expurgare: decernente hinc ſacra lege, quam probat eccleſia: In convictum reum, qui de objecti criminis veritate convincitur, ſive torqueri poſſit ſive non poſſit, judex quod ei viſum fuerit, judicabit. Et Africano decernente concilio: Quotieſcumque clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipſis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cetera jam non admittatur. E contra Huntbertus presbyter, qui de præfatis comprobatus dicitur atque convictus, ad ſe purgandum de objecto ſacrilego adulterio, ſicut & præcedens lex manifeſtat, non habetur idoneus.

Interpretatio.

Codice Theod. De calumniat. 1.

Interpret. l. 7. codice Theod. De fide teſtium &c.

Exod. 20. Matth. 19.

Deut. 19.

ANNO CHRISTI 874.

Prov. 19. Prov. 6.

Interpretatio.

Cap. 97.

## III.

Quia vero lex dicit: Criminum diſcuſſio ibi agitanda eſt, ubi crimen admiſſum eſt: nam alibi criminum reus prohibetur audiri: & Carthaginenſe concilium dicit, ut accuſatus vel accuſator in eo loco, unde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes producere, ubi cauſa finiatur. Et Africanum concilium illic jubet agitari judicium, ubi teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multa alia impedimenta adduci valeant. Et quia quæ teſtificantur adverſus eum de ſacrilego adulterio, a monaſterio rationabiliter longius abduci non poſſunt, vicarii ſynodi cum miſſis regiis ad idem accedant monaſterium, & ſubſequenti modo cauſa diffiniant.

Concilium Carthaginenſe canone 30.

## IV.

Separentur ab invicem monachæ, & ſigillatim interrogentur, ſi forte ſuam ſententiam immutabunt, vel in eadem qua prius permanebunt ſententia. Et interrogetur Duda de temporibus, & locis, & horis, quando hoc nefarium ſcelus cum Huntberto commiſit presbytero. Et oſtendatur ei, quam graviter peccatum ſuper peccatum addet, ſi de alio aliquo concepit & peperit, & falſo Huntbertum de crimine ipſo inſimulat. Et allegetur ei, ut ſecundum profeſſionis ſuæ regulam veritatem ex corde & ore proferat: quia pura confeſſio etiam a morte liberat, & juſtificationem per indulgentiam confitenti apud Deum * miſericordiam impetrat, dicente ſcriptura: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut juſtificeris*. *Prior*, inquit, quia ſi ipſa non dixerit, diabolus in judicio coram omnibus ſanctis & peccatoribus dicet. Propterea melius illi eſt, ut hic puram confeſſionem faciat, & indulgentiam accipiat, quam in conſpectu angelorum & hominum omnium in futuro judicio confundatur, & perpetuis flammis tradatur. Et ſi pariter fuerit confeſſa, levior il-

* *Forte melius*, miſericordem. *Harduinus*.

ANNO CHRISTI 874.

li erit pœnitentia. Deinde conſentientes nequi- A
tiæ illius ſorores ſingillatim interrogentur, & ſi-
militer de ſententia ſua experientia colligatur.
Deinde iſdem presbyter ſecuretur, quia juramen-
to nec ſingulariter, nec cum aliis presbyteris,
ſe poterit expurgare, quia vocem propter præ-
miſſa non habet, ut ſe idoneum reddere valeat.
Et ſi facile ac puriter confeſſus fuerit, veniant
ſimul in conſpectu congregationis idem presbyter
& complex illius Duda & conſentientes eis, &
coram omnibus ſingillatim confiteatur. Si autem
idem presbyter negaverit, veniat coram ſynodi
vicariis, & miſſis regis, ac presbyteris & cleri-
cis ipſius monaſterii, & coram abbatiſſa & con-
gregatione, & veniat ipſa Duda, & conſentien-
tes eis, & revincant ipſum presbyterum, com- B
putantes tempora, & loca, & horas, ſecundum
quod de crimine conſcia quæque illarum exiſtit.
Et ſi ipſe presbyter ſe concrediderit, facilior ei
erit pœnitentia: ſin autem in pertinacia ſua per-
ſtiterit, convincatur hoc modo.

V.

Leges dicunt: Judex criminoſum diſcutiens
non ante ſententiam proferat capitalem, quam
aut reus ipſe fateatur, aut convictus vel per in-
nocentes teſtes, vel per conſcios criminis ſui,
aut homicidium, aut adulterium, aut malefi-
cium commiſiſſe manifeſtius convincatur. Et
item: In criminibus eruendis quæſtio quidem ad-
hibetur, ſed non ſtatim a tormentis incipiendum
eſt. Ideoque prius argumentis quærendum: & C
ſi ſuſpicione aliqua reus urgeatur, adhibitis tor-
mentis de ſociis & ſceleribus ſuis confiteri com-
pellatur. Et item: Unius facinoris plurimi rei
ita audiendi ſunt, ut ab eo primum incipiatur,
qui timidior, & teneræ ætatis eſſe videatur. Et
item: Teſtes prius quam de cauſa interrogentur,
ſacramento debere conſtringi, ut jurent nihil
falſi ſe eſſe dicturos. Quia vero juratio non niſi
in neceſſitate utenda eſt; oſtendit Dominus: *Sit*, Matth. 5.
inquiens, *ſermo veſter eſt eſt, non non, quod am-*
*plius eſt, a malo eſt.* Id eſt, jurare cogeris; ſcias
de neceſſitate venire infirmitatis eorum, quibus
aliquid ſuades. Quæ infirmitas utique malum eſt.
Unde quotidie nos liberari deprecamur, cum di-
cimus: *Libera nos a malo.* Ideoque non dixit: D Matth. 6.
Quod amplius eſt, malum eſt, ſed a malo eſt
illius, cujus infirmitate jurare cogeris. Secun-
dum quod præmiſſa lex dicit, ſuper ſacroſancta
evangelia & cetera divina myſteria jure prius
Duda, & poſtea illæ, quæ ſuo facinori conſen-
ſerunt, de cauſa interrogata ſe nihil falſi eſſe
dictura: & poſt juramentum, proferant teſtimo-
nium adverſus Huntbertum presbyterum. Poſt
prolatum autem teſtimonium, quia lex dicit,
quod Dominus in evangelio approbat, ut in ore
duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: &
apoſtolus ad Timotheum ſcribit: *Adverſus pres-*
*byterum accuſationes noli recipere, niſi ſub duobus* 1 Tim. 5.
*vel tribus teſtibus*, &: *peccantes coram omnibus*
*argue, ut ceteri timorem habeant*, &, ut præmiſi- E
mus, leges dicunt, ut criminoſus vel per inno-
centes teſtes, vel per conſcios criminis ſui, aut
homicidium, aut adulterium, aut maleficium
commiſiſſe convincatur: & ſacri Nicæni canones
diffiniunt, ut ſi aliquod delictum animæ circa
perſonam neophyti epiſcopi reperiatur, & a duo-
bus vel tribus teſtibus arguatur, a clero talis
abſtineat: vel confeſſus, vel convictus Huntber-
tus presbyter, tribus teſtibus criminis ſui con-
ſciis, auctoritate ſacrarum legum ac regularum,
ſynodali judicio a vicariis ſynodi deponatur, &
per miſſos regios in longinquam terram ac per-

A petuum exilium, juxta imperatorum & regum
antiquas & conſuetudinarias leges deducatur &
aliquo monaſterio ipſius exilii ſub pœnitentia re-
trudatur, laica tantum ſibi communione ſerva-
ta. De hujuſmodi enim degradatione ſanctus In- Decret. c. 33.
nocentius decrevit, dicens: Eos qui talia perpe-
traſſe dicuntur, jubebitis in medio collocari, di-
ſcuſſiſque objectionibus, quæ ipſis presbyteris im-
pinguntur, ſi convinci potuerint, a ſacerdotali re-
moveantur officio, quia qui ſancti non ſunt, ſan-
cta tractare non poſſunt, atque alieni efficiantur
a miniſterio, quod vivendo illicite polluerunt.
De perpetuo namque exilio in longinqua terra,
& ſacræ leges, & epiſtolæ Leonis atque Grego-
rii oſtendunt, quia longius a loco, quem fæce
B ſuæ iniquitatis infecit, amoveri debeat & abdu-
ci. De retrudendo autem eo in monaſterio ſan-
ctus Leo decrevit dicens: Alienum eſt a conſue- Decret. c. 16.
tudine eccleſiaſtica, ut qui in presbyterali hono-
re, aut diaconii gradu fuerint conſecrati, hi pro
crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem re-
medium accipiant pœnitendi. Quod ſine dubio ex
apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod
ſcriptum eſt: *Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit* 1. Reg. 2.
*pro illo?* Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam
miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio,
ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fru-
ctuoſa. Et ſanctus Gregorius ad Sabinianum epi-
ſcopum: Presbyterum, inquit, de quo nos fra-
ternitas tua latoris præſentium relatione conſu-
C luit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum
aut permanere aut revocari poſſe cognoſcas, ſed
in monaſterio ſub pœnitentia retrudatur. Et ca-
nones Neocæſarienſes: Presbyter, ſi uxorem ac- Can. 1.
ceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus
fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pel-
li debet, & ad pœnitentiam redigi. De non ex- Apoſtol.
communicando autem eo a communione corpo- Can. 25.
ris & ſanguinis Chriſti, item canones dicunt:
Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, qui in for-
nicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt, de-
ponatur: non tamen communione privetur. Di-
cit enim ſcriptura: *Non judicabit Dominus bis in* Nahum 1.
*idipſum.*

VI.

D De Duda ſiquidem monacha ſacrilege corru-
pta ſanctus Siricius ad Himerium diffinivit, di- Decret. c. 6.
cens: Præterea monachorum quoſdam atque mo-
nacharum, abjecto propoſito ſanctitatis, in tantam
proteſtaris demerſos eſſe laſciviam, ut prius clan-
culo, velut ſub monaſteriorum prætextu, illici-
ta ac ſacrilega ſe contagione miſcuerint: poſtea
vero in abruptum conſcientiæ deſperatione per-
ducti, de illicitis complexibus libere filios procrea-
rint: quas & publicæ leges, & eccleſiaſtica jura
condemnant. Has igitur impudicas deteſtabileſque
perſonas a monaſteriorum cœtu, eccleſiarumque
conventibus eliminandas eſſe mandamus: quate-
nus retruſæ in ſuis ergaſtulis, tantum facinus
continua lamentatione deflentes, purificatorio poſ-
E ſint pœnitudinis igne decoquere: ut eis vel ad
mortem ſaltem, ſolius miſericordiæ intuitu, per
communionis gratiam poſſit indulgentia ſubveni-
ri. Et hinc ſanctus Innocentius: Quæ Chriſto Decret. c. 19.
ſpiritaliter nubunt, & a ſacerdote velantur, ſi
poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo cor-
ruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam
pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de mun-
do receſſerit. Si enim de hominibus hæc ratio
cuſtoditur, ut quæcunque vivente viro alteri nu-
pſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœni-
tentiæ licentia concedatur, niſi unus ex his fue-
rit defunctus, quanto magis de illa tenenda eſt,
quæ

ANNO CHRISTI 874.

quæ antea ſe immortali ſponſo conjunxerat, & poſtea ad humanas nuptias tranſmigravit? Et ſanctus Leo: Propoſitum monachi, proprio arbitrio aut voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Unde qui relicta ſingularitatis profeſſione ad militiam vel nuptias devolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt: quia etſi innocens militia, aut honeſtum poteſt eſſe conjugium, electionem meliorum deſeruiſſe, tranſgreſſio eſt. Et ſanctus Gelaſius: Virginibus ſacris temere ſe quoſdam ſociare cognovimus, & poſt dicatum Deo propoſitum inceſta fœdera ſacrilegaque miſcere, quos protinus æquum eſt a ſacra communione detrudi, & niſi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi: aut his certe viaticum de ſæculo tranſeuntibus, ſi tamen pœnituerint, non negetur.

Decret. c. 26.

Decret. c. 20.

## VII.

Hæc a ſanctis canonibus, antequam ſanctus Spiritus per B. Benedictum eodem ſpiritu, quo & ſacri canones conditi ſunt, regulam monachorum ediderit, de hujuſmodi ſunt decreta: ſicut & ea quæ ſancti Ambroſius & Hieronymus de lapſu virginis Deo ſacratæ, & B. Auguſtinus de ſancta virginitate & lapſu monachi ſcripſerunt. Quæ Dudæ attentius & ſæpius ſunt relegenda, ut intelligat quantam dignitatem amiſerit, & ad quantam vilitatem devenerit, unde exciderit, & quo ceciderit: & agat pœnitentiam cum fletus & abjectionis humilitate quamdiu vixerit. Quæ pœnitentia ſit illi, ut ſcriptum eſt, in velamentum oculorum, memoreturque ſe deprehenſam. Et cum ſermonem beati Auguſtini de lapſu monachi legerit, ſciat ſe, licet imparem ſexu, parem profeſſione: & quæ de monacho dicit, de ſe monacha dictum intelligat. Ceterum quoniam eadem regula, ſancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate beati papæ Gregorii inter canonicas ſcripturas, & catholicorum doctorum ſcripta, eſt teneri decreta: ſæpefata Duda ſacrilego adulterio corrupta, ſecundum eamdem regulam ea temperantia, ut cum ſacris canonibus judicium regulare conveniat, eſt judicanda. Quia monachus, vel monacha, juxta eamdem regulam collum non excutit de ſubjugo regulæ, ſi quod contra regulam commiſit, per regularia judicia ſuæ profeſſionis ſtuduerit emendare. Quapropter, quia multis modis ipſa Duda contra regulam admiſit, pro quibus graviori vindicta, vel virgarum caſtigatione caſtigari, ſicut actiones illius produnt, & qui regulam norunt intelligunt, (quæ hic omnia inſerere ſuperfluum duximus) jubetur, coram abbatiſſa ſua, vel ſororibus, ut ceteræ metum habeant, nudo dorſo, remota virorum præſentia, virgis flagelletur, ſi ſe humiliaverit, cum miſericordia, ſicut ſcriptum eſt: *Corripiet me juſtus in miſericordia*: ut caro quæ delectabiliter illam traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, & ſanguine carnis virgis elicito, ſanguinem animæ, videlicet profuſas lacrymas, flagello producat a mente. Si autem durior fuerit faciat abbatiſſa ſecundum caput regulæ, incerte ſcriptum eſt: Improbas, inquiens, & duras, & ſuperbas, vel inobedientes, verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptum: *Stulta verbis non corrigitur*: & iterum: *Percute filiam tuam virga, & liberabis animam ejus a morte*. Et quia ſacri canones hujuſmodi pœnitentia publica jubent mulctari, ſecundum capitulum XXV. regulæ, quod ſententiæ Pauli apoſtoli, & canonum diffinitioni concordat, judicium pro gravi culpa ſuſcipiat. In quo judicio tribus annis immoretur, & abbatiſſa ſolicitudinem de illius pœnitentia & conſolatione ſecundum capitulum XXVII. regulæ diligenter adhibeat. Et alios tres annos, ſecundum capitulum XLIX. regulæ, ſororibus in oratione communicet, non tamen in choro cum ſororibus, ſed retro oſtium ſtans vel orans, ſecundum canones ſacros, ſive in loco conſtituto ſibi a matre monaſterii, ut ab omnibus poſſit videri, ſicut & regula de ea dicit, quæ tarde ad divinum officium, eam ſtare & ſatisfacere * jubet. Septimum vero annum, ſecundum cap. XXIX. regulæ, in ultimo loco degens, in oblatione ſororibus ſecundum canones ſacros communicet. Et poſt ſeptem annos communionem corporis & ſanguinis Chriſti, ſi pœnituerit digne, percipiat; de cetero uſque ad ultimum vitæ ſuæ finem permanens in omni regulari ſubjectione. Et ſicut ipſa regula dicit, præterita peccata ſua cum lacrymis vel gemitu quotidie Domino in oratione confiteatur, reducens ante oculos quantos gemitus in partu habuit, quem cum delectatione concepit, & quanta ſuſpiria etiam ante partum emiſit, timens deprehendi, ſicut & eſt deprehenſa: & hos gemitus, atque ſuſpiria, ſeu profuſas lacrymas emittat in ſceleris pœnitentia, de qua dicit pſalmus: *Ibi dolores ut parturientis*. *Ibi*, id eſt, in contriti cordis pœnitentia, ſunt dolores ut parturientis. Dolor enim pœnitentis, quaſi dolor eſt parturientis: quia confitendo in oratione cum gemitu ac fletibus a ſe emittit, quod male ac voluptuoſe in voluntate concepit. Hinc & alius pſalmus dicit: *Introite portas ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis: confitemini illi*. Cum peccata noſtra per lacrymas confitemur, anguſtæ viæ portas ingredimur. Sed cum poſt hæc ad æternam vitam perducimur, portæ noſtræ in atria in confeſſione laudis intramus. Quia ibi jam in anguſta via non erit, cum nos lætitia æternæ ſolemnitatis aſſumpſerit. Propter quam confeſſionis noſtræ anguſtiam Veritas dicit: *Intrate per anguſtam portam*. Et cum ſe pſalmiſta recipi in latitudine gaudii æterni præſumeret, dicebat: *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*. Quapropter providendum eſt his qui peccata ſuorum operum deplorant, ut conſummata mala perfecta diluant lamentatione, ne plus aſtringantur in debito perpetrati operis, & minus ſolvant in fletibus ſatisfactionis, ſicut ſcriptum eſt. *Potum dedit nobis in lacrymis in menſura*, ut videlicet uniuſcujuſque mens tantum pœnitendo compunctionis ſuæ bibat lacrymas; quantum ſuo a Deo meminit aruiſſe per culpas. Debet ergo majorem in ſe quiſque ſeveritatem exercere, ut a ſeipſo judicatus peccator, vel judicata peccatrix, non judicetur a Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, ſi aſcenderit homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituerit ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat, ſicut comminatur Deus peccatori. Atque ita conſtituto in corde judicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, * juſta ratio, carnifex timor: deinde ſanguis animæ continentis per lacrymas profluat. Poſtremo ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum vel indignam peccator ſive peccatrix judicet participatione corporis & ſanguinis Domini. Vertetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipſe vel ipſa non accedit, cogitet quam ſit contremiſcenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. Servatis quoque, quantum humana fragilitas patitur, regula-

Pſal. 140.

Prov. 23.

ANNO CHRISTI 874.

* Forte, jubeat. II

Pſal. 47.

Pſal. 99.

Matth.

Pſal. 30.

Pſal. 79.

* f. ju...

ribus XI. gradibus * humiliatis, juxta XII. gra
ANNO CHRISTI 874. dum corpore humiliatam videntibus ſe ſemper
indicet, id eſt, in opere, in oratorio, in mona-
humilitatis, ſterio, in horto, in via, in agro, vel ubicum-
que, ſedens, orans, & ambulans vel ſtans incli-
nato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpe-
ctibus, ream ſe omni hora de peccatis ſuis exi-
ſtimans, jam ſe tremendo judicio repræſentari
exiſtimet, dicens ibi in corde ſemper illud quod
publicanus ille evangelicus fixis in terram oculis
Luc. 18. dixit: Domine non ſum digna ego peccatrix le-
vare oculos meos ad cælum. Et item cum pro-
Pſal. 118. pheta: *Incurvata ſum; & humiliata ſum uſque-
quaque*. Imitans meretricem mulierem pedes Do-
mini lacrymis rigantem, & capillis ſui tergen-
tem, & unguento ungentem: cui dimiſſa ſunt
peccata multa, quoniam dilexit multum. Geſtet
denique inceſſanter fœtorem luxuriæ in naribus
mentis ſuæ, & depictum ſacrilegium Deo dicati
corporis ſui, & inceſtum adulterium a ſe com-
miſſum, quæ Chriſto ſpiritaliter nupſit, in cor
de ſuo dicens cum lacrymis ex viſceribus inti-
Pſal. 50. mis: *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate
mea, & a peccato meo munda me. Quoniam ini-
quitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum
contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccavi, & malum
coram te feci*. Et increpante ſe rea conſcientia dicat,
peccavi Domino, ut transferat Dominus pecca-
tum ſuum, & non moriatur in æternum. Sacri-
ficium enim Deo ſpiritus contribulatus, cor con-
tritum & humiliatum Deus non deſpicit, qui ſa-
nat contritos corde, & alligat contritiones eo-
rum, & allevat omnes qui corruunt: & erigit
omnes eliſos. Poſt lacrymas quoque tam noctur-
nas, quam diurnas, non ad inanem lætitiam,
vel mortiferam triſtitiam, ſeu pravas & turpes
cogitationes cor ſuum redire permittat & lucrum
compunctionis per incuriam fluxæ cogitationis
perdat. Sed quotieſcumque turpes & fluxæ cogi-
tationes illi ſubrepſerint, ſignet frontem ſuam &
cor ſuum ſigno crucis Chriſti, petens ut crucifi-
xa mundi ſalus crucifigat carnem ſuam & men-
tem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis, & aſſi-
due illi in memoria maneat, quod ſancta fœmi-
na Anna ideo obtinere meruit quod popoſcit,
quia ſe poſt lacrymas in eodem mentis vigore
Reg. IX. ſervavit. De qua nimirum ſcriptum eſt: *Vultus
ejus non ſunt amplius in diverſa mutati*. Quia igi-
tur non eſt oblita quæ petiit, non eſt privata
munere quod popoſcit. Et in his omnibus ſe-
cundum ſacros Nicænos canones propoſitum &
ſpeciem pœnitentiæ in ea convenit explorari. Si
autem antea infirmaverit, & deſperata fuerit,
viatico munere non privetur. Et ſi convaluerit
poſt communionem, ſit inter eas quæ commu-
nionem orationis tantummodo conſequuntur,
uſquedum decreto modo præfixos compleat an-
nos. Meminerit autem abbatiſſa ſecundum cap.
LXIV. regulæ, calamum quaſſatum non conteren-
dum, & ne quid nimis: ne dum cupit eradere
æruginem, frangatur vas, ſuamque fragilitatem
ſemper ſuſpecta ſit. In quibus non dicimus, ut
permittat nutriri vitia, ſed prudenter, & cum
caritate ea amputet, prout viderit cuique expe-
dire.

VIII.

Sicut eſt diſcretio in peccatis peccantium, &
in medela eorum, ita eſt diſcretio in correctione
peccantium, & in manifeſtatione ac medela pec-
catorum peccantium. De quibus omnibus ne pro-
lixior ſermo legentibus ſit oneroſus, de his tan-
tum quæ ad hoc unde agitur pertinent, ſuccin-
cte dicamus. Beatus gratia & nomine Benedictus

A ſancto Spiritu inſpiratus, conſona ſacris ſcriptu-
ris & aliorum orthodoxorum patrum prædica- ANNO CHRISTI 874.
tionibus, in regula ſua dicit: Si quis in labore Cap. 46.
quovis, vel in quocumque loco aliquid exceſſe-
rit, & non veniens continuo ante abbatem vel
congregationem ipſe ultro ſatisfecerit, vel prodi-
derit delictum ſuum, dum per alium cognitum
fuerit, majori ſubjaceat emendationi. Si animæ
vero peccati cauſa fuerit latens, tantum abbati,
aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat, qui ſciant
curare ſua, & aliena vulnera non detegere &
publicare. Quæ & in monacharum cœnobiis er-
ga ſui ſexus ſpiritales monaſterii matres oportet
monachas obſervare. Ceterum omnes tam cleri-
ci, quam laici, vel feminæ confitentes ſecreta
B confeſſione ſacerdotibus peccata ſua, & ea digna
pœnitentiæ ſatisfactione deflentes, nequaquam
ſunt prodendi, & peccata eorum nulli a ſacerdo-
te quacumque ſunt ſignificatione manifeſtanda,
niſi ſoli Domino in ſecreta oratione, pro quibus
ſicuti & pro ſuis jugiter intercedat peccatis. De
peccatis vero, quæ frater in fratrem admiſerit,
evangelicum documentum eſt prorſus ſequendum,
quo dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, cor* Matth. 18.
*ripe eum inter te & ipſum ſolum*, & reliqua uſ-
que dum dicit, *ſit tibi ſicut ethnicus & publica-
nus*. Quod autem conſcii alienorum peccatorum,
niſi aut ea correxerint, aut emendationis gratia
his quorum intereſt manifeſtaverint, in diſcri-
men adducantur, ſancta ſcriptura tam veteris
C quam novi teſtamenti demonſtrat, dicens in Le
vitico per Moyſen; *Si peccaverit*, inquit Domi Levit. 5.
nus, *anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque
fuerit, quod aut ipſe viderit, aut conſcius eſt, niſi
indicaverit, portabit iniquitatem ejus*, ſine dubio
qui aut egit aliquid, aut juravit quod non de-
buit. Hoc etiam, ut majores noſtri exponunt,
juxta hiſtoriam nos ædificat, & docet ne un-
quam in peccatis alterius polluamus conſcientias
noſtras, nec conſenſum malum agentibus præ-
beamus. Conſenſum autem, non ſolum pariter
augendo, ſed etiam quæ illicite geſta ſunt reti-
cendo, quæ ſecundum evangelicam regulam ma-
nifeſtare debemus. Hinc & Paulus apoſtolus di-
cit: *Nolite communicare operibus infructuoſis tene-* Epheſ. 5.
D *brarum: magis autem & redarguite*. Quam ſen-
tentiam ita B. Auguſtinus exponit: Duobus, in-
quiens, modis non te maculat malus: ſi non
conſentias, & ſi redarguas: hoc eſt non com-
municare, non conſentire. Et quia parum erat
non conſentire, ſi ſequeretur negligentia diſcipli-
næ, addidit: *Magis autem & redarguite*. Unde
ſciendum eſt, ſicut catholica tenet eccleſia, quod
ſi quis ea videt in delicto proximi, vel proximæ
ſuæ, & non indicet ſecundum regulam ſuperius
datam, vel in teſtimonium vocatus, vel vocata,
non quæ vera ſunt dixerit, peccatum quod com-
miſit ille vel illa, quem aut quam celat, ipſe
vel ipſa ſuſcipiet, & pœna commiſſi revolvetur
ad conſcium, vel ad conſciam, proteſtante ſan-
E cto Spiritu per pſalmiſtam: *Videbas*, inquit, *fu-* Pſal. 49.
*rem & concurrebas cum eo, & cum adulteris por-
tionem tuam ponebas*, Et per apoſtolum: *Non ſo-* Rom. 1.
*lum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus
mala, digni ſunt morte*. Quapropter Berta & Er-
preda conſcientes tantæ nequitiæ, non indicantes
eam, juxta libri Levitici, & evangelii, & apo-
ſtolicæ doctrinæ regulam, ac per hoc peccatum
committentium ſuſcipientes, quarum gravioris le-
præ immunditia, ſicut & Dudæ, in apertum pro-
rupta, juxta legis præceptum ſacerdotali eſt pu-
rificanda judicio, poſt menſuratam virgarum ca-
ſtigationem, quia interrogatæ dicuntur facile fuiſ-
ſe

ANNO CHRISTI 874

ſe confeſſæ, per tres annos & dimidium (A) prætaxato Dudæ modo pœniteant. Quæ ſi infirmaverint, prætaxato modo viaticum munus ſuſcipiant, & ſi convaluerint, ordine præfinito ad perfectionem reſtitutionis perveniant, & uſque ad finem vitæ ſuæ, ſicut de Duda ſcripſimus, in omni ſubjectione & humilitate regulari, & confeſſione peccatorum ſuorum permaneant. Debuerant enim & Duda, & ejus ſceleri conſentientes, duplicem annorum numerum in pœnitentia duplicare, quia & monacha cum presbytero ſacrilego adulterio conſenſerunt. Sed quia & ſexus eſt fragilis, & apoſtolus dicit: *Ne abundantiori triſtitia quæ hujuſmodi ſunt abſorbeantur*, & patrum eſt decreta (B) ſententia, quoniam apud Deum non eſt tam menſura temporis, quam doloris, nec abſtinentia ciborum, quam mortificatio vitiorum: credimus per hanc pœnitentiam, ſi tamen diſtricte ac digne illam egerint, eas Domino ſatisfacere poſſe, cujus miſericordiæ, ut Leo ſcripſit, nec modum poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei Spiritu per prophetam: *Mox ut ingemueris ſalvus eris*, &: *Dic tu prior iniqui-* (C) *tates tuas, ut juſtificeris*, quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Sed & plagæ virgarum illis tempus pœnitendi uſque ad communionis reſtitutionem abbreviant, quia ſicut ſcriptum eſt: *Livor vulneris abſtergit mala, & plagæ in ſecretioribus ventris*. Mala, inquit Gregorius, livor vulneris abſtergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas vel perpetratas nequitias diluit, quia cum exterius percutimur, ad peccatorum noſtrorum memoriam taciti afflictione revocamur, atque ante oculos noſtros cuncta, quæ a nobis ſunt male geſta, reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus. Unde fit ut inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga ſecreti ventris, id eſt mentis: quia ſanat nequitias pravi operis occultum vulnus doloris. Hoc medicamentum pœnitentiæ diverſis modis conjectatum, quaſi antidotum ex diverſis pigmentis, contra venena diaboli, id eſt peccata, ex ſanctis ſcripturis, & canonum ac regulæ ſancti Benedicti conſtitutionibus, & orthodoxorum prædicationibus confectum, pro modulo noſtro induſtriam patrum ſequentes, quoniam, ut dicit Gregorius, ars artium eſt regimen animarum, non præjudicantes majorum ſtatutis, condidimus: quatenus & ærugo eradatur, & vaſcula non frangantur, & juxta veritatis vocem calami quaſſati non conterantur, & quæ confracta ſunt alligentur, & quæ diaboli ſuggeſtione, & propria fragilitate abjecta ſunt, per pœnitentiæ ſatisfactionem ad ſinum matris eccleſiæ reducantur.

2. Cor. 2.

Prov. 20.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Duziacenſe II.* ) In codice S. Laurentii Leodienſis, cui ſynodum hanc debemus, epiſtolæ ſynodicæ titulus eſt hujuſmodi: *Epiſtola ſynodica epiſcoporum plurimarum provinciarum apud Duziacum Rhemenſis parochiæ congregatorum, anno incarnationis dominicæ* DCCCLXXIV. *indictione* VII. *Idibus Junii, ad epiſcopos provinciarum Aquitaniæ regionis, de inceſtis conjunctionibus a quampluribus, & maxime carne nobilibus viris, ibidem perpetratis, & de rerum eccleſiaſticarum pervaſionibus*. Generale placitum Idibus Juniis hoc anno a Carolo rege in villa Duzia celebratum auctor eſt Aimoinus lib. V. cap. XXXI.

# CONCILIUM RAVENNENSE,

In quo a Joanne PP. VIII. controverſia Gradenſis patriarchæ, & ducis Venetiarum, definita anno Dom. DCCC. LXXIV.

Ex Labbei Append.

DE *hoc concilio ſic Rubeus lib. V. Ravennat. hiſtor.* Hadriano paulo poſt mortuo Joannes VIII. ſuffectus eſt, qui Ravennam profectus, anno octingenteſimo ſeptuageſimo quarto, ſeptuaginta epiſcoporum conventum egit. In eo lis inter Urſum ducem Venetiarum, & Petrum patriarcham Gradenſem, compoſita eſt. Nam Senatore epiſcopo Torcellano mortuo, Petrus patriarcha confirmare conſecrareque Dominicum, Leonis Caloprini filium, abnuerat, monaſterii Altinatis abbatem, quia ſibi virilia ſuccidiſſet. Itaque Petrus a duce eam ob rem perterritus, (D) contenderat Romam, & cauſam a pontifice cognoſci ac definiri poſtulabat. Pontifice autem Ravennatem profectionem ineunte, una ſecum Ravennam venit: quo etiam acceſſit Hendelmarius Aquilejenſis patriarcha, & Leo Caprulenſis epiſcopus, ceteriſque ejuſdem provinciæ epiſcopi, Ravennam advocati. Qui tamen, quoniam advenere confecto jam conventu, communione privati ſunt. Quanquam haud ita diu poſt Ducis precibus reſtituuntur. Eccleſiæ Torcellanæ bona Dominico tamen permiſſa.

# SYNODUS RHEMENSIS.

Anno Chriſti DCCCLXXIV.

Extat inter Hincmari Rhemenſis Capitula tomo XVI. pag. 493. & ſeqq.

ANNO CHRISTI 875.

# * CONVENTUS CABILONENSIS.

ANNO CHRISTI DCCCLXXV.

* Edidit R. P. Petrus Franciſcus Chiffletius in hiſtoria monaſterii Tornutienſis.

Quo poſt Adalgiſi Æduorum Epiſcopi ordinationem confirmata ſunt ab epiſcopis quæ ad monaſterium Tornutienſe pertinebant.

ANno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chri- A
ſti DCCCLXXV. regnante piiſſimo rege Caro.
lo, filio Hludovvici quondam ſereniſſimi Augu-
ſti, anno XXXVI. factus eſt in ſuburbio Cabilo-
nenſi, S. Marcello, conventus venerabilium epi-
ſcoporum, Remigio, Hiſaac, Gerbaldo, & Ful-
cualdo archidiacono ad vicem Lamberti Matiſco-
nenſis epiſcopi: Cauſa ordinationis Adalgerii
Eduorum epiſcopi. Qua canonice peracta, reſi-
dentibus nobis, idem Adalgerius ex parte glo-
rioſiſſimi & orthodoxi ſupradicti Caroli regis in-
tulit, ut monaſterium Tornutium, ubi beatus
Valerianus martyr corpore quieſcit, in comitatu B
Cabilonenſi, ſuper fluvium Sagonnam, cum om-
nibus appendiciis ſuis: & in pago Matiſconenſi
cellam S. Romani, cum omnibus appendiciis ſuis;
& in comitatu Arvernico, cellam S. Portiani,
cum omnibus appendiciis ſuis, quæ ipſe ſolita
pietate, cauſa confugii, monachis ſanctæ & in-
temeratæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Fili-
berti inclyti confeſſoris, ob vitandam Marcho-
mannicam ſeveritatem contulerat: ſive quæ ipſe
per alia loca, id eſt, Aſinarias quæ eſt in pago
Sanctonico, cum omni ſua integritate: & in Pi-
ctavienſi territorio, cellam S. Prudentii cum om-
ni ſua integritate: & in pago Cenomannico, C
Buſſiolium, cum omni ſua integritate: & in pa-
go Valagio, cellam quæ vocatur Godet, quam
Deſiderius quidam vir pro remedio animæ ſuæ
ſupradictis ſanctis dederat, ut in monachorum
uſibus, & pauperum neceſſitatibus ſemper deſer-
virent: privilegio noſtræ auctoritatis (ne ab ali-
quo tyrannica ereptione tolleretur) illis confir-
maremus, cum omnibus ad ſupradicta loca per-
tinentibus: ſive quæ ipſe per quæcumque loca præce-
pto ſuo, aut aliquis fidelium dederat; vel ſi Deo
propitiante in reliquum ipſe aut quicumque da-
turus fuerit. Quod decreti noſtri ſcriptum apo-
ſtolica poteſtas excellentia ſuæ auctoritatis robo- D
rare valeret. Cujus piiſſimo mandato eo liben-
tius ceſſimus, quo etiam nos idipſum precaturos
proſpeximus amplius. Auctoritate ergo, quam a
Chriſto Jeſu Domino noſtro ſummo ſacerdote in
B. Petro accepimus, prædictum monaſterium cum
omnibus habitis & habituris, Geiloni venerabili
abbati ſanctæ genitricis Dei, & ſupradictis ſan-
ctis, futuriſque poſt eum abbatibus, ad monaſti-
cum ordinem inibi Deo adjuvante excolendum
delegamus, & delegantes jubente domno noſtro
piiſſimo rege, inviolabiliter & inſeparabiliter, ſi-
ne detractione, vel qualibet minoratione perpe- E
tualiter confirmamus. Abbates vero ex ſeipſis ſe-
cundum regulam ſancti Benedicti, ſicut a piiſſi-
mo domino noſtro rege Carolo glorioſiſſimo, &
præceſſoribus ejus uſque nunc licentiam habue-
runt, ita & in antea ut perpetualiter eligant,
inviolabiliter decernimus. Si quis autem temera-
ria præſumptione, cæcaque cupiditate, quod Dei
æterna & noſtra auctoritate firmamus, in aliquo
infringere præſumpſerit, æterna ſe ſciens damna-
tione mulctandum, a liminibus ſanctæ Dei ec-
cleſiæ habeatur extorris, quoad uſque ab illicita
præſumptione reſipiſcens, condigna pœnitentia &

emendatione iram omnipotentis Dei, quam incurrere non timuit, placare procuret. Harum itaque ſanctionum evidentiſſimam confirmationem, manibus ſacrorum præſentium pontificum, ſubternotatam, abſentium quoque conſacerdotum nec minus idoneis ſtipulationibus, per Chriſtum & in Chriſto fulciri poſtulamus.

Remigius Lugdunenſis eccleſiæ humilis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Adalgarius Æduenſis eccl. humil. epiſc. ſubſcripſi.

Iſaac Lingonenſis eccleſ. humilis epiſc. ſubſcr.

Gerbardus Cabilonenſis eccl. humil. epiſc. ſubſcripſi.

Ado Viennenſium eccl. humil. archiep. ſubſcripſi.

Theodoricus Veſoncionenſis eccleſiæ humilis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Frotarius Burdegalenſis archiepiſcopus ſubſcr.

Hincmarus Remorum epiſcopus ſubſcr.

Giſlebertus * C. ſubſcripſi.

* Hic eſt Carnotenſis, ut mon. ex Concil. Pontigonenſ.

Anſegiſus Senonum epiſcopus ſubſcr.

Sigeboldus primæ Narbonenſis humil. ep. ſubſcripſi.

Aurelianus exiguus archiepiſcopus Lugdunenſis in Chriſti nomine roboravi.

Lambertus Matiſconenſis eccl. humil. ep. ſubſc.

Ratbertus Valenciæ eccleſiæ ac ſi indignus epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Gibertus Nemauſenſis eccl. humil. epiſc. ſubſcripſi.

Bernarius Gratianopolitanus humil. epiſc. ſubſcripſi.

Theotarius eccl. Gerundenſis humil. ep. ſubſcripſi.

VVido Vellavorum epiſcopus ſubſc.

Frodoinus Barchinonenſis eccl. humil. epiſc. ſubſcripſi.

Aganulfus Gabalenſis epiſcopus ſubſc.

Gulhelmus Cadurcenſis epiſcopus ſubſcr.

Abbo eccl. Magdalonenſis * exilis ep. ſubſcr.

* lege Magalonenſis.

Rodſteignus ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ, conſenſi & ſubſcripſi.

Etherius humilis Albienſium ſeu Vivarenſium epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

* ſanctæ eccl. Maſſilienſis ep. conſenſi & ſubſcripſi.

VValterus Aurelianenſis eccl. epiſc. ſubſcripſi.

Adaboldus archiepiſc. Turonenſis eccl. ſubſc.

Berno humilis Catalaunenſis epiſc. ſubſcripſi.

Hildebodus ſanctæ Sueſſonicæ eccl. ep. ſubſc.

Batfridus* Avinianenſium præſul infimus aſſenſum præbui & ſubſcripſi.

Aurelius Dienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ottulfus ſanctæ Auguſtæ * Tricorum eccl. ſubſcripſi.

* Hic eſt Trecaſſium. Hard.

Geroldus ſanctæ Ambanienſis eccl. ſubſcr.

Hincmarus Laudunenſis eccleſiæ epiſcoporum minimus corroboravi.

Hedenulfus Lugduni Clavati epiſc. ſubſcr.

Joannes Camaracenſis epiſcopus ſubſcr.

Raganelmus Tornacenſis eccleſ. epiſc. ſubſc.

Hildebertus Silvanectenſis eccl. epiſc. ſubſcr.

Ala-

ANNO CHRISTI 878.

Alaricus exilis omnium ſervorum, Biterrenſis epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Abbo Nevernenſis eccleſiæ epiſc. ſubſc.

Agilmarus humilis Arvernenſium præſul, ſubſcripſi.

Ingilvvinus Pariſiacæ eccleſiæ epiſc. ſubſcr.

Guido Lugdunenſis eccl. humil. archiep. ſubſcripſi.

Ericus Lingonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Rotbundus Eduenſis epiſcopus ſubſcr.

Ildeboldus Cabilonenſis epiſc. ſubſc.

* *Joannis VIII. papæ confirmatio altera eorumdem bonorum monaſterii Tornutienſis facta anno 878. die 29. Aprilis cum ſubſcriptionibus plurium epiſcoporum.*

Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXVIII. indictione undecima, regnante piiſſimo atque glorioſiſſimo rege Hludovico, Caroli filio ſereniſſimi Auguſti, auxiliante Domino noſtro, in honorem ejuſdem Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego Joannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, atque prædictus filius noſter glorioſus rex Hludovicus, conſtituimus conventum venerabilium archiepiſcoporum, necnon & præſulum totius regni Trecas civitate: quo interfuit memoratus rex piiſſimus: eoque peracto precatus eſt nos cum filiis & fratribus noſtris epiſcopis jamdictus glorioſus imperator, ut Tornutium monaſterium, quod fundatum eſt in comitatu Cabilonenſi ſuper Sagonnam Fluvium, ubi martyr Chriſti Valerianus corpore quieſcit, quod dudum pater ejus Carolus imperator, vel ipſe poſtmodum per præceptorum ſeriem, monachis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Philiberti inclyti confeſſoris, præſentibus & futuris, ob vitandam Marcomannicam ſeveritatem contulerant; cum omnibus rebus ad ipſum locum aſpicientibus, privilegio noſtræ auctoritatis corroboraremus. Cujus piiſſimo mandato eo libentius ceſſimus, quo etiam nos idipſum precaturos perſpeximus amplius. Igitur privilegio noſtræ auctoritatis confirmamus eis omnia, quemadmodum in præceptis glorioſiſſimorum imperatorum ſunt inſerta, id eſt, prædictum locum, & omnes res ei adjacentes, cum omni libertate. Et in comitatu Arvernico cellam S. Portiani, cum omnibus appendiciis. In pago quoque Sanctonico, Aſinarias cum omni ſua integritate. Et in Pictavienſi territorio cellam S. Prudentii, cum omnibus rebus adjacentibus. Et in pago Andegavenſi, Cunaldum cum omni integritate. In pago vero Cenomanico, Buſſiolium cum omnibus appendiciis. Et in pago Vallaico, cellam quæ vocatur Godditus, cum omnibus rebus ad ſe pertinentibus. Itaque in partes Burgundiæ, in pago Lugdunenſi, Biſiacum villam cum eccleſia. Et in pago Matiſconenſi, cellam S. Romani, & Olcaſiacum villam cum eccleſia, & omnibus appendiciis. Verum quia ob vitandam perſecutionem Nortmannorum, Geiloni inclyto abbati, monachiſque præſentibus & futuris, prædictum locum glorioſus rex, necne pater ejus contulerant, & pontificialis calliditas nimis eumdem locum ſubegerat, poſtulavit iſdem rex ut tam larga eleemoſyna, immunis atque libera haberetur ab omni pontificali potentia, noſtra annuente clementia. Cujus petitionibus ſavens omnis epiſcopalis conventus, abnegare nequivimus quod tam pie poſtulabat imperator glorioſiſſimus. Auctoritate ergo quam in Chriſto Jeſu Domino noſtro ſummo ſacerdote in B. Petro accepimus, prædictum monaſterium cum omnibus habitis & habituris, Geiloni venerabili abbati ſanctæ genitricis Dei, & ſupradictis ſanctis futuriſque poſt eum abbatibus ad monaſticum ordinem inibi Deo adjuvante excolendum delegamus, & delegantes jubente filio noſtro piiſſimo rege, inviolabiliter & inſeparabiliter ſine diſtractione aut immutatione vel qualibet minoratione perpetualiter confirmamus. Anathematizamus igitur auctoritate B. Petri apoſtoli & noſtra, ut nemo antiſtitum præſentium vel futurorum, locum adire præſumat, qualibet occaſione excommunicationis, vel abſolutionis, ſeu ſacræ ordinationis; niſi ab abbate vel monachis loci fidelibus fuerit invitatus. Quia injuſtum decernimus, ut glorioſa mundi regina, quæ exaltata eſt ſuper choros Angelorum, humanis ſubdatur poteſtatibus. Ceterum ab omni ſæculari potentia locum decernimus eſſe liberum & quietum: & ut caput habeatur omnium quæ præſcriptis ſanctis, vel loco oblata ſunt, ac deinceps oblatum annuente Deo fuerit, ut in regum reperitur præceptis. Si quis autem temeraria præſumptione, cæcaque cupiditate, quod Dei & noſtra auctoritate firmamus, in aliquo infringere præſumpſerit, æterna ſe ſciat damnatione mulctandum, & cum diabolo & angelis ejus perpetuo incendio cremandum: a liminibus quoque ſanctæ Dei eccleſiæ habeatur extorris, quouſque ab illicita præſumptione reſipiſcens, condigna pœnitentia & emendatione, iram omnipotentis Dei quam incurrere non timuit, placare procuret. Harum itaque ſanctionum evidentiſſimam confirmationem, manibus ſacrorum præſentium pontificum ſubnotavi, abſentium quoque conſacerdotum nec minus idoneis ſtipulationibus, per Chriſtum & in Chriſto fulciri poſtulamus.

Hincmarus Remorum epiſcopus in Chriſti nomine roboravi.

Anſegiſus epiſcopus Senonenſis.

Ottulfus epiſcopus. Giſlibertus epiſcopus. Hildibaldus epiſcopus. Berno epiſcopus. Geraldus epiſcopus. Hincmarus epiſcopus Laudunenſis. Edenulfus epiſcopus. Joannes epiſcopus. Ragenulfus epiſcopus. Adalardus archiepiſcopus. Alericus epiſcopus. Abbo epiſc. Agilmarus epiſcop. Ingilvvinus epiſcopus. Acfredus epiſcopus.

Datum III. Kalendas Maji, per manum Chriſtofori primicerii ſanctæ ſummæ ſedis apoſtolicæ, imperante piiſſimo Ludovico.

CON-

ANNO CHRISTI 875. Ex Suppl. Manſi tom. I. pag. 1083.

ANNO CHRISTI 875.

# CONCILIUM ROMANUM.

*In quo de eligendo Carolo Calvo ad imperium deliberatum eſt.*

Anno 875.

LUdovico Auguſto fatis jam functo, Joannes VIII. pontifex de aſſumendo ad imperium Carolo Calvo, cujus ope contra irruptiones Saracenorum indigebat, cogitare cœpit. Quare per literas illum invitavit, ut Romam imperiale diadema ſucceptiurus veniret. Secundum hæc, in frequenti epiſcoporum concilio rem totam propoſuit, ſimulque cum patribus illis ſtatuit, ut quocumque Carolus imperialis conſecrationis cauſa abfuiſſet, moneretur Ludovicus Germaniæ rex, ejuſque filii, ne quid in hæreditatem defuncti imperatoris Caroli incommodum tentarent. A Ita viſum ab omnibus, cujus ſanctionis auctoritate, Carolo jam Romæ agente & ad imperium aſſumpto, expeditæ ſunt ea de re literæ Joannis ad Ludovicum, & epiſcopos in regno ejus conſtitutos, quæ extant inter epiſtolas Joannis Labbeanas num. 315. 318. & 319. Concilii hujus, quod fugiſſe collectores admiror, mentio perſpicua extat in altera editione concilii Pontigonenſis, quam exhibet Labbeus tom. XI. pag. 289. Venet. edit. Hæc enim ibi: *Congregata igitur in urbe Roma ſancta ſynodo ante adventum prædicti Domini imperatoris &c.*

* Prætermiſſam a regio collectore ex pag. 199. III. tom. Conciliorum Galliæ R. P. Sirmondi reſtituimus.

# * ODONIS EPISCOPI BELLOVACENSIS.

## INSTITUTIO.

*De rebus eccleſiæ S. Petri congregationi deſtinatis; & de quinquagenario in ea numero canonicorum.*

ODo gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti Bellovacenſis eccleſiæ præſul. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, maximeque ſucceſſoribus noſtris, quoniam unanimis congregatio, parique voto, ſcilicet canonici S. Petri jam ſatæ eccleſiæ, cui Deo auctore deſervio, expetiit noſtram obnixe liberalitatem, quatenus res ſibi a noſtris prædeceſſoribus juxta confinia ſingularum conceſſas, pariterque noſtra ſibi ſolidatione firmatas, canonice, juxta aliarum morem eccleſiarum, dono liberalitatis, regiſque præcepto, abſque ullius contradictione quietis, conceſſa diſponerem. Enimvero videns excedere hujuſmodi negotium meæ ſolummodo diffinitionis vires, pariterque gratia superni conſilii præeunte providens jam dictæ congregationi ſibi profutura quærere, & illis ſuper hoc aſſenſum præbendo, timens ne ovilia dominici gregis, quod abſit, tyrannica irrumperentur aliquando infeſtatione, expetii conſilium tam metropolitanæ Remorum provinciæ Hincmari, quam ceterorum venerabilium videlicet archiepiſcoporum, ſeu coepiſcoporum meorum, ut quorum ſanctione eccleſiaſtica pertractantur negotia, eorum taxatio, inſpirante gratia ſuperni numinis, mihi noſtræque eccleſiæ utile afferret ac ſalubre proventum. Quorumque conſultu adii piiſſimi Caroli regis ſerenitatem, ut ſolita miſericordia ſua, ſicut omnibus ubique ſupernæ majeſtati famulantibus, ita E huic eccleſiæ mihi, nullis præcedentibus meritis, ad regendum commiſſæ profutura quiete prævideret, cum præceptione ſolidæ firmitatis. Ille vero, gratuita ſua clementia precibus noſtris pium præbens aſſenſum, decrevit ordinatiſſima ſua auctoritate ſtabile fore, quod noſtra etiam prævidit benevolentia. Unde neceſſitatibus jam dictæ noſtræ congregationis deſtinamus canonica inſtitutione villulas infra ſcriptas in pago Bellovacenſe, cum omnibus adjacentiis ad ſe pertinentibus, nec non & cum omnibus habitatoribus ad ſe legitime pertinentibus. Hoc eſt, Burcinas, Pretiolas, Velena, Haverciaco, Frotmaro-Curte, B Hilgia, Cambariaco. In Ballicino valle de vinea Bunnar. IV. & arpennum I. In ſuburbio noſtræ civitatis molendina duo & cambas II. & hortos cultos II. & curticulos X. pratum unum. Precariam ubi ſunt manſi XXIV. S. quam Sigebertus tenet cum cenſu. Obſecrantes ut nullus ſucceſſorum noſtrorum, quod Deo auctore a nobis conſtitutum eſt, exinde aliquid minuendo ſubtrahat, nec ſuis propriis, ſuorumque uſibus aliquid impertiatur. Sed hæc, quæ divino amore & animarum ſalute patravimus, inconcuſſa obſervent, C æqualem & unam nobiſcum a Domino mercedem ſperantes. Numerus vero canonicorum inibi degentium volumus, atque expreſſe conſolidari nitimur, niſi res addantur, unde facultas ſubminiſtretur, non tranſcendat quantitatem quinquagenarii numeri. Verum & cum quilibet divina vocatione deceſſerit, alius ſubrogetur, ne præfatus numerus minuatur. Et ut etiam noſtræ devotionis auctoritas firmiorem obtineat vigorem, non ſolum præcepti magni & piiſſimi Caroli re- D gis, verum etiam dominorum patrum, venerabiliumque coepiſcoporum meorum, quorum conſenſu iſta peregimus, canonica auctoritate roborare obnixe decrevimus.

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Rhemorum arch epiſcopus ſubſcripſi.

Anſegiſus Senonum archiepiſcopus ſubſc.

VVenilo Rotomagenſium archiepiſc. ſubſcr.

Hrothadus Sueſſonicæ eccleſiæ epiſc. ſubſcr.

Immo Noviomagenſis eccleſiæ epiſc. ſubſcr.

Lupus Catalaunicæ civitatis epiſc. ſubſcr.

Folcoinus civitatis Morinenſis epiſc. ſubſcr.

Theodericus eccleſiæ Cameracenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ragenarius eccleſiæ Ambianenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Erpoinus Silvanectenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Datum in ipſis Kalendis Martiis in civitate Sueſſionis, ante altare ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii, anno XXXV. regni Domni Caroli regis glorioſi, qui hoc privilegium ſua pietate conſenſit, & regia auctoritate roboravit, indictione VIII.

ANNO CHRISTI 876.

# SYNODUS TICINENSIS,

## QUA IMPERIUM CAROLO COLLATUM

Confirmatur anno Domini DCCCLXXVI. tempore Joannis papæ VIII. indictione IX. menſe Februario.

*Hæc ſynodus inſerta eſt concilio Pontigonenſi ſequenti, ubi confirmata fuit.*

---

# DECRETUM CLERI LAUDUNENSIS

## DE HEDENULFO ELECTO EPISCOPO.

Ex editione Sirmondi.

*Domino reverentiſſimo & ſanctiſſimo Hincmaro archiepiſcopo, ceteriſque noſtræ diœceſeos ſanctis patribus & epiſcopis, clerus Laudunenſis, cum totius parœciæ plebibus, & ſibi conjunctis præſulibus, æternam in Domino Jeſu Chriſto ſalutem & pacem.*

CAnonicis regulis & apoſtolicis inſtitutionibus ſtatutum eſſe recolimus, ut quoties quælibet civitas miniſterio pontificalis dignitatis caruerit, proprioque paſtore vacaverit, cum decreto electionis, ſingulorum petentium manibus roborato, metropolitanum adire pontificem debeant, ac de ſubſtituendo in loco ejus qui deceſſit paſtore, petitione ſupplici commonere: quatinus & civitas ſolicitudine paſtorali deſtituta proprio recuperetur pontifice, & qui ordinandus eſt, gratioſius poſſit accedere: quia cui debet ab omnibus obediri, utique debet & ab omnibus eligi, ne civitas non optatum epiſcopum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religioſa quam convenit, cui non licuit habere quem voluit: hi vero qui ordinaturi ſunt, in quem viderint omnium vota propenſius concordare, promptius liberiuſque illi manus imponere poſſint. Quapropter cum decreto noſtræ electionis manibus ſingulorum noſtrorum roborato, ad paternitatem veſtram accedentes, * Hedenulfum eccleſiæ noſtræ filium, & in eccleſia noſtra ſuffragantibus ſtipendiorum meritis ad onus ſacerdotale promotum, vita & moribus ac ſancta converſatione idoneum approbatum, quem per licentiam veſtram, favente Chriſtianiſſimo imperatore Carolo, pari conſenſu ac concordi devotione, atque unanima voluntate elegimus, per manus veſtras ac ceterorum veſtræ diœceſeos ſanctorum epiſcoporum conſecrari, nobiſque & eccleſiæ noſtræ doctorem atque pontificem inſtitui imploramus, precamur, ac petimus. Eligimus autem eum nobis fore paſtorem, quem apoſtolicæ formæ, qua epiſcopum ornatum beatus Paulus eſſe debere demonſtrat, congruere & ſacris non obviare canonibus, Chriſti gratia cooperante confidimus. Oramus ſanctam paternitatem veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Actum v. Kalendas Apriles in baſilica ſanctæ Mariæ genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXXVI. regni domni Caroli imperatoris XXXVI. ac imperii primo, indictione IX. *

* ita reſtitue in titulo.

* Anno Chriſti 876.

Ex Suppl. Manſi to. I. pag. 1013.

# AD CONCILIUM TICINENSE

## Anno 876. habitum.

### *ADDITIO.*

NE quid omittam in re conciliari, ſi quæ forte addenda alicubi offendi, concilio huic Ticinenſi hæc addo ex Hugone Flaviacenſi in chronico: *Concilium habuit Carolus in Ticinenſi palatio, cui interfuit Berbardus Virdunenſis. Damnati & depoſiti ſunt ..... & ..... ricenſis, Agelmarus Alvernenſis ...... Linguonenſis.*

# [1] CONCILIUM ROMANUM

## A Joanne Papa VIII. In Formoſum Epiſcopum Gregorium Nomenclatorem, alioſque Anno DCCCLXXVI. menſe Aprili celebratum.

HUjus ſynodi expreſſa mentio in Joannis Papæ VIII. Epiſtola n. 319. ad univerſos Gallos & Germanos ſupra relata, & data XI. Kal. Maji indictione IX. In ea recenſentur crimina Formoſi Epiſcopi Portuenſis, Gregorii Nomenclatoris, aliorumque, qui cum Saracenis conſpiraverant, eiſque urbem Romam tradere moliebantur; & de ſynodo in eos congregata hæc habentur: *Judicio ſane in diem alterum protelato, cum eos iterum ſynodice ſimulque & legaliter quære-*

1 In hac ſynodo fortaſſe primum agitata lis Veronenſem inter & Tridentinum Epiſcopos, ut innuitur in Joannis Papæ VIII. ep. 267. anno 881. data ad Joannem Egilulfum, alioſque Epiſcopos, quibus eadem his jam tertio definienda committitur.

ANNO CHRISTI 876.

*veremus & habere minime valeremus; cum omni Dei eccleſia in baſilica ſanctæ Dei genitricis, quæ ad martyres vocatur, ſynodum vocavimus; & poſt regulares allocutiones, ſententias in eos protulimus, Aquarum exempla ſecundum Eccleſiaſticum morem generalitati veſtræ direximus, ne vobis communicandi cum eis occaſionis aditus tribuatur.* Hinc ſubduntur ſententiarum exempla inibi legenda.

Ex Suppl. Manſi pag. 1013.

# ☞ ROMANUM CONCILIUM

*Quo Formoſo Portuenſi dies dicta.*

Anno 876. celebratum.

NEgari non poteſt Synodum aliquam Romæ conveniſſe, in qua dies dicta fuerit Formoſo Portuenſi epiſcopo, ceteriſque dein in ſynodo Pontiniacenſi pariter damnatis. Id non obſcure prodit Joannes VIII. in epiſtola, quæ eſt ordine 319. in qua ſcribit vocaſſe reos illos, ut prid. Kal. Aprilis indict. 9. ideſt hoc eodem anno 876. ad cauſam ſuam defendendam venirent. Quibus parere recuſantibus, *Synodum*, ait pontifex, *vocavimus, & poſt regulares allocutiones, ſententias in eos protulimus*. Epiſtolam hanc præſenti anno datam fuiſſe, ex ipſo ejus contextu liquet, & Pagius hic num. 5. admittit. Addit autem in ea pontifex, ſe in ea ſynodo alium terminum dierum decem præſcripſiſſe reis, ut cauſam ſuam dicturi venirent. Terminus vero iſte definit, inquit pontifex, die III. *Kal. Maji præſentis nonæ indictionis*. Ex quo intelligimus ſynodum celebratam fuiſſe medio circiter Aprili hujus anni, & epiſtolam hanc, vel in ipſa ſynodo vel ſtatim ea abſoluta datam, conſignatur enim XI. *Kal. Maji*.

# CONCILIUM PONTIGONENSE,

## IN QUO SYNODI QUOQUE TICINENSIS

Ex editione Sirmondi.

Acta confirmata ſunt ab epiſcopis Ciſalpinis, præſente Carolo Calvo imperatore, & legatis ſedis apoſtolicæ celebratum menſe Junio ac Julio, indictione IX. anno Chriſti DCCCLXXVI. Joannis VIII. papæ anno IV. Caroli ejuſdem regni anno XXXVII. imperii primo.

## INDEX EORUM QUÆ AD CONCILIUM PONTIGONENSE PERTINENT.

I. *Synopſis actorum concilii Pontigonenſis, ex Aimoino.*

II. *Synodus Ticinenſis in concilio Pontigonenſi confirmata.*

III. *Canones, ſeu capitula XV. apud Ticinum edita, & apud Pontigonem iterum promulgata.*

IV. *Actorum concilii Pontigonenſis editio altera, ex antiquis codicibus.*

V. *Libellus proclamationis eccleſiæ Rhemenſis oblatus ſynodo adverſus Ludovicum regem Bajoariæ.*

VI. *Definitio ſynodi Pontigonenſis de Adalgaudo presbytero informato.*

VII. *Conſenſus Leonis epiſcopi, miſſi & apocriſiarii ſedis apoſtolicæ, cum poſt ſynodum diſceſſurus eſſet.*

VIII. *Juramentum, quod Hincmarus archiepiſcopus edere juſſus eſt apud Pontigonem.*

I.

*Acta concilii Pontigonenſis ut ab Aimoino * recitantur lib. V. cap. XXXIII.*

* ſeu potius Aimoini hiſtoriæ Francicæ continuatore, qui hæc omnia deſcripſit ex annalibus Bertinianis ad an. 876. Sectio ...

UNdecimo Kalendas Julii, indictione IX. epiſcopis & ceteris quibuſque clericis veſtibus eccleſiaſticis indutis, & domo ac ſedilibus palliis protentis, atque in gremio ſynodi & proſpectu imperialis ſedis lectorio ſuperpoſitis ſacroſanctis evangeliis venit domnus imperator Carolus in veſtitu deaurato habitu Francico cum legatis apoſtolicæ ſedis in ſynodum, & cantoribus antiphonam, Exaudi nos Domine, cum verſibus & Gloria Patri, cantantibus, poſt Kyrie eleiſon, data oratione a Joanne Tuſcanenſi epiſcopo, reſedit domnus imperator in ſynodo, & legit Joannes Tuſcanenſis epiſcopus epiſtolas a domno apoſtolico miſſas, cum quibus & legit epiſtolam de primatu Anſegiſi * Senenſis epiſcopi, ut quoties utilitas eccleſiaſtica dictaverit, ſive in evocanda ſynodo, ſive in aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias apoſtolica vice fruatur, & decreta ſedis apoſtolicæ per ipſum epiſcopis manifeſta efficiantur: & rurſus quæ geſta fuerint ejus relatione, ſi neceſſe fuerit, apoſtolicæ ſedi pandantur, & majora negotia ac difficiliora quæque ſuggeſtione ipſius a ſede apoſtolica diſponenda & enucleanda quærantur. Petentibus autem epiſcopis, ut eis permitteretur ipſam legere epiſtolam quibus erat directa, non acquievit imperator; ſed reſponſum quæſivit ab eis, quid de his juſſis apoſtolici reſponderent. Quorum reſponſio talis fuit, ut ſervato ſingulis metropolitanis jure privilegii, ſecundum ſacros canones, & juxta decreta ſedis Romanæ pontificum ex eiſdem ſacris canonibus promulgata, domni Joannis papæ apoſtolici juſſionibus obedirent. Et cum imperator & legati apoſtolici ſatagerent, ut abſolute archiepiſcopi reſponderent ſe obedituros de primatu Anſegiſi, ſicut apoſtolicus ſcripſit, aliud niſi quod prædictum eſt, reſponſum ab eis extorquere non potuerunt: excepto quod Frotarius Burdegalenſis epiſcopus, quoniam a Burdegala ad Pictavos, indeque ad Bituricum favore principis contra regulas ſe contulit, per adulationem reſpondit quod imperatori placere cognovit. Tunc motus imperator dixit, quod domnus apoſtolicus ei ſuas vices commiſit in ſynodo, & quod iſdem præcepit, ille exequi ſtuderet. Et accepit ipſam epiſtolam involutam, una cum Joanne Tuſcanenſi & Joanne Aretino, & dedit illam Anſegiſo. Et juſſit ſel-

* Pro, Senonenſis.

ANNO CHRISTI 876.

ſellam pleƈtilem poni ante omnes epiſcopos Ciſalpini regni ſui, juxta Joannem Tuſcanenſem, qui ad dextram illius ſedebat, & præcepit Anſegiſo, ut ſupergrederetur omnes ante ſe ordinatos, & ſederet in eadem ſella. Rhemorum archiepiſcopo reclamante, audientibus omnibus, hoc factum ſacris regulis obviare. Imperator tamen in ſententia ſua permanſit: & petentibus epiſcopis, ut liceret eis ſaltem exemplar ſibi de epiſtola directa ſumere, nec hoc ullo modo impetravere. Et ſic ſoluta eſt ſynodus in die illa.

Seſſio II. Decimo Kalendas præfati menſis iterum convenerunt epiſcopi. In quo conventu lectæ ſunt epiſtolæ a domno apoſtolico laicis miſſæ: & lecta eſt electio domini imperatoris ab epiſcopis & ceteris Italici regni firmata. Sed & capitula quæ in palatio Ticinenſi conſtituit, & in omnibus confirmari fecit: quæ & epiſcopis Ciſalpinis confirmare præcepit: & ſic ſoluta eſt ſynodus in illa die.

Seſſio III. Quinto Nonas Julii convenerunt iterum epiſcopi ſine imperatore: & habitæ ſunt contentiones de presbyteris ex diverſis parochiis clamantibus ad legatos apoſtolici: & ſic ſoluta eſt ſynodus in hac die.

Seſſio IV. Quarto Nonas ejuſdem menſis iterum convenerunt epiſcopi, & imperator in ſynodo reſidens audivit oratores fratris ſui Ludovici regis, VVillebertum archiepiſcopum Coloniæ, & Adalardum ac * Menigardum comites, per quos petiit partem de regno Ludovici imperatoris, filii Lotharii fratris eorum, ſicut ei competeret ex hæreditate, & illi firmatum erat ſacramento. Et legit Joannes Tuſcanenſis epiſtolam a Joanne papa epiſcopis regni Ludovici directam, & dedit exemplar VVilleberto archiepiſcopo, ut deferret illud præfatis epiſcopis: & ſic ſoluta eſt præfata ſynodus in illa die.

* Melogaudum.

Seſſio V. Sexto Idus Julii convenerunt epiſcopi, & circa horam nonam venerunt legati domni apoſtolici, Leo epiſcopus & apocriſiarius ac nepos apoſtolici, atque Petrus Foriſempronii epiſcopus, deferentes epiſtolas imperatori & imperatrici, & ſalutationes apoſtolici ad epiſcopos: & ſic ſoluta eſt ſynodus in illa die.

Seſſio VI. Quinto Idus Julii convenientibus epiſcopis, lecta eſt epiſtola apoſtolici de damnatione Formoſi epiſcopi, Gregorii nomenclatoris, & conſentientium eis. Et præſentata ſunt imperatori ab apoſtolico miſſa dona; inter quæ fuerunt præcipua, ſceptrum & baculus aureus. Sed & imperatrici dona ſunt ab eo miſſa, pallia, & armillæ cum gemmis: & ſic ſoluta eſt ſynodus in illa die.

Seſſio VII. Pridie Idus Julii convenerunt epiſcopi, & miſit imperator vicarios apoſtolici increpare durius archiepiſcopos, qui pridie non venerant, ſicut præcepit. Illis autem canonice rationabilem reddentibus rationem, ſopita eſt increpatio. Et lecta eſt a Joanne Tuſcanenſi iterum epiſtola, jubente imperatore, pro primatu Anſegiſi, & quæſita eſt ab epiſcopis denuo inde reſponſio. Et reſpondentibus ſingulis archiepiſcopis, quod veluti ſui anteceſſores illius anteceſſoribus regulariter obedierunt, ita ejus decretis vellent obedire, tunc facilius eſt illorum admiſſa reſponſio, quam fuerat in imperatoris præſentia. Et ſic iterum, poſt multas contentiones de presbyteris diverſarum parochiarum reclamantibus ad legatos apoſtolici, lecta eſt proclamatio Frotarii Burdegalenſis archiepiſcopi, quia non poterat conſiſtere propter infeſtationem Paganorum in civitate ſua, ut liceret ei Bituricenſem metropolim occupare. Cujus petitionibus unanimitas epiſcoporum nullatenus acquievit.

Seſſio VIII. Et jubentibus legatis apoſtolici, ut XVII. Kalendas Auguſti convenirent epiſcopi; mane circa horam nonam venit imperator Græcanico more paratus & coronatus, deducentibus eum apoſtolicæ ſedis legatis more Romano veſtitis, ad epiſcopos eccleſiaſticis veſtimentis indutos, & ceteris ſecundum modum primæ horæ diei, quando inchoata eſt ſynodus, præparatis; & ut prius cantata antiphona Exaudi nos Domine, cum verſibus & Gloria, poſt Kyrie eleiſon data oratione a Leone epiſcopo, reſederunt omnes: & legit Joannes Aretinus quamdam ſchedulam ratione & auctoritate carentem. Poſtquam legit Odo Belgivacorum epiſcopus quædam capitula, a legatis apoſtolici, & ab Anſegiſo, & eodem Odone ſine conſcientia ſynodi dictata, inter ſe diſſona, & nullam utilitatem habentia; verum & ratione & auctoritate carentia. Et ideo hic non habentur ſubjuncta. Iterum mota eſt interrogatio de primatu Anſegiſi, & poſt multas ab imperatore & legatis apoſtolici contra epiſcopos querimonias habitas, tantum in noviſſimo quantum & in principio ſynodi exinde Anſegiſus obtinuit. Poſthæc perrexit Petrus epiſcopus Foriſempronii, & Joannes Tuſcanenſis ad cubiculum imperatoris: & adduxerunt imperatricem Richildem coronatam in ſynodum. Et ſtante illa juxta imperatorem ſurrexerunt omnes, & ſtantes quique in gradu ſuo inceperunt laudes Leo epiſcopus & Joannes Tuſcanenſis epiſcopus. Et poſt laudes actas in domnum apoſtolicum & domnum imperatorem & imperatricem & ceteros, juxta morem, data oratione a Leone Gabinenſi epiſcopo, ſoluta eſt ſynodus.

II.

## SYNODUS APUD TICINUM

ACTA PALATIUM ANNO INCARNATIONIS dominicæ DCCCLXXVI. indictione IX. menſe Februario, confirmata in ſynodo apud Pontigonem eodem anno & indict. menſe Junio.

## ELECTIO CAROLI IMPERATORIS

ab Italici regni epiſcopis & ceteris optimatibus confirmata.

*Glorioſiſſimo & a Deo coronato magno & pacifico imperatori, domno noſtro Carolo perpetuo Auguſto, nos quidem omnes epiſcopi, abbates, comites, ac reliqui qui nobiſcum convenerunt, Italici regni optimates, quorum nomina generaliter ſubter habentur inſerta, perpetuam optamus proſperitatem & pacem.*

JAm quia divina pietas vos, beatorum principum apoſtolorum Petri & Pauli interventione, per vicarium ipſorum, domnum videlicet Joannem ſummum pontificem & univerſalem papam ſpiritalemque patrem veſtrum, ad profectum ſanctæ Dei eccleſiæ noſtrorumque omnium invitavit, & ad imperiale culmen ſancti Spiritus judicio provexit: nos unanimiter vos protectorem, dominum, ac defenſorem omnium noſtrum eligimus. Cui & gaudentes toto cordis affectu ſubdi gaudemus, & omnia quæ ad profectum totius ſanctæ Dei eccleſiæ, noſtrorumque omnium ſalutem decernitis & ſancitis, totis viribus, annuente Chriſto, concordi mente & prompta voluntate obſervare promittimus.

*Et ſubſcripſerunt illi qui in Italia adfuerunt.*

Anſpertus ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.

Joannes ſanctæ Aretinæ eccleſiæ humilis epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus ſanctæ Ticinenſis eccleſiæ ſubſcripſi.

Benedictus Cremonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Teudulfus Dertonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgaudus Vercellenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Azo Eporedienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Gerardus exiguus in exigua Laudenſi eccleſia epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Aſtenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcr.

Ratbornus ſedis Auguſtanæ epiſcopus ſubſcr.

Leodoinus Mutinenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hildradus Albenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcr.

Bodo humilis ſanctæ Aquenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Sabbatinus Jenuenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Eilbertus Comenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Adelardus ſervus ſervorum Dei Veronenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Paulus ſanctæ eccleſiæ Placentiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Andreas ſanctæ Florentinæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Raginerius abbas ſubſcripſi.

Signum Boſonis inclyti ducis, & ſacri palatii archiminiſtri, atque imperialis miſſi.

Signum Richardi comitis.

Signum VValfridi comitis.

Signum Liutfridi comitis.

Signum Alberici comitis.

Signum Supponis comitis.

Signum Hardingi comitis.

Signum Bodradi comitis palatii.

Signum Cuniberti comitis.

Signum Bernardi comitis.

Signum Airboldi comitis.

Acta ſunt hæc in palatio Ticinenſi anno Domini DCCCLXXVI. regni domni imperatoris Caroli, Hludovvici Auguſti piæ memoriæ filii, in Francia XXXVI. imperii primo, indict. IX. * (* An. Ch. 876.)

*Confirmatio Ciſalpinorum apud Pontigonem.*

SIcut domnus Joannes apoſtolicus & univerſalis papa primo Romæ elegit, atque ſacra unctione conſtituit, omneſque Italici regni epiſcopi, abbates, comites, & reliqui omnes, qui cum illis convenerunt, domnum noſtrum glorioſum imperatorem Carolum Auguſtum unanimi devotione elegerunt ſibi protectorem ac defenſorem eſſe; ita & nos, qui de Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neuſtria, ac Provincia, pridie Kalendas Julii in loco qui dicitur Pontigonis, anno XXXVII. in Francia, ac imperii primo, juſſu ejuſdem domni & glorioſi Auguſti convenimus, pari conſenſu ac concordi devotione eligimus & confirmamus.

III.

INCIPIUNT CAPITULA QUÆ DOMNUS CAROLUS LUDOVICI AUGUSTI piæ memoriæ filius, una cum conſenſu & ſuggeſtione venerabilium epiſcoporum, & illuſtrium optimatum, reliquorumque fidelium ſuorum, ad honorem ſanctæ Dei eccleſiæ, & ad pacem & profectum totius imperii ſui, fecit anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXXVI. regni vero ſui in Francia XXXVI. imperii autem ſui I. indictione IX menſe Februario, in palatio Ticinenſi.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut Romana Eccleſia ab omnibus honoretur.*

II. *Ut Joannis papæ honor obedientiaque ab omnibus exhibeatur.*

III. *Ut res eccleſiæ Romanæ proprias nemo diripiat.*

IV. *Ut eccleſiaſticis honor & reverentia præſtetur.*

V. *Ut imperatori honor ab omnibus obſervetur.*

VI. *Ut epiſcopi miniſterium ſuum ſine cujuſquam impedimento & moleſtia peragant.*

VII. *Ut epiſcopi per ſe & presbyteros prædicationi inſiſtant: & fideles diebus feſtis ad publicas ſtationes occurrant, domique ſuæ nullus miſſas celebret ſine licentia epiſcopi.*

VIII. *Ut epiſcopi cum clero ſuo in clauſtris reſideant: presbyteros vero ab eccleſiis ſuis abeſſe, aut ab eorum poteſtate diſſilire non permittant.*

IX. *Ut ſacerdotes a familiaritate fœminarum, itemque venatione, armis militaribus, & habitu non decenti abſtineant.*

X. *Ut res eccleſiaſticas nemo invadat, & quæ cum detrimento eccleſiæ a rectoribus diſtractæ ſunt repetantur.*

XI. *Ut decimæ abſque fraude offerantur, & a presbyteris epiſcopi arbitrio diſpenſentur: & de baptiſmalibus eccleſiis per earum filios reſtaurandis.*

XII. *Ut epiſcopi comites & vaſſos regios diligant ut filios, & hi epiſcopos honorent ut patres, & ut epiſcopi in ſuis epiſcopiis miſſorum dominicorum poteſtate fungantur.*

XIII. *Ut epiſcopi & comites in pauperum domibus niſi rogati non diverſentur: & ut prædas ac devaſtationes inhibeant.*

XIV. *Ut defuncti epiſcopi facultates nullus invadat; ſed ſucceſſori reſerventur, vel pro illius anima erogentur.*

XV. *Ut infideles regni nemo celet, nec ullam eis ſuſtentationem præbeat.*

CAPITULA.

I.

Ut ſancta Romana eccleſia &c. *Exſtat in Baluz. &c. T. II. pag.* 239.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

(Ex Baluzii Capitular. t. 2 col. 241.)

[1] Anſbertus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Johannes humilis Aretinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Adalardus ſervus ſervorum Dei ſanctæ Veronenſis Eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgaudus Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Azo Eporedienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Benedictus Epiſcopus Cremonenſis ſubſcripſi.

Hil-

1 Subſcriptiones iſtæ ſunt additæ ex codice Bellovacenſi. Nam horum capitulorum ſubſcriptiones in editione Sirmondi incipiunt a Joanne Tuſcanenſi. At ſane hic videntur neceſſariæ, cum multa diverſa habeant a ſubſcriptionibus tituli præcedentis. *Baluzius tom.* 2. *Capitular. col.* 1283.

A Hildradus Albenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Gerardus Exiguus Eccleſiæ Laudenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Johannes humilis Epiſcopus ſanctæ Ticinenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.

Teudulfus Terdonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Aſtenſis Epiſcopus ſuſcripſi.

Sabbatinus humilis Jemuenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Signum Boſonis Ducis & Miſſi Italiæ atque ſacri palatii Archiminiſtri.

Signum Bernardi Comitis.

Signum Bodradi Comitis palatii.

Signum Ricardi Comitis.

Signum Airboldi Comitis.

B Signum Cuniberti Comitis.

Signum Supponis Comitis.

Signum Alberici Comitis.

Signum item Bernardi.

Signum Hardingi Comitis.

Signum Berardi Comitis.

Joannes Tuſcanenſis epiſcopus, legatus ſanctæ ſedis apoſtolicæ & domni Joannis ſummi pontificis, & univerſalis papæ, in his quæ ſupra ſcripta interſui, conſenſi & ſubſcripſi.

Anſegiſus Senonum metropolis epiſcopus, ſanctæ & apoſtolicæ ſedis per domnum Joannem ſummum pontificem papam vicarius, interſui, conſenſi & ſubſcripſi.

C Joannes Aretinus epiſcopus, ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatus, interſui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Hincmarus Rhemorum archiepiſcopus ſubſcr.

Aurelianus Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopus in Chriſti nomine roboravi.

Frotarius archiepiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Ottramnus Viennenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Rothomagenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.

Bertmundus Ebredunenſis Eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ragenelmus Tornacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

VValterius humilis Aurelianenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

D Gerboldus Gabilonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Giſlebertus Carnotenus eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hildeboldus Sueſſionenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Roſtagnus ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ humilis epiſcopus ſubſcripſi.

Iſaac Lingonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcr.

Lantbertus Matiſcenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ingelvvinus ſanctæ Pariſiacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Geroldus Ambianenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

E Abbo Nevernenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Cameracenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hadebertus Silvanectenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Odo Belgivacorum epiſcopus in Chriſti nomine ſubſcripſi.

Ratbertus Valentinæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Bernarius Gratianopolitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Agenulfus Gabalitanenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Birico VVapincenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Alduinus Avenionenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

VVido Vellavenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebranus Sagenſis epiſcopus ſubſcripſi.

VVillebertus humilis Catalaunorum epiſcopus ſubſcripſi.

Ragenfridus Meldenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Heirardus Lixovienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Sigenandus Conſtantienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ætherius Vivarienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Erchambertus Bajocenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hedenulfus Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Agilmarus Arvernenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Anſelmus Lemovicenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Adalbertus Morinenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

VVillelmus Cadurcorum eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Lupus Albienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ottulfus ſanctæ Trecaſſinæ eccleſiæ humilis epiſcopus ſubſcripſi.

Berardus Virdunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Arnaldus Leucorum eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Franco Tungrenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcr.

Theodoricus Veſontionum eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.

VVala Autiſſiodorenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgarius Auguſtidunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hemico Dienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Aimarus Ruthenenſium eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Theotarius Gerundenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hugo abbas.

Albuſtus abbas ex monaſterio quod vocatur Bethlehem, ſive Ferrarias.

Hilduinus abbas & bibliothecarius.

VVlfardus abbas ſcripſit & ſubſcripſit.

Gauzlenus abbas & archicancellarius.

## IV.

*Actorum concilii Pontigonenſis editio altera, illa fortaſſe, quam cum legatis apoſtolicis dictaſſe, & in ſynodo legiſſe dicitur Odo epiſcopus Bellovacenſis.*

Sancta ſynodus &c. *Ibid. pag.* 245.

*Sequebatur poſt hæc in codice ſancti Remigii confirmatio ſynodi Ticinenſis, cum epiſcoporum ſubſcriptionibus ut ſupra.*

## V.

*Libellus proclamationis eccleſiæ Rhemenſis adverſus Hludovicum regem Carolo imperatori oblatus in ſynodo Pontigonenſi.*

Paternis magiſteriis &c. *Extat ibid. pag.* 249.

## VI.

*Definitio ſynodi Pontigonenſis de Adalgaudo presbytero infamato.*

Pridie Idus Julii &c. *ibid.*

ANNO CHRISTI 876.

VII.

*Juramentum, quod Hincmarus archiepiſcopus edere juſſus eſt apud Pontigonem.*

Sic promitto ego, &c. *ibid.*

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Concilium Pontigonenſe.*) *Extat in Baluz. ibid. pag.* 803.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium Pontigonenſe.*) Sic dictum a Pontigono. Eſt autem * Pontigonum, vel Pontigedanum (ut habet Kalendarium S. Joannis Vallenſis ad Carnutum urbem) pagus Galliæ Celticæ in diœceſi Carnotenſi vulgo dictus *Pontgoie*.

* Errat hic avidiſſime ...nius. Vide ...ographiam ...oſtram ſy...dicam. ...t enim a ...œceſi Ca...rnotenſi.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

De eadem Pontigonenſi ſynodo & conceſſis a Joanne papa VIII. privilegiis Anſegiſo Senonenſi archiepiſcopo nonnulla referunt hiſtorici Senonum Odorannus in chronico ad annum 876. Robertus S. Mariani Autiſſiodorenſis monachus ord. Præmonſtratenſis in chronico, & auctor chronici abbatiæ S. Petri Vivi Clarius, ſive quis alius editus tomo II. ſpicilegii a D. Dacherio O. B.

*Sancta ſynodus, quæ in nomine Domini vocatione domni Joannis ter beatiſſimi, & juſſione domni Caroli Auguſti congregata eſt in Pontigone anno Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, indictione nona, decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, hæc capitula quæ ſubter adnexa ſunt, inſtituit.*

OBeunte Hludovico qui Romani imperii jura regebat, Joannes ter beatiſſimus papa, per Jadericum Belitrenſem, Anſegiſum Senonenſem, Formoſum Portuenſem, Joannem Aretinum *, venerabiles epiſcopos, domnum Carolum tunc regem ad limina beatorum apoſtolorum invitavit, eumque eccleſiæ ipſius defenſorem ac tutorem elegit, imperialique diademate coronavit, eum præ cunctis ſolum eligens ſpecialiter qui Romani imperii ſceptra teneret. Cujus ſacris inſtitutionibus pro debito parentes, quod ipſe confirmavit, pari conſenſu omnes confirmavimus.

* al. A...num.

Sicut domnus Joannes ſanxit conveniente & conſentiente, ac condecernente * domno ac glorioſiſſimo Carolo imperatore ſemper Auguſto, Anſegiſum venerabilem archiepiſcopum Senonum ſuam vicem tenere, & primatum ei Galliæ & Germaniæ contulit, in evocanda ſynodo & definiendo canonice ſi quælibet inſurrexerint neceſſaria (& ut quælibet graviora ad ipſius notitiam referat,) & nos unanimiter omni devotione laudamus, & ut primatum ipſe teneat Galliæ & Germaniæ decernimus & ſancimus; cunctique ſucceſſores ejus in propria urbe Senonica.

* concedente.

* Iſta deſunt apud Baronium an. 876.

*Item invenitur in geſtis epiſcoporum eccleſiæ Rhemenſis de archiepiſcopo Senonenſi ita*: Obtinuit domnus Anſegiſus archiepiſcopus Senonenſis a beatiſſimo Joanne papa, & a Carolo Auguſto, ut eſſet primus poſt papam, & teneret primatum totius Galliæ & Germaniæ, & ut fortiora quæque & graviora dijudicaret, ſynodumque evocaret, ſi quælibet inſurrexerint; cunctique ei obediant Galliæ & epiſcopi ſicut epiſcopo Romano. Voluit autem ei reſiſtere * Immarus archiepiſcopus Rhemenſis, ſed minime potuit, convictus apoſtolica auctoritate. Suo etenim tempore eccleſia Senonica magno & pacifico viguit honore.

* Hincmarus.

A

ADDITIO AD CONC. PONTIGONENSE.

AFfertur a Severtio in hiſtoria archiepiſcopatus Lugdunenſis inſtrumentum confirmationis Carilocenſis monaſterii in Pontigonenſi concilio factæ: quod ita ſe habet:

Sanctiſſimis atque reverentiſſimis totius religionis fratribus tam præſentibus, quam & futuris, ubique veritati ſub nutu Domini famulantibus: ſacroſanctum concilium epiſcoporum Gallicanorum optabilem ſummæ ac individuæ Trinitatis gratiam.

B

DUm in nomine Domini Jeſu Chriſti, omnium rerum Domini, ejus Incarnationis DCCCLXXVI. anno, imperii quoque domini Caroli ſereniſſimi atque piiſſimi imperatoris Auguſti primo, menſe Junio, Indictione IX. ab univerſis Galliarum partibus in Pontigonum celebre palatium prædicti principis, ſolicitatiſſima commonitione, ob ſtudium Divinorum obſequiorum conveniſſemus: nonnulli quibuſdam ſuarum opportunitatum votis nos adquieſcere & providere petentes, optarunt ut unanimiter eis etiam in futuro, ſicut mos a ſanctis patribus cum fide ſanctæ pietatis emanavit, conſuleremus. Inter quæ * confrater & coepiſcopus Robertus, Valentinenſis ecC cleſiæ venerabilis epiſcopus, noſtram humilitatem expetiit, ut cujuſdam voti ſui modum, intentionem, & executionem perpendentes, qualiter impoſterum caſſari quibuslibet oppoſitionum machinationibus, aut fraudibus nequiret omnimodis, prudenti deliberatione proſpiceremus. Siquidem ſanctus frater noſter & coepiſcopus, una cum fratre ſuo germano Eduardo, quem cæleſtis diſpoſitio noſtro jam vocavit ſæculo, ſuccenſus Divino amore, cœnobium quoddam per manus venerabilis abbatis Gauſmari, ſuorumque monachorum, fundare atque conſtruere, in poſſeſſione propria, in pago Matiſcenſi, ſuper fluvium qui dicitur Scorvinus, non longe a flumine Ligeri elegit, & ejuſdem ſuæ proprietatis Dominum noD ſtrum hæredem inſtituit. Quem etiam locum, quod fuerit minus gratum, Carilocum vocari voluit. Et ut promptiſſimam ſuam voluntatem, tam ſuperſtes, quam qui jam nunc viam univerſæ carnis ingreſſus, evidenter oſtenderent, publico teſtamento cunctam hujus rei ſeriem allegarunt. Prædictus itaque præſul fratris ſui ſuperſtes, tanti noſtri conventus unanimem fraternitatem exoravit, ut ejus voti retributioniſque particeps in Chriſto Jeſu Domino noſtro, privilegio ſacerdotali roborandum auctoritate, præcepto nihilominus imperialis munificentiæ confirmandum, ei, fratribuſque inibi Domino famulaturis concederemus, & more ſolito noſtrum aſſenſum propriis ſubſcriptionibus panderemus, & ſecunE dum quod fieri firmitatis gratia ſolet, obteſtationis vinculo omnem temeritatem malignantium obviaremus, ne forte cœpta minui vel perturbari quolibet poſſint inſtinctu. Igitur debita caritate fraternam in Chriſto Domino noſtro benevolentiam ſuſcipimus, & hoc privilegium ſic moderate, ut idem frater noſter juxta petitionem ſuam, dum advixerit, præfati Cariloci diſpoſitionem per abbatem & monachos, omnem exhibendo tuitionem & ſolicitudinem, veluti partem decet, obtineat: & ut effectum monaſterii perfectus aſſequatur, prudentiſſime ſatagat. Dum autem eum Dominus omnium in meliorem vitam ſuſtu-

* Forte, reverentiſſimus. Hard.

ſuſtulerit cæleſti ſorte, nullus ſuorum propinquo- A
rum, aut aliarum quarumcumque perſonarum,
ejuſdem loci ſibi poteſtatem uſurpet, aut in ali-
quo dominari pertentet: ſed liceat ibi ſanctis mo-
nachis normam ſuæ religionis nullis obſtantibus
exercere, & expedita dominatione libere diſpo-
nere, ut in omnibus benedicatur Deus: nec ſas
ſit jure proprietatis, poſſeſſiones eorum, aut ha-
ctenus traditas, aut deinceps pro remedio ani-
marum a fidelibus conferendas, ſiniſtro quolibet
ingenio præſumere: ſed habeant poteſtatem libe-
ram monachi, Domino, ſanctiſque martyribus
Stephano & Fortunato, ac ſibi conceſſis domi-
nari, & in militia cæleſtis converſationis quam
ex eis voluntatem exequi. Si quis vero, abſit,
hujus privilegii deſtructor, aut in ejus deſtructio- B
nem fraudulentus machinator, in poſterum emer-
ſerit, ſalutem perſequens: ſecundum poteſtatem
ligandi atque ſolvendi ab ipſo Domino Jeſu Chri-
ſto nobis traditam, æterno vinculo damnationis
extra beatorum requiem alligamus, cum omni-
bus qui ei in hoc nequiſſimo facto conſentiunt;
niſi hoc & actor ejuſque ſequaces correxerint:
qui, quod ad multarum ſalutem animarum pro-
viſum eſt, impie non timent infringere. Obſe-
cramus etiam qui hanc piæ devotionis ſcripturam
legerint, vel audierint, omnes fratres noſtros,
ſed & religioſos abbates, ut voluntate ſua noſtræ
faveant; & ſi rogati fuerint, propriis ſubſcriptio-
nibus noſtram ſententiam confirment. C

Ego Aurelianus Lugdunenſis eccleſiæ archiep. hoc privilegium relegens in Chriſti nomine roboravi.

Ottramnus Viennenſis eccleſiæ archiepiſcopus.
Hincmarus Remenſis archiepiſcopus.
Joannes Rotomagenſis archiepiſcopus.
Iſaac ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ epiſcopus.
Lambertus Matiſcenſis epiſcopus.
VVilebertus Catalaunorum epiſcopus.
Bermundus Ebredunenſis epiſcopus.
Anſelmus Lemovicenſis eccleſiæ epiſcopus.
Birico Vapincenſis epiſcopus.
Gilbardus Cabilonenſis epiſcopus.
Abbo Nivernenſis epiſcopus.
Hildeboldus Sueſſionicæ eccleſiæ epiſcopus.
Bernarius Gratianopolitanus epiſcopus.
Berardus Verdunenſis epiſcopus.
Hairardus Lexovienſis eccleſiæ epiſcopus.
Hildebrannus Sagienſis eccleſiæ epiſcopus.
Ingelvinus ſanctæ Pariſiacæ eccleſiæ epiſcopus.
Otulſus Tricaſſinæ eccleſiæ epiſcopus.
Agilmarus Arvernenſis eccleſiæ epiſcopus.
Theodoricus Veſontienſis epiſcopus.
Roſtagnus Arelatenſis eccleſiæ epiſcopus.
Frotarius Dei pietate Bituricenſis archiepiſcop.
Anſegiſus Senonum archiepiſcopus.
Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus.
Adalgarius Eduorum epiſcopus.
Hemico Deenſis epiſcopus.
Ætherius Vivarienſis epiſcopus.
VVilelmus Cadurcenſis epiſcopus.
Hadelbertus Silvanectenſis epiſcopus.
Odo Belgivagorum epiſcopus.
Arnaldus ſanctæ Tullenſis eccleſiæ epiſcopus.
Joannes Cameracenſis eccleſiæ epiſcopus.
Hedenulſus ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ epiſc.
Saginandus Conſtantienſis eccleſiæ epiſcopus.
Erchambertus Bajocenſis epiſcopus.
Alduinus Avinionenſis epiſcopus.
Agenulſus Gabalenſis epiſcopus.
Leuboinus eccleſiæ Lugdunenſis chorepiſcopus.
Segaldus archidiac. eccleſiæ Turon. legatus.
Grymphatus, VVarno, Bego, abbates.
Gumertus Corbejenſis monaſterii abbas.
Bernardus Solemniacenſis monaſterii abbas.
Carnulſus Belliloci monaſterii abbas.

Data Kalendas Junias, Indictione VIII. anno XXXIII. regni Caroli glorioſiſſimi Auguſti in Francia, & imperii ejus primo.

Actum in Pontigono palatio in Dei nomine feliciter.

Mainardus ſcripſit rogatus.

# ACTA CONCILII TICINENSIS

Anno DCCCLXXVI. Habiti pro electione Caroli in Regem Italiæ, ſupra allata ad pag. 310. & ſeqq.

*Auctiora ex Mſſ. Codice Ambroſianæ Bibliothecæ una cum animadverſionibus Cl. viri Joſeph Antonii Saxii eidem bibliothecæ præfecti.*

Ex Rerum Italic. ſcriptor. Tom. 2. parte 2. pag. 143. & ſeqq.

## IN ACTA CONCILII TICINENSIS D

### Præfatio Ludovici Antonii Muratorii.

VUlgatiſſima erant Acta Concilii Ticinenſis, Anno 876. habiti, in quo Carolus Calvus Francorum Rex, Romanorum Imperator a Joanne VIII. Summo Pontifice conſtitutus, ab Epiſcopis etiam atque Optimatibus Italici Regni Rex Italiæ electus & conſalutatus eſt. Ea quippe inter Annales Francorum a Pithœo, & Du-Cheſnio editos, tum in Annalibus Baronianis, in Labbeana Conciliorum Collectione, inter Concilia Gallica a Sirmondo collecta, atque inter Capitularia Regum Francorum a Baluzio illuſtrata repetitis editionibus proſtabant; ac proinde nullum mihi obverſatum fuerat conſilium de iis recudendis. Verum E quum me per literas certiorem feciſſet Cl. Vir *Joſeph Antonius Saxius* Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus, eorumdem Actorum locupletius exemplum in prælaudata Bibliotheca adſervari, immo is pro antiqua ſua erga me benevolentia eadem deſcripta ad me miſiſſet, continuo intellexi, publicam eruditionem atque utilitatem exigere, ut quæ ex eo Concilio ſuperſunt, utpote auctiora, in Collectionem hanc inferrentur. Nam ut paucula ſint, magni tamen momenti exhibent monumentum cum ad eorum temporum Hiſtoriam, tum ad politicum Italiæ regimen, quod eſt ad ea tempora, certius agnoſcendum. Quod antequam præſtem, producere juvat, quæ in hanc rem doctiſſimus *Saxius* ad me perſcribenda duxit, Præfationis etiam locum apud Eruditos habitura.

Clariſſimo ad Doctiſſimo viro

## LUDOVICO ANTONIO MURATORIO
### JOSEPH ANTONIUS SAXIUS
Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus S. P. D.

„ SCrutabar privati mei cujuſdam ſtudii conſilium Codicem manuſcriptum Bibliothecæ Ambroſianæ, „ qui complectebatur Epiſtolas Joannis VIII. Summi „ Pontificis, deſcriptas e pergameno Vaticano, Langobardicis literis, ut ibi aſſeritur, exarato; cum ecce occurrit non ſpernendæ antiquitatis Monumentum, Fragmentum nempe Synodi Ticinenſis, celebratæ Anno 876. cum Carolus Calvus, poſt acceptam „ Romæ Imperii coronam, promoveri quoque ad Italicum Regnum, Epiſcoporum, atque Optimatum ſuffragio curaret. Exilui ad inexpectatam hanc ſortem, „ cum probe ſcirem nondum hæc Acta integra prodiiſſe, „ & apud Sirmondum, Balutium, Labbeum, alioſque „ hujuſmodi rerum Collectores ea tantum legi, quæ recitat Synodus Pontigonenſis, in qua Ticinenſi peractæ „ Electioni Gallicanorum Antiſtitum votum acceſſiſſe „ narratur. At mutila ea ſunt, nec ſincerum exhibent „ textum ea in re, quæ præcipuum hujus Synodi momentum fuit. Quæ enim de Anſperto Mediolanenſi

„ Archiepiſcopo, univerſi Cœtus nomine ſententiam dicente, de Electione ipſa *in Regem Italiæ* Caroli Calvi, deque præſtito ab utroque viciſſim juramento in Exemplari Ambroſiano leguntur, Pontigonenſis Synodus prorſus ſilet. Gratam me itaque cum Tibi, Vir Clariſs. tum Eruditis omnibus operam facturum putavi, ſi eadem ad Te illico, in cenſum magnæ Collectionis Rerum Italic. referenda tranſmitterem. Deſumpta dicuntur *ex Volumine Capitularium, & Conciliorum Gallicanorum apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum*, ſed valde dolendum, quod non integra Scriptor inde produxerit: poſt relatos enim viginti titulos rerum, quæ in Ticinenſi hoc Conventu ſtatuta fuere ſubdit: *Habentur hæc Capitula integra, & prolixa in ipſo Exemplari, ſed propter feſtinationem Ego Fontana contraxi*. Emendandæ illius calami culpæ nihil intentatum reliqui; Egi ſiquidem cum Amicis per Epiſtolas Romæ, ut Vaticana primum Bibliotheca conſuleretur, num pretioſa hæc antiquitatis ſupellex eidem obtigiſſet; verum ab ipſis accepi, inanem fuiſſe Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Majeſſe Cuſtodis laborem; cum jamdiu a pluribus ætatibus in more poſitum ſit, ut ex literariis Summorum Pontificum ſpoliis nihil in Vaticanam inferatur, ſed in hæreditatis partem illa quoque familiæ Gentilibus cedant. Converſa inde eſt ſolicitudo ad erudita Principum Romanorum ſcrinia exploranda, ſed undique incaſſum cura & preces redere; quis enim divinare poſſit, quæ illius, inſignis alioquin voluminis fortuna fuerit? Contuli me itaque ad Labbeum, & Baluzium, ut intelligerem, an contracta a Fontana rerum ſeries editis Synodi Pontigonenſis *Capitulis* reſponderet, atque eadem illa eſſe prorſus inveni, niſi quod nonnulla præpoſtero ordine in manuſcriptis titulis deſignantur ac vulgatus textus exponat; quæque hic quindecim tantum numeris comprehendit, illi in viginti ſejunxerint. Quocirca ſatis ſuperque penſatam hujuſmodi jacturam crediderim, cum peti poſſit ex editis, quod Codicis noſtri expleat lacunam; atque ita invidente licet nobis primævum volumen injuria temporum, integrum adhuc Concilium hoc dari.

„ Sed poſces fortaſſes Vir Præclariſſime. Quis hic Fontana, vindicatæ e tenebris antiquæ hujus memoriæ gratia poſteris commendandus? Non is certe venalis tantummodo, aut rudis Exſcriptor fuit, cum inſperſæ non raro eruditis notis memoratæ Joannis VIII. Epiſtolæ hominem prodant in ſuperiorum ætatum recondita hiſtoria eximie verſatum. Præterea ex eodem Codice aperte colligitur, inſudaſſe illum eruendis undique antiquis monumentis; ut Carolo Sigobio Italici Regni hiſtoriam texenti ſuppetias ferret; quinimmo ad eundem dirigit adnotationes aliquas ſuas, quibus illuſtrari poſſent aut etiam caſtigari nonnulla, quæ ille jam ſcripſerat. Propterea affirmare non dubitaverim illum eundem hunc eſſe, cujus gratam mentionem Sigonius inſeruit indici Auctorum, quorum ſtudio, aut ſcriptis in Regno Italico deſcribendo ſe profeciſſe teſtatur; inter poſtremos enim recenſetur *Joannes Baptiſta Fontana Mediolanenſis, qui nuper magno hiſtoriarum detrimento eſt mortuus*. Deceſſiſſe illum immatura abreptum morte, utpote annos tantummodo triginta tres natum, dolens ſcribit Philippus Picinellus in Athenæo Literatorum Mediolanenſium; ubi etiam plura de nobili illius familia, ſumma doctrinæ opinione, ac libris tum editis, tum manuſcriptis, ad æternam tanti Viri memoriam literis conſignavit.

„ Ceterum hujus Synodi Ticinenſis, eo prorſus modo, quo in Codice noſtro deſcribitur, meminit Sigonius *De Regno Italiæ* ad annum 876 editionis Bononienſis anno 1580. ubi compendiaria narratione quidquid in ea geſtum eſt refert, cujuſque verba in ſuis Baſilicæ Ambroſianæ monumentis recudit Puricellius ad annum eundem, nec dubium eſt, quin a memorato Fontana Romæ tunc degente hiſtoricam hanc lucem Sigonius acceperit. Nunc Synodum ipſam producimus, quæ quantum illuſtrandæ antiquitati, atque Italicæ gloriæ promovendæ conferat, nemo dignius æſtimaverit, quam Tu, qui vaſto labore eruditam omnia rudera evolvens, tantam eidem lucem affundis. Etſi enim ſcriptores ferme omnes Mediolanenſes a Gregorio Magno Pontifice Maximo ſplendidum illud Privilegium trahant, que Archiepiſcopus noſter donatus dicitur, jure eligendi Italici Regis poſt decimum quartum a Prædeceſſoris obitu diem; quique modeſtius rem agunt, Carolum Magnum inſignis hujus muneris Auctorem faciant, nullum tamen veſtigium tantæ exercitæ auctoritatis univerſa illorum temporum refert hiſtoria. Primum hoc exemplum eſt, in quo tutum ſigat pedem, venditati antiqui juris eximium decus; ſive enim Ludovico II. Imperatore ſine liberis decedente, ſeſe tandem in libertatem, tot triſtibus bellorum eventibus antea concuſſam, aſſertos putarent Italici Optimates; ſive opportuna arrepta occaſione diſſidii inter defuncti Auguſti conſanguineos antiquum aliquod jus prætenderent, aut novum condere meditarentur, certum eſt ab hac Caroli Calvi inauguratione tantum roboris acceſſiſſe auctoritati Mediolanenſium Præſulum, utpote dignitate atque opibus ſupra ceteros Italiæ Proceres eminentium, ut ſuo propemodum nutu de Italico Regno decernerent, evectis ad hanc ſupremam dignitatem, aut etiam depulſis Principibus. An vero legitimo jure, an injuria Francici Imperii hæc ab Italis peracta ſint, quæſtio eſt, ut optime noſti, a Doctiſſimo Viro, Florentinæ libertatis diſquiſitione celebri, recentiſſimis typis diſcuſſa, quam tamen attingere in præſens minime fas eſt, cum neque id modus Epiſtolæ ferat, nec patiatur doctrinæ tuæ amplitudo, cui aliquid ſuggerere idem eſſet ac ligna, ut ajunt, in ſylvam inferre.

„ Id unum ſilentio præterire haud opportunum reor, frequentiſſimos a me perfectos Scriptores tum exteros, tum domeſticos, qui fidentiſſime aſſerunt, Joannem ipſum Summum Pontificem huic Synodo interfuiſſe, atque in ea effuſum in laudes Caroli Calvi, plenis Epiſcoporum, & Optimatum ſuffragiis eidem confirmaſſe Imperium ac Regnum. Quod quam a vero longe ſit, Synodi ipſius ad Te nunc miſſæ exemplar docet, in qua Archiepiſcopus ſolus Mediolanenſis Anſpertus primas egiſſe vices legitur; mirorque hinc magis a Pagio Juniore in Breviario Romanorum Pontificum teſtem adduci potuiſſe Continuatorem Aimoini, quod videlicet Joannes Papa cum Carolo Calvo Nonis Januarii Roma ſolvens, Ticinum petierit, & in eadem Civitate Conventus Epiſcoporum celebratus ſit, menſe Februario, in quo Imperium eidem Carolo Romæ collatum, omnium conſenſu a Joanne Pontifice, *ibi præſente*, iterum fuit confirmatum. Continuator enim Aimoini non aliud profert, quam quod in Annalibus quoque Bertinianis, iiſdem prorſus verbis deſcribitur. *Nonis Januarii Romam exiens* (Carolus Calvus) *Papiam rediit, ubi & Placitum ſuum habuit*: nihil de Joanne Pontifice, nihil de confirmato Imperio innuens. Occaſionem huic errori datam crediderim tum a Petro Pithœo, qui primus Romanum Concilium evulgans, in quo vere a Joanne Pontifice confirmatum Carolo Imperium fuit, illud celebratum menſe Februario tradidit; quocirca cum idem menſis, ac etiam annus Ticinenſi Synodo aſſignetur, cum eo confundi facile potuit: tum a notis margini Annalium Baronii adjectis, ubi enim ad annum 876. refertur, *Sermo Domini Apoſtolici Joannis in Synodo Epiſcoporum, Omnibus generationibus, immo cunctis mortalibus liquet &c.* in margine adnotatur: *Ticinenſis Synodus, in qua Joannes Papa confirmat Carolum Imperatorem*. Verba enim hæc, quibus inchoatur ſermo, certiſſime ſpectant non ad Synodum Ticinenſem, ſed ad Concilium Romanum, ut conferenti patebit. Errorem autem male aſſignati menſis, annique optime Pagius ſenior in ejuſdem Critica emendavit; neque enim menſe Februario, ſed Julio, aut Anno 876. ſed ſubſequenti celebratum Romanum Concilium ex coævis hiſtoriis evincitur. Hæc in præſenti adnotare neceſſarium duxi, ne auctoritas eorum, qui Concilia hujuſmodi commiſcuere, Lectores impoſterum fallat.

„ Poſt Synodum Ticinenſem, nonnulla etiam Pontigonenſis Conventus Acta exhibet Codex noſter. Relatis enim Ciſalpinorum Antiſtitum ſubſcriptionibus, ſubdit Fontana: *Poſt has ſequuntur ſubſcriptiones Legatorum, & Gallicorum Epiſcoporum, qui immediate poſt Longobardos ſubſcribunt Concilio Ticinenſi, ſed forte ut Sigonius monuit, relecto in Conventu Pontigonenſi*. Et ſane res ita ſe habuit; nam profecto in Gallias Cæſare, Concilium Pontigonis coactum eſt, ibique Decretis jam antea in Papienſi Conventu pronunciatis, relectiſque illa in Synodo Tranſalpini Epiſcopi ſubſcripſere. Hæc omnia aliquibus meis animadverſionibus aucta ad Te mittere ſtatui, ut amorem meum erga Te probarem, atque optimo conſilio Tuo de Italica illuſtranda hiſtoria, pro virium mearum tenuitate inſervirem. Perge incœptum Opus fervidis conatibus explere, meque inter Tui amantiſſimos numera. Vale. „

Ita ad me erudite pro more Saxius, cujus etiam breves Notas ipſis Actis ſubjiciam. Nunc præmonitos Lectores volo, Synodum hanc revera Ticini celebratam fuiſſe non Anno 887. ut in exemplo Ambroſiano legitur, ſed quidem Anno 876. Carolus enim Calvus *VIII. Januarii*, hoc eſt natali die Domini Anno 875. Imperialem coronam Romæ ſuſceperat. Cujus rei locupletiſſimum teſtem habemus Farfenſe Chronicon infra edendum, ubi ejuſdem Imperatoris Diploma occurrit, paucis poſt diebus conceſſum Monaſterio Farfenſi, cum hiſce notis Chronologicis: *Data VIII. Kalend. Januarii Anno* 36.

*Re-*

ANNO CHRISTI 876.

*Regni Domni noſtri Karoli in Francia* &c. *& Imperii ejus Primo. Actum in Sancto Petro Indictione IX.* Decurrere cœpit *Indictio Nona*. Septembri menſe Anni 875. atque adeo male calculos initurus foret, quiſquis ad Annum 876. Romanam Calvi coronationem referret. At Roma digreſſus Carolus *Nonis Januarii* Anno 876. recta, ut habet Annaliſta Bertinianus, *Papiam redit, ubi & Placitum ſuum babuit*. Sub *Placiti* nomine deſignantur heic ea ipſa ſolemnia Regni Comitia, quæ a recentioribus edita, atque heic recuſa, *Concilii* nomen præferunt. Hæc autem celebrata dicuntur *Menſe Februario*, & quidem recte. Nam Puricellius in Monum. Baſilic. Ambroſian. ejuſdem Caroli Diploma profert, datum *IV. Kal. Martias* Ambroſiano Cœnobio. Diligentiſſimus quoque Sigonius Lib. V. de Regno Italiæ, referens ejuſmodi Comitia, auctor eſt ab eodem Auguſto *III. Kalendas Martias privilegia Caroli Magni, Pii, Lotharii, ac Ludovici nepotis, ut vocat, ſui, Eccleſiæ Cremonenſi fuiſſe firmata*. Ego Lectori rem non ingratam facturum me puto, ſi idem illud Diploma produxero, expeditum *in Sancta Sophia juxta Papiam*; ut hinc luculentius appareat, iis ipſis diebus Carolum Calvum Ticini fuiſſe verſatum. Illud ego deſcripſi ex vetuſtiſſimo Regeſto Epiſcopii Cremonenſis, unde & Sigonius lucem hujus rei acceperat.

*Caroli Calvi Imperatoris Præceptum, per quod Benedicto Cremonenſi Epiſcopo, ejuſque Eccleſiæ, omnia illius bona & privilegia confirmat. Anno 876.*

,, IN nomine Sancte & individue Trinitatis. *Karolus* ejuſdem Dei omnipotentis gratia Imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejuſque in eiſdem locis ſibi famulantibus opportuna beneficia largimur, premium nobis apud Deum eterne remunerationis rependi non diffidimus. Igitur omnium fidelium Sancte Dei Eccleſie, ac noſtrorum preſentium videlicet & futurorum, comperiat magnitudo, quia vir venerabilis *Benedictus Cremonenſis Eccleſiæ Epiſcopus* detulit obtutibus noſtris quaſdam pie recordationis *Avi noſtri Karoli*, nec non & *Patris noſtri Hludovici*, ſimulque etiam *fratris noſtri Hlotharii*, & *nepotis noſtri Hludovici* auctoritates præceptorum, in quibus continebatur, qualiter ipſi omnes res Epiſcopatus ſui, Sancte Marie videlicet, & Sancti Stephani, que ibidem a longo tempore uſque nunc pertinent, tam Monaſteria, quamque & Xenodochia, ſeu Eccleſias baptiſmales, & reliquas poſſeſſiones, & predia ad ejuſdem Epiſcopatum pertinentia, ſub ſua haberent defenſione, & predia ad ejuſdem Epiſcopatum pertinentia, ſub ſua haberent defenſione atque immunitatis tuitione. Unde memoratus *Benedictus* Preſul noſtram petiit pietatem, ut eaſdem auctoritates noſtro confirmaremus precepto. Cujus precibus pro mercedis noſtre augmento libentiſſime annuentes, hos Celſitudinis noſtre apices decrevimus fieri, per quos precipimus, modiſque omnibus confirmamus, ut quicquid ad prædictam Eccleſiam a longo tempore Reges, vel alii quilibet homines largiti ſunt &c. Reperimus quoque in auctoritate bone memorie *Avi noſtri Karoli*, qualiter ipſe ad prefatam Cremonenſem Eccleſiam quaſdam res condonaverat, & inde *Nepos noſter Hludovicus Imperator* ſui precepti auctoritate ad eamdem Sedem conceſſerat, locum videlicet, qui dicitur Tecledus cum Briſivola & Cucullo, vel omnia ad ipſa loca pertinentia, & Portum, cujus vocabulum eſt Vulpariolus, cum militorum tranſitorio uſque in Caput Addue, cum molatura de molendinis & portoribus uſque in Caput Addue: quas res & loca *Hlotharius frater noſter*, & inde *Hludovicus Nepos noſter* per ſua precepta in jam dicta confirmaverunt Eccleſia. Que omnia veraciter cognoſcentes, placuit nobis noſtram ſuperaddere auctoritatem, per quam concedimus, ut prefata dona, ſicut a Fratre noſtro & Nepote conceſſa ſunt, ita in futuro ipſa Sedes teneat, & nullus Miſſus, neque Judex publicus, neque ulla perſona &c. Quin & idem Preſul adjecit, quod quidam Longobardorum, vel aliarum gentium homines ſua peragentes negotia, ripaticum non ſolviſſent; indeque auctoritatem ei firmamus, ſicut Anteceſſores noſtri, & *Nepos noſter Hludovicus* conceſſit. Unde præcipientes jubemus &c.

,, Signum KAROLI glorioſiſſimi Imperatoris.

,, Audacher Notarius ad vicem Gauſini recognovit.

,, Data III. Kal. Martii, Anno XXVI. * Regni Domni Karoli Imperatoris in Francia. & Imperii ejus Primo.

* In Regeſto legebatur XXII.

,, Actum in Sancta Sophia juxta Papiam feliciter in Dei nomine Amen.

ANNO CHRISTI 876.

Quod unum mihi addendum ſupereſt, vix e mente mea dubitationem evellere poſſum, num in memoratis hiſce Comitiis Carolus tunc primum Rex Italiæ electus fuerit. Hoc quidem Acta ſonant: ſed mihi abhorrere a conſuetudine ceterorum Principum videtur, qui non antea ad Imperiale faſtigium aſcendere ſoliti fuerunt, quam Regni Italici habenas ac titulum conſequuti fuiſſent. Ludovicum Pium excipio, quia tunc Bernardo ejus nepoti Langobardicum Regnum parebat. Profecto quum difficilia tempora inſtarent Calvo, quippe Ludovicus ejus frater, Germaniæ Rex, & natu etiam major, ad Italiæ ac Imperii coronam & ipſe anhelabat, immo arma eam ob cauſſam jam arripuerat, fieri facile potuit, ut Carolus nihil ſibi cunctandum ratus ſatius duxerit præoccupare Imperiale nomen, & benedictionem Pontificis, quam conſiſtere ad colligenda Italicorum Procerum vota diviſa. Attamen ſuſpicari adhuc cogor, Carolum Calvum tum terrore injecto potentiæ ſuæ, tum eo quo potuit Optimatum, Populorumque conſenſu, Regnum Italicum prius ſibi conquiſiviſſe, ac deinde Romam convolaſſe. Uti habet Annalium Fuldenſium Scriptor, ut primum Ludovici II. Auguſti obitum *Carolus Galliæ tyrannus comperit, illico Regnum Italiæ invaſit*. Deinde Carlomanno fratris filio contra ſe cum validis copiis irruenti, ad fauces Italiæ vires ſuas objecit, eumque aut vi aut muneribus in Germaniam regredi coegit. Quo facto demum *quanta potuit velocitate Romam profectus eſt*. Ad hæc Annalibus Bertinianis fidem rei facientibus, Carolus poſt unctionem Imperialem *Roma exiens, Papiam redit*. Ergo ante coronationem Romanam, ideoque Anno 875. Carolus Langobardici Regni Sedem pacifice ingreſſus fuerat; vixque excogitari poteſt, quin ibi ſe Regem Italiæ inſtituendum atque acclamandum ſine mora curarit. Quod ſi Anno ſubſequente 876. ex Urbe Ticinum regreſſus, electionem a Regni Proceribus quæſivit, hæc fuerit potius præcedentis confirmatio, atque ut ex concordibus Optimatum Langobardicorum ſuffragiis, quorum nonnulla ante deſideraverat, electio ſua eo magis legitima evaderet, enixiuſque conſolidaretur. In Pontigonenſi quoque Synodo, eodem Anno celebrata, Francici Regni Patres Carolum ipſum, quamquam tot ante Annos Francorum Regem, *elegerunt ſibi protectorem ac defenſorem eſſe*: cujuſmodi verbis ſecundum editionem Pithoei, Labbei, & aliorum, uſi ſunt & Italici Epiſcopi atque Optimates in Ticinenſi Concilio. Præterea Joannes VIII. Summus Pontifex, Anno ſubſequente 877. in Romana Synodo ejuſdem Caroli electionem rurſus firmavit, ac ratam habuit. Atque hæc pauca licuerit mihi ediſſerere, quando uberiora & clariora eorum temporum monumenta ſperare non licet. Nam quod eſt ad Ambroſianum Actorum exemplum, nulla mihi dubitatio reſtat, quin ad Sigonium conterraneum meum Fontana miſerit, quando Sigonius ipſe in Libris de Regno Italiæ ad Annum 876. integram Præfationem qualis heic deprehenditur, exhibet ab iis verbis: *Nos Anſpertus cum omnibus Epiſcopis &c.* Ego hoc ex Puricellio ſupra laudato in Monumentis Baſilic. Ambroſ. num. 127. didici, neque enim in Sigoniani Operis editionibus, quibus utor, ego ejuſmodi verba reperio, minimeque compertum habeo, quam editionem Puricellius, iſta deſcribens, fuerit ſequutus.

## CONCILIUM TICINENSE
### IN QUO CAROLUS CALVUS IMPERATOR

### Ab Anſperto Mediolani Archiepiſcopo, & aliis Italici Regni Optimatibus in Italiæ Regem electus fuit.

GLorioſiſſimo & a Deo coronato magno & pacifico Imperatori Domino noſtro Carolo perpetuo Auguſto. Nos quidem *Anſbertus* cum omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, ac reliquis, qui nobiſcum convenerunt Italici regni Optimates, quorum nomina generaliter ſubter habentur inſerta, perpetuam optamus proſperitatem & pacem.

Jam quia Divina pietas vos Beatorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli interventione per Vicarium ipſorum, Domnum videlicet Joannem Summum Pontificem & univerſalem Papam [1] veſtrum ad profectum Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium incitavit, & ad Imperiale cul-

1 Legendum *Patrem*, ut in omnibus editis hujus Concilii actis.

ANNO CHRISTI 876.

culmen Sancti Spiritus judicio provexit. Nos una- A nimiter vos protectorem, dominum ac defenſorem omnium noſtrum, *& Italici regni Regem* [1] eligimus, cui & gaudentes toto cordis affectu ſubdi gaudemus, & omnia, quæ nobiſcum ad profectum totius Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium ſalutem decernitis & ſancitis, totis viribus, annuente Chriſto, concordi mente, & prompta voluntate obſervare promittimus.

Anſpertus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Sanctæ Aretinæ Eccleſiæ humilis Epiſ- B copus ſubſcripſi. [2]

Joannes Epiſcopus Sanctæ Ticinenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.

Benedictus Cremonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Theudulphus Tertonenſis [3] Epiſcopus ſubſcrip.

Adalhaudus Vercellenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Azo Eporedienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Gerardus exiguus in exigua Laudenſi [4] Eccleſia Epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Aſtenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcrip.

Leodoinus Mutinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildradus Albenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ratbonus [5] Sedis Auguſtanæ Epiſcopus ſub- C ſcripſi.

Bodo humilis Sanctæ Aquenſis Eccleſiæ (*Epiſcopus*) ſubſcripſi.

Sabbatinus Januenſis [6] Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Filbertus [7] Comenſis Epiſcopus ſubſcrip.

Adelardus ſervus ſervorum Dei Veronenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Paulus Sanctæ Placentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Andreas Sanctæ Florentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. D

Ragnierſis [8] Abbas ſubſcripſi.

Signum Boſonis inclyti Ducis, & Sacri palatii Archiminiſtri, atque Imperialis Miſſi.

Signum Ricardi Comitis.

Signum Walfredi Comitis.

Signum Luitfredi Comitis.

Signum Alberici Comitis.

Signum Supponis Comitis.

Signum Hardingi Comitis.

Signum Bodradi Comitis palatii.

Signum Cuniberti Comitis.

Signum Beruardi Comitis.

Signum Airboldi Comitis.

### *Juramentum Anſperti Archiepiſcopi.* [9]

SIc promitto ego, quia de iſto die in antea iſti Seniori meo, [10] quamdiu vixero, fidelis & obediens & adjutor, quantumcumque plus & melius ſciero, & potuero, & conſilio & auxilio ſecundum meum miniſterium in omnibus ero abſque fraude & malo ingenio, & abſque ulla doloſitate vel ſeductione ſeu deceptione, & abſque reſpectu alicujus perſonæ, & neque per me, neque per miſſum, neque per literas, ſed neque per emiſſam, vel intromiſſam perſonam, vel quocumque modo, vel ſignificatione contra ſuum honorem, & ſuam Eccleſiæ atque regni ſibi commiſſi quietem & tranquillitatem, atque ſoliditatem machinabo, vel machinanti conſentiam, neque aliquod umquam ſcandalum movebo, quod illius præſenti vel futuræ ſaluti contraria vel nociva eſſe poſſit. Sic me Deus adjuvet, & patrocinia. [11]

### *Quod Rex Carolus juravit Anſperto Archiepiſcopo, atque Optimatibus regni Italici.*

ET ego quantum ſciero & rationabiliter potuero, Domino adjuvante, te Sanctiſſime ac Reverendiſs. Archiepiſcope, & unumquemque veſtrum, ſecundum ſuum ordinem & perſonam honorabo, & ſalvabo, & honoratum & ſalvatum abſque ullo dolo, ac damnatione, vel deceptione conſervabo, & unicuique competentem legem, ac juſtitiam conſervabo, & qui illam neceſſe habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem miſericordiam exhibebo. Sicut fidelis Rex ſuos fideles per rectum honorare, & ſalvare, & unicuique competentem legem, & juſtitiam in unoquoque ordine conſervare, & indigentibus & rationabiliter petentibus rationabilem miſericordiam debet impendere, & pro nullo homine ab hoc quantum dimittit humana fragilitas per ſtudium, aut malevolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum, & poſſibi-

---

1 Quæ diverſo charactere in hoc capite ſignantur, nunc primum prodeunt ex MSto Ambroſiano exemplari.

2 In MSto Ambroſiano Fontana adnotavit, *Hic erat Nuncius Sedis Romanæ*. Citra verum tamen, ſi de hac Synodo loquamur; neque enim ille ſe Legatum appellat, nec ſi id munus egiſſet, ſecundo poſt Anſpertum loco ſe ſubſcribere debuiſſet. Præterea nullum extat veſtigium, quod Synodus iſta coacta ſit Pontificia auctoritate; quin immo ex epiſtolis ipſis Joannis VIII. colligi videtur, quod ipſo inconſulto Concilium hoc celebraverit Anſpertus, minatur enim eidem epiſtola CLV. Labbeanæ editionis, Canonicas pœnas, ſi Carolomanno ſeſe ab Italico Regno ob valetudinis vitium expediente, de nova Regis electione extra Romanam Synodum ageret, aut Regem aliquem abſque illius conſenſu reciperet, quod certe indicendum non erat tanto ſeveræ juſſionis ſtrepitu, ſi Ticinenſis electio Caroli Calvi, annuente ipſo, aut mandante peracta fuiſſet. Sed cur itaque Joannes Aretinus Epiſcopus ſubſcripſit? P. Euſtachius a Sancto Ubaldo in ſua Diſſertatione *de Metropoli Mediolanenſi* ex hac ipſa Synodo arguit Aretinum Epiſcopum, ſicuti & Florentinum hic pariter ſubſcriptum, Inſubricæ noſtræ Metropoli tunc paruiſſe; contendit enim contra Ticinenſis Eccleſiæ propugnatores, Synodum hanc Provincialem fuiſſe. Quæ ille ibidem argumenta in hanc rem cumulat, apud ipſum videat Lector num. 176. 249. & ſeq

3 Lege *Terdonenſis*, ſeu *Dertonenſis*.

4 Male in Harduino legitur *Laudunenſis*, & *Laudenſis* in altero Concilio Ravennæ celebrato anno DCCCLXXVII.

5 *Ratbornus* in Labbeo, aliiſque.

6 Melius quam in Labbeo, aliiſque, apud quos legitur *Jenuenſis*.

7 Alii legunt *Eilbertus*.

8 Sirmondo, & Labbeo *Raginerius*. Du-Cheſne, & Baluzio *Reginerius*.

9 Eadem hac formula uſus eſt Hincmarus Archiepiſcopus, juſſus cum aliis Epiſcopis juramentum præſtare Carolo Calvo, eaque relata eſt inter Acta Concilii Pontigonenſis. A Pithœo inſcribitur *Generale omnium Fidelium ſacramentum*

1 Citra dubium eſt *Senioris* nomen hoc loco nihil aliud referre, quam *Dominum*; cuilibet enim vetera monumenta volventi paſſim occurrit hujuſmodi appellatio ita accepta, & docet altera Synodus Ticinenſis edita Tomo II. hujus collectionis pro electione, ſeu confirmatione Widonis in Regem Italiæ. Ibi ſiquidem pluries ab Epiſcopis *Senior* vocatur.

11 In juramento memorato Hincmari, poſtrema hæc verba ita leguntur: *Sic Deus me adjuvet, & iſta Sancta Patrocinia*, ideſt *Reliquiæ Sanctorum*, ut explicat Ducangius in Gloſſario.

ANNO CHRISTI 876.

ſibilitatem, & ſi per fragilitatem contra hoc mihi ſurreptum fuerit, cum recognovero, voluntarie illud emendare ſtudebo, ſic &c.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Incipiunt Capitula, quæ Domnus Imperator Carolus Hludovici piæ memoriæ filius una cum conſenſu & ſuggeſtione *Reverendiſſ. ac Sanctiſſimi Domini Anſperti Archiepiſcopi Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ*, [1] necnon Venerabilium Epiſcoporum, & Illuſtrium Optimatum, reliquorum fidelium ſuorum in regno Italico ad honorem Sanctæ Dei Eccleſiæ, & ad pacem ac profectum totius Imperii ſui, fecit anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti 586. [2] Regni vero ſui in Francia XXXVI. Imperii autem ſui primo, Indictione IX. menſe Februarii, in palatio Ticinenſi.

## TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut Sancta Romana Eccleſia ſicut eſt caput omnium Eccleſiarum, ita ab omnibus honoretur.*

II. *Ut honor Domno & ſpiritali Patri noſtro Joanni Summo Pontifici & univerſali Papæ ab omnibus obſervetur.*

III. *Ut in termino Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum nemo aliquam vaſtationem facere præſumat.*

IV. *Ut Eccleſiaſticus honor, & Sacerdotalis atque Clericalis reverentia in omnibus cuſtodiatur.*

V. *Ut Imperialis honor ab omnibus fideliter obſervetur, & præcepta a nullo violentur.*

VI. *Ut Epiſcopi miniſterium ſuum ſecundum ſacros Canones peragant prædicando, corrigendo, confirmando.*

VII. *Ut Epiſcopi præcipue per ſe prædicationem, & per ſuos exerceant, ſecundum juſſionem Domini Noſtri.*

VIII. *Ut ſæculares & fideles laici diebus feſtis in civitatibus ad publicas ſtationes occurrant.*

IX. *Ut nullus Presbyter latibuloſa Miſſarum officia celebrare præſumat, ſine Epiſcopi licentia.*

X. *Ut Epiſcopi proximum Eccleſiæ ſuæ clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum Clero regulariter Deo militent.*

XI. *Ut Presbyteri reſidere cogantur, ſintque ſubjecti in omnibus ſuo Epiſcopo, ſecundum Canonicam auctoritatem.*

XII. *Ut a domibus Sacerdotum propter malæ opinionis famam habitacula fœminarum penitus tollantur.*

XIII. [3] *Ut venationem nullus in Sacris Ordinibus exerceat, neque arma militaria portare audeat.*

XIV. *Ut res eccleſiaſticas nemo auferre præſumat & immobiles nemo invadere.*

XV. *Ut Eccleſiæ Baptiſmales, quas Plebes appellant, ſecundum conſuetudinem antiquam filii inſtaurent.*

XVI. *Ut Epiſcopi Comites, & Vaſſos Regios in Parrochia ſua diligant, & econtra illi Epiſcopos.*

XVII. *Ut prævideat unuſquiſque ſecundum miniſterium ſuum, ne prædæ & devaſtationes fiant.*

XVIII. *Ut mortuo Epiſcopo nullus facultates diripiat, ſed Erogatariis, & Eleemoſynariis Eccleſia conſugiatur.*

XIX. *Ut Decima collaborationum, & animalium, ſecundum ſacra præcepta ſine fraude offerantur.*

XX. *Ut nemo Fidelium quoquo modo celet aliquem, quem ſciat eſſe Regi infidelem.*

*Quæ ſequuntur deſumpta ſunt ex editione Capitularium Franc. Baluzii tomo II.*

## CAPUT I.

UT Sancta Romana Eccleſia, ſicut eſt caput omnium Eccleſiarum, ita ab omnibus honoretur, & veneretur; neque quiſquam contra jus & poteſtatem ipſius aliquid injuſte agere præſumat: ſed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro univerſali Eccleſia paſtoralem exhibere curam, atque ſacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

## II.

Ut honor Domno & Spiritali patri noſtro Joanni Summo Pontifici & univerſali Papæ ab omnibus conſervetur; & quæ ſecundum ſacrum miniſterium ſuum auctoritate Apoſtolica decreverit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conſervetur.

## III.

Et licet in omnibus id obſervare velimus, præcipue tamen ſancimus, ut in termino Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Principum nemo in eundo, & redeundo, vel ibi morando, aliquam vaſtationem, & deprædationem facere præſumat; & quæ ipſius Sanctæ Eccleſiæ propria ſunt, nemo aliqua iniqua machinatione, ſine voluntate ipſius Sacri Pontificis ſibi vindicare præſumat. Quod ſi quiſquam fecerit, reſtitutis male præſumtis, immunitatem ipſius Eccleſiæ perſolvat, & bannum noſtrum tripliciter componat.

## IV.

Ut Eccleſiaſticus honor, & Sacerdotalis, atque Clericalis reverentia, debita competentique ſinceritatis religione ab omnibus amplectatur, & in omnibus cuſtodiatur, ſicut avi & genitoris noſtri monent edicta.

## V.

Ut Imperialis honor ab omnibus fideliter obſervetur; & quæ ab eo ſeu per epiſtolam, ſeu per legatos præcipiuntur, a nullo impune audeant violari.

## VI.

Ut Epiſcopi miniſterium ſuum, ſecundum ſacros, & a Sancto Spiritu promulgatos Canones peragant; Parrochias ſuas abſque alicujus impedimento, prædicando, corrigendo, & confirmando circumeant; & in hoc agendo nullus ei contraire, & quod ad miniſterium illorum pertinet contradicere in ipſis Parrochiis audeat, vel eis exinde aliquam moleſtiam inferat; ſed adjutor, ſi oportuerit, invitatus a Pontifice quiſque Eccleſiæ filius exiſtat; ut liceat eis criminalia ſcelera, & alia quæque corrigenda inquirere, diſcutere & dijudicare canonice. Quod qui temerare pro-

1 Etiam hæc verba diverſo charactere ſignata nunc primum prodeunt ex MSto Ambroſiano.
2 Mendum ſcripturæ; conſtat enim edita hæc eſſe anno ſuperiore.
3 Decretum hoc in editis ponitur ſub num. XI.

protervè præſumſerit, triplicem legem & triplex bannum noſtrum perſolvat.

VII.

Ut Epiſcopi ſecundum ſacram juſſionem Domini Noſtri Jeſu Chriſti prædicationem per ſe, vel per ſuos congruenter exerceant, & Presbyteros ſuos ut ſimiliter faciant inſtruere procurent.

VIII.

Ut Seculares & fideles laici diebus feſtis, qui in Civitatibus ſunt, ad publicas ſtationes occurrant: & qui in villulis & poſſeſſionibus ſunt, ad publicum officium in Plebem feſtinent.

IX.

Ut nullus latibuloſa Miſſarum in ſuis domibus officia celebrare præſumat ſine ſui rationabili licentia Epiſcopi.

X.

Ut Epiſcopi in Civitatibus ſuis proximum Eccleſiæ clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum Clero ſecundum Canonicam regulam Deo militent.

XI.

Ut Epiſcopi Sacerdotes ſuos ad hoc conſtringant, ut Eccleſias non relinquant, & aliubi habitare præſumant. Sint etiam ſubjecti proprio Epiſcopo ſecundum Canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum poteſtate diſſiliant. Neque ſeculari poteſtati ad hoc eis commendare ſe liceat, aut eos quilibet recipere audeat, aut contra Canonicas leges, & debitam Epiſcopi poteſtatem quodammodo defendentur. Hujuſmodi vero Sacerdotes Epiſcopalis illico cenſura diſciplinis Eccleſiaſticis ſubdat. Nec fas eſt omnium eorum ſollicitudinem Epiſcopos non gerere, quibus in committendis ſacris Ordinibus dignum viſum eſt communicaſſe.

XII.

Ut a domibus Sacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio fœminarum penitus tollatur; neque illi in domos illarum intrare indiſcrete præſumant, ne nomen Dei, quod abſit, per illos blaſphemetur, per quos laudari pie & jugiter debet.

XIII.

Venationem quoque nullus tam ſacri ordinis exercere præſumat; neque arma militaria pro qualicumque ſeditione portare audeat, aut habitum quemlibet tantum apicem Sacerdotii non decentem aſſumant.

XIV.

Ut res Eccleſiaſticas tam mobiles, quam & immobiles nemo invadere, vel auferre præſumat; & quæ a Rectoribus Eccleſiæ hactenus, ob timorem vel favorem, alicui libellario, vel emphyteuticario jure doloſe, vel cum damni detrimento Eccleſiæ amiſiſſe videntur, ad priſtinum jus revertantur: quatenus liceat illis, quibus earum cura commiſſa eſt, quieto & pacifico ordine eas tenere, & pro nobis, regno nobis a Deo commiſſo, orare, pauperibuſque debita ſtipendia erogare, familiam Eccleſiæ juſte & rationabiliter regere, & gubernare. Tranſgreſſoribus autem indicimus injuſte præſumta reſtituere, & ſicut ſuperius præfixum eſt, triplicem legem, & triplex bannum noſtrum perſolvere.

XV.

Ut Eccleſias Baptiſmales, quas Plebes appellant, ſecundum antiquam conſuetudinem Eccleſiæ ſibi reſtaurent.

XVI.

Ut Epiſcopi Comites & Vaſſos noſtros in Parrochia eorum manentes paterno amore ſecundum Eccleſiaſticum miniſterium diligant. Ipſi vero Comites & Vaſſalli, ſeu reliqua generalitas prædictos Epiſcopos ut ſanctos patres honorent & venerentur, & ad miniſterium illorum peragendum, ubicumque potuerint, eos adjuvare decertent. Si vero, quod non optamus, eis infeſti, quominus quæ Dei ſunt exercere poſſint, reperti fuerint, aut ipſi contra leges officia ſua violaverint, & eos, quos venerari debent, inquietaverint, ſecundum Capitulare avi & genitoris noſtri emendent. Qualiter quoque Presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipſius Capitularis forma doceantur. Ipſi nihilominus Epiſcopi, ſinguli in ſuo Epiſcopio, Miſſatici noſtri poteſtate & auctoritate fungantur.

XVII.

Ut Epiſcopi, & Comites in ſuis miniſteriis commorantes in ſuis conſiſtant domibus cum ſuis Vaſſallis, neque præſumant occaſione hoſpitii in pauperioris cujuſdam vicini domo, niſi rogati, commorari; quia ob hoc maxime deprædationes & diſcordias hactenus pullulaſſe manifeſtum eſt. Prævideant quoque, ſecundum miniſterium unuſquiſque ſuum, ne in poteſtate illorum prædæ & devaſtationes fiant. Et ſi aliqui hoc facere tentaverint, omni ſua virtute illis reſiſtant. Et ſi ipſi per ſe conſtringere illos ad emendationem non potuerint, conſtitutis Miſſis noſtris renuncient, ut ipſorum judicio legaliter ſecundum Capitulare avi & genitoris noſtri emendent. Quod ſi & ipſi hoc emendare nequiverint, ad noſtram notitiam perducant.

XVIII.

Ut quotiens Divinum judicium aliquem Eccleſiæ Præſulem e ſeculo vocaverit, nullus ad ſuimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad jus ſuum transferat, ſed Erogatariis, & Eleemoſynariis Eccleſiaſticis, cum ipſius Eccleſiæ conſtituto OEconomo, liberum ſit, canonico more, juſte rationabiliterque deputata ſucceſſori futuro reſervare, vel quibuſcumque, ſicut expedit, pro ejus ſpiritu diſtribuere. Quod qui iniqua cupiditate transgredi præſumpſerit, ut ſuperius prælibatum eſt, irrefragabiliter multetur.

XIX.

Ut decimæ collaborationum, animalium ſecundum ſacra præcepta, omnino abſque fraude, & aliqua retractatione offerantur; & in poteſtate Epiſcopi maneant, qualiter Presbyteris diſpenſentur canonice.

XX.

Ut nemo fidelium noſtrorum quodammodo aliquem celet, quem noſtrum ſcierit infidelem eſſe, neque ei ſuſtentationem quamcumque præſtare pertentet, ſi eum ad noſtram fidelitatem revocare nequiverit. Quicumque autem contra hæc fecerit, prædeceſſorum & progenitorum noſtrorum judicium experietur.

Anſpertus Archiepiſcopus Mediolanenſis ſubſcripſi.

Joannes humilis Aretinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Adalardus ſervus ſervorum Dei Sanctæ Veronenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgaudro Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Azo Eporedienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Benedictus Epiſcopus Cremonenſis ſubſcripſi.

Hildradus Albenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Go-

Gerardus exiguus Laudenſis Epiſcopus ſub- A ſcripſi.

Joannes humilis Sanctæ Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Theudulpus Terdonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Aſtenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Sabbatinus humilis Januenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Signum Boſonis Ducis & Miſſi Italiæ atque Sacri Palatii Archiminiſtri.

Signum Bernardi Comitis.

Signum Berdradi Comitis Palatii.

Signum Richardi Comitis.

Signum Airboldi Comitis.

Signum Cuniberti Comitis.

Signum Supponis Comitis.

Signum Alberici Comitis.

Signum item Bernardi Comitis.

Signum Hardingi Comitis.

Signum Berardi Comitis. [1]

Joannes Tuſcanenſis Epiſcopus Legatus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Domini Joannis Summi Pontificis Papæ Vicarius interfui, conſenſi.

Anſegiſus Senonum Metropolis Epiſc. Sanctæ & Apoſt. Sedis (*Vicarius*) in his, quæ ſuperſcripta ſunt, interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Et Joannes Aretinus Epiſcopus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus interfui, & ſubſcripſi.

Hincmarus Remorum Epiſcopus ſubſcripſi.

Aurelianus Lugdunenſis Epiſcopus in Chriſti nomine roboravi.

Otrannus Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Bertmundus Ebredunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

Vvalterus [2] humilis Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Giſlebertus Carnotenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hadebertus Sylvanectenſis Eccleſiæ Epiſcopus D ſubſcripſi.

Valpertus Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Agenulſus Gabalitanenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Protarius Archiepiſcopus conſenſit, & ſubſcripſit.

Joannes Rotomagenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Rangenelmus Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Gerboldus Cabullonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebodus Sueſſionenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Roſtagnus Sanctæ Arelatenſis Eccleſiæ humilis E Epiſcopus ſubſcripſi.

Ingelvinus Sanctæ Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Odo Belgivagorum Epiſcopus in Chriſti nomine ſubſcripſi.

Bernarius Gratianopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Brico Vvapricenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Alduvinus Avenionenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebrandus Sagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Rageñfridus Meldenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Signandus Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Anſelmus Lemovicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Vvilelmus Cardncenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Otulphus Sanctæ Tricaſſinæ Eccleſiæ Epiſcopus C ſubſcripſi.

Arnaldus Leucorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Teutricus [3] Veſuntinorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgaricus Auguſtudenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Vvido Vallavenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Vvilebertus humilis Catalaunorum Epiſcopus ſubſcripſi.

Heirardus Luxevienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

B Æterius Viſuarienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hedenulphus Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Lupus Albienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Bernardus [4] Sanctæ Viridunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Franco Tungrorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Wala Autiſſiodorenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Albuſtus Abbas in Monaſterio, quod dicitur Bethleem, ſive Ferrario, ſupſcripſi. [5]

*Sequebatur etiam deinde in originali.*

PRidie Idus Julii in loco, qui vocatur Pontigonis, ita a Legatis Sedis Apoſtolicæ Leone Apocriſario, Petro, Joanne, itemque Joanne Legatis, ac Anſegiſo Vicario ejuſdem Sedis, & ab omni Concilio definitum eſt de Adalgondo [6] Preſbytero. Quia Domnus noſter Joannes Sanctiſſimus Papa nos quidem, me ſcilicet. . . . & Leonem Gabinenſem Epiſcopum S. R. E. Miſſum, & Apocriſarium, & Petrum venerabilem Foroſempronienſem Epiſcopum ad hoc in has partes direxit, ſicut pridem Epiſcopos, Joannem videlicet, & Joannem mandaverat, quia diutius morari nequimus, ab ipſo revocati, & veſtram beatitudinem longius fatigare noluimus, hos Fratres noſtros, Joannem videlicet Aretinum, & Joannem Tuſcanenſem Epiſcopum commorari decrevimus, uſque dum res optatum finem accipiat in Synodo, in qua auctoritate Apoſtolica libere omnia definire poterunt, grataque erunt. [7]



1 Nemo ex Conciliorum Collectoribus, quos viderim, quique Concilium Pontigonenſe deſcribunt, iteratas haſce Italorum Antiſtitum, & Optimatum ſubſcriptiones retulit. Leguntur tamen in Capitularibus Regum Francorum a Balutio editis, ubi de hac Synodo loquitur. Id factum crediderim, quod primo ſubſcripſerint electioni in Regem Italiæ Caroli Calvi, poſtmodum ipſius jam electi decreta firmaverint, non omnes tamen, ut ipſæ ſubſcriptiones docent.

2 Aliis *Ratbertus*.

3 *Theodoricus* in editis.

4 *Berardus* apud omnes.

5 Subſcriptiones iſtæ diverſo ordine in editis referuntur, neque omnes in Ambroſiano Codice extant, quæ ibi leguntur; nonnullæ etiam voces diverſimode inflectuntur, ſed ea adnotare non placuit, ne Lector gravetur, cum facile conferri hæc poſſint cum vulgatis.

6 Apud alios Conciliorum editores vocatur *Adalgaudus*.

7 Habentur hæc prolixius in editis Actis Concilii Pontigonenſis; ſed cum nonnulla differant, ea etiam addere non ingratum putavi.

# DUPLEX CONVENTUS

## Compendienſis, & Cariſiacenſis.

Ex P. Pagi ad an. 877. n. 3.

*De his hæc Annaliſta Bertinianus*: Kalend. Maii A Epiſcopos Rhemenſis provinciæ, ſed & aliarum provinciarum, Compendio convocavit (*Carolus Imp.*) & eccleſiam quam in eodem oratorio conſtruxerat, cum multo apparatu in ſua & Nunciorum Apoſtolicæ ſedis præſentia ab eiſdem Epiſcopis conſecrare fecit. Inde placitum ſuum generale Kalendas Julii habuit, ubi per capitula qualiter regnum Franciæ filius ſuus Hludovicus cum fidelibus ejus & regni primoribus regeret, uſque dum ipſe Roma rediret, ordinavit: & quomodo tributum de parte regni Franciæ, quam ante mortem Lotharii habuit, ſed & de Burgundia exigeretur diſpoſuit, &c. *Extant illa Capitularia in Capitularibus Caroli Calvi tit. 53. ubi dicuntur conſtituta* Cariſiaci XVIII. Kal. Julias Indictione X. *Quare placitum illud Cariſiaci habitum fuit non Kalendas Julii, ut habet Annaliſta Bertinianus, ſed* 18. *Kal. Julias. Fecit & alia Capitula Cariſiaci Carolus Imperator ſub eodem titulo* 53. *recitata cum hac inſcriptione*: XVI. Kal. prædicti menſis, poſtquam domnus Imperator Carolus adnunciavit generaliter in populum de ſuo itinere Romam &c. *Verum antequam Carolus Imperator placitum illud celebraret, Compendienſem Conventum congregarat ibidem tit.* 52. *recitatum cum hac annotatione*: Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. Nonis Maii in Compendio Palatio de aliqua, ſed non de tota parte regni, quod domnus Imperator Karolus habuit, antequam junior Hlotharius defunctus eſſet, hæc conſtituta eſt exactio, Normannis, B qui erant in Sequana, tribuenda, ut a regno ejus recederent. *Et tamen Annaliſta Bertinianus hæc conſtituta placito Cariſiacenſi attribuit, ſicque geſta in utroque Conventu inter ſe confundit.*

# COLONIENSIS SYNODUS

*In qua conſtitutio Alfridi Hildemesheimenſis epiſcopi pro condendo Aſſindenſi SS. Virginum cœnobio approbatur,*

Anno 877. coacta.

Ex Suppl. Manſi tom. I. pag. 1025.

„ Colonienſis provinciæ epiſcopi anno 877. C ad civitatem metropolim convenerunt, ut novi templi S. Petri recens conſtructi dedicationem peragerent. Ea occaſione Aldefridus Hildenesheimenſis epiſcopus conditi a ſe in diœceſi ſua Parthenonis Eſnedenſis in honorem B. M. V. & SS. Coſmæ & Damiani diploma, quo & latifundia ſanctimonialibus illis aſſeruntur, & alia quædam in commodum commune diſpoſita, Patribus illis approbandum exhibuit. Diploma ipſum ex autographo a publico Tabellione deſcriptum Lunigius in ſpicilegio eccleſiaſtico exhibuit, adjectis ex iiſdem autographis tabulis Patrum illorum in violatores conſtitutionis illius anathematiſmis. Ex eo vero nos hic recitamus.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Alfridus, Dei diſponente providentia, Hildemesheimenſis eccleſiæ antiſtes. Cum inter immenſas Dei patris miſerationes, quibus humanum genus gratuita pietate relevare dignatur, præcipue ea, qua conſtat conſubſtantialem, & coæternum ejus Filium pro nobis incarnatum, & crucifixum fuiſſe ad memoriam reducere; circa me vero ſpecialiter divitias bonitatis ejus non ſine admiratione perpendere, qui me nullis exigentibus meritis de E ſordibus levatum, ſua gratia inter principes eccleſiæ conſedere, & ſolium gloriæ tenere facit, ne tantis ejus beneficiis ingratus apparerem, quid retribuerem Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, diu multumque mecum cogitare cœpi. Tandem itaque ex divina, ut credo, inſpiratione occurrit animo ſanctiſſimam, & ſemper virginem Mariam unicum ac ſingulare præſidium peccatorum poſt Dominum eſſe, cui ſi quid venerationis impenderem, id & Deo fore gratum, & animæ meæ ejus patrocinantibus meritis arbitratus ſum profuturum. Opitulante itaque Dei gratia in prædio meo quod Aſtnide vocatur, in honore ſanctæ, & individuæ Trinitatis conſecratam, ſanctæque ſemper Virgini Mariæ & ſanctis martyribus Coſmæ, & Damiano dicatam eccleſiam ex his, quæ Deo donante poſſidebam, conſtruxi, in qua ad immaculatum ſacrificium ſanctimoniæ animæ, qua corporis Deo in cordis & ſpiritus contritione offerendum ſanctimonialium congregationem coadunandam, eique victus & veſtitus neceſſaria providere, ſpiritualem quoque matrem, quæ regulariter præſideat, eidem ex eadem præficere curavi. Ne vero poſt mei exceſſum futuris ſæculis de electione abbatiſſæ diſſenſio oriatur, ex de D creto papæ Sergii, & ejus ſucceſſoris Adriani ſancitum eſt, & eorum privilegiis confirmatum, ut nec pretio nec ullo omnino unquam modo alterius congregationis ſanctimonialis ſupradictis ſanctimonialibus præponatur; ſed quæcumque ex eiſdem & in Dei ſervitio potiſſima, & in ejuſdem eccleſiæ rebus juſte diſponendis aptiſſima reperietur, hæc ex communi omnium ibidem Deo famulantium electione ſecundum Dei timorem ſuis ſororibus præficiatur. Quod autem conſuetudinarium jus tam ſupradictis ſororibus, quam clericis ibidem ſervientibus in adminiſtrandis ſuis rebus impoſuerim, & perpetualiter obſervandum velim, paucis abſolvam: poſſeſſiones eccleſiæ traditas ſive tradendas inferiores, & exteriores tam mobiles, quam immobiles, cum conſilio Deum timentium ſumma cum diligentia abbatiſſa procuret, redituſque earum tam in ſua, quam in ſororum æquabili diſtribuat utilitate; id ſummopere curans, utpote Deo rationem reddituro, ut de communibus earum rebus nec unam minimam præbendam abſque earum conſilio vel utilitate alicui tradat, ne, quod abſit, penuria familiaris rei urgente ruptis ſanctimoniæ habenis liberius, hac & illac abſque Dei timore vagentur, ſi qua vero ſanctimonialis ibi-

ANNO CHRISTI 878.

Ex Suppl. Manſi tom. I. pag. 1016.

ibidem habeat propriam domum, aut aliquod ædificium, vel a ſe emptum, vel dono ſibi datum, vel aliquas res undelibet juſte acquiſitas, nihil omnino ex omnibus ſupradictis, neque abbatiſſa, neque aliquis ei auferat, neque ullo modo auferendum ei ſuadeat, ſed eadem ſanctimonialis libero arbitrio ſuam domum, & cuncta, quæ inibi poſſidet, ſorori ſuæ, vel amico ad eandem eccleſiam pertinent, abſque ullius contradictione, ſive morti ſuæ proxima, ſive vitæ, quocumque modo voluerit, tradat. Idipſum vero & clericis ibidem conſtituimus ſervientibus: ſi quis autem eorum aliquam eccleſiæ poſſeſſionem, Abbatiſſa largiente, ſuſceperit, tali ſuſcipiat conditione, ut poſt ejus obitum eandem poſſeſſionem eccleſia abſque ullius contradictione ſuſcipiat, reſtitutis prius omnibus, tam mobilibus, quam immobilibus rebus, quæ in illa eſſe videbantur ea die, qua ipſe eam ſuſcepit; cætera vero, quæ in eadem poſſeſſione adipiſci potuit, aut ipſe vivens, prout voluerit diſponat, aut alius amicorum ejus poſt illius mortem pro ſalute animæ ejus diſtribuat. Conſtituimus etiam, ut nullus hominum vel advocato, aliquis, aliquam juriſdictionem in civitate prænominata habeat, excepta abbatiſſa Aſſindienſi præter in truncatione manuum, vel armorum proclamatione. Anno Incarnationis Dominicæ DCCC. ſeptuageſimo ſeptimo, ſub piiſſimo rege Ludovico, anno imperii ejus treceſimo ſexto, apud Coloniam civitatem. quinto Kalendarum Octobrium in ipſa die dedicationis Baſilicæ ſancti Petri.

Ego Altfridus epiſcopus hoc privilegium coram Domino Wiliberto prædictæ civitatis archiepiſcopo recitavi, nec non & coram Luitberto Maguntiacenſi archiepiſcopo, & Bertolfo Treverenſi archiepiſcopo, & Bernardo Virdunenſi epiſcopo, atque Theodorico Mindenenſi epiſcopo & Geralfo Firdenſi epiſcopo, & Luihardo Paderbon. epiſcopo, atque Hildrigino Halverſtadenſi epiſcopo, & Ludolpho Munigernadenſi epiſcopo, & Othiboldo Trajectenſi epiſcopo, & coram Luckberto Oſnabrugenſi epiſcopo, nec non & eorum aliis compluribus ſacri ordinis viris, qui ad ſupradictæ eccleſiæ dedicationem convenerant. Prælecto itaque hoc privilegio in omnium ſupradictorum conſpectu, acclamantibus omnibus, ita hanc conſtitutionem ſalubriter, atque ornabiliter inſtitutam, ut non modo addi, verum & jam aliquid demi damnoſum videretur, omnes unanimiter hujus conſcripta aliquo modo, ingenio violatorem in perpetui anathematis foveam detruſimus, univerſis mecum uno ore clamantibus: ex auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & ſanctorum apoſtolorum excommunicamus & anathematizamus omnes, qui ſua præſumptione, vel aliquo malo ingenio hanc conſtitutionem ſcienter violare præſumpſerint, eos omnes, & eorum conſentaneos a conſortio Dei ſequeſtramus. Ita ut non habeant partem cum ſanctis ejus, deleantur de libro Dei, & cum juſtis ejus non ſcribantur; obſcurentur oculi eorum ut non videant, aures eorum & nares ſic obſtruantur, ut non audiant, neque olfaciant, guſtus eorum & tactus inutiles fiant. Deſerat Deus, & migrare faciat de tabernaculis eorum, & evellat radicem eorum de terra viventium, veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes, prævaleant ſuper eos peccatores, & Diabolus ſtet a dextris eorum. & oratio eorum fiat in peccatum, & dies eorum pauci, mendicent, & dejiciantur de habitationibus ſuis, & diripiant alieni labores eorum; clament ad Deum, & non miſereatur eorum, ſed potius diſperdat de terra memoriam eorum; induantur perpetua confuſione, & reverentia, ſint inter miſeros miſerrimi, inter perditos perditiſſimi; induant hanc maledictionem ſicut veſtimentum, & intret ſicut aqua inter cutem eorum, & ſicut oleum in oſſibus eorum; fiat eis ſicut veſtimentum, quo operientur, & ſicut zona, qua præcingentur, & in Dei judicio primi detrudentur in ignem æternum, ubi vermis eorum non extinguatur, ſed crucientur cum Diabolo, & angelis ejus ſine fine: annuente Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

## IN HOC DIPLOMA MABILLONII CENSURA.

In Annal. Ord. S. B. ad hunc an.

Nicolaus Schetenus privilegium refert Aſnidenſi parthenoni, ut prætenditur, conceſſum in Synodo Colonienſi anni DCCCLXXIII. ab Alfrido epiſcopo, in quo ait, ſe in prædio ſuo, quod Aſnide vocatur in honorem ſanctæ, & individuæ Trinitatis, ſanctæque ſemper V. Mariæ, & ſanctis martyribus Coſmæ, & Damiano dicatam eccleſiaſtic. conſtruxiſſe, ubi congregationem ſanctimonialium adunaverit ſub abbatiſſæ regimine, quam nec prece, nec pretio eligi, aut inſtitui edicit ſecundum ſanctionem Sergii papæ, ejuſque ſucceſſoris Adriani, conceſſa ejus loci ſanctimonialibus libera rerum ſuarum, domorum, & ædificiorum proprietate, & de iis diſponendi facultate, quod ne quidem regula Aquiſgranenſis canonicabus indulget. Quare id ſerius fabricatum veriſimillimum eſt in gratiam canonicarum, quæ ex monachabus factæ ſunt. Neque enim prope fidem eſt, Alfridum, ex monacho epiſcopum, alterius inſtituti, quam monaſtici ſanctimoniales in loco ab ſe exſtructo collocaſſe.

CON-

# 1 CONCILIUM ROMANUM I.

## IN QUO ELECTIO CAROLI CALVI IMPERATORIS

Totius ſynodi ſententia & ſubſcriptionibus confirmata eſt, menſe * Februario, indictione x. anno Chriſti DCCCLXXVII.

* Ita Sigonius atque Sirmondus: Chiffletius vero p. 119. hiſtoriæ Tornutienſis in exeuntem Majum differt, cujus menſis die 29. conſignatum eſt diploma Adalgerio Æduenſi ep. datum.

*Sermo domni apoſtolici Joannis in ſynodo epiſcoporum.*

OMnibus generationibus, &c. *Extat in Baluz. T. II. Pag.* 251.

### NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Romanum I.*) Jam monui &c. *Extat ibid. pag.* 805.

### ADNOTATIO P. ANTONII PAGI *ad an. Ch.* 876. *n.* 1. & 2.

Pithœus an. MDLXXXVIII. publicavit Scriptores coæta-
neos XII. Hiſtoriæ Francorum, & Synodo Romanæ,
cuius initium eſt *omnibus generationibus* &c. hunc præ-
fixit titulum: *Geſta qualiter Domnus Carolus filius Ludo-
vici Imp. fuit factus Imperator Romæ, tempore Joannis
Apoſtolici anno Inc. Domini DCCCLXXVI. indict. X.* ſed
male, tam quoad annum, quam quoad indictionem X.
Joannes enim VIII. in fine prædictorum geſtorum dicit,
Caroli *ad Imperialia ſceptra electionem & promotionem,
ante mundi quidem ordinem divinitus ordinatam; nuper
autem, id eſt præterita nona indictione, per miniſterium
noſtræ mediocritatis exhibitam, annuente Deo, ex tunc &
nunc & in perpetuum firmam & ſtabilem decernimus per-
manſuram.* Quare hanc Synodum Romanam anno tan-
tum ſequenti habitam fuiſſe certum eſt. Id recte vidit
Sirmondus Tom. III. Concil. Gall. ſed in menſe erra-
vit. Scripſit enim illam congregatam fuiſſe *menſe Fe-
bruario*. Etenim Chifſletius in Probationibus Hiſtoriæ
Trenorcienſis pag. 221. affert Diploma Caroli Calvi Imp.
in quo is dicit, Adalgarium Epiſcopum Æduenſem ad
ſe acceſſiſſe, ac petiiſſe, ut ſibi concederet Abbatiam
Flaviniacenſem & Corbiniacum, quod ad illam ſpe-
ctat. Charta dicitur *data VII. Kalendas Martii, indictio-
ne X. anno XXXVII. regni Domini Caroli Imp. in Fran-*

A *cia, & imperii ejus anno ſecundo. Actum Compendio Re-
gio monaſterio.* Adalgarius itaque die XXIII. Februarii
anni DCCCLXXVII. adhuc in Galliis erat. Annaliſta
autem Bertinianus ad annum DCCCLXXVII. de Carolo
Imp. verba faciens, ait: *Veniens ultra Jurim, uſque ad
Urbam obviam habuit Adalgarium epiſcopum, quem men-
ſe Februario Romam direxerat, pro agenda Synodo a Pa-
pa Joanne, cujus exemplar idem Adalgarius pro munere
magno Imperatori detulit.* Synodus itaque Romana an-
no ſequenti menſe Februario celebrari non potuit; cum
Adalgarius, qui ejus indictionem a Pontifice petiit,
die XXIII. Februarii ejuſdem anni adhuc in Galliis fue-
rit, ideoque ad initium circiter Julii, non vero ſub fi-
nem Maji cum Chifſletio, differenda.
Annaliſta enim Bertinianus, poſtquam narravit Caro-
lum Imp. Placitum ſuum generale Kalendas Julii ha-
B buiſſe, ſubjungit: *de Cariſiaco Compendium, indeque per
Sueſſionem ad Rhemum civitatem: & ſic iter ſuum per
Catalaunos & Pontigonem atque Lingones peragens, cum
uxore & maxima auri & argenti, caballorumque ac fa-
cultatum aliarum copia, de Francia Italiam petit. Et
veniens ultra Jurim uſque ad Urbam obviam habuit Adal-
garium Epiſcopum, quem menſe Februario Romæ direxit pro
agenda Synodo,* &c. Ibi tamen Annaliſta iſte quoad
diem hallucinatur, ut enim anno ſequenti oſtendemus,
Placitum illud XVIII. Kalend. Julii inchoatum, &
XVI. Kalend. ejuſdem menſis abſolutum. Carolus igitur
celebrato ſuo Placito tam longum iter ante medium Ju-
lii vix conficere potuit, cumque Adalgarius Carolo ob-
vius fuerit ad Urbam Pagi Transjurenſis vicum a lacu
Lemano millia paſſuum circiter XVIII. diſſitum, Ro-
ma medio circiter Julio poſt celebratam Synodum di-
C greſſus erat. Neque enim finita Synodo aliquam mo-
ram *Adalgarium* Romæ interpoſuiſſe, quis ſibi perſua-
ſerit; cum filii Ludovici Germaniæ Regis nuper defun-
cti cum Carolo de Imperio quod huic in Synodo Ro-
mana confirmatum fuerat, contenderunt. Illius quippe
Synodi indictionem eo tantum fine a Pontifice petiit
*Carolus*, ut ſibi totius Synodi conſenſu Imperium ad-
verſus eoſdem iterum confirmaretur.

# JOANNIS PAPÆ VIII.

## SYNODUS RAVENNÆ HABITA CUM CXXX.

Epiſcopis anno Chriſti DCCCLXXVII. menſe * Auguſto, indictione x.

Ad diſciplinam & immunitatem eccleſiaſticam reſtituendam.

* Novembri ſcribere debuerat Holſtenius, qui hanc ſynodum primus vulgavit; ſi vera Chiffletii ſententia de tempore illius, quam alias expendemus.

### HIERONYMUS RUBEUS HISTORIÆ RAVENNÆ lib. v. ad annum DCCCLXXVII.

*JOannes pontifex, cum poſtulatum ab Carolo Calvo ſubſi-
dium tardius expediretur, jam enim redierat in Gal-
liam Carolus, Ravennam ire conſtituit. Itaque & coin-
dixit epiſcopis conventum, & ad Joannem archiepiſcopum
ſcripſit, id ſe decreviſſe, tum quod ab improbis Chriſti fi-
delibus vexaretur, tum quod multis in rebus indigeret
emendationis eccleſia. Quoniam vero nullus eſſet ad hæc
peragenda locus Ravenna aptior, rogare ut eo cum ſuis
ſubjunctis epiſcopis accurrere velit ad* VIII. *Kalendas Ju-
lias. Mox Urſum Venetiarum ducem ſcriptis* VI. *Kalend.
Junias literis admonuit, ut eo adeſſet.* XIII. *vero Kalend.
Auguſti ſe Ravennam omni ſoreto incommodo itineris ſi-
gnificavit habendi conventus gratia conceſſiſſe, cumque Ka-
lend. Auguſti inchoaturum. Conventu inde peracto, cujus
ad nos acta non pervenerunt, ut natu ius Calvum de in-
ſtanti bello conſuleret, Ravenna egreſſus ad eum iter in-
tendit.*
Videndæ Joannis VIII. epiſtolæ LIII. LV. LVI. LVII. LIX.
LX. quibus epiſcopi ad hanc ſynodum celebrandam con-
vocantur.

D

### CAPITULA STATUTORUM.

I. *Ut metropolitani intra tres menſes fidem ſuam apud ſedem apoſtolicam exponant, & pallium petant.*

II. *Ut epiſcopi electi intra tres menſes a metropolitano ſuo conſecrentur.*

III. *Ut metropolitani non niſi ſtatutis temporibus pallio utantur.*

IV. *Ut Duces epiſcopos non præſentent, nec ipſos aliaſque eccleſiaſticas perſonas concutiant.*

V. *Ut qui domum Dei violaverit, & inde quid abſtulerit, communione privetur.*

E VI. *Ut raptores niſi raptas reſtituant communione privati etiam anathemate percellantur.*

VII. *Ut homicidæ & incendiarii niſi publice ſatisfecerint poſt excommunicationem etiam anathematizentur.*

VIII. *Ut prædones, ſi bis terve admoniti non emendaverint, præter excommunicationem etiam anathemate feriantur.*

IX. Ut

ANNO CHRISTI 877.

IX. *Ut excommunicatorum fautores & ipſi communione priventur.*

X. *Ut epiſcopi nomina excommunicatorum publice affigi curent.*

XI. *Ut eccleſiaſtico judicio obnoxiis refugium præſtantes & ipſi excommunicentur.*

XII. *Ut nemo ſe parochia propria conventui ultra tres dies dominicos ſubtrahat.*

XIII. *Ut magiſtratus ſaeculares ab epiſcopis & clericis conventi, querimonias eorum diligenter examinent & corrigant.*

XIV. *Ut presbyter non niſi ad certum locum ordinetur.*

XV. *Ut nemo patrimonia Romanæ eccleſiæ petat, & ſi quis quomodolibet ſubtraxerit, anathema ſit.*

XVI. *Item de eadem re.*

XVII. *Ut nemo res eccleſiæ Romanæ beneficiali more aut ſcripto petere vel retinere audeat.*

XVIII. *Ut ſaeculares in domibus eccleſiarum neque placitum neque hoſpitium ſibi vindicent.*

XIX. *Quod decimæ tantum ſacerdotibus parochiarum dari debent.*

## INCIPIUNT STATUTA SYNODI APUD RAVENNAM.

### I.

Deuſd. l. 1. cap. 135.

Quiſquis metropolitanus intra tres menſes conſecrationis ſuæ ad fidem ſuam exponendam palliumque ſuſcipiendum ab apoſtolica ſede nulla inevitabili neceſſitate imminente non miſerit, commiſſa ſibi careat dignitate; ita ut tamdiu epiſcopali illi ſedi cedat, omnique conſecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide & in expetendo pallio priſcum morem contempſerit. Sit licentia metropolitanis aliis poſt ſecundam & tertiam commonitionem viduatis eccleſiis cum conſilio Romani pontificis ordinando epiſcopum ſubvenire.

### II.

Si vero conſecrandi epiſcopi negligentia provenerit, ut ultra tres menſes eccleſia viduata conſiſtat, communione privetur, quouſque aut loco cedat, aut ſe conſecrandum præbere non differat. Quod ſi ultra quinque menſes per ſuam negligentiam retinuerit viduatam eccleſiam, neque ibi, neque alibi conſecrationis donum percipiat: immo metropolitani ſui judicio cedat.

### III.

lib. 1. c. 111.

Quicumque ſane metropolitanorum per plateas vel in litaniis uti pallio præſumpſerit, & non tantum in præcipuis feſtivitatibus, & ab apoſtolica ſede indictis temporibus ad miſſarum ſolummodo ſolemnia, careat illo honore: & prout beatus papa Gregorius ad Joannem Panormitanum epiſcopum, & Marinianum ſcribit Ravennatem epiſcopum, qui grave jugum atque vinculum cervicis non pro eccleſiaſtica, ſed pro quadam ſæculari dignitate defendit, permiſſa qua abutitur dignitate careat: quoniam jure privilegium meretur amittere, qui audacter uſurpat illicita.

### IV.

Nulli Ducum liceat quemlibet epiſcopum in præſentiam Romani præſulis introducere, vel cenſus ab eo ſumptus publicos, ſed dona quælibet exigere: ſed nec coram laicis epiſcopum objurgare concedimus. Clericos & ſanctimoniales, pupillos & viduas ſub tutela epiſcoporum eſſe decernimus, & eos ad ſæcularia trahi modis omnibus interdicimus. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem excommunicandum eſſe decernimus: perſeverantem vero anathematis vinculo innodandum.

ANNO CHRISTI 877.

### V.

Deuſd. l. 3. cap. 49. Anſel. l. 5. cap. 12.

Si quis domum Dei violaverit, & aliqua ſine licentia illius cui commiſſa eſſe dignoſcitur, inde abſtulerit, vel eccleſiaſticis perſonis injuriam fecerit, donec conventus & admonitus legitime ſatisfaciat, ſciat ſe communione fore privatum. Si vero poſt ſecundam & tertiam conventionem coram epiſcopo ſatisfacere detrectaverit, ſacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur: ita ut ſecundum apoſtolum nemini fidelium miſceatur. 3

### VI.

Quicunque ſanctimonialem, ſive quamcunque fœminam in matrimonium vel concubinatum rapuerit, donec eam coram epiſcopo civitatis parentibus vel civibus reſtituat, cum omnibus fautoribus ſuis excommunicatum ſe eſſe cognoſcat. Si vero poſt ſecundam & tertiam conventionem, quam rapuit ſub ſatisfactione congrua non reddiderit, tanquam anathematizatus ab omni Chriſtianorum conſortio repellatur. Raptas enim nec immerito dicimus, quæ ſine conſenſu parentum, vel civitatis epiſcopi, aut ipſæ ultro diffugiunt, aut nolentes ab aliis abducuntur. 1. Cor. 5.11.

### VII.

Si quis homicidium, membrorum truncationem, domorum incendia fecerit, aut fieri juſſerit, aut facienti conſenſerit, quouſque de his legaliter vel amicabiliter coram epiſcopo civitatis, aliiſque civibus non emendaverit, ab eccleſia privatum ſe eſſe agnoſcat. Si ergo poſt ſecundam & tertiam conventionem cuncta in quibus arguitur non emendaverit, tanquam ethnicus & publicanus ab omni Chriſtianorum collegio ſeparetur.

### VIII.

Porro de his, qui deprædationes fecerint, aut facere juſſerint, vel facienti conſenſerint, inſtituimus, ut ſi ab epiſcopo civitatis admoniti minime reſipuerint, XL. dies pane & aqua contenti, reliquis cibis & potibus ſint omnino privati. Quod ſi hanc excommunicationem ſuſpicati fuerint violaſſe, ſatisfaciant epiſcopo, quod illam non violaverint: ſicque demum ſi convicti fuerint hanc violaſſe, non ſolum quod unicuique arguuntur feciſſe emendent; ſed etiam bis aut ter commoniti ſi ſe non correxerint, ab omni communione privati ſint. Si vero poſt ſecundam & tertiam commonitionem cuncta, in quibus arguuntur, perfecte non emendaverint, anathematis ſententia ſe noverint obligatos.

### IX.

Hi ſane qui ante audientiam communicare tentaverint, donec per pœnitentiam reatum ſuum defleant, ad communionem nullo modo reducantur, excepto mortis urgente periculo. Qui vero excommunicato ſcienter communicaverit, vel communicavit, & amodo ſaltem in domo ſimul oraverit, atque latebras defenſionis ne cominus ad ſatisfactionem perducatur præbuerit, donec ab excommunicatore pœnitentiam ſuſcipiat, corporis & ſanguinis Domini communione ſe privatum eſſe cognoſcat. Quicumque ergo intra anni ſpatium humiliter, ſive publice cauſam ſuam coram ſuis excommunicatoribus non peregerint, ipſi ſibi audientiæ aditum clauſiſſe videantur. Quod ſi obſtinato animo ſine communione defuncti fuerint, nos illorum cauſam juxta beati Leonis prædeceſſoris noſtri ſententiam divino judicio reſervantes quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.

ANNO CHRISTI 877.

## X.

Lib. 4. cap. 108. Curæ ſit omnibus epiſcopis excommunicatorum nomina omnino tam vicinis epiſcopis, quam ſuis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco poſita præ foribus eccleſiæ cunctis convenientibus inculcare: quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis eccleſiaſticus aditus excludatur, & excuſationis cauſa omnibus auferatur. Si quis ſane venerabilium epiſcoporum vel ſacerdotum in hac re diſtrictiſſime non vigilaverit, & in aliquo conniverit, quo minus eccleſiaſticæ ſeveritatis invectio circa perſonas delinquentium conſervetur, donec coram provinciali ſynodo ſatisfiat, a communione ſciat ſe eſſe ſuſpenſum. Si vero poſt tertiam conventionem in ſua negligentia manſerit, canonico judicio ſubjacebit.

## XI.

Illos autem qui pro diverſis ſuis exceſſibus ſe conveniendos legaliter timent, aliumque ſenioratum confugiunt, & ibi pejora prioribus operantur, jubet ut a nemine ſuſcipiantur, donec ſub prioris Domini diſtrictione ſatisfaciant cunctis, quibus deliquerant. Si vero prius ſuſcepti fuerint, cum ſuo ſuſceptore communione priventur.

## XII.

Lib. 3. c. 10. Verum quia ſunt plerique qui prolationem ſententiæ ſubterfugere cupientes, a matricialibus eccleſiis vel baptiſmalibus ſe ſubducunt; placuit, ut hi intra regionem poſiti, ſi a publicis eccleſiarum ſe conventibus ultra tres dies dominicos voluntarie ſententiam ſubterfugiendo ſubtrahunt, donec ſub ſatisfactione ſe corrigendos adſtruant, communione priventur.

## XIII.

Adminiſtratores plane ſæcularium dignitatum, qui ad eccleſiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapaciumque refrænationem conſtituti eſſe procul dubio debent, quotiens ab epiſcopis & eccleſiaſticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant. & ſecundum quod neceſſitas expetierit, abſque negligentia examinent, & diligenti ſtudio corrigant. Quod ſi Dei timorem præ oculis non habentes negligere poſt ſecundam & tertiam admonitionem inventi fuerint, omni ſe noverint communione uſ- D que ad condignam ſatisfactionem privatos.

## XIV.

Qui presbyterum ordinare neceſſarium ducit, deputet eum eccleſiæ in qua Domino ſerviens jugiter perſeveret.

## XV.

Deuſd. l. 3 cap. 51. Anſel. l. 4 cap. 31. Auctoritate ſummi judicis Domini noſtri Jeſu Chriſti & principum apoſtolorum Petri & Pauli ſimul & omnium ſanctorum præcipimus, decernimus, & modis omnibus interdicimus, ut amodo & deinceps nullus quilibet homo petat patrimonia ſanctæ noſtræ eccleſiæ: Appiæ videlicet, & Lavicanenſe, vel Campaninum, Tiburtinum, Theatinum, utrumque Sabinenſe & Tuſciæ, porticum ſancti Petri, monetam Romanam, ordi- E naria & actionarica publica, ripam, portus, & Oſtiam. Sed hæc omnia in uſum ſalarii ſacri palatii Lateranenſis perpetualiter maneant, ita ut ſolitos reditus & angarias perpetualiter abſque * illa contradictione perſolvant. Et ſi quis hæc beneficialiter, vel alio quolibet modo ſubtrahere quovis tempore voluerit, anathema ſit. *Et infra.* Exceptis his quos familiares vel noſtros vel noſtrorum ſucceſſorum eſſe ratio proficua evidentiſſime demonſtraverit. Quod ſi quiſquam huic decreto noſtro contraire præſumpſerit, ſcilicet eadem patrimonia ſanctæ Romanæ eccleſiæ benefi-

* Forte, nulla.

A ciali ſeu quolibet more ſibi amodo dari petierit, aut volenti dare conſenſerit, & qui dat & qui recepit, anathema ſit.

ANNO CHRISTI 877.

## XVI.

Si quis de maſſis ſive de colonis eorumdem patrimoniorum ſancti Petri apoſtoli, de quibus hactenus nulla conceſſionis conſcriptio reperitur, aut præcepta ſibi fieri poſtulaverit, aut poſtulanti aut ſuadenti conſenſerit; Ananiæ & Saphiræ, qui de propriis mentientes ante pedes apoſtolorum expiraverunt, pœna mulctetur. Et non ſolum is apud quem de prædictis rebus præcepti alicujus ſeries inventa fuerit, res illas cum frugibus, quibus ex eis abuſus eſt, ex toto reſtituat, ſed & eadem ſcriptura caſſata nihil per illum proficiat: verum B etiam cum omnibus ſibi conſentientibus perpetuo anathemate percuſſus, cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti æterni ignis incendiis exuratur. Ibid. c. 13.

## XVII.

Item apoſtolica auctoritate præcipimus & ſancimus, ut amodo & deinceps nullus cujuslibet gentis vel ordinis homo monaſteria, cortes, maſſas & ſalas, tam per Ravennam, & Pentapolim, & Æmiliam, quam & [illegible] Tuſciam Romanorum atque Longobardorum, & omne territorium ſancti Petri apoſtoli conſtitutas, præſumat beneficiali more, aut ſcripto, aut aliquolibet modo petere, recipere, vel conferre: exceptis illis dumtaxat, quibus pro utilitatibus & ſpeciali ſervitio C ſanctæ Romanæ eccleſiæ vel ducatus uniuſcujuſque loci habitatoribus præbetur, vel ad noſtra diſpenſanda conſtituti ſunt vel conſtituentur. Quod ſi quiſquam huic noſtro ſtatuto contraire tentaverit, & de præfatis quibuslibet alicujus modi ſcriptum ſibi fieri poſtulaverit, aut etiam beneficiali more ea retinere præſumpſerit, excepta diſpenſatione apoſtolica, quæ ad augmentum & ſervitium ſanctæ Romanæ eccleſiæ eſſe probatur, ſtatuimus ut non ſolum ſcriptura illa caſſata nullum robur obtineat firmitatis, ſed etiam fruges ex eis quibus uſus, omnino reſtituens, nihil ex hac ambitione vel beneficiis ipſis lucratus anathemati ſubjaceat. Lib. 3. c. 54.

## XVIII.

Decimas unumquemque fidelem illi ſacerdoti dare cenſuimus in cujus parochia eum procul dubio conſtat ſub epiſcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab epiſcopo ſuo eſt conſtitutus, manere. Et ideo nullum alterius diœceſeos ſacerdotem aut levitam alteri jure canonum debita hujuſmodi audere impudenter vel temere quærere aut accipere donationem. Eum vero qui aliter dare vel accipere præſumpſerit, eccleſiaſtica communione tamdiu judicamus manere privatum, donec ſecundum hoc noſtræ apoſtolicæ auctoritatis capitulum ſtuduerit agere.

## XIX.

In domibus eccleſiarum neque miſſus, neque comes vel judex, quaſi pro conſuetudine, neque E placitum, neque hoſpitium vindicent: ſed in publicis rebus domos reſtituant, in quibus placitum teneant, & ſecundum antiquam conſuetudinem hoſpitentur.

*Explicit ſynodus Joannis VIII. Ravennæ habita.*

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Ad hanc Ravennatenſem ſynodum haud dubie pertinet diploma quod ſequitur ab aliquot jam annis publicæ luci datum, tum a Ven. domno Georgio Violeo O. B. congregationis S. Mauri monacho anno 16[illegible]3. in detectione ſive vindiciis reliquiarum S. Reginæ virginis & mar-

ANNO CHRISTI 877.

martyris, tum a R. P. Petro Franciſco Chiffletio S. J. in probationibus hiſtoriæ Tornutienſis monaſterii anno 1664. Divione excuſæ.

## EPISTOLA CONCILII RAVENNENSIS EPISCOPORUM LII. QUA PRÆSENTE

Joanne papa VIII. poſſeſſio Flaviniaci monaſterii, & Tiliniaci villæ, Adalgario Æduenſi epiſcopo, & ejus eccleſiæ confirmatur *, menſe Novembri anni Chriſti 877.

*Ex tabulario eccleſiæ Æduenſis.*

ANno dominicæ incarnationis octingenteſimoſeptuageſimo ſeptimo, indictione * decima, nos epiſcopi Ravennæ in nomine Domini apoſtolica auctoritate & imperiali decreto in ſancta ſynodo congregati, præſidente eidem ſynodo ſanctiſſimo & reverendiſſimo domino Joanne ſummo pontifice & univerſali papa; cum eccleſiaſtica negotia & ſollicitudines pro viribus annuente divina gratia tractaremus, affuit reverendiſſimus & confrater noſter Adalgarius ſanctæ Auguſtudunenſis eccleſiæ epiſcopus, miſſus etiam imperialis, deferens, nobis præcepta imperialia, & privilegio ſedis apoſtolicæ roborata, ex quodam monaſterio Flaviniaco nomine, quod eſt ſitum in pago Alſenſi, in parochia jamdictæ Auguſtudunenſis eccleſiæ: quod munificentia & liberalitate Chriſtianiſſimi imperatoris & piiſſimi auguſti Karoli jamdictæ matri eccleſiæ conſtat unitum, & indiſſolubili nexu commixtum, perpetuoque jure (ſicut in præcepto, & privilegio, quæ coram nobis relecta ſunt, continetur) æternaliter ſubjectum. Et ex Tiliniaco villa præceptum imperiale, & apoſtolicum privilegium, quam conſtat fuiſſe dudum a beato Leodegario martyre & pontifice eidem eccleſiæ collatam, & tyrannica uſurpatione pravorum hominum olim ab eadem eccleſia ſubtractam, & per idem præceptum memorati Auguſti eidem ſancto loco redditam & reformatam, itemque privilegio apoſtolicæ ſedis ex integro corroboratam; humiliter petens, ut id quod factum fuerat, etiam noſtra auctoritate roboretur. Cujus petitioni, caritatis & fraternitatis gratia libenter annuentes, ſimul cum auctoritate & aſſenſu jamdicti ſummi pontificis generali ſynodo præſidentis, ſtatuentes decernimus, & decernentes ſtatuimus, ut eadem præcepta & privilegia inconvulſam obtineant omni tempore firmitatem. Si quis autem præſumptor temerario auſu contra hoc quod ſæpedictus auguſtus pleniſſima devotione pro animæ ſuæ, ſuorumque ſalute eidem ſanctæ Auguſtudunenſi eccleſiæ contulit, & reſtaurando reddidit, & ſedes apoſtolica pri ilegii auctoritate firmando roboravit, nec non quod modo noſtra humilitas, & generalis totius ſynodi auctoritas promulgando totis viribus aſtipulatur, venire, infringere, contradicere, aut in aliquo imminuere tentaverit, anathematis vinculo a Patre & Filio & Spiritu ſancto cognoſcat ſe æternaliter obligatum: ſed & cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti, ignis actoris incendiis concremandum; & in barathrum dæmonibus perenniter deputatum, ac ſine ſpe recuperationis demergendum. Cuſtodes autem & obſervatores hujus noſtri decreti, benedictio & pax Domini noſtri Jeſu Chriſti per æterna ſæcula conſervare dignetur. Amen.

Joannes ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummus pontifex & univerſalis papa ſubſcripſi.

Anſpertus Mediolanenſis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Ravennenſis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Petrus patriarcha ſanctæ Gradenſis eccleſiæ ſubſcripſi.

Adelardus ſanctæ Veronenſis eccleſiæ ſubſcripſi.

Wibodus Parmenſis eccleſiæ ſubſcripſi.

Leo miſſus & apocriſiarius ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubſcripſi.

Leodoinus Mutinenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Gauginus Voloterrenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Petrus Elibertinenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Galtericus Velitrenenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Zanobius Feſulanus ſubſcripſi.

Olchiſus * Piſtorienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Gerardus Lucenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Dominicus Barienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Vitalis Cumanus epiſcopus ſubſcripſi.

Petrus Orbevetanus epiſcopus ſubſcripſi.

Paulus Aquenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Marinus Tiphernatenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Odelgarius * Eſerniatenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Adonius Peſaurienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Theodoinus Hadrienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Theodulphus * Tertonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Petrus epiſcopus Senogallienſis ſubſcripſi.

Vvalpertus Portunenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Zacharias Anagnienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Aretinus epiſcopus ſubſcripſi

Felix Spoletanus epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Ticinenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Populonienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Viator Ferrarienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus Urbinatis ſubſcripſi.

Petrus Cæſenatis epiſcopus ſubſcripſi.

Maximinus Feretranus epiſcopus ſubſcripſi.

Dominicus Trivenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Paſchalis Amerienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Theodorus Galleſienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Marcus Fanenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Benedictus Cremonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgaudus Vercellenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Antonius Brixianæ eccleſiæ epiſc. ſubſcripſi.

Azzio Regienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Gerardus Laudicenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Antigiſus Genevenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Vvalterius Sedunenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Aſtenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Hildradus Albenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Garibaldus Bergomenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Bodo Aquenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ratbornus Auguſtenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Sabbatinus Genuenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Heilbertus Comanus epiſcopus ſubſcripſi.

Datum VI. Kalendas * Decembris, indictione decima, per manus ſupradicti Leonis miſſi & apocriſiarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, feliciter. Amen.

### ADNOTATIO P. ANTONII PAGI

*ad An. Ch. 877. n. 11. & 12.*

Concilium *Ravennatenſe*, de quo mentionem facit Joannes Papa in litteris LIII, LV, LVI, LVII, LIX, & LX, celebratum non fuiſſe exiſtimavit Baronius; Rubeus vero in Hiſt. Ravennat. lib. 5. peractum quidem eſſe, ſed ad nos Acta non perveniſſe. Verum Holſtenius decreta ejuſdem Synodi in Collectione Romana poſtea publicavit, eiſque hunc titulum præfixit: *Joannis Papæ VIII. Synodus Ravennæ habita cum CXXX. Epiſcopis an. Chriſti DCCCLXXVII. menſe Auguſto, ind.* X. Non indicat Holſtenius, an ipſemet titulum ex ſuo addiderit, vel illum in MS. exemplari invenerit, qua in re etiam alii Conciliorum Collectores ſæpe peccarunt. Cum tamen numerus ille CXXX. Epiſcoporum in canonibus hujus Concilii, qui tantum ſuperſunt, non legatur, exiſtimo illum ab Holſtenio in MS. quo uſus eſt, repertum. Chifletius in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag. 249. & in ipſa Hiſtoria pag. 119. ſuſpicatur, Hol-

* Auguſto alii, aut Septembri.

* undecima tunc numerabatur in Galliis a menſe Septembri; immo & Romæ. Hic enim aberravit tabellio aut librarius: aut certe December menſis ex fine diplomatis expungendus.

* Lege, Piſtorienſis. H.

* Pro, Eſerniatenſis. H.

* Pro, Dertonenſis. H.

* fuere qui legere mallent Septembris quod multa evincunt.

ANNO CHRISTI 878.

Holſtenium tam in Epiſcoporum numero, quam in menſe celebrati Concilii hallucinatum eſſe, quod poſſeſſio Flaviniaci monaſterii *Adalgario* Æduenſi Epiſcopo in eo Concilio confirmetur, ejuſque *Confirmationis* initio legatur: *Anno dominicæ Incarnat. DCCCLXXVII, indictione X.*, in fine vero: *datum VI. Kalendas Decembris, indictione decima*, & denique a quinquaginta tantum duobus Epiſcopis ſubſcripta ſit. Verum ſuperſunt complurima Diplomata in Conciliis confirmata, & a parte tantum Epiſcoporum, qui eiſdem interfuerunt, ſubſcripta. Ad hæc menſe Novembri Indictio undecima a Kalendis Septemb. in Italia obtinebat, ideoque loco *VI. Kalendas Decembris*, legendum, *VI. Kalendas Septembris*, quod hæc verba, quæ in eo Diplomate habentur, indicare videntur: *Nos Epiſcopi Ravennæ in nomine Domini Apoſtolica auctoritate & Imperiali decreto in ſancta ſynodo congregati*, menſe autem Novembri Joannes VIII., qui Synodo præfuit, literis ad Carolomannum Regem datis, & numero ſuperiori a nobis memoratis, ſolatus eſt eum de morte Imperatoris patrui ejus, eaque Epiſtola menſe Novembri data præfert *indictionem XI* Nec veroſimile eſt, Imperio vacante Pontificem & Epiſcopos ſe *Imperiali decreto* congregatos dixiſſe. Sed verba alia, quæ in eadem Epiſtola habentur, opinionem Chiffletii plane evertunt, & Concilium vivente Imperatore congregatum certo oſtendunt: *Affuit Reverendiſſimus & confrater noſter Adalgarius Sanctæ Auguſtodunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Miſſus etiam Imperialis, deferens nobis præcepta Imperialia, & Privilegio Sedis Apoſtolicæ roborata, ex quodam monaſterio Flaviniaco nomine, quod eſt ſitum in pago Alienſi in Parochia jam dictæ Auguſtodunenſis Eccleſiæ: quod munificentia & liberalitate Chriſtianiſſimi Imperatoris & piiſſimi Auguſti Karoli jam dictæ matri Eccleſiæ conſtat unitum*. Noſtra igitur emendatio prorſus certa, & Synodus Ravennatenſis ab Holſtenio accurate conſignata.

Synodus *Ravennatenſis* ad octavum Kalendas Julias primum indicta, poſtea ad undecimum Kalendas Auguſti dilata fuit, ut utrumque ex literis Joannis Papæ mox citatis certo conſtat. Quare vel iterum dilata fuit in aliquem diem Kalendarum Septembrium, vel ſaltem ea per menſem & amplius continuata, quod ultimum valde veroſimile; cum ex laudatis Joannis Papæ literis pateat, diverſa & magni momenti negotia in eo Concilio tractanda fuiſſe, & omnes Italiæ Epiſcopos eidem adeſſe debuiſſe. Illius Concilii ſuperſunt tantum Capitula XIX. ad diſciplinam & immunitatem Eccleſiaſticam reſtituendam ſpectantia, & præterea Epiſtola, qua poſſeſſio Flaviniaci monaſterii *Adalgario* Æduenſi Epiſcopo confirmatur, quam Holſtenius non viderat, ideoque cetera alia in eo geſta ignorantur. Chiffletius fatetur, Concilium Ravennenſe iterum dilatum fuiſſe, ſed innixus his verbis ejuſdem Epiſtolæ, *datum VI. Kalendas Decembris, indictione X.*, illud rejicit in menſem Novembrem, contenditque hoc tempore Indictionem ſæpe cum anno Chriſti inchoatam fuiſſe, quod ex variis Caroli Calvi Diplomatis probat. At licet in Galliis Indictiones ſæpe hoc ſæculo poſt Ludovici Pii mortem cum annis Incarnationis inchoatæ fuerint, in Italia tamen antiquus uſus ſemper ſervatus, præſertim Joannis VIII. Papæ tempore, cum omnes ejus Epiſtolæ, ex quibus complures ſuperſunt, notatæ reperiantur Indictione a Kalendis Septembris auſpicata. Neque video hoc in dubium venire poſſe.

# a CONCILIUM IN NEUSTRIA

## CELEBRATUM ADVERSUS HUGONEM

Lotharii regis filium illegitimum anno Domini DCCCLXXVII. * tempore Joannis Papæ VIII.

* aut potius ſeq. 878.

a *Concilium.*) In hoc concilii legati Ludovici imperatoris * III. conqueſti ſunt, quod Hugo Lotharii regis defuncti filius nothus & illegitimus, poſt obitum Caroli imperatoris, collecta factioſorum hominum multitudine, ejuſdem Ludovici regnum invaſiſſet, & ſummopere devaſtaſſet. Quo cognito, ſynodus per Hincmarum Rhemenſem archiepiſcopum, qui concilii præſes erat, literas comminatorias ſcripſit: quarum ſummarium Flodoardus lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 19. & 26. ſcripſit. Ad hujus concilii cauſam conducunt plurimum quæ Vuilhelmus Gemmeticenſis quingentis abhinc annis ſcripſit lib. 1. de ducibus Nortmannis c. 5. 6. 7. 8. & ſequentibus.

* Binius Lud. Balbum Franc. regem minus recte imperatorem hujus nominis III. appellare ſolet.

# ROMANUM CONCILIUM

*A Joanne VIII. papa, & plurimis ex Italia epiſcopis celebratum,*

Anno 878.

Anno 878.

LAmbertus Spoletanorum dux Romanam urbem infeſtis armis invaſit, occupatamque aliquandiu tenuit, manus interim, nec a laicis, neque a clero, nec dein a rebus ſacris abſtinens. Quam indignitatem ægerrime ferens Joannes VIII. pontifex, primo quidem amovere tyrannum blanditiis & pollicitationibus adniſus eſt. Dein vero erepta ex præſenti malo urbe, ſed pejora in futurum pertimeſcente, idem pontifex auxilium validum imploraturus iter in Galliam diſpoſuit. Prius tamen plurimis Italiæ epiſcopis ad ſynodum convocatis in eccleſia ſive beati Petri, ut ipſe Joannes in allocutione ad ſynodum Tricaſſinam II. narrat, ſive in eccleſia B. Pauli, ut ipſe in epiſtola LXXXIV. ad Joannem archiepiſcopum Ravennatem ſcribit, ſive ſemel in illa, iterum vero in iſta, Lambertum & Adalbertum comitem ſolemni lata excommunicatione damnavit, quam ſententiam in ipſis templi valvis ſcribendam ad perpetuam impii ſceleris deteſtationem curavit. Synodi hujus, cujus alias mentio nulla ſuccurrit, meminit idem Joannes, in eadem, quam innui, ad Patres Tricaſſinæ ſynodi adlocutione, his verbis: *In eccleſia Beati Petri apoſtoli una cum epiſcopis, & confratribus noſtris Italicis excommunicavimus; & quia in his perſeveraverunt, chriſtianæ communionis immunes eſſe decrevimus. Quodque decretum in prædicta B. Petri eccleſia ſcriptum, ut ingredientes, & exeuntes legant, & doleant, eoſque anathematizatos teneant, poſuimus.* Hæc Joannes de concilio hoc Romano, alias ignoto. De anno, quod ambigamus, nihil ſuccurrit: ex epiſtolis enim Joannis, & ex Aimoino conſtat Lambertum anno 878. Romanam urbem invaſiſſe, eodemque anno pontificem, pronunciato prius in tyrannum anathemate, in Gallias ad concilium Trecenſe perrexiſſe.

CON-

ANNO CHRISTI 878.

# II CONCILIUM TRICASSINUM II.

## AB JOANNE VIII. PAPA ET EPISCOPIS

Gallicanis apud Tricaſſinam urbem, præſente Ludovico II. rege celebratum menſe Auguſto & Septembri anno Chriſti DCCCLXXVIII. eorumdem Joannis papæ anno VI. Ludovici Balbi regis primo.

Magna ex parte primus edidit Sirmondus ex codicibus antiquis.

INDEX EORUM QUÆ PERTINENT ad concilium Tricaſſinum II.

I. *Actorum concilii Tricaſſini breviarium ex codice Virdunenſi.*
II. *Allocutio Joannis papæ, & reſponſio epiſcoporum de Lantberto & Adalberto, qui Romæ fuerant excommunicati.*
III. *Excommunicatio papæ & ſynodi adverſus pervaſores rerum eccleſiarum.*
IV. *Iterata excommunicatio in Formoſum epiſcopum, Gregorium nomenculatorem, & Georgium magiſtrum militum.*
V. *Statutum in eos, qui viventibus uxoribus alias ducunt, & in epiſcopos, qui de minore ad majorem eccleſiam migrant.*
VI. *Canones ab Joanne papa conditi, & in ſynodo probati ac recepti.*
VII. *Lex de ſacrilegis ab Joanne papa Gothicis legibus addita in concilio Tricaſſino.*
VIII. *Privilegium eccleſiæ Pictavenſis.*
IX. *Reclamatio & proclamatio Hincmari epiſcopi Laudunenſis.*
X. *Epiſtola ad Frotarium archiepiſcopum Burdigalenſem.*
XI. *Confirmatio privilegiorum eccleſiæ Turonenſis.*
XII. *Allocutio Joannis papæ ad epiſcopos ſynodi, & ad regem.*
XIII. *Privilegium monaſterii Floriacenſis.*
XIV. *Geſtorum ſynodalium concilii Tricaſſini narratio altera ex Aimoino.*

## I.

### ACTORUM CONCILII TRICASSINI breviarium, ſive, ut eſt in codice Virdunenſi, ordo ſynodi, qualiter celebrata eſt, & excerptum quæ ibi facta ſunt.

*Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto per infinita ſæcula anno incarnationis ejus* DCCCLXXVIII. *indictione* XI. III. *Idus Auguſti.*

### ACTIO PRIMA IN ECCLESIA S. PETRI Tricaſſina.

DUm domnus Joannes ſummus pontifex, & univerſalis papa Romanæ urbis pro quibuſdam oppreſſionibus eccleſiarum in partes Galliarum deveniſſet, operæ pretium ducens pro ſublevatione earumdem eccleſiarum generalem ſynodum Chriſto opifice aggregare, ut purgatis gratia Chriſti unigeniti ſcandalis de medio, una concordia atque votum omnium fieret toto orbe terrarum Domini ſacerdotibus & regibus orthodoxis.

*Allocutio pontificis.* Domini fratres & conſacerdotes, qualia in Romana eccleſia, quæ caput eſt omnium eccleſiarum, oppreſſionum perpeſſi ſumus a quibuſdam perverſis hominibus, jam auditu clare percepiſtis. Quapropter unanimiter mihi omnium veſtrum ſanctitudo ſtudeat vigilanti A cura concurrere, ut malum noviter in eccleſia exortum valeamus funditus eradicare.

*Venerabiles epiſcopi reſponderunt:* Petimus inducias, donec confratres noſtri reliqui & quod ſuperna gratia inſpiraverit generalitati noſtræ, vobis reſpondere parati erimus.

### ACTIO II.

*Allocutio pontificis.* Jam alii fratres & conſacerdotes noſtri audierunt cauſas neceſſitatis Romanæ eccleſiæ, volo ut vos ſimiliter audiatis. Item interlocutio in medio antiſtitum locutionis, cum de B Lantberto lectio legeretur, & de crudelitate quam in Romanam geſſit eccleſiam, ſancta ſynodus reſpondit: Secundum mundanam legem mori debet qui talia in eccleſiaſticis committere auſus fuit rebus, eccleſiaſtico dogmate inſolubiliter eſt feriendus. Item ſancta ſynodus inducias petens ſcriptis reſpondere ſuis, delata a pontifice Romano ſententia eſt, in qua præfixum eſt, ut per omnes metropolitanas eccleſias conjunctis ſuffraganeis legatur excommunicationis atque damnationis malefactorum ſententia, & ſic ad notitiam omnium Chriſtianorum perducatur.

C Hincmarus archiepiſcopus Rhemorum reſpondit: Secundum ſacros canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, quos apoſtolica ſedes per beatum & domnum noſtrum papam, & ſancta Romana eccleſia, omnium eccleſiarum mater, privilegio ſancti Petri damnat damno, quos anathematizat anathematizo, quos excommunicat excommunicatos habeo, & quos privilegio beati Petri receperit & ego recipio: & quod in omnibus, ſecundum ſanctarum ſcripturarum tramitem, ſacrorumque canonum decreta, ſedes Romana tenet, per omnia & in omnibus, pro ſcire & poſſe meo, juvante Domino, D perpetuum proſequor & teneo.

Aurelianus ſimiliter dixit, & ceteri epiſcopi ſimiliter dixerunt.

Poſt hæc exurgens Roſtagnus venerabilis epiſcopus Arelatenſis libellum obtulit ſanctæ ſynodo. Quo perlecto, inventum eſt de ſaltu migrandi de eccleſia ad eccleſiam epiſcopis vel presbyteris, & de conjugio relicto adhuc uxore vivente, & alia ſuperducta.

Vualbertus epiſcopus ſanctæ Portuenſis eccleſiæ venerabilem ſynodum interrogat dicens: Quid ſuper hoc negotio nefarie in eccleſia perpetrato collegium veſtræ ſanctitatis cenſeat edicite. Hincma- E rus Rhemorum archiepiſcopus vice ſynodi reſpondit: Poſcimus inducias, quatenus de hoc ſcripto canonica deferam capitula.

Theodericus Veſontionenſis epiſcopus libellum obtulit ſuper quadam fœmina modo velata, Verſinde nomine, quæ nunc conjugium horrende ſortita eſt.

ACTIO

### ACTIO III.

Univerſi epiſcopi ſanctæ ſynodi libellum concordiæ ac devotionis unanimitatiſque confectum ſummo pontifici porrexerunt. Quem idem præſul benigne propriis manibus ſuſcepit, & ſuum ſub brevitate ſancitum ſuper auctoritate canonica & concordia coepiſcoporum conjunctæ ſynodo dedit. Poſthæc libelli porrecti ſunt ſummo pontifici & ſanctæ ſynodo: quorum ſuper Hincmaro Rhemorum archiepiſcopo unus erat, alter vero ſuper Rotfredo Avenionenſi epiſcopo. Hincmaro Rhemorum archiepiſcopo datæ ſunt induciæ ad reſpondendum: Rotfredus ibidem non eſt inventus.

### ACTIO IV.

Lecta eſt lectio conſenſus totius ſynodi, & ſententia roborationis ejus data in pervaſores eccleſiarum, & tranſgreſſores præceptorum Dei. Et ſtatutum eſt, ut ſcriptiones manibus ſingulorum roborarentur. Sancta ſynodus poſt hæc petiit, ut de ſingulis neceſſitatibus eccleſiarum denuo capitula fierent. Ad hæc pontifex conceſſit, & juſſit ut in craſtinum deferrentur. Summus pontifex ſanctam ſynodum alloquens, ne ultra quilibet cum excommunicatis vel abjectis communicare præſumat, ſtatuit. Deinde promiſſio regum lecta eſt, & ſacramenta, quæ Pippinus & Carolus obtulerunt beato Petro apoſtolo, lecta ſunt. Poſthæc lecta ſunt capitula ſtatuta a domno Joanne ſummo pontifice Romano, quæ ſancta ſynodus amplectenda recepit & confirmavit: Item anathematizati ſunt Formoſus quondam epiſcopus, & Georgius dudum Romanæ ſedis nomenculator, & Gregorius magiſter militum. Item lecta ſunt capitula de accuſatione fratrum, & repulſione Judæorum.

### ACTIO V.

Ottulfus venerabilis epiſcopus ſanctæ Tricaſſinæ eccleſiæ libellum obtulit reclamationis ſuper Iſaac de villa Venderevenſi, ſuamque dicebat eum obtinere parœciam. Theodoricus Veſontionis item obtulit libellum ſuper ſuffraganeos ſuos, qui ſynodice vocati audientiam præbere hactenus noluerunt. Item lecta ſunt capitula canonica prohibentia ne epiſcopi audeant migrare de minori ad majorem eccleſiam.

### II.

*Allocutio Joannis papæ ad ſynodum de Lantberti & Adalberti, aliorumque ſequacium excommunicatione.*

CAriſſimi, condolete mihi, & ſedi apoſtolicæ, quæ caput & magiſtra eſt omnium eccleſiarum Dei, quæ & vos religioſo utero genuit, reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ, ſacrique confratres & conſacerdotes Dei, venerabiles eccleſiarum Chriſti antiſtites, & totius ſacrati ordinis viri, & mecum tantas injurias eccleſiæ ſancti Petri apoſtolorum principis, cæleſtiſque regni clavigeri, cui ligandi & ſolvendi data eſt a Deo poteſtas, ſimul flentes requirite, tantaſque invaſiones atque contumelias civitati Romanæ illatas cum ingenti dolore lugete, & mecum, qui curam & ſolicitudinem omnium veſtrum habeo, & ſecundum Domini vo- A cem, quoties cauſa exegerit, converſus vos in omnibus bonis debeo confirmare; ac neceſſariæ conſolationis opem conferre, viriliter ſtate, quatenus ſimul & judicantes tantæ patratores iniquitatis, tantæque temeritatis præſumptores, ut digna ultione temporaliter puniti, ſpiritu ſalvi ſint in die Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam eos prædictos Lantbertum & Adalbertum, ſequaceſque eorum, pro quibus tantis ſceleribus, tantiſque perjuriis patefactis, in eccleſia B. Petri apoſtoli, unà cum coepiſcopis & confratribus noſtris Italicis, excommunicavimus, & quia in his perſeveraverunt, Chriſtianæ communionis immunes eſſe decrevimus. Quodque decretum in prædicta beati Petri eccleſia ſcriptum, ut ingredientes & B exeuntes legant & doleant, eoſque anathematizatos teneant, poſuimus. Et vos, fratres cariſſimi, ut decrevimus, noſtræ communionis alienos tenete, & anathematizatos fautores eorum mecum facientes conſternite.

*Reſponſio epiſcoporum qui affuerunt apud Trecas, de excommunicatis, quos domnus papa Joannes apoſtolicus excommunicavit.*

DOmine ſanctiſſime & reverendiſſime pater patrum, Joannes catholicæ atque apoſtolicæ eccleſiæ videlicet Romanæ primæ ſedis papa, nos famuli ac diſcipuli veſtræ auctoritatis, Galliarum & Belgicarum epiſcopi, his quæ ſuper vulnera do- C lorum veſtrorum maligni homines ac miniſtri diaboli addentes, in ſanctam matrem noſtram ac magiſtram omnium eccleſiarum commiſerunt, compatimur, & dolori veſtro conſentes condolemus, atque judicium veſtræ auctoritatis, quod privilegio beati Petri & ſedis apoſtolicæ in eos, & complices eorum, juxta ſacros canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, & ſecundum ejuſdem Romanæ ſedis pontificum deceſſorum veſtrorum decreta protuliſtis, voto, voce, & unanimitate noſtra, atque auctoritate ſancti Spiritus cujus gratia in epiſcopali ordine ſumus conſecrati, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, eos interimentes perſequimur. Scilicet quos excommunicaſtis excommunicatos tenemus, quos D ab eccleſia abjeciſtis abjicimus, quos anathematizaſtis anathematizatos eſſe judicamus, & quos regulariter ſatisfacientes veſtra auctoritas & apoſtolica ſedes receperit, recipiemus. Sed ut in ſacra hiſtoria de plaga Ægyptiaca digne a Deo illata (Exod. 12) legimus, quia non erat domus in qua non jaceret mortuus, & non erat qui alium conſolaretur, quoniam in domo ſua unuſquiſque quod lugeret habebat, nos quoque in noſtris eccleſiis lugenda lugemus. Et ideo veſtra auctoritate nobis ſubveniri cum omni mentis humilitate depoſcimus, petentes ut promulgetis capitulum veſtræ auctoritatis, qualiter nos erga eccleſiarum noſtrarum pervaſores agere debeamus: ut cenſura apoſtolicæ ſedis muniti, robuſtiores & promptiores dein- E ceps, Domino opem ferente, contra perverſos eccleſiaſticarum rerum ac facultatum raptores ac vaſtatores, ſacrique miniſterii epiſcopalis contemptores, nos ſucceſſoreſque noſtri perſiſtere concordi ſententia valeamus: ut juxta egregii prædicatoris vocem, & veſtræ auctoritatis promulgationem, traditi ſatanæ ſpiritu ſalvi fiant in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

## III.

*Excommunicatio Joannis apoſtolici, & ceterorum epiſcoporum qui affuerunt apud Trecas, de pervaſoribus rerum eccleſiaſticarum.*

DE pervaſoribus quippe rerum eccleſiaſticarum, quos ſacri canones, Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia conſecrati, & decreta pontificum ſedis apoſtolicæ, ſub anathemate uſque ad regularem ſatisfactionem eſſe debere conſtituerunt, ſed & de raptoribus, quos apoſtolus, Chriſto in ſe ſe loquente, regnum Dei non poſſidere teſtatur, & cum hujuſmodi omni veraciter Chriſtiano nec cibum ſumere præcipit, quamdiu in ipſo crimine permanent, per virtutem Chriſti, & judicio Spiritus ſancti decernimus, ut ſi ante proximas Kalendas Novembris eaſdem res, quas quique uſurpatores injuſte pervaſerunt, eccleſiis ſuis regulariter ſatisfacientes non reſtituerint, a communione corporis & ſanguinis Chriſti, uſque ad reſtitutionem rerum eccleſiaſticarum & ſatisfactionem, alieni habeantur, & ſacri epiſcopalis miniſterii excommunicationis eccleſiaſticæ contemptores, ſecundum evangelicam & apoſtolicam auctoritatem, ab epiſcopis quorum intereſt commoniti, ſi regulariter ſatisfacientes non reſipuerint, anathematis vinculo innodati uſque ad ſatisfactionem permaneant. Et ſi in ipſa pertinacia permanentes obierint, nemo corpora illorum cum hymnis & pſalmis ſepeliat, nec memoria illorum ad ſacrum altare inter fideles mortuos habeatur, docente apoſtolo & evangeliſta Joanne: *Eſt peccatum ad mortem: pro illo non dico ut quis roget*. Peccatum enim ad mortem eſt perſeverantia in peccato uſque ad mortem. Et ſacri antiquorum patrum canones, de his qui ſibi mortem voluntarie inferunt, & qui pro ſuis ſceleribus puniuntur, ſancto inſpirante Spiritu decreverunt, ut cum hymnis & pſalmis eorum corpora non deferantur ad ſepulturam. Quorum decreta ſequentes, ea quæ præmiſimus de pervaſoribus & raptoribus rerum & facultatum eccleſiaſticarum, ſi non reſipuerint, judicio Spiritus ſancti decernimus, ſicut beatus decrevit Gregorius, dicens quia tales Chriſtiani non ſunt, quoſque & ego, & omnes catholici epiſcopi, immo & univerſalis eccleſia anathematizat.

1. Cor. 6. 1. Cor. 5. Matth. 18. 1. Joan. 5.

## IV.

*Ejuſdem Joannis papæ iterata excommunicatio adverſus Formoſum epiſcopum, Gregorium nomenclatorem, & Georgium magiſtrum militum.*

AUctoritate apoſtolica parem ſententiam iterato damus in Formoſum nuperrime Portuenſem epiſcopum, & Gregorium magiſtrum militum, anathematis & perpetuæ obligationis. Et quia non deſinunt inquietare aures regum ac principum, & malis prioribus, juncti cum prædonibus & ſubverſoribus eccleſiarum, nova & recentia mala addere quotidie ſtudent, inſolubiliter vinculo perpetuo & irrecuperandæ ſpei, ſancti Spiritus Dei noſtri virtute damnamus, omnemque illis ſuſpicionem obtinendæ indulgentiæ irreſerabiliter excludimus, & omnes qui illis communicaverint, adjutoriumve præbuerint, de quocumque ordine, ſive epiſcopali aut laicali, potentes, mediocres, ac pauperes, in eorum prolatis maledictionibus involvantur, quorum conſortio uti non metuant, & niſi reſipuerint, ſint anathema maranatha.

## V.

*Statutum Joannis papæ adverſus laicos, qui viventibus uxoribus alias ducunt, & contra epiſcopos, qui de minore ad majorem eccleſiam ambitus cauſa demigrant.*

INter nonnulla neceſſitatum a ſancta ſynodo reclamatum eſt, quod laicorum quidam, ſortitis primo legaliter conjugiis, poſtpoſito Dei timore, ſecundi, vel tertii, adhuc uxore vivente, conjugii copulam contrahant. De quibus Otilo quidam intra parochiam Roſtagni Arelatenſi epiſcopi, & Eooldus intra Ottramni Viennenſis archiepiſcopi, talia feciſſe multorum fama refertur. Ad augmentum quoque earum tranſgreſſionum, quod flebiliter dicimus, additum eſt, quod epiſcoporum quidam intra ſeptem provincias Galliarum, calcato termino patrum, ſpretoque ſancitu canonicæ auctoritatis, de minori ad majorem ambitus cauſa demigrant epiſcopalem cathedram. Quibus canones Spiritus ſancti gratia concorditer contradicunt. Nos quoque eorum, quos veneranter imitamur atque complectimur, quorumque ſtatutis conſentimus, eccleſiarumque gubernationem tenemus, fulti virtute interdicimus, & inhærendo prohibemus, ne quiſquam catholicorum taliter audeat amodo & deinceps agere, & ſi, ut non optamus, hactenus quidquam taliter actum eſt, digna pœnitudine eccleſiaſtica corrigatur. Denique hac auctoritate apoſtolica virtute Dei noſtri intercedimus, ut epiſcopi ad priſtinam ſedem ſine mora redeant, quia ſi tardaverint, continuo omni ſacerdotali honore ſpoliabuntur: & laici redeant ad primum conjugium; ſin autem, vinculo anathematis innodentur.

## VI.

## CANONES A JOANNE PAPA CONDITI, ET A SYNODO TRICASSINA probati & recepti.

## TITULI CANONUM.

I. *De honore quem epiſcopis debent ſæculi poteſtates.*
II. *Ut eccleſiarum poſſeſſiones ab epiſcopis non petant quibus non licet.*
III. *Ut capitula Ravennæ ſtatuta obſerventur.*
IV. *Ut Epiſcopi mutuo ſe in vexationibus adjuvent.*
V. *Ut a propriis epiſcopis excommunicati non ſuſcipiantur ab aliis.*
VI. *Ut liberum alterius hominem contra leges nemo recolligat.*
VII. *Occulta fratrum accuſationes interdicta.*

## I.

Ut epiſcopi &c. *Extat in Baluz. Tom. II. pag. 273.*

VII.

ANNO CHRISTI 878.

## VII.

## LEX DE SACRILEGIS A JOANNE PAPA VIII. Gothicis legibus addita in concilio Tricaſſino.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus epiſcopis, comitibus, vicecomitibus, centenariis, judicibus catholicis, in Hiſpania & Gothia provinciis degentibus, omnique populo occidentali catholico, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Ivo part. 3. c. 98.

NOveritis dilectiſſimi filii, quia nos pro ſtatu ſanctæ Dei eccleſiæ juſſimus congregari ſynodale concilium apud urbem Trecas. Ubi ſedentibus nobis in corona, venit ante præſentiam noſtram filius noſter Sigebodus primæ ſedis Narbonenſis epiſcopus, cum ſuis ſuffraganeis epiſcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habebatur de ſacrilegiis, & in eiſdem legibus ſcriptum erat, ut cauſæ, quas illæ leges non habent, non audirentur a judicibus illius patriæ: atque ita jus ſanctæ eccleſiæ ſuffocabatur ab incolis Galliæ & Hiſpaniæ provinciis. Unde noſtra ſerenitas, cum præſcriptis epiſcopis, inſpectis legibus Romanis, ubi habebatur de ſacrilegiis, invenimus ibi a Juſtiniano imperatore legem compoſitionis ſacrilegii conſtitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcipimus eſſe tenendam, quæ a Carolo eſt conſtituta pio C principe de compoſitione ſacrilegii, videlicet in xxx. libras examinati argenti, id eſt ſexcentorum ſolidorum ſummam argenti puriſſimi. Ideoque quiſquis inventus fuerit reus ſacrilegii, iſtam leviorem compoſitionem emendet epiſcopis ipſis, vel abbatibus, ſive perſonis, ad quas querimonia ſacrilegii juſte pertinuerit: & ſi ipſe reus ſacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi ſubjaceat, uſquequo prædictam compoſitionem ſexcentorum ſolidorum perſolvat. Et ſi in hac obſtinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum pſalmis & hymnis non deferatur ad ſepulturam. Et præcipimus ut in fine codicis legis mundanæ ſcribatur hæc lex.

17. qu. 4. Quiſquis inventus.

## VIII.

## EPISTOLA JOANNIS PAPÆ VIII.

Privilegium eccleſiæ Pictavenſis, ne quis ejus bona invadat, & ut ablata reſtituantur.

*Omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, præſentibus ſcilicet atque futuris.*

Epiſt. III. ſupra pag. 84.

DIvino quia Romanum pontificium largitu enitet univerſis, illud luce clarius conſtat, largita defendere cunctis: quoniam indubitati juris eſt, ſemel conceſſa perenni cultu fore tenenda. E Ceterum omnium religioſitas, orthodoxorumque pernoſcat fidelitas, quod ut relatu quorumdam didicimus, Pictavenſis quidem eccleſia, quam diutinus Paganorum hoſtis perſequitur, multa Chriſtianorum iniquorum incommoda patitur, quibus preſſuris nos convenit perdolere, eamdemque nihilo minus tanto faſce levare. Quapropter præcipimus, apoſtolicaque auctoritate expreſſe jubemus, quod nemo veſtrum, tam ſacerdotali ordine perfruens, quamque militare officium tenens, ipſius eccleſiæ Pictavenſis aliquam eccleſiam, aliquodve monaſterium, vel prædia ipſi quoquomodo pertinentia invadere præſumat, ulloſve colonos, ſer-

A vos, ancillaſve, contra ſui epiſcopi velle tollere audeat: ſed liceat ipſius eccleſiæ Hecfrido videlicet epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus, illa, quæ ſui anteceſſores legitimo tramite canonicæ auctoritatis habuerunt, ſub noſtra tuitione habere, & ut poſſederunt poſſidere, & ut ordinaverunt ſuo arbitrio ordinare, cum conſulto conſenſuque ſuæ eccleſiæ canonicorum, ut priſca conſuetudo dignoſcitur, ſine veſtro veſtrorumque obſtaculo, & omnium hactenus talia præſumentium. Inter hæc volumus quaſque cauſas prædicto Hecfrido epiſcopo inde motas in noſtra præſentia adducendas. Si quis vero ſacerdotum, judicum, atque ſæcularium perſonarum, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, B poteſtate honoris ſui ac dignitate percuſſus apoſtolico anathemate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. Et niſi vel ea quæ ab illo ſunt male ablata reſtituerit, vel præſumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleverit, a ſacratiſſimo corpore Dei Domini ac redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat. Cunctis autem eidem præfatæ eccleſiæ jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatenus & hic fructum bonæ operationis recipiant, & apud ſummum arbitrum præmia æternæ pacis inveniant. Data III. Kalendas Septembris, indictione XI. Trecis.

## IX.

*Reclamatio & proclamatio Hincmari, qui quondam præerat eccleſiæ Laudunenſi.*

DOmine & ſumme pater patrum, & rector pontificum, Joannes nomine & meritis vocate, audi vocem proclamationis meæ, & exaudi vocem deprecationis meæ, compaſſus cauſæ calamitatis meæ. A Rhemorum archiepiſcopo ad ſynodum ſum vocatus ad Duziacum villam, quam conſtituit hebdomada prima menſis Auguſti, & monuit me de certis cauſis paratum eſſe ibidem ut reſponderem. Ad quam cum feſtinaſſem, violentia hoſtili in medio itinere ſegregatus ſum ab ovibus meis, privatus ſum & ſpoliatus omnibus D rebus meis, perductus ſum ab eiſdem hoſtibus uſque ad præfatam villam. In qua cum conſiſterem, jam ſtabat rex Carolus ante ipſum archiepiſcopum meum, tenens in manu ſcripturam, reputans me eſſe perjurum, quia Romam ſine ſua voluntate miſerim, & imputans quod eum accuſaverim. Ad quæ idem archiepiſcopus me reſpondere juſſit. Cui ego reſpondi, quia pro his, de quibus me admonuerat in eadem ſynodo eſſe paratum ut reſponderem, paratus eram ſcriptis reſpondere: quæ ſcripta præ manibus tenui, ſed ipſe non permiſit ut ſynodus ſcripta mea ſuſciperet, quia ſibi dari jubebat, ſed ego ſuſpecto dare nolebam. De clerico autem meo, nomine Bertario, quem ſubito requiſivit, ſed requiſitus non E adfuit, reſpondi quia ipſi homines mecum veniebant, qui eum comprobaturi eſſent, ſi eis venire licuiſſet: ſed idem archiepiſcopus de his nihil me poſtea appellavit, ſed ad accuſationem regis me reſpondere iterum atque iterum præcipiebat. Et ego reclamavi, quia non docebat canonica auctoritas, nudatum & ſuis rebus ſpoliatum, inſuper & ab hoſtibus detentum, reſpondere ullatenus debere. Sed & addidi, quia non ſolum ſuſpectum, ſed manifeſtiſſime illum infeſtum habebam. Unde & apoſtolicam ſedem appellavi pro amore Dei & honore ſancti Petri, tam de ipſa accuſatione regis, quam de præjudicio quod ab

ipſo

ANNO CHRISTI 878.

ipſo patiebar archiepiſcopo. Legi manibus tenens A auctoritates Julii papæ, & Felicis papæ, videlicet ea quæ ipſi in eis præfigunt de appellationibus epiſcoporum: quæ mihi ſervari appellando ſedem apoſtolicam proſtrato corpore expetii, ſed nihil horum mea petitio obtinuit. Sed neque literæ apoſtolicæ, quas mihi præſentialiter dederat, quoniam me vocabant, ut procraſtinando venire non differrem, ſi ſtatus mei jacturam ſuſtinere non vellem, quidquam prævaluerunt. Judicium præfatus archiepiſcopus ſuper me impoſuit, ut ab epiſcopali removendus eſſem officio. Sed alii gemebant flebantque, inter quos nullum merebar pati inimicum. Scripta quidem ab eodem archiepiſcopo ipſis impoſita manibus tenentes, ſed ore proferre nolentes, inviti vix verba ſingultiebant, aditum B tamen ad ſedem apoſtolicam minime ſperantes mihi poſſe denegari. Unde, ſalvo per omnia ſedis apoſtolicæ judicio, ipſi finem lectionis terminavere. Poſt hæc tranſmiſſus ſum in exilium, in quo per duos annos ſanus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſtoditus ſum. Duobus annis ferme peractis, inſuper cæcatus ſum, & uſque modo retentus, ad vos, & ad veſtræ piiſſimæ ſerenitatis præſentiam, mox ut venire dimiſſus potui protinus acceſſi. Nunc autem veſtram clementiam ſuppliciter exoro a veſtra ſumma peternitate parari de me æquitatis judicium, cui ſecundum canonicam inſtitutionem, & decreta Romanorum pontificum reſervatus & reſervandus ſum, & fueram. Quod ob amorem Dei, & venerationem beati Pe- C tri, apud veſtræ paternitatis pietatem obtinere efflagito, tum pro multitudine miſeriæ meæ, tum pro magnitudine pietatis veſtræ: quæ accendatur clementiſſimi redemptoris amore, qui me proprio acquiſivit ſanguine, & qualemcumque ſancto ſuo ſacravit munere.

## X.

## EPISTOLA JOANNIS PAPÆ VIII. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM Burdigalenſem.

Ut ad ſynodum veniat, & privilegium de ſedium mutatione afferat.

*Frotario venerabili archiepiſcopo Burdigalenſi.*

Epiſt. cxii. ſupra pag. 84.

AD ſynodum igitur, quam Deo auctore apud Trecas celebramus, cum reliquis ſeptem Galliarum provinciarum confratribus & coepiſcopis, fraternitatem tuam cum tuis ſuffraganeis epiſcopis, tam viva voce, quam literali, admonere ut venires omni poſtpoſita occaſione cujuſcumque occaſionis ſtuduimus, fatemur, jam tertio, ut ſimul poſiti emergentium quæſtiones cauſarum ſtatutis Canonicis demerentur, & ſacerdotum Domini una concordia omnium fieret dilectionis. Sed cur venire diſtuleris, moleſte cuncti ferimus, & valde miramur. Quapropter repulſa mora præſentiam tuam cum prædictis ſuffraganeis nobis & ſanctæ ſynodo citiſſime exhibe. Sic tamen inſtructus, ut cum de mutatione contra canones ſedium, & de aliis exceſſibus, quibus, quod non optamus, patrum regulis feriri poſſis, impetitus fueris, cauſa juſtitiæ intercedente, illæſus & innocens recedere valeas. Hoc reverehtiæ tuæ conſulentes damus conſilium, ne abſentiam tuam tibi aliquid puto- prodeſſe, ſed immo ſecundum patrum ſtatuta magis obeſſe. Privilegium atque ſcripturas de ſedium mutatione, ſi qua a nobis vel prædeceſſoribus noſtris habere ſic fatemini, vobiſcum ſine mora deferre ſtudeas.



## XI.

## EPISTOLA JOANNIS PAPÆ VIII. AD ADALARDUM ARCHIEPISCOPUM Turonenſem.

ANNO CHRISTI 878.

Confirmat privilegia eccleſiæ Turonenſi conceſſa.

*Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Adalardo venerabili archiepiſcopo Turonenſi, ſucceſſoribuſque tuis, nec non & omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, præſentibus ſcilicet atque futuris.*

Epiſt. cxiii. ſupra p. 85.

B DEcet Romanam eccleſiam, quæ mater eſt omnium Dei eccleſiarum, ut quanta viget dignitate præclara, eo magis conſiſtat in miſericordia pia: quatenus quæ digna poſtulantur a fidelibus, ſine mora cum pietate largiri mereantur a nobis. Omnium veſtrum religioſitatem volumus ſcire fideliter, quoniam presbyteri diœceſis Turonici pagi ad noſtrum acceſſerunt pontificium, ſuggerentes ut firmaremus apoſtolica auctoritate illis & capitulare regum, & coepiſcoporum ſcriptum, ut debeat unaquæque eccleſia proprium manſum habere cum mancipiis quatuor, vineas, aripennos tres, prata ſimiliter, & cœmeterium cum manſionibus, ſine perſonali & civili munere exigendo, niſi divino ſolummodo in eccleſiaſticis rebus C obſequio, ſicuti canonum priſca auctoritas & moderna concedit: ubi vero res nominatæ antiquitus condonatæ & moderno tempore abſtractæ eſſe videntur, pontificali auctoritate & regali poteſtate ſine mora aliqua aut tarditate reſtituantur. Nos illorum precibus inclinati volumus, apoſtolicaque auctoritate expreſſe jubemus, ut præfata ſcripta, a noſtro pontificio delata, a coepiſcopis firmata, a regibus juſſa, ſint rata & modis omnibus obſervanda. Si quis hujus apoſtolicæ cenſuræ temerario auſu violator extiterit, ſi ſacerdos fuerit, proprio honore privetur, & Chriſtiana communione caſſus anathematis vinculo innodetur; ſi laicus, ſimiliter perpetua damnatione cum Juda traditore torqueatur: conſervator vero perenni D benedictione apoſtolorum principum Petri & Pauli modis omnibus perfruatur.

## XII.

*Allocutio pontificis ad epiſcopos ſub finem ſynodi.*

VOs confratres & coepiſcopos meos volo unanimiter mecum in defenſione ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quam conſtat eſſe caput omnium eccleſiarum, convenire, donec Deo auxiliante in ſedem beati Petri apoſtolorum principis revertamur, cum omnium hominum veſtrorum armata bellico apparatu manu: & de hoc, non differen- E do, ſed ſub omni celeritate & certitudine ſponſionis, hic mihi quæſo abſque ulla dilatione continuo date reſponſum.

*Item allocutio pontificis ad regem.*

Vos, cariſſime fili Hludovice glorioſe rex, precor, in defenſionem, liberationem, atque exaltationem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſicut prædeceſſores veſtri fecerunt, & vobis ſub atteſtatione facere mandaverunt, ſine procraſtinatione & ulla dilatione ſuccurrite: quia miniſtri Dei eſtis, vindices in ira in his qui male agunt, & non ſine cau-

cauſa gladium portatis: ne forte, quod abſit, il- A la vos aut regnum veſtrum culpa contegat, quæ quoſdam veteres reges inimicis & infidelibus Dei quondam parcentes damnabiliter ſtrinxit. Vel ſi allud placet, præſentaliter in iſto loco date, per Deum & per beatum Petrum vos conjuro, ſine mora reſponſum.

## XIII.

Privilegium monaſterio Floriacenſi conceſſum in ſynodo Tricaſſina.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus epiſcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam conſtitutis.*

QUoniam apoſtolica * ſucceſſione ſolicitudinem omnibus eccleſiis debemus impendere, ſic cupimus generali conſulere neceſſitati, ut etiam quorumcumque ſingulares cauſas ſine faſtidio cognoſcamus. Igitur cum propter multiplices eccleſiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem, Trecas civitatem deveniſſemus, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXVIII. & ad reſecanda quælibet inutilia, vel ſtatuenda eccleſiaſtica jura, ſynodum generalem plurimorum celebraremus epiſcoporum, inter alia ſuggeſſit auctoritati noſtræ venerabilis partium veſtrarum abbas, nomine Theotbertus, ex cœnobio quod vocatur Floriacus in pago Aurelianenſi, quod idem monaſterium qui- C dam religioſus abbas, Leodebodus nomine, monachus exſtruxerit in honore Dei & ſanctæ genitricis Mariæ, nec non beati principis apoſtolorum Petri: quod revelatione divina per monachos ejuſdem loci a Beneventana provincia corpus illuc S. Benedicti pervenerit olim allatum, ibique reverenter humatum, ſicut manifeſtiſſima conſtat veritate: & quod propter ſtabilimentum monaſticæ religionis, piæ memoriæ glorioſus imperator Carolus præceptum ſuæ auctoritatis eidem loco res denominatas delegaverit, partim a religioſis hominibus, pro amore Dei illic contributas, ut victum atque veſtitum monachi ibidem Domino militantes deberent habere: nec non & hoc, quod beatæ recordationis pater ejus ſereniſſimus Auguſtus D in ipſo loco hoſpitale nobilium, quod Porta appellatur, juxta regularem inſtitutionem, itemque hoſpitale pauperum, in ſui parentumque ſuorum eleemoſyna ſtatuerit, & res ad hoc opportune agendum, nec non alias ad lumen eccleſiæ adminiſtrandum juſſerit deputari. Quæ omnia per jam dictos monachos hactenus ibidem comperimus obſervari. Nunc tam ſeipſum, quam unanimem congregationem ſibi commiſſam, humiliter poſtulare, quamvis privilegia multorum meruerint epiſcoporum, ad reprimendam quorumlibet illicitam cupiditatem, ut ſuper abbate regulari ex eis eligendo etiam noſtræ auctoritatis privilegia conſequantur. Quocirca nos poteſtatem, quam gratis a Chriſto accepimus, ſecundum evangelicam au- E ctoritatem gratis prodeſſe omnibus cupientes, vice beati Petri apoſtoli decernimus, ut in ſæpe memorato loco ſervi Dei abſque inquietudine debitum ſuæ religionis perſolvere poſſint ſervitium ſecundum regulam patris Benedicti, a propriis abbatibus, monachis videlicet ex eodem cœnobio regulariter electis, in perpetuum gubernetur. Nec illarum rerum, quæ vel in prælibato præcepto nominatim continentnr vel a prædicto abbate venerabili nunc ejuſdem loci Theotberto præfati monaſterii officiis deputatæ habentur, ullam ab aliquo unquam patiantur immunitionem, & etiam rebus, quæ deinceps a quibuslibet religioſis hominibus eodem loco pervenerint condonatæ. Quod ſi quis hoc noſtrum beneficium irrumpere præſumpſerit, & ſtipendia ſervorum Dei in alios uſus converterit, ab apoſtolica communione anathematis animadverſione illum ſeparamus, ut niſi admonitus e veſtigio ſe correxerit, cum rapacibus a regno Dei excluſus quæ meretur tormenta perſolvat. Ut autem hoc privilegium certam obtineat fidem, & Dei famulis in jam dicto Floriacenſi cœnobio ſecuritatem conſerat, quamdiu Deus & Dominus noſter eccleſiam ſuam durare voluerit, noſtra id ſubſcriptione roboravimus. Scriptum per manus Georgii ſcriniarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, in menſe Auguſto, indictione XI. Bene valete.

B Data Nonis Septembris per manum Vvalberti humillimi epiſcopi ſanctæ Portuenſis eccleſiæ, anno Deo propitio pontificatus domini noſtri Joannis ſummi pontificis, & univerſalis papæ, in ſacratiſſima ſede beati Petri apoſtoli ſexto, indictione XI. *

* f. ſuggeſtione

* Anno Ch. 878.

## XIV.

*Geſtorum ſynodalium concilii Tricaſſini brevis altera narratio, quam habet * Aimoinus lib. V. cap. XXXVII.*

* ſeu potius anonymus continuator Aimoini excerptam ex annalibus Bertinianis ad an. 878.

INterea Joannes papa generalem ſynodum cum epiſcopis Galliarum & Belgicarum provincia- C rum agens, qualiter Lautbertum & Adalbertum, Formoſum quoque, & Gregorium nomenclatorem, ac complices illorum Romæ excommunicaverit, relegi fecit in ſynodo, & conſenſum epiſcoporum in eadem excommunicatione quæſivit. Unde qui adſuerunt epiſcopi petierunt, ut ſicut ipſe excommunicationem, quam fecerat, per ſcripturæ rationem recitari fecit in ſynodo, ita & eis concederet, ut per ſcripturam illi ſuam conſenſionem proferrent. Et concedente ita fieri papa Joanne, in craſtinum epiſcopi hoc quod ſequitur diploma papæ in ſynodo porrexerunt: *Domine ſanctiſſime ac reverendiſſime pater patrum Joannes*, &c. Quod diploma Joannes papa ſuæ excommunicationi aſcribi fecit: & ſua manu confirmans ab omnibus epiſcopis in ſynodo ſubſcribi fecit. Deinde D ipſo jubente lecti ſunt in ſynodo canones Sardicenſis concilii, & decretum papæ Leonis, de epiſcopis ſedes ſuas mutantibus. Sed & Africani canones, ut non fiant epiſcoporum translationes, ſicut nec rebaptizationes, vel reordinationes, pro Frotario Burdigalenſi epiſcopo, qui a Burdigala Pictavos, indeque ad Bituricenſem civitatem exiliiſſe dicebatur. Et poſt hæc coronatus Ludovicus a papa Joanne, VII. Idus Septembris, invitavit eumdem papam in domum ſuam: & opipare paſcens honoravit eum multis donis ipſe & uxor ſua, & remiſit ad Trecas eivitatem. Et poſtea per oratores ſuos oravit eumdem papam, ut uxorem illius in reginam coronaret, ſed obtinere non E potuit. Frotarius autem & Adalgarius epiſcopi attulerunt in conventum epiſcoporum papæ Joanni præceptum, per quod pater ſuus Ludovico regnum tradiderat, petentes ex ipſius parte, ut privilegio ſuo ipſum privilegium confirmaret. Tunc papa Joannes protulit exemplar quaſi facti præcepti a Carolo imperatore de donanda abbatia S. Dionyſii Romanæ eccleſiæ. Quod compilatum conſilio præfatorum epiſcoporum, & aliorum conſiliariorum Ludovici regis, a plurimis credebatur, ut a Gozlino ipſam abbatiam, velut ex ratione, tollere & ſibi habere poſſet. Et dicebat papa Joannes, ut ſi vellet Ludovicus rex, ut ſuper illius præ-

præceptum privilegium faceret, ſuo præcepto illud patris ſui præceptum firmaret. Quod argumentum, ſicut factio, & non ratio, imperfectum remanſit. Quarto Idus denique præfati menſis, Ludovicus rex quorumdam primorum compulſus petitionibus, venit ad apoſtolici manſionem, & cum eo familiariter locutus, una cum illo reverſus eſt ad conventum epiſcoporum in exedram juxta manſionem apoſtolici. Et poſt excommunicationem Hugonis Lotharii filii, & Immonis, ac complicum eorum, vim facientibus quibuſdam epiſcopis, & conſentiente rege, dixit papa Joannes, ut Hedenulfus, ſua auctoritate ordinatus epiſcopus, ſedem ſuam teneret, & epiſcopale miniſterium ageret, & Hincmarus cæcus, ſi vellet, miſſam cantaret, & partem de rebus epiſcopii Laudunenſis haberet. Et cum Hedenulfus apud eumdem papam peteret, ut eum ab illa ſede abſolveret, dicens ſe eſſe infirmum, & velle intrare monaſterium, obtinere non potuit: ſed præceptum eſt illi ab eo, conſentiente rege atque epiſcopis Hincmari fautoribus, ut ſedem ſuam teneret, & epiſcopale miniſterium ageret. Qui fautores Hincmari audientes quod papa Joannes dixerit, ut ſi vellet Hincmarus cæcus miſſam cantaret, & rex conſenſerit ut partem de epiſcopio Laudunenſi haberet, inſperate aliarum provinciarum epiſcopi, ſed & aliarum regionum metropolitani, ſine præceptione papæ, Hincmarum veſtimentis ſacerdotalibus indutum in præſentiam ipſius papæ adduxerunt, indeque ſublatum cantantes in eccleſiam illum duxerunt, & ſignum benedictionis ſuper populum dari fecerunt. Sicque ſynodus illa ſoluta eſt.

XV.

Eodem quoque jure quo privilegium Floriacenſe Sirmondus, ad acta concilii hujus revocare poteris quod poſt conventum Cabilonenſem an. 875. excuſum a nobis fuit diploma in gratiam concilii Tornutienſis ſupra pag. 301.



NOTÆ JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Tricaſſinum II.* ) In digerendis actis decretiſque hujus Concilii difficile fuit ſtatum ordinem tenere, tum quia ex diverſis locis congeſta ſunt, tum quia non eumdem ordinem tradunt qui res in eo geſtas commemorant. Conſentiunt tamen de Lantberti & Adalberti, qui eccleſiam Romanam & pontificem vexabant, excommunicatione actum fuiſſe primo loco. Quare hinc etiam orſi ſumus.

2 *Paſcaſius epiſcopus.* ) Nomen loci cui præfuit, in ceteris exemplaribus omiſſum, in uno tandem offendimus, & Amerinum epiſcopum fuiſſe didicimus.

3 *Coronatus Ludovicus.* ) Ludovicum Balbum jam ſuperiore anno regem coronarat Hincmarus archiepiſcopus, ut videre eſt in actis illius coronationis poſt capitula Caroli Calvi. Nunc iterum à papa coronam expetiit, exemplo Pippini abavi ſui, quem a Bonifacio primum archiepiſcopo, iterum a Stephano papa regem coronatum meminerat. Sunt autem, qui Ludovicum ab Joanne coronam hoc loco non regni, ſed imperii, ſuſcepiſſe putent. Inde enim Ludovicum Balbum inter imperatores pleriqne numerant tum exteri, tum noſtri etiam ſcriptores. Quod mirum certe mihi, falſumque ſemper viſum eſt, cum Joannes ipſe papa in epiſt. XLVII. & in aliis quas ad Ludovicum poſtea ſcripſit, ipſum regem non imperatorem vocet: in epiſtola LXXI. ad Ludovicum & Carlomannum Ludovici Balbi filios, Caroli Calvi nepotes, Carolo eorum avo imperatoris nomen tribuat, Ludovico Patri nomen regis, imperatorem haud dubie appellaturus, ſi imperator fuiſſet; eodemque modo Hincmarus in epiſtolis, quarum meminit Flodoardus lib. III. cap. XIX. fratres iſtos reges Ludovici regis, non imperatoris, filios nominet. Quid quod Ludovici ipſius Balbi, ut alia omittam, diploma extat pro eccleſia Nivernenſi, IV. Idus Septembres, hoc eſt triduo poſt coronationem iſtam Trecis datum, in quo non alium ſe quam regem vocat his verbis, *Ludovicus miſericordia Dei rex*. Rex ergo fuit, non imperator: imperatoris vero titulum, antiquis ignotum, alii poſtea temere affinxerunt.

# CONCILIUM PAPIENSE

## A JOANNE PAPA VIII.

exeunte Anno DCCCLXXVIII. celebratum.

HUjus Concilii meminit Joannes VIII. in pluribus Epiſtolis, præſertim vero in epiſt. 127. data Anſperto Archiepiſcopo Mediolanenſi, præcipiens ei ut ſibi ex Galliis revertenti Papiæ occurrat cum ſuffraganeis & coepiſcopis ſuis poſt feſtum S. Andreæ die ſecunda, hoc eſt 2. Decembris; & in epiſt. 142. ſcribit Epiſcopis Regienſi, Parmenſi, & Placentino ſe 8. Kalend. Decemb. Taurinum perveniſſe, inde Papiam profecturum, eoſque vocat ad Synodum ibi pro ſtatu Dei Eccleſiarum celebrandam. In epiſtola vero 141. præcipit Joanni Ticinenſi Epiſcopo, ut epiſtolam a ſe ſcriptam ſuffraganeis Epiſcopis Ravennatis Eccleſiæ cum celeritate mittere procuret, *ut ſtatuto die ad Papiam veniant, quatenus de ſanctarum Dei eccleſiarum ſtatu, & communi atque univerſali ſalute tractare valeamus.* Huic Concilio ſubſcripſiſſe Joannem Ticinenſem Epiſcopum tradit Ughellus in Ital. ſacr. tom. 1. in Papienſibus, eique Joannem Pontificem plura contuliſſe, ſeu potius confirmaſſe privilegia; & præcipue, ut populo, cleroque jus eſſet ſuum Epiſcopum eligendi; ut Epiſcopo Ticinenſi ad Synodum vocante Archiepiſcopos Ravennatem & Mediolanenſem cum ſuis ſuffraganeis, iſti accedere tenerentur. Quid præterea in hac Synodo actum fuerit, incompertum.

Ex Supplemento Concil. Galliæ.

# CONCILIUM IN CONFINIO PROVINCIARUM

## Arelatenſis et Narbonenſis

A Roſtagno Arelatenſi & Sigebodo Narbo- A nenſi Archiepiſcopis cum illorum ſuffraganeis celebratum, ut cauſam inter Vualefridum Uceticenſem, & Rotfredum Avenionenſem Epiſcopos propter quandam Eccleſiæ Vualefridi villam a Ractefredo ablatam, canonice definirent. Cujus rei mentio eſt tum in actione 3. Concilii Tricaſſini. II. tum in Epiſtola 45. Joannis VIII. iiſdem Archiepiſcopis ſimul hæc ſupradicta mandantis, cum in eodem Concilio idem Papa, cui libellus reclamationis adverſus eumdem Rotfredum porrectus eſt, diſſidium illud ob ejuſdem abſentiam terminare noluerit. Quis autem Archiepiſcoporum judicii fuerit exitus, neſcitur. Similis controverſia inter alios præſentes duos eidem Tricaſſinæ Synodo Epiſcopos ſedata eſt. (Sanctitati veſtræ, inquit Joannes VIII. Papa, notum eſt, qualiter Vualfredus Uceticenſis Eccleſiæ Epiſcopus ad Synodum, quam Deo auctore apud Trecas celebravimus, reclamationis libellum obtulit ſuper Ractefredo Avenionenſe Epiſcopo, quod ei quandam villam ad ſuam ſedem, ſive Parochiam pertinentem abſtuliſſet. Sed quia Ractefredus, de quo querela erat, Synodo defuit, ideo fraternitati veſtræ Apoſtolica auctoritate mandamus, ut coadunato numero Epiſcoporum, eorum cauſam canonico judicio finiatis, ita diſcutiendo & determinando tantæ præſumptionis invaſionem, ut nemo Epiſcoporum veſtrorum contra canonica præcepta ulterius inſurgere ſub periculo tentet. Vos quoque præſentialiter cum veſtris iſtud determinare judicium, Capitula quædam vobis Patrum auctoritate collecta mittimus, ſecundum quæ judicare abſque dilatione B debeatis, ne quærendo aſſumatis laborem pro tali negotio.) Porro veriſimile videtur hanc Epiſcoporum controverſiam fuiſſe compoſitam anno Tricaſſinum Concilium ſequente, qui erit alterius Epocha, cum illos videamus Epiſcopos, de quibus eſt ſermo, alteri Concilio, ſcilicet Mantalenſi hoc eodem tempore celebrato, ſimul interfuiſſe.

# ᵃCONCILIUM ROMANUM II.

## OB ELECTIONEM NOVI IMPERATORIS,

Poſt obitum Ludovici III. cognomento Balbi congregatum, anno Domini DCCCLXXIX. tempore Joannis papæ VIII.

Obitus Ludovici III.

ᵃ *Concilium.*) Cum Ludovicus tertius 4. Idus Aprilis die paraſceves circa veſperum, anno redemptoris noſtri 879. obiiſſet, eaque de re Joannes papa VIII. certior factus eſſet, ſynodum Romæ indixit, teſte Aimoino, menſe majo celebrandam. Ad Anſpertum Mediolanenſem archiepiſcopum, quem ad hanc ſynodum vocabat, ſcribens epiſtolam 155. hæc ait: *Quia Carolomannus corporis, ſicut audivimus, incommoditate gravatus, regnum retinere jam nequit, de novi regis electione, ut omnes pariter conſideremus, vos prædicto tempore adeſſe, nempe ad Kalendas Majas valide oportet. Et ideo antea nullum abſque noſtro conſenſu regem debetis recipere. Nam ipſe qui a nobis eſt ordinandus in imperium, a nobis primum atque* C *potiſſimum debet eſſe vocatus atque electus*, &c. Carolum Craſſum filium Ludovici fratris Caroli Calvi erga quem propenſior erat, Romam vocat. Cumque Anſpertus ad ſynodum vocatus venire noluiſſet, atque interea de eligenda Caroli perſona, propoſitum immutaſſet, poſt dictam in Aſpertum excommunicationis ſententiam, ſuſpenſa eſt novi imperatoris electio uſque ad biennium, quo elapſo Carolus, poſt Italiam ſæpe armis ſubactam, anno redemptoris noſtri 881. die nativitatis Romæ a Joanne VIII. creatus & coronatus eſt, poſtquam biennio interregnum fuiſſet. Ita Regino in chronico, & Aimoinus lib. 5. D cap. 39. Baronius anno 879. num. 2.

Carolus Craſſus fit Imperator anno tantum 881.

# CONCILIUM ROMANUM III.

## QUO PETRUS IN CAUSA PHOTII RESTITUENDI

Miſſus eſt Conſtantinopolim anno Domini DCCCLXXIX. tempore Joannis VIII.

ᵃ *Concilium.*) Hæc ſynodus auctoritate Joannis papæ congregata Petrum alioſque adjunctos ei legatos ea facultate dumtaxat inſtruxit atque communivit, ut Photium a cenſuris eccleſiaſticis abſolverent, & ſedi Conſtantinopolitanæ reſtituerent: non ad veram & germanam ſynodum octavam ſub Hadriano pontifice habitam, reprobandam: & particulam illam, *Filioque*, e ſymbo- E lo penitus tollendam, multa auctoritate iidem muniti fuerant. Hæc cum pateant ex ep. Joannis 199. ad Baſilium imperatorem ſcripta, qua ſe in Photio ſedi ſuæ reſtituendo, non concilii diſſipatione vel abrogatione, ſed tantum diſpenſatione uti ſignificat: ſecundo ex epiſtola 250. & 251. quibus indicat, ſe reprobare omnia, quæ præter reſtitutionem Photii acta ſunt. Tertio ex ipſo

ANNO CHRISTI 879.

ipſo commonitorio per Photium corrupto & falſato, in quo epiſcopi ſubſcribentes profitentur omnes, ſe commonitorio pro Photii reſtitutione ſubſcribere. Nos vero & germano commonitorio cujus 203. 250. aliiſque pluribus Joannis papæ epiſtolis mentio fit, deſtituti, commonitorium illud quod a Photio corruptum, & in Photianæ pſeudooctavæ ſynodi actione 3. lectum fuit, inſerendum eſſe putavimus: tum ut inde acta hujus concilii confirmentur: tum ut quæ auctoritate legatorum in pſeudooctava Photiana ſynodo Coſtantinopoli geſta dicuntur, falſitatis & impoſturæ manifeſtæ redarguantur. Commonitorium autem Græce ſcriptum & a Metio Latine redditum ſic ſe habet:

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei; commonitorium fratribus Paulo & Eugenio Epiſcopis, ſimiliter & Petro presbytero cardinali, noſtris Conſtantinopoli legatis.*

Commonitorium a Photio falſatum.

CUm primum divina favente gratia & interceſſionibus ſanctorum apoſtolorum Conſtantinopolim ingreſſi fueritis, illuc divertite quo præcipiet imperator: & antequam imperatorem viſitaveritis, nulli alii apoſtolicas literas tradere velitis. Cum coram imperatore fueritis, literas illi tradetis hujuſmodi verbis illum alloquentes: Salutat veſtrum ex Deo regnum ſpiritalis veſter pater dominus Joannes apoſtolicus papa, tuam ex Deo potentiam ſuis orationibus ſingulis diebus ſancto Deo commendans, ut ille qui vobis hoc dedit deſiderium propter eccleſiaſticam pacem, tribuat vobis gratiam ſuam, & conſoletur vos ſua felici protectione, & perficiat in bonis deſideria veſtra. Si rogaverit imperator, antequam literas legat ſive capitula reſponſionis noſtræ, hujuſmodi verbis illis reſpondete: Si jubet imperium veſtrum, videat epiſtolas. Et ſi dixerit: Quid continent epiſtolæ? illi reſpondete: Salutationes continent, & omnino recte perficiunt. Poſtridie ſalutaturi Photium ſanctiſſimum accedite, & epiſtolam illi tradite, ſalutantes illum decenter talibus verbis: Salutat te dominus noſter Joannes apoſtolicus papa, & vult habere te fratrem & comminiſtrum, ſicut ſcripſit imperator, ut propter pacem eccleſiæ reciperemus ſanctiſſimum patriarcham Photium fratrem & comminiſtrum noſtrum, exaudiremus preces veſtras, & præciperemus, ut coram nobis veniat ad ſynodum: & ut recipiat ipſum univerſa eccleſia: juxta tenorem literarum noſtrarum, illum recipite ut comminiſtrum noſtrum, atque ut eccleſiæ Romanæ gratiam habeat, ſurgentes, illi dicite: Mandat dominus noſter ſanctiſſimus papa, ut omnes qui in diverſis locis extra terminos extiterunt, ſive epiſcopi, ſive presbyteri, ſive quivis alii fuerint, & noluerint hucuſque vobis communicare, veſtro opere & labore uniantur eccleſiæ Dei, & fiant unum vobiſcum. Qui ſi venerint, recipite illos, ut pater recipit filios, eoſque monebit ſæpius, ut propter pacem Dei eccleſiæ idem ſentiant cum apoſtolico, ut unius ſint cum ipſo voluntatis: recipientes videlicet Photium ſanctiſſimum patriarcham & cum illo una communicantes. Si autem venerint quicumque antea fuerant ordinati, recipiant ſedes ſuas; qui vero deinde fuerant ordinati, accipiant ab epiſcopis ipſis victum & veſtitum neceſſarium.

Hic dempta aliqua ſuperius notata de petendo veniam co-

Præſidentibus vobis in ſynodo una cum prædicto ſanctiſſimo patriarcha & legatis orientalibus, una cum reliquis archiepiſcopis & metropolitis, & omnibus ſacerdotibus Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, primum legantur literæ ad imperatorem miſſæ: & interrogetur ſynodus, ſi illas recipit, & ſi obſervat teſtimonia, quæ continent literæ ipſæ. Quibus annuentibus, hæc dicite: Dominus noſter ſanctiſſimus papa omnium eccleſiarum curam gerens, ſalutem etiam veſtram & unionem & pacem procurans, miſit nos ſervos ſuos, ut diſperſos congregemus, & diſſidentes conciliemus, & eccleſiæ miſericordiæ manum porrigamus, lapſos erigamus, ut omnes uno ore glorificemus Patrem cum Filio & Spiritu ſancto.

ANNO CHRISTI 879. ram ſynodo Photio impoſita, addita vero alia; ex recitatis literis intelligere potes.

Sequentes canones noſtrorum patrum dicimus, ut poſt obitum Photii ſanctiſſimi patriarchæ nullus a civili dignitate Conſtantipolitanam ſedem aſcendat, quemadmodum etiam literæ noſtræ teſtantur.

Volumus etiam, ut coram ſynodo prædictum Photium ſanctiſſimum patriarcham oretis, ut neque pallium in Bulgariam mittat, neque ordinet quemquam in ipſa provincia. Si enim hæc fecerit, juxta ſacros canones illum arguemus.

Volumus præterea ut coram univerſa ſynodo promulgetur, quod ſynodus habita adverſus prædictum patriarcham Photium tempore Hadriani ſanctiſſimi papæ tum Romæ tum Conſtantinopoli, exnunc habeatur nulla & irrita, & non annumeretur cum alia ſancta ſynodo.

Non preces tantum ſed excommunicationem continent Joannis literæ de Bulgarorum cauſa.

Advertite, ut juxta mandatum noſtrum ita ambuletis, neque muneribus vos corrumpi ſinatis, neque adulationibus, neque minis & terroribus declinetis ſive ad dexteram ſive ad ſiniſtram, ſed regiam viam incedite, tanquam habentes locum & poteſtatem noſtram, quam vobis propter eccleſiæ pacem ſumus impertiti, ut veſtro labore & diligentia digne gratiam noſtram, & apoſtolicæ ſedis obtineatis, & noſtræ communionis ſitis hæredes.

Vides idem additamentum hic a falſario quod ſupra de abolenda octava ſynodo fuit appoſitum.

*Subſcriptiones epiſcoporum, qui interfuerunt Romanæ ſynodo, ex qua prodiit commonitorium & litera Petro legato data.*

Zacharias epiſcopus eccleſiæ Anagninæ & bibliothecarius apoſtolicæ ſedis in hoc commonitorio pro receptione Photii ſanctiſſimi patriarchæ propria manu ſubſcripſi.

Martinus epiſcopus eccleſiæ Narnienſis in hoc commonitorio apoſtolicæ ſedis pro reſtitutione Photii ſanctiſſimi patriarchæ propria manu ſubſcripſi: ſic & aliqui ſequentes:

Dominicus epiſcopus Triventi.
Florius epiſcopus Maturenſis.
Gaudericus epiſcopus Velitrenſis.
Stephanus epiſcopus Ferentinas.
Leo epiſcopus * Gabienſis.
Petrus epiſcopus Foroſempronienſis.
Leo epiſcopus Tarracinenſis.
VValpertus epiſcopus Portuenſis.
Simeon epiſcopus Fundenſis.
Joannes epiſcopus Siminorum.
Benedictus epiſcopus.....
Gregorius epiſcopus Silvæ Candidæ.
Bonifacius epiſcopus Bleranorum.
Theodorus epiſcopus Galleſienſis.
Stephanus epiſcopus Nepeſinus.

* Sabinienſi

*Presbyteri cardinales.*

Germanus presbyter tituli ſanctorum Joannis & Pauli.
Petrus presbyter tituli ſancti Chryſogoni.
Benedictus presbyter tituli ſanctæ Balbinæ.
Hadrianus presbyter tituli ſancti Laurentii.
Joannes presbyter tituli ſanctæ Cæciliæ.

*Dia-*

*Diaconi cardinales.*

Paulus diaconus ſubſcripſi.
Leo diaconus ſubſcripſi.

NOTA SEVERINI BINII.

Audiſti, lector, additamentum Photii de abrogatione concilii œcumenici VIII. ſub Hadriano pontifice celebrati, jam ſuperius apertiſſime redargutum falſitatis ex recitatis Joannis papæ VIII. epiſtolis. Sed detegitur in eodem commonitorio eadem etiam impoſtura ex ipſa ſubſcriptione epiſcoporum, qua (ut ex ſupra poſitis vidimus) profitentur omnes, ſe commonitorio pro Photii reſtitutione ſubſcribere. Quod ſi ex ſynodi ſententia definita fuiſſet damnatio œcumenicæ ſynodi VIII. eademque commiſſa legatis in dato illis commonitorio, credibile utique eſt magis eam ſuis ſubſcriptionibus expreſſurus fuiſſe, quam Photii reſtitutionem.



# CONCILIUM ROMANUM IV.

## A JOANNE PAPA VIII. ANNO DCCCLXXIX.

Menſe Novembri celebratum.

TRia hoc anno Joannem Pontificem Romæ celebraſſe Concilia, ex ejus Epiſtolis eruitur. Primum habuit Kalendis Maji in eccleſia S. Petri, ut colligitur ex ejus epiſtola 182. ad Anſpertum Mediolanenſem Archiepiſcopum data 13. Kal. Junii ind. XII. ubi ait: *poſtremo generali ſynodo Romæ præteritis Kalendis Maji celebratæ, a nobis rurſum vocati, interceſſe penitus diſtuliſtis.* In hac de nova Italiæ regis electione agitatum; ſed nihil actum; & præterea Anſpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus communione privatus. Extat excommunicationis ſententia inter Joannis epiſt. n. 177.

Alterum Concilium celebravit pro reſtitutione Photii, & ex eo datum Commonitorium Paulo & Eugenio Epiſcopis ac Petro presbytero Cardinali S. Sedis Apoſtolicæ Legatis, qui Photium a cenſuris Eccleſiaſticis abſolutum ſedi Conſtantinopolitanæ reſtituerent. Notis temporariis caret commonitorium, ut ex eo certum hujus concilii tempus deduci nequeat. Verum cum ſuperiori Kalendis Majis celebrato non eſſe confundendum ex eo convincitur, quod eo jam abſoluto, die ſexto Maii Legati Conſtantinopolitani a Baſilio Imperatorem ad Pontificem miſſi, ut Photii reſtitutionem impetrarent, nondum pervenerant, ut habetur ex Joannis Epiſtola 187. eodem die ad Gregorium primicerium data, qua ei mandat, ut Legatos CP. per Beneventum, ac per Capuam ad ſe dirigat. Ex Joannis tamen Epiſtolis 199. ad Baſilium, Leonem, & Alexandrum Imp. 200. ad Clericos CP. 201. ad Photium, 202 ad Conſtantinopolitanos, & 203. ad Paulum & Eugenium Epiſcopos in cauſa Photii die 16. Menſis Auguſti datis conjicio eodem menſe Auguſto, & fortaſſe eadem die 16. hoc ſecundum Romanum Concilium, e quo forte prædictæ epiſtolæ editæ, fuiſſe celebratum. Et de his Labbeus ſupra.

Tertium denique idibus Octobris habuiſſe in Eccleſia B. Petri teſtatur ipſemet Joannes in epiſtola 221. ad Clerum Mediolanenſem data, quam ita exorditur: *Deo dilectæ unanimitati veſtræ fraternitatis, cariſſimi, notum eſſe volumus, quia nos una cum ſancta Synodo idibus Octobris in eccleſia B. Petri Apoſtoli peracta &c.* In hac Synodo Anſpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus, cum licet antea in prima excommunicatus, ſacrum præſumpſiſſet miniſterium celebrare, & in Vercellenſi eccleſia epiſcopum conſecrare, omni epiſcopali honore privatus eſt; & Vercellenſis invaſor in ordinem redactus; Amalphitani eo quod cum Saracenis fœdus iniviſſent, ab eccleſiæ Dei ſocietate ſejuncti, ut ex Joannis Ep. 225. liquet, decretum inſuper, ac definitum, mulierem, quæ vi minisque coacta religioſum habitum ſuſcepiſſet, ad vota ſecunda non teneri, uti ex ejuſdem Joannis epiſt. 226. ad Theodoricum Theatinum, Heodicium Firmanum, alioſque Epiſcopos data colligitur. In hac præterea Synodo accuſatus eſt Helmoinus Pennenſis Epiſcopus a quodam Oteramo, quem ille injuſte excommunicaverat; ut videre eſt ex Joannis epiſt. 228. ad Helmoinum, ubi legitur: *Nam & Oteramus filius qui* (legendum *quondam*) *Corvini cum aliis ſuis concivibus noſtris apoſtolicis, coram venerabili Epiſcoporum cœtu ſuper te queſtus eſt &c.*

# HIEROSOLYMITANA, ANTIOCHENA, ET ALEXANDRINA SYNODUS

*Pro Photii reſtitutione in cathedra CPtana,*

Anno 879. celebratæ.

Anno 879. Ex Suppl. Manſi tom. I. pag. 1019.

SAncto Ignatio patriarcha Conſtantinopolitano ad ſuperos jam translato, Photius, qui jam antea Baſilii imperatoris favorem aucupatus fuerat, facile ſe in vacuam ſedem intruſerat. Intelligens vero fruſtra ſe omnia moliturum, quandiu Oecumenici concilii VIII. depoſitio valeret, omnem contulit operam ut canonice abrogaretur. Quoniam vero difficile noſcebat ſanctionem, omnium patriarchalium ſedium conſenſu ſancitam, evertere, niſi ab iiſdem patriarchalibus ſedibus, a quibus lata fuerat, antiquaretur; ideo totam operam ſuam in eam rem convertit. Et a Romano quidem pontifice id ægrius impetratum; nullo vero negotio a patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, qui, cum ſub Saracenorum jugo agerent oppreſſi, ope Græci imperatoris ad ſuas ærumnas ſublevandas indigebant. Quare vix ab imperatore & Photio requiſiti, ſtatim ſinguli ſeorſum coacta ſynodo in reſtitutionem Photii plenis votis convenerunt. Singulæ illorum ſynodicæ ad Photium, & imperatorem tranſmiſſæ in conciliabulo Conſtantipolitano Photii anno 879. adſiſtentibus Joannis VIII papæ legatis, recitatæ ſunt.

CON-

ANNO CHRISTI 879. | ANNO CHRISTI 879.

# [a] CONCILIABULUM CONSTANTIPOLITANUM

## [b] OECUMENICUM PSEUDOOCTAVUM

[c] Reprobatum a CCCLXXXIII. epiſcoporum, quo poſt obitum Ignatii [e] reſtitutio Photii eſt confirmata, ſancta & œcumenica ſynodus octava plane abrogata, & ex ſymbolo illa particula, *Filioque*, ſublata fuit, [f] anno Domini DCCCLXXIX. tempore Joannis papæ VIII.

### NOTÆ SEVERINI BINII.

A quo, cur indictum?

a *Conciliabulum*.) Hæc ſynodus Baſilio imperatore & Photio procurantibus a Joanne papa ejus nominis octavo, ob Photii reſtitutionem dumtaxat, non vero (ut calumnioſe refert commonitorium quod actione II. hujus conciliabuli a Photio falſatum & corruptum invenitur) ad octavæ ſynodi abrogationem & reprobationem indicta fuit. Etiamſi enim germanum illud verum & incorruptum commonitorium, quod Petro legato ſedis apoſtolicæ datum eſt, inter epiſtolas Joannis papæ non reperiatur: tamen illud, quod apud Baronium ex actis conciliabuli hujus Latine tranſlatis deſcriptum invenitur, in fine ubi epiſcopi ſubſcripſerunt, manifeſtis verbis indicat, quod tantum pro receptione B Photii, quo cum Joannes papa ob cauſas ſupra commemoratas diſpenſandum putarat, legatio Conſtantinopolim mittenda fuit. Idem patet ex epiſtola Joannis 203. ad Paulum Anconitanum, & Eugenium Oſtienſem Conſtantinopoli degentes, qua dicit: *Vos huic Petro religioſo presbytero cardinis noſtri, familiarique noſtro ſociamus, quatenus ea quæ pro pace & unitate eccleſiæ Dei agenda ſunt, ſecundum apoſtolicos noſtræ auctoritatis apices, & ſecundum commonitorii noſtri tenorem capitulatim deſcriptum ſagaci valde intuitu ſimul agatis*, &c. Itaque commonitorium rerum agendarum legatos ſedis apoſtolicæ quidem accepiſſe certum eſt, ſed non illud quod actione ſecunda hujus conciliabuli recitatum, corruptum, & a Photio falſatum reperitur. Quod vero de abolenda vera ſynodo octava ſub Hadriano papa habita, hoc C commonitorio continetur, Photii commentum eſt non minus quam illa additamenta, quæ pro veræ octavæ ſynodi abrogatione, ſuique expurgatione epiſtolæ Joannis 199. ad Baſilium imperatorem: necnon 201. ad Photium ſcriptis, architectus falſitatis calumnioſe addidit. Magno Dei beneficio prædictæ epiſtolæ Joannis papæ integræ hucuſque aſſervatæ fuerant, ut ex earum collatione (quod præſtitit reverendiſſimus & illuſtriſſimus Cardinalis Baronius anno 879.) dolus, fraus & malitia Photii admirabilis falſitatum architecti toti mundo inноteſceret. Ex ejuſdem penetralibus prodiit epiſtola, de qua ſupra poſt finem epiſtolarum, ſub nomine Joannis conficta, qua calumniatus eſt inſuper eumdem pontificem, quod de proceſſione Spiritus ſancti eadem cum Græcis ſenſerit, atque particulam, *Filioque*, e profeſſione fidei Conſtantinopolitanæ tollendam eſſe voluerit. Hæc ſunt quæ pro beneficiis a pontifice acceptis malitioſus homo & mendaciorum architectus reddidit, quibuſve eum, a quo reſtitutus fuerat, perdere curabat. Quamquam igitur ſuccedentibus pontificibus Joan- D nes culpabilis eſſe viſus fuerit, quod per diſpenſationem quamdam, ut ajebat, ſalvis manentibus octavæ aliarumque ſynodorum conſtitutionibus Photium reſtitui voluerit: tamen hoc jam ſummo Dei beneficio ex præcedentis epiſtolæ collatione manifeſtum eſt, quod non ſit reus illorum criminum, quibus illum atque univerſam eccleſiam catholicam de proceſſione Spiritus ſancti, deque octavæ legitimæ ſynodi abrogatione, Photius in actis hujus conciliabuli aſpergere & diffamare conatur.

Commonitorium legato datum quale?

Photius commonitorium cum duabus epiſtolis Joannis papæ VIII. corrupit.

Unam ſub nomine Joannis effinxit de proceſſione Spiritus S.

Photius Joannem calumniatur.

Acta ſynodalia ubi extent: & cur apud Græcos ſcriptores eorumdem nulla mentio.

Hujus pſeudoſynodi acta Græce conſcripta continentur in bibliotheca Vaticana & Columnenſi, atque etiam teſte Radero, in codice Bavarico Auguſtano. Per Fed. Metium Latine tranſlata poſſedit reverendiſſimus & illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, ex quibus ſummatim decerpta ſunt, quæ infra ſuo loco ſubjungentur. De E hac pſeudoſynodo illud dignum eſt admiratione, quod nemo Græcorum ſcriptorum eorum, qui res Baſilii imperatoris proſequuntur, hujus Photianæ ſynodi vel verbo unico meminerit: cum e contra ferme omnes de octava ſynodo legitima œcumenica, in qua Photius e throno depoſitus fuit, ſermonem faciant. Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glycas, Conſtantinus Manaſſes de hujuſmodi Photiana ſynodo ne quidem verbum unum habent, quam ſane nequaquam prætermiſiſſent, ſi ta- A lis tamque numeroſa habita ſacroſanctam & legitimam octavam ſynodum damnaſſet. Hac de cauſa reverendiſſimus & illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus de Conciliis libro 1. cap. 5. ubi agit de octava ſynodo, de hoc pſeudooctavo & Photiano conciliabulo poſt alia hæc ſubjungit: *Idcirco facile mihi perſuadeo, aut eſſe omnia conficta, quæ dicuntur de Joanne VIII. ut ſanctus Antoninus docet in ſumma hiſtoriali parte 3. titulo 22. capite 13. §. 10. aut certe verum quidem eſſe, Photium a Joanne VIII. per legatos reſtitutum in ſedem Conſtantinopolitanam poſt mortem Ignatii: at cetera ſuppoſita & adulterina eſſe, & a Græcis conficta, ut ex Manuele Caliece Turrianus oſtendit in libro de actis VI. VII. & VIII. ſynodi. Confirmor autem in hac*, inquit, *ſententia, tum quia Zonaras meminit quidem reſtitutionis Photii; non autem abrogationis concilii VIII. nec ablationis illius particulæ*, Filioque, *ex ſymbolo, tum etiam quia Græci in Concilio Florentino ſeſſione 3. non agnoſcunt pro ſynodo œcumenica concilium illud ſub Joanne VIII. etſi illis multum prodeſſe potuiſſet, ſi legitimum & germanum Concilium fuiſſet.* Hæc Bellarminus de hac pſeudoſynodo prædicto loco. Eamdem ob cauſam hæc prædicto loco ſcriptor annalium: *Unde de ea* (pſeudoſynodo octava) *ſuſpicio augetur, ut ea tota ita fuerit Photii ſtylo conficta, ut ejuſdem penicillo mendacii colorata, ſicut ab eo alias factum eſſe ſuperius eſt demonſtratum.*

Quibus hæc acta ſynodalis plane fabuloſa videantur.

b *Oecumenicum*.) Sic nuncupatum quod legati ſedis apoſtolicæ, Petrus nimirum, Eugenius Oſtienſis, & Paulus Anconitanus eidem interfuerint; ſed quia ex actis conſtat, Photium præſediſſe Concilio, cui, ſi œcumenicum erat, legati pontificii, juxta tenorem commonitorii, aliarumque ſynodorum more præſediſſe de- C bebant, pſeudooctavam placuit appellare: quamquam nulla injuria etiam pſeudoſynodum nominaveris eamdem, qua per mille fraudes & impoſturas non tantum ſacroſancta & legitima ſynodus octava eſt reprobata, proceſſio Spiritus ſancti a Patre & Filio procedentis impugnata, verumetiam Joanni pontifici & conſequenter univerſæ eccleſiæ turpiſſimorum criminum maculæ inuſtæ, vel ſaltem aſperſæ leguntur. Photium a Joanne papa non citra culpam per quamdam diſpenſationem, ut verba commonitorii præ ſe ferre videntur, poſt obitum Ignatii, dignitati patriarchali reſtitutum fuiſſe nulla ratione negamus: a ceteris vero criminibus de abrogata ſynodo octava, & abnegata proceſſione Spiritus ſancti ex Filio, quæ hoc loco Photius illi per calumniam ſuo more impingere ſtudebat, ipſe Deus optimus maximus aſſervando in bibliotheca Vaticana integras illius epiſtolas, & proferendo eaſdem a Photio corruptas, cælitus illum defendiſſe videtur.

An fuerit œcumenicum?

Cur pſeudooctavum appelletur.

In quibus Joannes papa ſit culpabilis.

c *Reprobatum*.) Hanc ſynodum una cum ſuo aucto- D re a Marino, Hadriano tertio, aliiſque ſummis pontificibus plane condemnatam eſſe, infra ſuo loco conſtabit. Quod vero neque ipſe Joannes papa hanc Photianam ſynodum cum additamento condemnationis octavæ ſynodi œcumenicæ receperit, manifeſte colligitur ex epiſtola ejuſdem papæ 251. ad Baſilium reddita: qua dum orientali eccleſiæ de pace & unione per reſtitutionem Photii contracta (reliqua enim de abrogatione ſynodi & proceſſione Spiritus ſancti, ſi quid tale ibidem geſtum fuit, in ſuis, quas legatos Conſtantinopoli Romam revertentes ad pontificem deſtinarant, epiſtolis, illi doloſe ſuppreſſerant) congratulatus fuiſſet, ad finem ſuæ epiſtolæ reſponſoriæ caute admodum adjungit, ſic ſe probare quæ in ſynodo de reſtitutione Photii dumtaxat egiſſent, ut ſi quid illi vel hac, vel alia in re præter voluntatem ſedis apoſtolicæ & mandata E accepti commonitorii operati fuiſſent, id nullius plane auctoritatis eſſet. Verba epiſtolæ hæc ſunt: *Ea quæ pro cauſa reſtitutionis reverendiſſimi Photii patriarchæ ſynodali decreto Conſtantinopoli miſericorditer acta ſunt, recepimus. Et ſi fortaſſe legati noſtri in eadem ſynodo contra apoſtolicam præceptionem receperint, non autem recipimus, nec judicamus alicujus exiſtere firmitatis.* Iiſdem prope verbis eadem omnino ſcripſit in epiſtola 250. ad Photium reddita. Quare cum ex commonitorio legatis dato, & ex epiſtola Joannis 203. ad Paulum & Eugenium

An, & a quibus fuerit reprobatum.

An Joannes papa hanc pſeudoſynodum approbaverit?

ANNO CHRISTI 879.

nium ſcripta liquido appareat, ipſos legatos tantummo- A
do in cauſa reſtituendi Photii Conſtantinopolim miſſos
fuiſſe, haud dubie his literis pontifex Joannes plane
improbavit ſi quid aliud in hac Photiana ſynodo geſtum
fuit. Has literas Joannes dedit Marino epiſcopo, qui
ſibi in ſede ſucceſſit: quemque ad hoc miſit, ut vir ani-
mo conſtantiſſimus cuncta, quæ perperam per tres præ-
deſtinatos legatos Conſtantinopoli geſta erant, plane in-
firmaret. Nam in literis Stephani papæ ad Baſi-
lium ſcriptis, quas infra ſuo loco ponemus, inter
multas Marini laudes hæc verba leguntur: *Neque
enim hoc dicimus ad tui contumeliam, te enim in
univerſo orbe Deo dilectum prædicamus; ſed tan-
tum ad noſtri defenſionem, & Marini majorem gloriam,
qui eadem ſenſit & ſapuit cum prædeceſſore & doctore no-
ſtro ſanctiſſimo papa Nicolao. Et qui dum voluit adim-
plere, quæ illi de ea viſa fuerant, gemina ſcilicet lega-
tione, Conſtantinopoli in maximum devenit ad vos con-
temptum & ludibrium divinus ille Marinus. Et cum no-
luerit ſimul duci cum iis, qui aliena ſentiebant, & quæ
ipſe coram tua majeſtate ſynodice geſſerat diſſolvere & an-
nuliare ac irrita reddere: propterea triginta diebus carce-
re fuit detentus, id ſibi gloriæ potius tribuens, quam con-
tumeliæ, pro veritate pati.* Hæc de Marino Stephanus
papa. Ex quibus ſatis liquido conſtat, quod quæ tres
legati in cauſa Photii perperam geſſerunt, per Mari-
num epiſcopum auctoritate pontificia ejuſdem Joannis
VIII. damnata & improbata fuerunt. Quod vero pau-
lo poſt fraudem impoſtoris Photii hac ratione cognitam
idem Joannes Papa VIII. ipſum etiam Photium damna-
verit, ſuaque quæ prius vel male informatus, vel com-
minationibus imperatoris Baſilii inductus in cauſa Pho-
tii reſtituendi egerat, deinceps improbaverit, reſcide-
rit, irritaque reddiderit, teſtatur epiſtola Formoſi papæ
ad Stylianum, in cujus fine poſt recitationem aliarum
ſynodicarum & pontificiarum ſententiarum in Photium
pronunciatarum etiam hæc Joannis papæ VIII. ſenten-
tia in eumdem prolata habetur his verbis: *Hanc ſen-
tentiam promulgavit papa Hadrianus, & archidiaconus
ejus Joannes, qui illi ſucceſſor fuit: atque alta voce coram
ipſo ita proclamavit; In Photio completum videmus, do-
mine ſanctiſſime & œcumenice papa, illud pſalmi:* Dixit
peccator ut delinquat in ſemetipſo: Non eſt timor Dei
ante oculos ejus. Poſuit in cælum os ſuum, *& gra-
violens ejus guttur aperuit Photius adverſus clavigerum
apoſtolicæ ſedis. Accendatur itaque ut ignis zelus tuus,
accingere ut vir ſuper femur tuum, & contumeliam apo-
ſtolicæ ſedis ut juſtus judex vindica, & falce ſententiæ
tuæ abſcide memoriam ejus, & illos qui eum ſequuntur,
vel tuentur, anathematis vinculo conſtringe, & niſi pro-
pria voce vel ſcriptione ipſum damnaverint, ut neque lai-
cali communione recipiantur. Qui hæc dixit Joannes,
Hadriano in ſede ſucceſſit, & anathemate Photium dam-
navit, quando ille ſeduxit Eugenium & ejus ſocios, qui
pro rebus Bulgariæ venerant. Cum enim accepiſſet evan-
gelium, & ambonem conſcendiſſet, omnibus audientibus
ita dixit: Quicumque non habet damnatum Photium di-
vina ſententia, ſicut ipſum reliquit Nicolaus & Hadria-
nus ſanctiſſimi papæ prædeceſſoris mei, ſit anathema.* Hæc
ibi. Deſcripta autem ex ſuperius citato codice Colum-
nenſi numero quadrageſimoprimo, ubi cuncta quæ ad
cauſam Photii ſpectant, collecta habentur, & poſt le-
gitur ibidem Joannis papæ noni epiſtola ad Stylianum,
qua profitetur eadem ſentire ſe, & eodem loco habere
Photium & omnes patriarchas Conſtantinopolis ab Igna-
tio uſque ad Antonium, quo habuerunt omnes ſui præ-
deceſſores Romani pontifices, inter quos numerat &
Joannem his verbis: *Volumus igitur, ut etiam nunc ſe-
cundum eamdem regulam, decreta ſanctiſſimorum pontifi-
cum prædeceſſorum noſtrorum inconcuſſa maneant. Quapro-
pter & Ignatium & Photium, & Stephanum, & Anto-
nium ſicut ſanctiſſimus papa Nicolaus, Hadrianus & Jo-
annes, & ſextus Stephanus, & univerſa Romanorum ec-
cleſia huc uſque tenuit, etiam nos eodem ordine recipimus
& tenemus*; &c. Superius etiam in eodem codice, poſt
recitatum decretum continens probationem octavæ ſy-
nodi ſub Hadriano habitæ, quod in dextero aditu ma-
gnæ eccleſiæ Conſtantinopoli contineri dicitur, hæc ibi
ſcripta leguntur: *Damnatur Photius anathemate a no-
vem Romanis pontificibus, a Leone, Benedicto, antequam
Photius eſſet aſſumptus in patriarcham, ob communionem
ſcilicet cum Gregorio Syracuſano, poſtea vero a Nicolao,
Hadriano, Joanne, Marino, Hadriano altero, Stephano,
& Formoſo.* Et de Joanne papa octavo hæc ſubjiciun-
tur: *Joannes vero occaſione Bulgariæ provinciæ miſit Eu-
genium & ejus ſocios adhuc ſuperſtite Ignatio patriar-
cha, quos cum detinuiſſet Photius, & variis modis co-
egiſſet, adduxit eos ut ſecum communicarent: & alios
etiam errare fecerunt, qui Romam reverſi a Joanne in
ambone illos anathemate damnante fuerant depoſiti.* Hæc
ibi. Quæ cum ita revera ſe habuerint, *inquit Baronius
anno* 880. accedet ad hæc probanda illud evidens argu-
mentum, quod nuſquam amplius in literis ejuſdem Jo-

An Joannes papa Photium condemnaverit.

Joannes papa excommunicat Photium. Pſalm. 13. Pſalm. 71. Hæc verbotenus ex Baronio anno 880. nu 11. & ſeqq.

Legati apoſtolicæ ſedis a Joanne damnati.

A annis papæ ab anno præſenti, uſque ad finem ſui pon-
tificatus conſcriptis mentio de Photio habetur, ut in-
terrupta penitus mutua communicatio viſa ſit. Cum
enim Joannes minus aſſequi ſe poſſe cognovit promiſ-
ſam reſtitutionem Bulgaricæ diœceſeos, cujus cauſa in-
ductus Græca aſtutia fuerat, ut Photium reſtitueret,
& illuſum ſe fuiſſe planius intellexit, atque etiam quæ
contra œcumenicam ſynodum octavam facta eſſent cer-
tius adinvenit, & falſatas ab eo ſuas literas cogno-
vit, & alia innumera ab impoſtore illo perpetrata eſſe
reſcivit: tunc, quod dictum eſt, Marinum ad ea infir-
manda legatum miſit, & legatos a ſe antea miſſos præ-
varicatores inventos damnavit, atque Photium omnium
malorum authorem perpetuo anathemate perculit. Hæc
Baronius.

ANNO CHRISTI 879.

Quid de auctoritate hujus pſeudoſynodi ſenſerint Græ-
ci in concilio Florentino, dixi ſupra verbo, *Conciliа-
bulum*.

d CCCLXXXIII. *Epiſc.*) Omnium nomina teſte Baronio
B in conciliabuli recitantur actione prima: in quibus re-
cenſendis & ſuo more componendis, magna impoſtoris
adulatio, & Græca vanitas cum levitate eorumdem
eluceſcit. Baronius anno 879. n. 64.

Numerus epiſcoporum quantus fuerit.

e *Reſtitutio Photii eſt confirmata*, &c.) Hæc qua ra-
tione geſta fuerint ex actis ſynodalibus in prædictis bi-
bliothecis extantibus, ſeptem actiones continentibus,
ſummatim deſcribit Baronius his verbis.

In prima enim actione recitatur numerus epiſcoporum
trecentorum octogintatrium. In omnibus magna adula-
tio & Græca vanitas & levitas. Inter alia autem præ-
fatus in ſynodo Photius jactat ſe, quod Joannes Ro-
manus pontifex ſemel & iterum per ſuos legatos eum
inviſerit, nimirum primum per Paulum & Eugenium,
deinde per Petrum, ſed falſo. Siquidem, ut vidimus
in literis Joannis, nequaquam cum eo communicave-
runt primi legati Paulus & Eugenius, de quo idem ipſe
Photius conqueſtus legitur in literis ad Joannem ipſum
datis.

Compendioſa relatio actorum ſynodalium ex Baronio deſumpta. Actio I.

actorum ſynodalium ex Baronio deſumpta. Actio I.

C Poſt hæc eadem actione Joannes quidem Heracleæ
Thraciæ epiſcopus multa effutiit contra Romanam ec-
cleſiam, quam omnium illorum quæ acciderant malo-
rum originem appellavit: ad quæ evertenda & curan-
da, illa eſſet ſynodus congregata; multa etiam contra
Nicolaum papam & ejus ſucceſſorem Hadrianum obla-
trans ingeſſit: contra vero, ipſum Joannem Romanum
pontificem valde laudavit. Deplorat vero poſt hæc mul-
ta quæ, ut dicebat, injuſte paſſus ſit Photius. Inducit
inſuper actio illa legatos apoſtolicæ ſedis munera Pho-
tio offerentes, nempe ſacerdotales veſtes, & ornamen-
ta epiſcopalia, de quibus nihil in Joannis pontificis lite-
ris, in quibus ejuſmodi erant ſolita ſcribi. Et ſic poſt
alia quædam frivola finem accipit actio prima.

Secunda actio habita legitur decimaſexta die Novem-
bris, indictione decimatertia, in qua primum lectæ ſunt
literæ Joannis papæ ad imperatorem, deinde aliæ ejuſ-
dem pontificis ad Photium, quæ ſuperius epiſtola 199.
& 201. ſunt recitatæ duplicis editionis. Quibus lectis,
D Photius interlocutus ſuas laudes extollit, præcipue ſuam
humanitatem falſo oſtentat erga Ignatium exhibitam, qua
etiam jam defunctum eum proſecuturum vane pollici-
tus eſt. Lecta poſt hæc fuit epiſtola Michaelis patriar-
chæ Alexandrini ad imperatorem, ad finem illum ten-
dens ut octava ſynodus œcumenica deſtruatur. His le-
ctis introductus eſt Thomas metropolita, qui fuit unus
ex tribus legatis orientalium ſedium in octava œcume-
nica ſynodo. Aliis duobus, ut illuc dicitur, mortuis,
procuratum eſt a Photio, ut hic pœnitens recantet pa-
linodiam de miniſterio exhibito in dicta œcumenica ſy-
nodo. Lecta eſt poſt hæc epiſtola Theodoſii patriarchæ
Hieroſolymorum ad Photium ſcripta, tota, ut Photius
voluit, encomiaſtica. Poſtquam autem lecta eſt epiſto-
la patriarchæ Antiocheni pariter Theodoſii nominati ejus
itidem argumenti, & alia ejuſdem generis Abrahamii
metropolitæ Amydorum, continens acrem invectivam
contra octavam legitimam ſynodum: terminata eſt actio
ſecunda ſynodi Photianæ.

Actio II.

Tertia vera quæ ſecuta eſt actio incidit in decimum-
E ctavum diem ejuſdem menſis Novembris ejuſdem deci-
mætertiæ indictionis: in qua lecta primum eſt epiſtola
Joannis papæ ad Conſtantinopolitanam eccleſiam, &
epiſcopos ipſi ſubjectos, & ad patriarchas orientis, ejuſ-
dem argumenti quo priores ſuperius recitatæ. Quod
autem iiſdem literis pontifex profitetur pacem ſe pro-
curare orientalis eccleſiæ, hinc magna ſecuta eſt con-
certatio aſſerentium, quod jam ante Joannis literas pa-
ce fruerentur ſequentes Photium patriarcham, arguen-
tes pontificis literas uti ſuperfluas. Et quod de diœ-
ceſi Bulgariæ ſcripſerat, ad imperatorem rejiciendum
eſſe negotium clamitarunt, cum agatur, ut ajebant,
de imperii terminis, qui ſub ejus ſunt ditione. Lecta
eſt poſt hæc epiſtola Theodoſii epiſcopi Hieroſolymorum
ad imperatorem, qua deplorat miſerias ſuas, quas pa-
teretur a Saracenis, provocans imperatorem ad elee-
mo-

Actio III.

ANNO CHRISTI 879.

moſynas largiendas. Lectum poſt hæc fuit commonitorium a Joanne pontifice legatis datum, ſuo loco ſuperius recitatum. Et ſic clauſa eſt ejus diei actio tertia.

Actio IV.

Contigit quartam actionem celebrari eodem menſe Decembri, feria quinta in vigilia nativitatis Domini, eadem decimatertia indictione, quæ tamen in alia ejuſdem pſeudoſynodi editione ponitur ordine prima, utpote quod omiſſis tribus aliis ſuperius poſitis actionibus hæc prima incipit numerari, & ſic deinceps uſque ad quartam. In hac igitur actione, primo habetur de legato recens miſſo a patriarcha Antiocheno, afferente literas etiam a patriarcha Hieroſolymitano, qui ingredi juſſus literas dedit. Lectæ ſunt ipſæ, multa in laudem Photii de communicatione mutua conſervata cum ipſo continentes, nec non aſſertionem illam, legatos nimirum patriarchalium ſedium miſſos antea ad octavam ſynodum, fuiſſe non patriarcharum, ſed legatos Saracenorum, iſtiuſmodi inculcantes in deſtructionem œcumenicæ ſynodi: quæ vere creditæ ſunt e Photii officina depromptæ. Poſt hæc introducti ſunt duo patricii pœnitentes de his quæ in octava ſynodo contra Photium egiſſent, affirmantes ſe a falſis legatis fuiſſe deceptos. Lecta ſunt capitula quinque tanquam a legatis Romanis propoſita, primum de diœceſi Bulgariæ: ſecundum de non eligendo amplius laico in epiſcopum Conſtantinopolitanum: tertium ne ab alia ſumatur eccleſia: quartum de ſynodo habita contra Photium, ut abrogetur: quintum ut qui cum Photio non communicarent, excommunicati eſſent. Quæ omnia recepta a ſynodo fuerunt præter illud de Bulgarorum diœceſi, quod imperatoris voluntati commiſſum eſt. Et ſic exitum illum eſt conſecuta actio quarta quem Photius voluit.

Actio V. * 880.

Quæ autem quinta eſt actio celebrata, ponitur anno ſequenti, * die vigeſimaſexta menſis Januarii eadem indictione decimatertia, in qua Photius de ſeptima ſynodo ſermonem inſtituit, calumniamque ex eo ſtruxit adverſus Romanam eccleſiam, quod de ſeptima ſynodo ſuſcipienda, eſſetne œcumenica, dubitaſſet, cui legati ſatisfecerunt. Et firmatum eſt omnium ſententia, ut œcumenica ſeptima ſynodus diceretur. His ſucceſſit citatio Metrophanis metropolitani Smyrnenſis eccleſiæ, cujus ſumma cum laude eſt crebra mentio in legitima octava ſynodo: accedere juſſus ut ſchiſmaticus, qui ſecutus Ignatii partes, cum Photio noluerit ullo pacto communicare. Inter hæc facta eſt ſuggeſtio, ſeu potius a Photio ficta, legatorum apoſtolicæ ſedis, ut ex ſententia Joannis pontificis canon conſtitueretur, quo juberetur, ut excommunicati vel depoſiti a Romano pontifice, a Photio non ſuſciperentur, ſicut e contra qui depoſiti eſſent a Photio vel excommunicati, non reſtituerentur, nec abſolverentur a Romano pontifice.

Canones Photianæ ſynodi.

Sicque confectus de his eſt primus canon, quo quis non videat ſumma Photii calliditate interceptas eſſe appellationes ad apoſtolicam ſedem, & recurſum ad eam? ſiquidem ablata fuit per canonem iſtum auctoritas Romani pontificis, ut judicare non poſſet, quos Photius condemnaſſet. Quis animo concipere poteſt, legatos apoſtolicæ ſedis adeo oſcitantes & prodigentes jura apoſtolicæ ſedis, ut & adverſus contra ea obnitentes non tantum non reſtiterint, ſed ut iſthæc ſancirentur, ipſi ſuggeſſerint? an non manu palpantur commenta Photii?

Zacharias Dei amantiſſimus metropolita Chalcedonis dixit: Merito ſane projiciendi ſunt, qui ſunt ex ſchiſmatico errore reſidui. Nam præter alia crimina, quorum illi auctores ſunt, etiam illud incredibile perpetrant, quod ipſe cogitans vehementer plango. Quid iſtud rei eſt? Ipſam Romanam eccleſiam, quæ a multis annis libertate potitur, conantur in ſervitutem redige-

re. Quo pacto tandem? Acta, inquiunt, Nicolai Papæ ſuſcepimus: & acta Hadriani ſimiliter placent: Acta vero ſanctiſſimi ac beatiſſimi Papæ Joannis non ſuſcipimus. Quid ita? Quoniam illi quidem noſtro obſequuntur arbitrio; iſte autem non ea ſectatur quæ volumus: ſed quæ vult ille, his & nos ut acquieſcamus lege decernit. Hoc vero quid eſt aliud, niſi quod iſti quidem non Pontificum Romanorum decretis obtemperant, ſed magnos illos admirandoſque Pontifices propriis obſequi judiciis cogunt? Nam ſi illa ſuſcipiunt e veſtris decretis, quæ ipſi prius ſtatuerunt; quæ vero ipſi nolunt, etiamſi millies vos volueritis, & canones habeatis ſuffragatores, & ſuperne prælucentem afflatum; tunc contra hæc omnia proprium ſuum judicium plus valere ſuperbe gloriantur. Quem deinde furori locum relinquunt, qui major eſſe poſſit? Feſtinate igitur, dilectiſſimi, & contendite ipſam etiam ſanctam Romanam Dei eccleſiam a monſtruoſa & barbara ſervitute eximere; & inhærentem vobis ignominiam accuſationemque depellite: gloriam vero inclytamque famam conſpiratione communis eccleſiarum pacis commutate.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Omnipotenti Deo noſtro debemus pro omnibus gratias agere; & ipſe faciet quæ omnibus proſint. Joannes Dei amantiſſimus metropolita Heracleæ Thraciæ dixit: Maximas & egimus ei gratias: iterumque agemus: quod quæ prius in eccleſia Dei ſcandala & zizania pullularant, e medio ſublata ſunt; & pax alta pro præmio deſtinatur huic contenſioni ſanctitatis veſtræ, & Pontificalium ſedium Orientis, & interceſſui optimi ſanctiſſimi Domini noſtri & Pontificis.

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dicit: Lætetur hodie orbis terrarum, & exſultet eccleſia: quoniam locutus eſt Dominus bona in cordibus ſanctorum Imperatorum noſtrorum: & excitavit ipſorum a Deo ſtabilitum imperium, ut reverendos legatos advocarent ex quatuor ſedibus Patriarchalibus. Et nunc videmus veſtram reverentiam adveniſſe, & ſanctiſſimi Papæ Joannis ſpiritalis patris noſtri legatos, & eos qui ab Oriente ſimiliter venerunt, in noſtram concordiam conſpirare, & ſchiſmaticum errorem concordi nobiſcum ſententia abigere. Et nunc igitur vere opportune prophetica vox illa uſurpatur: *Dominus regnavit, decorem induit*: induit enim eccleſia per ipſum *fortitudinem, & præcinxit ſe*.

Elias religioſiſſimus presbyter & legatus Hieroſolymorum dixit: Et nunc Deo gratias agere convenit, quod nos adunatos cernimus. Ego vero humilis gratias ago præterea, quod hunc ſchiſmaticum errorem in ſancta noſtra Dei Hieroſolymitana eccleſia nequaquam ſuſcepimus: ſed ſemper & interrupte, ex quo ſanctiſſimus Dominus noſter Photius Pontificalem hanc ſedem obtinuit, & fidei ſuæ libellum tranſmiſit ad Theodoſium ſanctiſſimum patriarcham Hie-

νην, ἀποθρασύνονται πρὸς δουλείαν ἕλκειν, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἀλλογλώσσων ταπεινότητα καταγαγεῖν. πῶς καὶ τίνα τρόπον; τὰ τοῦ πάπα Νικολάου, φασί, δεχόμεθα. καὶ τὰ τοῦ Ἀδριανοῦ ὁμοίως ἀρέσκει. τὰ δὲ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου πάπα Ἰωάννου οὐ δεχόμεθα. τίνος χάριν; ὅτι ἐκεῖνοι μὲν τῷ ἡμετέρῳ κατηκολούθουν θελήματι· οὗτος δὲ οὐχ ἃ βουλόμεθα στέργει· ἀλλ' ἅπερ ἐκεῖνος βούλεται, τούτοις καὶ ἡμᾶς κατακολουθεῖν ἐπιψηφίζεται. τοῦτο δὲ τί ἐστιν ἄλλο, ἢ ὡς αὐτοὶ μὲν οὐχὶ τοῖς ἀρχιερατικοῖς τῶν Ῥωμαίων θελήμασιν ἕπονται, ἀλλὰ τοὺς μεγάλους ἐκείνους καὶ θαυμασίους ἀρχιερεῖς τοῖς ἰδίοις θελήμασιν ἐξακολουθεῖν ἀναγκάζουσιν; εἰ γὰρ ἐκεῖνα δέχονται τῶν ὑμετέρων θελημάτων ἅπερ αὐτοὶ προηθέλησαν· ἃ δ' αὐτοὶ μὴ βούλονται, κἂν μυριάκις ὑμεῖς θελήσητε, κἂν τοὺς κανόνας συμψήφους ἔχητε, κἂν τὴν ἄνωθεν προλάμπουσαν ἐπίνοιαν· τότε κατὰ πάντων τούτων τὸ οἰκεῖον θέλημα κρατεῖν ἀλαζονεύονται· τίς αὐτοῖς ὑπερβολὴ μανίας ἀπολείπεται; σπεύσατε τοίνυν, ἀγαπητοί, καὶ ἀγωνίσασθε· καὶ τὴν τῶν Ῥωμαίων ἁγίαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν ἀλλοκότου καὶ βαρβαροφώνου ἀπαλλάξαι δουλείας· καὶ τὴν μέχρι τοῦ νῦν ἐπιτριβομένην ὑμῖν ἀτιμίαν τε καὶ μέμψιν ἀποσκεδάσασθε· δόξαν τε καὶ εὔκλειαν τῇ συμπνοίᾳ τῆς κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἀνταλλάξασθε.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινάλις εἶπε· τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ ἡμῶν ὑπὲρ πάντων εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν. καὶ αὐτὸς ποιήσει τὰ συμφέροντα πᾶσιν. Ἰωάννης ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἡρακλείας Θρᾴκης εἶπε· πολλὰ καὶ ηὐχαριστήσαμεν καὶ ἔτι εὐχαριστοῦμεν αὐτῷ, ὅτι τὰ ἐπιφυέντα πρότερον τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ σκάνδαλα καὶ ζιζάνια ἐκ μέσου ἤρθη. καὶ εἰρήνη βαθεῖα ταύτῃ ἐβραβεύθη συμφωνίᾳ τῆς ὑμῶν ἁγιωσύνης, καὶ τῶν τῆς ἀνατολῆς ἀρχιερατικῶν θρόνων, καὶ τῇ ἀγαθῇ μεσιτείᾳ τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου καὶ ἀρχιερέως.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας ἔφη· ἀγαλλιάσθω σήμερον ἡ οἰκουμένη, καὶ σκιρτάτω ἡ ἐκκλησία. ὅτι ἐλάλησε κύριος ἀγαθὰ εἰς τὴν καρδίαν τῶν βασιλέων ἡμῶν τῶν ἁγίων· καὶ διήγειρε τὸ θεοκύρωτον αὐτῶν κράτος τοῦ μετακαλέσασθαι τιμίους τοποτηρητὰς ἐκ τῶν τεσσάρων πατριαρχικῶν θρόνων. καὶ νῦν ὁρῶμεν τήν τε ὑμετέραν τιμιότητα παραγενομένην, καὶ τὸν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου τοῦ πνευματικοῦ πατρὸς ἡμῶν τόπον ἀναπληροῦντας, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ὁμοίως ἐλθόντας τῇ ἡμετέρᾳ ὁμονοίᾳ συμφωνοῦντας, καὶ τὴν σχισματικὴν πλάνην ὁμοφρόνως ἡμῖν ἀπελαύνοντας. καὶ νῦν οὖν ἐπ' ἀληθείας προσφόρως εἰπεῖν τὸν προφητικὸν λόγον· ὁ κύριος ἐβασίλευσεν, εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο. ἐνεδύσατο γὰρ ἡ ἐκκλησία δι' αὐτοῦ δύναμιν καὶ περιεζώσατο.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· καὶ νῦν εὐχαριστεῖν ἄξιον τῷ Θεῷ, ὅτι ὁρῶμεν πάντας ἡνωμένους. εὐχαριστῶ δὲ πλέον ἐγὼ ὁ ταπεινός, ὅτι τὴν σχισματικὴν ταύτην πλάνην ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ τῶν Ἱεροσολύμων ἐκκλησίᾳ οὐδέποτε παρεδεξάμεθα, ἀλλ' ἀεὶ καὶ διαπαντός, ἀφ' οὗ ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης Φώτιος τοῦ ἀρχιερατικοῦ τούτου θρόνου ἐκράτησε· καὶ τὸν τῆς πίστεως αὐτοῦ λίβελλον ἀπέστειλε πρὸς Θεοδόσιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Ἱεροσολύμων, ἡνω-

νωμένοι αὐτοῦ καὶ ἀδιάσπαστοι μέχρι τοῦ νῦν μεμενήκαμεν. καὶ τοὺς ἐναντίον τι ἐπὶ τῇ ἀρχιερωσύνῃ αὐτοῦ φρονήσαντας οὐδέποτε παρεδεξάμεθα.

Δανιὴλ ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἀγκύρας εἶπεν· ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν μιμούμενος, καὶ τοὺς περὶ ἑνδεκάτην ἐλθόντας συναριθμίους ποιεῖται τοῖς πρώτοις· καὶ τοὺς πρώτους τῆς ἀξίας τιμῆς ἀπολαύειν παρέχει, καὶ ἓν ποιεῖ τὰ πάντα, καὶ πρὸς πάντας κοινὰ καὶ πατρικὰ διανοίγνυσι σπλάγχνα.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς διαφυλάξαι πάντας. ἀλλὰ καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἀποστολικὸς καὶ οἰκουμενικὸς πάπας Ἰωάννης ἀπέστειλεν ἡμᾶς πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην κύριον Φώτιον ἵνα τὰ ἐπιφυέντα σκάνδαλα τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ ἐκριζώσωμεν. καὶ ὥσπερ ἐστὶν εἷς Θεὸς εἰς πάντας, καὶ ἓν βάπτισμα, καὶ μία πίστις, οὕτως γένηται καὶ μία ποίμνη καὶ εἷς ποιμήν. ὅτι δὲ ἔχει αὐτὸν τὸν κύριον Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ὡς τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἀποστολικός, καὶ ἔστι μετ' αὐτοῦ ἓν πνεῦμα καὶ ἓν σῶμα, καὶ ἔχει αὐτὸν ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργόν, καὶ αὐτὴ ἡ ἀποσταλεῖσα παρ' αὐτοῦ ἱερατικὴ στολὴ προσμαρτυρεῖ. διὰ τοῦτο γὰρ αὐτῷ ταύτην ἀπέστειλεν, ἵνα πᾶς ἄνθρωπος πληροφορηθῇ, ὅτι ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν αὐτὸν ἔχει. καὶ ταῦτα εἰπών, ἀναστὰς ἐπέδωκε τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τὴν πεμφθεῖσαν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου ἀρχιερατικὴν στολήν, ὠμόφορον, στιχάριον, φελώνιον, καὶ σανδάλια.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν, ἴδωμεν αὐτὰ καθ' ἕν. καὶ δὴ λαβὼν Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις ἅμα τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις, καὶ τοῖς λοιποῖς Ῥωμαίοις ἥπλωσε κατενώπιον τῆς ἐνδημούσης συνόδου. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης εἶπε· Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ νεφέλαις τὸν οὐρανὸν περιβάλλων, καὶ τὴν ἡμετέραν φύσιν * ἀνεχωνεῦσαι καὶ καθᾶραι στολισάμενος, αὐτὸς τὸν ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν καὶ πνευματικὸν ἡμῶν πατέρα, καὶ ἐν τῷ παρόντι βίῳ φρουρὰν ἄσυλον καὶ σωτηρίαν ἀσφαλῆ στολίσαι· κἂν τῷ μέλλοντι αἰῶνι τὸν νυμφικὸν περιβαλὼν χιτῶνα, ἄξιον τοῦ μακαρίου ἐκείνου νυμφῶνος ἀναδεῖξαι.

* Pro. ἀναχωνεῦσαι.

Εὐγένιος ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος καὶ τοποτηρητὴς τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπεν· ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοί· οὐ πρὸ πολλοῦ ἐλέγομεν ὑμῖν ἃ νῦν θεωρεῖτε· ὅτι ἡ ψυχὴ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου μετὰ τῆς ψυχῆς Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἡνωμένη ἐστί· καὶ ἕν εἰσιν ἀμφότεροι. καὶ ὥσπερ ἐπιθυμεῖ τις εἶναι μετὰ τοῦ Θεοῦ, οὕτως ἐπιθυμεῖ καὶ ὁ ἀποστολικὸς πάπας Ἰωάννης εἶναι μετὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου. τί οὖν; ἐστὶ καθὼς εἴπομεν; ναί, ἢ οὔ; ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεκρίθη· δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἐναργῶς ἐπληροφορήθημεν.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· γινώσκετε πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ ἱερεῖς, ὅτι διὰ τὴν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν τῆς ἐκκλησίας ἀπέστειλεν ἡμᾶς ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἀποστολικὸς καὶ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας πρόεδρος ἐπικομιζομένους καὶ ἐπιστολάς. καὶ ἄλλην μὲν ἐπιστολὴν ἀπέστειλε πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην κύριον Φώτιον, ἄλλην δὲ πρὸς τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην, καὶ ἑτέραν πρὸς τοὺς ἀποσχι-



A rosolymorum, conjuncti cum eo indivulſe hactenus permanſimus; neque eos ſuſcepimus, qui Pontificatui ejus vel minimum repugnarent.

Daniel Dei amantiſſimus metropolita Ancyræ dixit: Sanctiſſimus Dominus noſter & œcumenicus patriarcha, Chriſtum verum Deum noſtrum imitatus, etiam eos qui circa undecimam venerunt cum primis adnumerat; & primos perfrui facit honore quo digni ſunt, & facit unum omnia, & erga omnes communiter paterna aperit viſcera.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Dominus noſter Jesus Chri-
B ſtus omnes cuſtodiat. Sed & dominus noſter Apoſtolicus & œcumenicus Papa Joannes miſit nos ad ſanctiſſimum patriarcham dominum Photium, ut evellamus ſcandala, quæ enata ſunt in ipſius eccleſia: & quemadmodum unus eſt Deus ad omnes, & unum baptiſma, & una fides, ſic fiat & unum ovile, & unus paſtor. Quod autem habet ipſum dominum Photium ſanctiſſimum patriarcham tanquam animam ſuam dominus noſter Apoſtolicus, & eſt cum ipſo unus ſpiritus & unum corpus, & cenſet cum fratrem & comminiſtrum, etiam tranſmiſſa ab eo ſtola ſacerdotalis teſtatur. Hanc enim eo conſilio ad eum miſit, ut
C omni homini perſuaſum compertumque ſit, quod fratrem ipſum & comminiſtrum agnoſcit. Et cum hæc dixiſſet, aſſurgens, dedit domino noſtro miſſam a ſanctiſſimo Papa Joanne ſtolam Pontificalem, pallium, tunicam, penulam, & ſandalia.

Sancta ſynodus dixit: Si ſanctitas veſtra juſſerit, videamus iſta ſingulatim. Tunc accipiens Petrus reverentiſſimus presbyter & cardinalis, cum ſociis ejus Dei amantiſſimis epiſcopis & reliquis Romanis, explicuit ea coram præſente ſynodo. Photius ſanctiſſimus & œcumenicus patriarcha dixit: Chriſtus Deus noſter, qui cælum nubibus circumcingit, naturamque noſtram ut eam
D reformaret ac purgaret induit, ipſe fratrem & comminiſtrum & ſpiritalem patrem noſtrum in hac præſenti vita tuto præſidio & ſalute certe induit; atque in futuro ſæculo circumdans eum veſte nuptiali dignum illo cæleſti ſponſo exhibeat.

Eugenius Dei amantiſſimus epiſcopus & legatus veteris Romæ dixit: Frater & comminiſter: Non ita pridem vobis ea dicebamus, quæ nunc videtis: animam nempe ſanctiſſimi Papæ Joannis cum anima Photii ſanctiſſimi patriarchæ eſſe conjunctiſſimam, & eſſe ambos unum. Et quemadmodum deſiderat quiſpiam eſſe cum Deo, ſic deſiderat Apoſtolicus Papa Joannes eſſe cum ſanctiſſimo patriarcha. Quid igitur? Itane eſt ut dicimus, annon? Sancta ſynodus
E reſpondit: Ex rebus ipſis habemus id pleniſſime exploratum.

Petrus reverentiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Agnoſcitis omnes, epiſcopi & ſacerdotes, quod ob pacem & concordiam eccleſiæ miſit nos dominus noſter Apoſtolicus & Romanæ eccleſiæ præſul, epiſtolas etiam afferentes. Et aliam quidem epiſtolam miſit ad ſanctiſſimum patriarcham dominum Photium, aliam ad veſtram ſanctitatem, & alteram ad eos qui eccleſiam ſchiſ-

ſchiſmate dividunt. Scriptam quidem ad veſtram ſanctitatem epiſtolam in præſenti non attulimus, quoniam non eſtis omnes congregati. Qua vero die Deo faventе in unum omnes conveneritis, veniemus & nos, & vobis tradемus ſanctiſſimi Papæ epiſtolam.

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit: Si juſſeritis, etiam deſignetur dies. Petrus reverentiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Si juſſerit ſanctitas ſanctiſſimi patriarchæ, die ſecunda, ut conveniamus omnes in unum. Sancta ſynodus dixit: Placet. Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Venerabiles legati, fratres & comminiſtri noſtri, cum laborem haud exiguum ſuſtinuerint; opus habent quiete. Etenim quando laborem itineris levatum arbitrantur, laborem alterum non parvum ſuſtinent, in loquendo moram. Ceterum nunc ſolvi ſynodum præſtat, poſteaque pro reliquis negotiis congregari.

Petrus reverendiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Audiat iterum ſancta hæc ſynodus. Nos locum hodie ſanctiſſimi & œcumenici Papæ tenemus, & dicimus vobis: ſi quis eſt in medio veſtrum vir belli cupidus & ſcandali concitator, dividens eccleſiam Dei, ſegregetur ex cœtu veſtro, & cauſam diſſidii dicat. Sancta ſynodus dixit: Ex hac numeroſiſſima multitudine quam videtis, nemo eſt qui in corde dolum aut deſiderium contentionis habeat. Omnes Photium ſanctiſſimum patriarcham ſuſcipimus: & eos qui non ipſum ſuſcipiunt, quemadmodum ſuſceperunt tres patriarchales Orientis ſedes, & ante has quemadmodum ſuſcepit illum ſanctiſſimus Papa Joannes, tanquam hoſtes eccleſiæ & a fide alienos abjicimus.

Petrus reverentiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Tametſi non hic adſunt, attamen ſi ſunt adhuc aliqui qui adverſus eccleſiam ſeditionem moveant, hos admonete, ut ad pietatem confugiant ſanctiſſimi patriarchæ: & ſuſcipiet eos ambabus ulnis ut pater erga liberos indulgentiſſimus. Sancta ſynodus dixit: Pauci ſunt omnino hactenus, quos quidem novimus: & admonebimus eos, ut juſſiſtis. Sed & vos, ſi ſe vobis coram offerant, eoſdem admonete.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Audite omnes, quid dicat Felix, qui fuit ſanctiſſimus Papa Romanæ eccleſiæ: Si quis inveniatur repugnans ſanctæ Dei eccleſiæ; talis ubi oſtenſus & manifeſtus fuerit, primum quidem admoneatur a ſuo antiſtite, & ipſius epiſcopis. Quod ſi non paruerit, tunc contra ipſum ſancta ſynodus ſententiam ferat. Ita igitur & nos habentes id faciendi ab Apoſtolico poteſtatem, primum debemus hos admonere & adhortari: ac ſi quidem nos audire noluerint, debemus eos reſecare tanquam putrida membra; ne corpus quod ſanum eſt, per ipſos pereat.

Elias religioſiſſimus presbyter & legatus Hieroſolymorum, dixit: *Omne datum bonum & omne donum perfectum de ſurſum eſt,* Jac. 1. 17

ζοντας τὴν ἐκκλησίαν. τὴν οὖν πρὸς τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην πεμφθεῖσαν ἐπιστολὴν ἐν τῷ τέως οὐκ ἠγάγομεν, διὰ τὸ μὴ εἶναι πάντας ὑμᾶς συνηθροισμένους. ἐν ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ συναχθείητε, Θεοῦ εὐδοκοῦντος, ἅπαντες, ἐλευσόμεθα καὶ ἡμεῖς, ἐπιδιδόντες ὑμῖν τὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐπιστολήν.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἀφορισθήτω, εἰ κελεύετε, καὶ ἡ ἡμέρα. Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, τῇ δευτέρᾳ, ἵνα συνέλθωμεν πάντες ἐπὶ τὸ αὐτό. ἡ ἁγία σύνοδος ἔφη· ἀρέσκει. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· οἱ τιμιώτατοι τοποτηρηταὶ οἱ ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοὶ ἡμῶν κόπον οὐ τὸν τυχόντα ὑποστάντες ἀνέσεως δέονται. καὶ γὰρ ὅτε καὶ νῦν τὸν ἀπὸ τῆς ὁδοιπορίας πόνον λελῦσθαι νομίζουσι, κόπον ἄλλον οὐ μικρὸν τὴν ἐν τοῖς λόγοις τριβὴν ὑπομένουσι. λοιπὸν ἄμεινον ἐστὶ νῦν διαλυθῆναι τὴν σύνοδον. καὶ ὕστερον ἐπὶ τοῖς ὑπολοίποις συναθροισθῆναι.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· ἀκουσάτω πάλιν ἡ ἁγία αὕτη σύνοδος. ἡμεῖς τὸν τόπον σήμερον τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα ἔχομεν, καὶ λέγομεν ὑμῖν· εἴ τις ἐστὶν ἐν μέσῳ ὑμῶν ἀνὴρ μάχιμος καὶ σκανδαλοποιός, σχίζων τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἀφορισθήτω ἐξ ὑμῶν, καὶ τὴν αἰτίαν τῆς διαστάσεως εἰπάτω. ἡ ἁγία σύνοδος ἔφη· ἐκ τῆς πολυανθρώπου ταύτης πληθύος, ἧς ὁρᾶτε, οὐδείς ἐστιν ἐν καρδίᾳ δόλον ἢ φιλονεικίαν ἔχων. πάντες Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἀποδεχόμεθα. καὶ τοὺς μὴ ἀποδεχομένους αὐτὸν, καθὼς ἀπεδέξαντο οἱ τρεῖς πατριάρχαι τῆς ἀνατολῆς θρόνοι, καὶ πρὸ τούτων καθὼς ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης, ὡς ἐχθροὺς τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀλλοτρίους τῆς πίστεως ἀποβαλλόμεθα.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· εἰ καὶ μὴ ἐνταῦθα πάρεισιν, ἀλλ' οὖν ἐὰν ὦσί τινες ἔτι πρὸς τὴν ἐκκλησίαν στασιάζοντες, νουθετήσατε αὐτοὺς, ὅπως καταφύγωσιν εἰς τὰ σπλάγχνα τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου· καὶ ἐναγκαλίσηται αὐτοὺς, ὡς πατὴρ φιλόστοργος. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εὐαρίθμητοι μέν εἰσι παντελῶς τέως, ὅσους ἡμεῖς γινώσκομεν, καὶ νουθετοῦμεν, ὡς ἐπηγγείλασθε. ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς, ἐὰν κατὰ πρόσωπον ὑμῶν παραστῶσι, νουθετήσατε αὐτούς.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· ἀκούσατε πάντες τί λέγει Φῆλιξ ὁ ἁγιώτατος πάπας γεγονὼς τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας· εἴ τις εὑρίσκεται ἐναντιούμενος τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ· ὁ τοιοῦτος ἀποδεικνύμενος καὶ φανερούμενος, πρῶτον μὲν νουθετείσθω παρὰ τοῦ προέδρου αὐτοῦ, καὶ τῶν ἐπισκόπων αὐτοῦ. καὶ εἰ μὴ πείθεται, τότε διδότω κατ' αὐτοῦ ἡ ἁγία σύνοδος τὴν ἀπόφασιν. ὅπως οὖν καὶ ἡμεῖς ἔχοντες ποιῆσαι ταύτην τὴν ἐξουσίαν παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ, πρῶτον νουθετῆσαι αὐτοὺς ἔχομεν καὶ παρακαλέσαι. καὶ εἰ μὴ βουληθῶσιν ὑπακοῦσαι ἡμῖν, τότε ἐκκόψαι αὐτοὺς ἔχομεν ὡς σεσηπότα μέλη, ἵνα μὴ καὶ τὸ ὑγιὲς σῶμα δι' αὐτῶν ἀπόληται.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, τοῦ μεγάλου Ἰακώβου

ANNO CHRISTI 879.

βου ἀκούομεν λέγοντος· ὅτι καὶ ὃν ὁ Θεὸς δοξάσει, οὐδεὶς δύναται ἀτιμίαις ἐνδιαβάλλων βλάψαι. ὃν δὲ ὁ Θεὸς ἄτιμον ἔχει, ἡ δόξα τῶν ἀνθρώπων οὐδὲν ὠφελεῖ. ὁ οὖν Θεὸς ἐτίμησε Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην καὶ ἐνέπνευσεν εἰς τὴν καρδίαν κατὰ τὸ τοῦ αὐτοῦ θέλημα τοῦ τε ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου καὶ τῶν λοιπῶν τῆς ἀνατολῆς τριῶν μεγάλων ἀρχιερέων, καὶ ἠγάπησαν αὐτὸν καὶ ἀνεκήρυξαν τὴν αὐτοῦ θεοψήφιστον ἀρχιερωσύνην. καὶ οἴδαμεν ἀκριβῶς, ὅτι οὕτως ἀρέσκει τῷ Θεῷ. διὸ καὶ μεγαλυνθήσεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς. οἱ δὲ ἀντικείμενοι αὐτῷ, εἴπερ τινές εἰσιν, τῷ Θεῷ ἀντιτασσόμενοι, τῇ αὐτοῦ εἰρήνῃ, εἰ μὴ μεταμεληθέντες ἑνωθῶσι τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι ἀφανισθήσονται, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι μετὰ τῶν ἠλλοτριωμένων ἀπὸ Θεοῦ καταταγήσονται.

Ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν· οὕτως πάντες εὐχόμεθα, οὕτως πάντες φρονοῦμεν. ἐπισφραγίσαι κύριος τὰς εὐχὰς ἡμῶν τῷ θελήματι αὐτοῦ. πολλὰ τὰ ἔτη τῶν βασιλέων. Βασιλείου, Λέοντος, καὶ Ἀλεξάνδρου, μεγάλων βασιλέων καὶ αὐτοκρατόρων πολλὰ τὰ ἔτη. Εὐδοκίας τῆς εὐσεβεστάτης Αὐγούστης πολλὰ τὰ ἔτη. Στεφάνου τοῦ Πορφυρογεννήτου καὶ θεοπροβλήτου συγκέλλου πολλὰ τὰ ἔτη. Ἰωάννου καὶ Φωτίου τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν πολλὰ τὰ ἔτη.

## ΠΡΑΞΙΣ Β΄.

ΤΗ͂Σ ιζ΄. τοῦ Νοεμβρίου μηνὸς ἰνδικτιῶνος ιγ΄. ἡμέρᾳ γ΄. προκαθεσθέντος Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τῶν κατηχουμενείων τῆς μεγάλης ἐκκλησίας· προτεθέντος δὲ καὶ τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου ἐν τῷ μέσῳ· καὶ συγκαθεσθέντων αὐτῷ Εὐγενίου καὶ Παύλου, τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, ἅμα Πέτρῳ τῷ θεοσεβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ καὶ καρδηνάλι· καὶ Ἠλιοῦ τοῦ θεοσεβεστάτου πρεσβυτέρου καὶ τοποτηρητοῦ Ἱεροσολύμων. Κοσμᾶ τε καὶ αὐτοῦ πρεσβυτέρου καὶ ἀποκρισιαρίου Ἀλεξανδρείας· συγκαθεσθέντων δὲ καὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν, Προκοπίου Καισαρείας, Γρηγορίου Ἐφέσου, Ἰωάννου Ἡρακλείας, καὶ καθεξῆς τῶν λοιπῶν ἁπάντων· Φώτιος ἁγιώτατος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως εἶπε· δόξα καὶ εὐχαριστία καὶ μεγαλωσύνη τῇ τρισυποστάτῳ καὶ ζωαρχικῇ, καὶ ἑνιαίᾳ θεότητι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ τῆς ἁγίας συνόδου ὑποφωνησάσης τὸ ἀμήν, ἔψαλλόν τινα οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ.

Εἶτα μετὰ τὴν συμπλήρωσιν τῆς ψαλμῳδίας, Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, διὰ Λέοντος βασιλικοῦ πρωτοσπαθαρίου καὶ ἑρμηνέως διελάλησεν οὕτως. ἡ ἐκ Θεοῦ ἐρριζωμένη ἐκκλησία καὶ τῇ χάριτι τοῦ ἁγίου πνεύματος, μεσιτείᾳ τε τῶν εὐσεβῶν καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων τὴν εἰρήνην δεξαμένη, ἀκουσάτω τὰ παρ' ἡμῶν λεγόμενα. Βασίλειος, Λέων καὶ Ἀλέξανδρος, εὐσεβέστατοι βασιλεῖς, διὰ τὴν νῦν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας ἀπέστειλαν εἰς τὴν μητέρα τῶν ἐκκλησιῶν τὴν μεγαλόπολιν Ῥώμην καὶ ἅπαξ καὶ δὶς ἐπιστολάς. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ Ἀλεξανδρεῖς καὶ Ἱεροσολυμῖται, καὶ Ἀντιοχεῖς, παρακαλοῦντες τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην βεβαιῶσαι καὶ ἀποδέξασθαι τὴν παρ' ἡμῶν συμφωνηθεῖσαν εἰρήνην. ὃς ἐπικαμφθεὶς ἡμετέραις καὶ αὐτῶν δεήσεσιν, ἐξέπεμψε μεθ' ἡ-

A ut magnum Jacobum dicentem audivimus. Et quem Deus glorificabit, nemo poteſt hunc ignominia afficiens ei nocere: quem vero Deus ignominioſum cenſet, hunc gloria nihil juvat, quæ eſt ab hominibus. Deus igitur honore affecit Photium ſanctiſſimum patriarcham: & inſpiravit in cor, ſecundum ſuam voluntatem, tum ſanctiſſimi Papæ Joannis, tum reliquorum Orientis trium magnorum Pontificum: & hi dilexerunt eum, & proclamaverunt Pontificatum divino ſuffragio comprobatum. Ac probe novimus ſic Deo placere. Quamobrem magnificabitur nomen ejus in cælo & in terra, a generatione in generationem. Qui au-
B tem adverſantur ei, ſi qui ſunt, quandoquidem Deo contradicunt, hoc eſt, paci ejus, niſi reſipiſcentes eccleſiæ uniantur, tum in hoc ſæculo erunt ignobiles; tum in futuro cum alienatis á Deo collocabuntur.

Sancta ſynodus exclamavit: Sic omnes precamur: ſic omnes cenſemus. Conſignet Dominus preces noſtras ſua voluntate. Multos annos Imperatoribus. Baſilio, Leoni, & Alexandro, magis regibus & Imperatoribus, multos annos. Eudociæ piiſſimæ Auguſtæ, multos annos. Stephano Porphyrogenneto & a Deo donato ſyncello, multos annos. Joanni & Photio ſanctiſſimis patriarchis, multos annos.

C

## ACTIO SECUNDA.

DIe decima ſeptima menſis Novembris, Indictione XIII. feria tertia, præſidente Photio ſanctiſſimo noſtro patriarcha, in dextra parte catechumeniorum magnæ eccleſiæ: propoſito in medium ſancto evangelio: cum eo conſidentibus Eugenio & Paulo ſanctiſſimis legatis antiquæ Romæ, cum Petro religioſiſſimo presbytero & cardinali: & Elia religioſiſſimo presbytero & legato Hieroſolymorum: & Coſma, ipſo etiam presbytero & apocriſiario Alexandriæ: conſidentibus etiam Deo amantiſſimis metropo-
D litis, Procopio Cæſareæ, Gregorio Epheſi, Joanni Heracleæ, & deinceps reliquis omnibus: Photius ſanctiſſimus patriarcha Conſtantinopoleos dixit: Gloria & gratiarum actio & magnificentia ter hypoſtaticæ & vivificæ atque unicæ divinitati, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Et ſancta ſynodo reſpondente, Amen: quædam cantaverunt ſanctiſſimi legati lingua Romana.

Finito cantu, Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis Apoſtolicæ ſedis, per Leonem Imperatoris protoſpatharium & interpretem ſic eſt locutus: Quæ ex Deo radices habuit eccleſia, quæ gratia ſancti
E Spiritus & opera piorum & Chriſti amantium noſtrorum Imperatorum pacem adepta eſt, audiat quæ dicuntur a nobis. Baſilius, Leo, & Alexander, piiſſimi Imperatores, ob pacem quæ nunc eſt, concordiamque Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, miſerunt ad matrem eccleſiarum magnam urbem Romam ſemel iterumque literas. Quin etiam Alexandrini, & Hieroſolymitæ, & Antiocheni, adhortantes ſanctiſſimum Papam Joannem, ut confirmaret & admitteret pactam a nobis pacem. Qui noſtris ipſorumque precibus exoratus,

nos

ANNO CHRISTI 879.

nos miſit, ut videtis, qui ſumus ſince- A ri ipſius miniſtri, ut quæ poſtulatis, vobiſcum compleamus. Miſit & litteras de hac pace & concordia, ad pios Imperatores, & ad Photium ſanctiſſimum patriarcham, & ad veſtram denique ſanctitatem. Volumus igitur ante aliud quodcumque miſſam ad piiſſimos Imperatores epiſtolam coram veſtra ſanctitate perlegi. Sancta ſynodus dixit: Legatur. Et accipiens epiſtolam Leo laudatiſſimus Imperatoris protoſpatharius & devotus ſecretarius legit, ita ut omnes exaudirent:

Joannes ſervus ſervorum Dei, sereniſſi- B mis, cariſſimis noſtris ſpiritalibus filiis, & Deo dilectis, Baſilio, Leoni, & Alexandro, victoribus, triumphatoribus, Imperatoribus, ac ſemper Auguſtis.

Confer. Baron. ad an. 879. num. xx

PUritas celebritaſque veſtræ rectæ fidei ac ſapientiæ, & quæ in veſtris moribus perſpicitur clementia ac lenitas, Chriſtianiſſimi maximique Imperatores Romanorum, lucis inſtar in medio terræ fulgens, fines univerſos ad quos terra porrigitur, circumquaque illuſtrat. Neque enim ſola fide præſtantes, circa alia negligenter ac ſine cura vos geri- C tis: ſed ſuper immaculatam religionem veſtram ædificatis non lignum, neque fœnum, neque ſtipulam, ſed lapides pretioſos, aurum, argentum, atque ut ſummatim dicam, omnia ſtudioſiſſime perficitis, quibus coli divinum Numen agnoſcitur. Coli autem divinum Numen potiſſimum agnoſcitur, cum eccleſiæ ipſius univerſæ, quas ſol aſpicit, in orthodoxa fide, mutuaque concordia & pace degentes, gratiarum actiones quotidie offerunt. Quamobrem hanc ipſam concordiam in veſtra etiam eccleſia conſpici ac vigere deſiderantes, ſanctam Romanam eccleſiam per veſtros apocriſiarios, D & per divinas veſtras litteras adiiſtis: certo perſuaſi adjutricem vobis ad id quod optatis conſortemque operis impigram fore. Neque ipſi primum cœpiſtis hoc conſilium capere: ſed conſuetudini majorum, qui pie imperium adminiſtrarunt, cedentes & obſequentes. A quo autem docti magiſtro ſic inſtitueritis agere, dignum eſt quærere. Perſpicue certe a principe Apoſtolorum Petro, quem caput omnium eccleſiarum Dominus conſtituit, dicens: *Paſce oves meas*: neque hoc tantum, ſed ex ſanctis ſynodis & conſtitutionibus: rurſumque ex ſacris atque orthodoxis ſanctiſque Patrum decretis & E conſtitutionibus, ut divinæ piæque veſtræ teſtantur litteræ. Hoc vero facitis, ut adhuc amplius firmitas fidei veſtræ, quæ eſt celebratiſſima, ſplendeat, & qua flagratis erga Deum caritas, integra incorruptaque appareat. Nihil enim aliud magis convenit, magiſve proprium eſt eorum qui ſunt in poteſtate maximiſque imperiis conſtituti, quam ut pulcritudine ac decore rectæ fidei, & caritate erga Deum ſtudeant ſpectabiles fieri; & omnes videre, qui in eadem fide Deo

A μᾶς, ὡς ὁρᾶτε, ἅτε δὴ γνησίους αὐτοῦ ὑπηρέτας, τὰ παρ' ὑμῶν αἰτηθέντα πληρώσοντας ἅμα ὑμῖν. ἀπέστειλε δὲ καὶ ἐπιστολὰς περὶ τῆς εἰρήνης ταύτης καὶ ὁμονοίας, πρός τε τοὺς εὐσεβεῖς βασιλεῖς, καὶ πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, ἔτι δὲ καὶ πρὸς τὴν ὑμῶν ὁσιότητα. θέλομεν οὖν πρὸ παντὸς ἄλλου τὴν πρὸς τοὺς εὐσεβεστάτους βασιλεῖς ἀναπεμφθεῖσαν ἐπιστολὴν κατενώπιον τῆς ὑμῶν ἁγιωσύνης ἀναγνωσθῆναι. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀναγνωσθήτω. καὶ δὴ λαβὼν τὴν ἐπιστολὴν Λέων ὁ πανεύφημος βασιλικὸς πρωτοσπαθάριος καὶ καθωσιωμένος ἀσηκρῆτις εἰς ἐπήκοον πάντων ἀνέγνω.

B Ἰωάννης δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, τοῖς γαληνοτάτοις, ἀγαπητοῖς ἡμετέροις πνευματικοῖς υἱοῖς καὶ Θεῷ ἠγαπημένοις, Βασιλείῳ, Λέοντι καὶ Ἀλεξάνδρῳ, νικηταῖς, τροπαιούχοις, βασιλεῦσι, καὶ αἰωνίοις Αὐγούστοις.

ΤΟ καθαρὸν καὶ ὑπέρλαμπρον τῆς ἐν τῇ πίστει ὀρθοδοξίας ὑμῶν, καὶ τῆς σοφίας, καὶ τὸ ἐν τρόποις ὑμῶν κατανοούμενον χρηστὸν καὶ ἐπιεικὲς, ὦ χριστιανικώτατοι καὶ μέγιστοι βασιλεῖς Ῥωμαίων, φωτὸς δίκην ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐκλάμπον πάντα τὰ πέρατα εἰς ἃ ἡ οἰκουμένη παρατείνεται περιαυγάζει· ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐν μόνῃ τῇ πίστει σεμνυνόμενοι, περὶ C τ' ἄλλα εἰς ῥαθυμίαν ἀντὶ τῆς σπουδῆς διάκεισθε. ἀλλ' ἐπὶ τῷ ἀμωμήτῳ θρησκεύματι ὑμῶν ἐποικοδομεῖτε οὐ ξύλον, οὐδὲ χόρτον, οὐδὲ καλάμην, ἀλλὰ λίθους τιμίους, χρυσὸν, ἄργυρον, ἁπλῶς εἰπεῖν, πάντα ὑμεῖς μετὰ τῆς ἐν σπουδῇ καλλονῆς ἐξανύετε, ἐν οἷς γινώσκεται τὸ θεῖον θεραπευόμενον. θεραπεύεσθαι δὲ μάλιστα τὸ θεῖον διαγινώσκεται ἐπὶ τῷ τὰς ἐκκλησίας αὐτοῦ πάσας ὅσας ὁ ἥλιος ἐφορᾷ ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους ὁμονοίᾳ καὶ εἰρήνῃ διατελούσας, εὐχαριστηρίους αὐτῷ φωνὰς καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀναφέρειν. διὸ ταύτην τὴν ὁμόνοιαν καὶ ἐν τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ ὁρᾶσθαι καὶ πρυτανεύεσθαι ἐπιποθοῦντες, τὴν τῶν Ῥωμαίων ἁ- D γίαν ἐκκλησίαν διὰ τῶν ἀποκρισιαρίων ὑμῶν καὶ θεοτύπων γραμμάτων ὑμῶν κατελάβετε, συνεργὸν εἰς τὸ σπουδαζόμενον ὑμῖν ἐσομένην, καὶ οὐ ῥαθυμοῦσαν πεπιστευκότες. οὐκ αὐτοὶ πρώτως ἀρξάμενοι εἰς τοῦτο τὸ ἐπιτήδευμα ἐλθεῖν· ἀλλ' ἔθει τῶν πρὸ ὑμῶν εὐσεβῶς βεβασιλευκότων εἴκοντες, καὶ κατακολουθοῦντες. ἀλλὰ γὰρ ἐκ ποίου διδασκάλου ταῦτα παρελάβετε ποιεῖν, ἄξιον διερωτῆσαι. ἢ δῆλον ἐκ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, ὃν κεφαλὴν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τέθεικεν ὁ κύριος, εἰπὼν, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου· οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ ἐκ τῶν ἁγίων συνόδων καὶ διατάξεων. ἔτι δὲ καὶ ἐκ τῶν ἱερῶν καὶ ὀρθοδόξων καὶ πατρικῶν ὁσίων θεσπισμάτων τε καὶ διαταγμάτων. κα- E θὼς καὶ αἱ θεῖαι καὶ εὐσεβεῖς ὑμῶν συλλαβαὶ μαρτυροῦσι. τοῦτο δὲ ποιεῖτε, ἵνα πλέον τὸ στερρὸν τῆς πίστεως ὑμῶν διαβοώμενον ἐκλάμψῃ, καὶ ἡ πρὸς Θεὸν ἀγάπη ἀκέραιος καὶ ἀμάραντος ἀναδειχθῇ. οὐδὲν γὰρ πέφυκεν ἄλλο προφυέστερον, ἢ οἰκειότερον εἶναι τοῖς ἐν ἐξουσίᾳ καὶ μεγίσταις ἀρχαῖς καθεστηκόσιν, ἢ τῇ καλλονῇ καὶ ὡραιότητι τῆς ὀρθῆς πίστεως καὶ τῇ πρὸς Θεὸν ἀγάπῃ σπουδάζειν τὸ σεμνύνεσθαι· καὶ τὸ πάντας ὁρᾶν τοὺς ἐν τῇ αὐτῇ πίστει τῷ Θεῷ λατρεύοντας τῷ τῆς ἀγάπης συνδέσμῳ περιπλεκομένους τε καὶ συσφιγγομένους. ἐγκύψαντες δὲ τοῖς ὑμῶν γράμ-

ANNO CHRISTI 879.

γράμμασι καὶ τοῖς ἐν αὐτοῖς μελιῤῥύτοις φθέγμασι κατηδυνθεῖσαι καὶ ἐξαφθεῖσαι πυρὸς δίκην, καὶ μετὰ πάσης τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ὁμονοήσαντες καὶ συμφωνήσαντες διανέστημεν, εἰς τὸ τὰ παρ' ὑμῶν ἅπαντα γραφέντα προθύμως καὶ περιχαρῶς πεπληρωμένα δεῖξαι· μάλιστα τοῦ παρόντος καιροῦ ἐπιτηδειοτάτου ἡμῖν καὶ τῆς τῶν πραγμάτων φορᾶς εἰς τοῦτο γεγονότων.

Ἔγραψας ἡμῖν, υἱὲ ἡμῶν ἠγαπημένε, ἵνα ἀποστολικὰ καὶ συμπαθῆ σπλάγχνα ὑπανοίξαντες, πάντας τοὺς τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας, ὅσοι γεγόνασιν ἢ δι' ἰδιοχείρων ἐν παραβάσει, ἢ ἄλλως πως, κανονικαῖς ὑπέπεσον * ἐπιθυμίαις, δεξώμεθα. καὶ τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας φροντίδα ποιησώμεθα. οὐ μὴν ἀλλά γε καὶ πρὸ τούτων Φώτιον τὸν θεοσεβέστατον ἀρχιερέα τῆς πρὸς ἡμᾶς κοινωνίας μέτοχον καὶ κληρονόμον καὶ συλλειτουργὸν ποιήσαντες, εἰς τὸ μέγα τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξίωμα, καὶ τὴν τιμὴν τῆς πατριαρχείας πάλιν ἀποκαταστήσωμεν. ὡς ἂν μὴ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἐπὶ πολὺν χρόνον ταῖς τῶν θεοστυγῶν σχισμάτων καὶ πονηρῶν σκανδάλων τρικυμίαις παρατεταμένη διαμένῃ. ἡμεῖς δὲ τῆς ὑμετέρας γαληνότητος τὴν ἱκεσίαν προσδεξάμενοι, ὡς εὔλογον οὖσαν καὶ δικαίαν, καὶ θεάρεστον, τόν τε καιρὸν ἐπιτήδειον ὄντα, οἷον καὶ πρὶν ἐπεζητοῦμεν καὶ ηὐχόμεθα εὑρόντες, καὶ νομίσαντες ἁρμόδιον εἶναι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ εἰρηνοποιεῖν, ἀπεστείλαμεν ἀποκρισιαρίους ὑμῶν ἐκπληροῦντας τὸ θέλημα ὑμῶν. εἰ καὶ ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια τὸν ἄνδρα ἐκβιασαμένη ἔφθασεν ἀποκαταστήσασα καὶ πρὸ ὑμῶν, ἤτοι πρὸ τοῦ παραγενέσθαι τοὺς ἡμετέρους τοποτηρητὰς ἐν τοῖς αὐτόθι. ὅμως ἡμεῖς τοῦτο θεραπεύομεν οὐκ ἐκ τῆς ἡμετέρας αὐθεντίας, καίπερ ἔχοντες ἐξουσίαν τοῦτο ποιεῖν· ἀλλ' ἐκ τῶν ἀποστολικῶν διατάξεων καὶ πατρικῶν θεσπισμάτων τὰς ἀποδείξεις φέροντες. οὐ τοὺς θεσμοὺς τῆς ἐκκλησίας τοὺς ἀνέκαθεν παραδεδομένους λύοντες· ἀλλ' ἐν οἷς ἡ τούτων ἀκρίβεια ἀπαράβατος διατηρουμένη, διασπᾷ καὶ λυμαίνεται τὴν ὁλοκληρίαν τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, πρὸς τὸ συμφέρον ἄγειν πάντα παρ' αὐτῆς ἐκείνης διδαχθέντες. καὶ γὰρ ὁ τῆς ἐν Νικαίᾳ β'. κανὼν οὕτω λέγει· ἐπειδὴ πολλάκις εἴτε ἀπὸ ἀνάγκης, εἴτε ἄλλως πως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων, παραβαίνεσθαι τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας συμβαίνει. ἔτι καὶ ὁ πάπας Γελάσιος περὶ τοῦ αὐτοῦ λέγει. ὅτι ὅπου βία οὐ πρόκειται ἀμετάθετοι διαμενέτωσαν οἱ τῶν ἁγίων πατέρων θεσμοί. ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ ἁγιώτατος πάπας Λέων ἐν τῷ αὐτῷ διακελεύεται πνεύματι λέγων· ὅπου οὐ προηγεῖται βία, ἀσάλευτοι διαμενέτωσαν οἱ θεσμοὶ τῶν ἁγίων πατέρων. ὅπου δὲ ἀνάγκη καὶ βία εὑρίσκεται, ἐκεῖ πρὸς τὸ συμφέρον ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ ὁ τὴν ἐξουσίαν ἔχων οἰκονομείτω· ἐξ ἀνάγκης γὰρ κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον καὶ νόμου μετάθεσις γίνεται. καὶ Φῆλιξ δὲ ὁ πάπας τούτοις συνηγορεῖ λέγων· καὶ περὶ τούτου χρὴ σκέψασθαι ἵνα ὅπου ἀπαντήσῃ ἀνάγκη, πολλάκις αἱ συστάσεις τῶν πατέρων παραβαίνονται. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Καρθαγένῃ, λέ. κεφαλαίῳ λέγει· κελεύομεν ἵνα οἱ κληρικοὶ τῶν Δονατιστῶν πάλιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀνακάμψωσι, καίπερ πρώην ὑπὸ συνόδου καθαιρεθέντες. καὶ σύνοδος ὁρᾶται σύνοδον λύουσα διὰ τὴν ἕνωσιν καὶ ὁμόνοιαν τῆς ἐκκλησίας. καὶ Ἰννοκέντιος δὲ ὁ πάπας λέγει ἐν τῷ νέ. κεφαλαίῳ·

* Pro ἐπιτιμίαις.

serviunt, caritatis vinculo colligatos atque conſtrictos. Attendentes igitur ad veſtras litteras, & ad mellifluos ſermones quos continent, gaviſi accenſique inſtar ignis, cum omni noſtra ſanctiſſima Romana eccleſia, concordi conſenſione excitati ſumus, ut omnia quæ ſcripſiſtis alacriter hilariterque compleremus; cum ſit potiſſimum hoc præſens tempus nobis maxime opportunum, & rerum curſus eo fine geſtarum.

Scripſiſti enim, fili nobis dilecte, ut Apoſtolica plenaque humanitatis viſcera aperientes, omnes e veſtra eccleſia, quotquot aut propria manu ſubſcribentes legem violarunt, aut quacumque alia ratione canonicis obnoxii pœnis fuerunt, ſuſciperemus, curamque gereremus pacis & concordiæ: Quin etiam ut ante alia Photium religioſiſſimum Pontificem noſtræ communionis participem & conſortem & comminiſtrum ſtatuentes, in magnum Pontificatus culmen, & in patriarchatus dignitatem iterum reſtitueremus: ne Dei eccleſia longo tempore impiorum ſchiſmatum pravorumque ſcandalorum fluctibus conturbata permaneat. Nos autem veſtræ ſerenitatis ſupplicationem admittentes, ut rationi conſentaneam, & juſtam & Deo acceptam, tempus opportunum, quale pridem quærebamus, nacti, gratias agebamus: Arbitratique conveniens eſſe ut eccleſiam Dei pacatam redderemus, miſimus apocriſiarios noſtros, qui quæ vultis implerent: tametſi veſtra pietas viro vim prius attulit, reſtituendo eum ante nos, hoc eſt, antequam noſtri legati illuc advenirent; nos autem hoc indulgemus, non ex noſtra auctoritate, tametſi hoc faciendi poteſtatem habemus, ſed ex Apoſtolicis conſtitutionibus, & patrum decretis documenta ſumentes: Nec leges eccleſiæ jampridem traditas ſolventes: ſed ubi harum exacta & exquiſita obſervatio dirimit ac labefactat totam compagem corporis eccleſiæ, prout utile eſt omnia agere ab ipſa illa edocti. Sic enim canon habet ſynodi Nicænæ ſecundæ: „Quandoquidem ſæpenumero ſive ex neceſſitate, ſive aliter cogentibus hominibus, violari contingit eccleſiaſticos canones. Sed & Papa Gelaſius de eodem argumento dicit: „Ubi vis manifeſta non eſt, inviolata permaneant ſanctorum Patrum conſtituta. Similiter autem ſanctiſſimus Papa Leo in eodem ſpiritu admonet dicens: „Ubi vis non antecedit, inconcuſſa permaneant conſtituta ſanctorum Patrum. Ubi vero neceſſitas & vis reperitur, ibi prout utile eſt eccleſiis Dei, is qui poteſtatem habet, adminiſtret. Ex neceſſitate enim, juxta divinum Apoſtolum, etiam legis translatio fit. Et Felix autem Papa his patrocinatur, dicens: „Et circa hoc conſiderandum eſt, ut ubi neceſſitas intervenit, ſæpe Patrum conſtituta violantur. Quin etiam ſancta ſynodus Carthaginenſis, capitulo xxxv. dicit: „Præcipimus ut clerici Donatiſtarum rurſus in eccleſiam revertantur, quamvis non ita pridem a ſynodo depoſiti fuerint. Et ſynodus videtur ſynodum abrogare, propter unionem & concordiam eccleſiæ. Et Innocentius Pa-

Hebr. 7. 10.

ANNO CHRISTI 879.

„ pa dicit in L V. capitulo: Qui ordi- A
„ nati ſunt a Bonoſo hæretico, ſuſci-
„ piantur: ne iterum ſcandala in eccleſia
oboriantur. Neque in iſtis ſolum, quam-
vis tales eſſent, & ex ipſis eſſent ex
hæreſi, tamen Apoſtolica hæc ſedes,
eccleſiaſticæ pacis curam gerens, manum
adjutricem porrexit: verum etiam ortho-
doxis epiſcopis & patriarchis ad ipſam
confugientibus, (quemadmodum etiam
nunc facit reverentiſſimus Photius) &
auxilium ejus implorantibus opem tulit.
Noſtis omnes magnum Athanaſium epiſco-
pum Alexandriæ, Cyrillum & Polychro-
nium Hieroſolymorum; Joannem, quem
veſtra caritas Chryſoſtomum appellat, & B
Flavianum Conſtantinopolitanum. Hos
enim a ſynodo depoſitos & excommuni-
catos, & ad ſanctam Romanam eccle-
ſiam confugientes, hæc Apoſtolica ſedes
confirmavit, & in priſtino honore reſti-
tuit. Si igitur qui a Donatiſtis, qui-
que a Bonoſo ordinationem receperant,
etiam ex eccleſiæ catholicæ caſtris ex-
cluſi a frequenti ſynodo, ab altera ſy-
nodo admittuntur, & in catalogo ſa-
cerdotum deſcribuntur; ut eccleſia Dei
indivulſa & a ſchiſmatibus pura libera-
que permaneat: (nihil enim adeo a-
bominandum exoſumque Dei oculis con-
ſpicitur, quam ſchiſmatum multitudo in C
eccleſia Dei fere ſubſiſtens: neque quid-
quam eſt jucundius aut acceptius ejus
bonitati, quam eccleſia ſuam integrita-
tem in amore Dei & concordia cum
proximo retinens:) multo magis vi-
ros orthodoxa fide conſpicuos, morum
ſeveritate & accurato vitæ inſtituto cele-
bratiſſimos, ac tantum non uſque adeo
ut & pœnitentiæ opera peragant, non
oportet contemnere tanquam reos pœniten-
tiæ jugo gravatos, ſed in priorem eos
reſtituere dignitatem?

Quandoquidem enim hæc Apoſtolica
ſedes, accipiens claves regni cælorum
a primo & magno Pontifice JESU D
CHRISTO, per principem Apoſtolo-
Matth. 16. rum Petrum: dicente eo: *Tibi dabo
claves regni cælorum: & quemcumque li-
gaveris ſuper terram, erit ligatus in cæ-
lis: & quemcumque ſolveris ſuper ter-
ram, erit ſolutus in cælis*: poteſtatem
habet univerſe ligandi atque ſolvendi;
& ſecundum Jeremiam prophetam, evel-
Jerem. 1. 10. lendi atque plantandi: Idcirco & nos
auctoritate principis Apoſtolorum Petri u-
tentes, cum univerſa noſtra ſancta ec-
cleſia, denunciamus vobis, & per vos
ſanctiſſimis fratribus & comminiſtris no-
ſtris patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ,
Hieroſolymorum, ceteriſque epiſcopis ac E
ſacerdotibus, & toti univerſitati eccle-
ſiæ Conſtantinopolitanæ, concordes nos
eſſe & conſentientes, immo vero De-
um, in omnibus quæ petiſtis. Ac pri-
mum quidem a nobis ſuſcipi Photium
præſtantiſſimum ac reverentiſſimum Dei
Pontificem & Patriarcham, in fratrem
noſtrum & comminiſtrum, eumdemque
communionis cum ſancta Romana eccleſia
participem, conſortem, & hæredem: tum
propter alias virtutes, quibus pollet: tum ob
ſcandala e medio tollenda, & pacem Dei ac

A οὗτοι οἱ χειροτονηθέντες ὑπὸ Βονόσου τοῦ αἱρετικοῦ, δε-
χθήτωσαν, ἵνα μὴ πάλιν σκάνδαλα ἐν τῇ ἐκκλη-
σίᾳ ἀναφύῃ. ϗ οὐ μόνον ἐν τούτοις, καίπερ οὖσι τοιού-
τοις, ϗ ἐξ αὐτῶν οὖσιν ἐξ αἱρέσεως, ἡ ἀποστολικὴ αὕτη
καθέδρα καθαιρεθεῖσι, τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης
φροντίδα ποιουμένη, χεῖρα βοηθείας ὤρεξεν. ἀλλὰ ϗ
ὀρθοδόξοις ἱεράρχαις ϗ πατριάρχαις εἰς αὐτὴν κα-
ταφυγοῦσιν, ὥσπερ ϗ νῦν ὁ ἁγιώτατος Φώτιος,
ϗ τὴν βοήθειαν αὐτῆς ἐπικαλεσαμένοις ἐπήμυνεν.
οἴδατε πάντες τὸν μέγαν Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον Ἀ-
λεξανδρείας. Κύριλλόν τε ϗ Πολυχρόνιον Ἱεροσολύ-
μων. Ἰωάννην, ὃν ἡ ἀγάπη ὑμῶν Χρυσόστομον ὀνο-
μάζει· ϗ Φλαβιανὸν τὸν Κωνσταντινουπόλεως. τούτους
B γὰρ ὑπὸ συνόδου καθαιρεθέντας ϗ ἀποκηρυχθέντας,
ϗ τὴν ἁγίαν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν ὑποδραμόν-
τας, ὁ ἀποστολικὸς οὗτος θρόνος συνέστησε, ϗ πρὸς
τὴν προτέραν τιμὴν ἐπανήγαγεν. εἰ οὖν οἱ ἐκ τῶν
Δονατιστῶν, ϗ οἱ ἐκ Βονόσου τὴν χειροτονίαν δεξά-
μενοι, ϗ τῶν τῆς ὀρθοδόξου ἐκκλησίας περιβόλων
ἀπελαθέντες ὑπὸ συνόδου πολυανθρώπου, ὑπὸ ἑτέρας
συνόδου δέχονται, ϗ ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν ἱερέων τάτ-
τονται, διὰ τὸ τὴν ἐκκλησίαν Θεοῦ ἀδιάσπαστον καὶ
σχισμάτων καθαρὰν ϗ ἐλευθέραν παραμένειν. οὐδὲν
γὰρ οὕτως βδελυκτὸν ϗ μεμισημένον τοῖς ὀφθαλ-
μοῖς καθορᾶται τοῦ Θεοῦ, ὡς σχισμάτων ἐσμὸς πα-
ρυφιστάμενος ἐν ἐκκλησίᾳ Θεοῦ· καὶ οὐδὲν προ-
C σηνέστερον, ἢ προσφιλέστερον τῇ αὐτοῦ ἀγαθότητι,
ὡς ἐκκλησία τὴν αὐτῆς ὁλοκληρίαν ἔν τε τῇ πρὸς
Θεὸν ἀγάπῃ ϗ τῇ πρὸς τὸν πλησίον ὁμοφρο-
σύνῃ διασώζουσα. πολλῷ μᾶλλον ἄνδρας τοὺς
ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει διαπρέποντας, βίου τε σεμνότητι
ϗ ἀκριβεῖ πολιτείᾳ πεφημισμένους, ϗ σχεδὸν μὴ δὲ
ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε ϗ ἐπιτιμίας ἔργα διαπράξα-
σθαι, οὐ χρὴ παροράσθαι ὡς ὑπευθύνους τῷ τῆς ἐ-
πιτιμίας βαρυνομένους ζυγῷ. ἀλλ' ἐπὶ τὴν προτέραν
αὐτοὺς ἐπανάγειν τιμήν.

Καθάπερ γὰρ ὁ ἀποστολικὸς θρόνος οὗτος λα-
βὼν τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν παρὰ τοῦ
D πρώτου ϗ μεγάλου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ τοῦ
κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, εἰπόντος πρὸς αὐ-
τόν· σοὶ δώσω τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρα-
νῶν· ϗ ὃν ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένος
ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ϗ ὃν ἂν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται
λελυμένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ἔχει ἐξουσίαν καθόλου
δεσμεῖν τε ϗ λύειν, ϗ κατὰ τὸν προφήτην Ἱερεμίαν
ἐκριζοῦν ϗ καταφυτεύειν. διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς τῇ αὐ-
θεντίᾳ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου χρώμε-
νοι, μετὰ πάσης τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης ἐκκλη-
σίας παρεγγυώμεθα ὑμῖν, ϗ δι' ὑμῶν τοῖς τε ἁγιω-
τάτοις ἀδελφοῖς ϗ συλλειτουργοῖς ἡμῶν πατριάρχαις
Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, Ἱεροσολύμων, ϗ τοῖς
E λοιποῖς ἀρχιερεῦσί τε ϗ ἱερεῦσι, ϗ παντὶ τῷ πλη-
ρώματι τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπολιτῶν, ὁμονοῆ-
σαι ϗ ὁμοφρονῆσαι ἡμῖν, μᾶλλον δὲ τῷ Θεῷ ἐν
πᾶσιν, οἷς ὑμεῖς ἐζητήσατε· ϗ πρῶτον μὲν ἀπο-
δέξασθαι Φώτιον τὸν θαυμασιώτατον ϗ ἁγιώτα-
τον ἀρχιερέα Θεοῦ ϗ πατριάρχην ἀδελφὸν ὑμῶν ϗ
συλλειτουργόν, καὶ τῆς κοινωνίας τῆς πρὸς τὴν ἁγίαν
τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν σύμμοιρόν τε ϗ συμμέτο-
χον ϗ κληρονόμον· διά τε τὴν ἄλλην ἀρετὴν τὴν
προσοῦσαν αὐτῷ, ϗ τὸ τὰ σκάνδαλα ἐκποδὼν γενέ-
σθαι, ϗ τὸ τὴν εἰρήνην τοῦ Θεοῦ καὶ ἀγάπην τὴν εἰς
ἀλλή-

A ἀλλήλους ἐν ὑμῖν φυτευθῆναι. δέξασθε δὲ αὐτὸν ἀδιστάκτῳ γνώμῃ καὶ ἀναμφιβόλῳ ἀγάπῃ καὶ πίστει· πάντα κακίας καὶ δολιότητος ἰὸν καὶ διψυχίας καὶ ἀμφιβολίας ἐκ τῶν καρδιῶν ὑμῶν ἀπελαύνοντες, καθὼς αὐτὸν ἀπεδέξατο καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία. ἀναμανθάνομεν γὰρ σχεδὸν παρὰ πάντων τῶν πρὸς ἡμᾶς ἐκ τῶν αὐτόθι φοιτώντων τὸν ἄνδρα πᾶσι προτερήμασι τοῖς κατὰ Θεὸν κομᾶν. τοῦτο μὲν σοφίᾳ καὶ συνέσει τῇ περὶ τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα πάντων διαφέρειν· τοῦτο δὲ περὶ τὴν ἄλλην πρακτικὴν ἀρετὴν καὶ ἐπιμέλειαν τῶν θείων ἐνταλμάτων ἀνεπαίσχυντον ἐργάτην διαβοώμενον. καὶ οὐ δίκαιον ἐκρίναμεν εἶναι, τοιοῦτον καὶ τηλικοῦτον ἄνδρα ἀργὸν καὶ ἄπρακτον διαμένειν· ἀλλ' ἐφ' ὑψηλοῦ τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας B πάλιν ἀνατεθέντα καὶ ἀναλάμψαντα, τά τε αὐτῷ συνήθη καὶ Θεῷ φίλα ἱερεῦσι καὶ ἀρχιερεῦσιν ἔργα διαπράττεσθαι.

Διὸ πάλιν τὸν αὐτὸν ἐπαναλαμβάνοντες λόγον, πρὸς ὑμᾶς ἅπαντας λέγομεν· δέξασθε τὸν ἄνδρα ἀπροφασίστως. μηδεὶς προφασιζέσθω τὰς κατ' αὐτοῦ γενομένας ἀδίκους συνόδους. μηδείς, ὡς τοῖς πολλοῖς τῶν ἀγελαιοτέρων δοκεῖ, τὰς τῶν πρὸ ἡμῶν μακαρίων ἀρχιερέων, Νικολάου τέ φημι καὶ Ἀδριανοῦ, καταψηφίσεις αἰτιάσθω. οὐ γὰρ * ἀπεδείχθησαν παρ' αὐτῶν τὰ κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου τυρευθέντα. μηδεὶς τὰς κατ' αὐτοῦ χειρογραφίας ὑμῶν, ἀφορμὴν τῶν C πρός αὐτόν τε καὶ πρὸς ἀλλήλους σχισμάτων ποιείτω. πάντα γὰρ πέπαυνται καὶ ἐξωστράκισται· πάντα τὰ κατ' αὐτοῦ ἠκύρωται καὶ ἠχρείωται. πάντα δι' ἡμῶν τῶν ἐλαχίστων ἐν ταῖς χερσὶ τοῦ κορυφαίου τέθειται, καὶ δι' αὐτοῦ ἐν τοῖς ὤμοις Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀμνοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. δέξασθε οὖν αὐτὸν ὑπτίαις χερσὶν ἀδελφὸν * ὑμέτερον καὶ συλλειτουργόν. δέξασθε ἀρχιερέα Θεοῦ ἄμεμπτον. δέξασθε πατριάρχην τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας. κυρώσατε πρὸς αὐτὸν ἀγάπην, πίστιν, καὶ τὴν μετ' εὐλαβείας ὑπακοήν, καὶ δι' αὐτοῦ πρὸς τὴν ἁγίαν τῶν D Ῥωμαίων ἐκκλησίαν. ὁ γὰρ ἐκεῖνον μὴ ἀποδεχόμενος, δῆλον ὅτι οὐδὲ τὰ παρ' ἡμῶν καὶ τῆς ἁγίας τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας περὶ αὐτοῦ ψηφισθέντα δέχεται. καὶ οὐ πρὸς ἡμᾶς ὁ τοιοῦτος πόλεμον ἀναλαμβάνεται, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἁγιώτατον Πέτρον τὸν ἀπόστολον, μᾶλλον δὲ πρὸς Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν οὕτω τιμήσαντα καὶ δοξάσαντα τὸν αὐτοῦ ἀπόστολον, ὡς ἔχειν αὐτὸν ἐξουσίαν δεσμεῖν τε καὶ λύειν.

Καὶ τοῦτο δὲ ἀναμιμνήσκεσθαι παρακαλοῦμεν τὴν ὑμῶν εὐσεβῆ βασιλείαν, ἐκ πόσου χρόνου τὰ σκάνδαλα καὶ τὰ σχίσματα ἐν τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ παρεισελθόντα τὴν ταύτης ὁλοκληρίαν λυμαίνεται. E τούτων δὲ τῶν κακῶν αἴτιον οὐδὲν ἄλλο καθέστηκεν, ἀλλ' ἢ τὸ παραδέχεσθαι ὑμᾶς τοὺς βασιλεῖς βλασφημίας καὶ συκοφαντίας κατὰ τῶν ἀρχιερέων καὶ πατριαρχῶν ὑμῶν καὶ τῶν λοιπῶν ἱερέων τοῦ Θεοῦ· καὶ τὸ ὀλιγώρως ἔχειν ὑμᾶς περὶ τὴν εἰς αὐτοὺς ἀγάπην καὶ πίστιν καὶ τιμὴν καὶ εὐλάβειαν. διὸ ἱκετεύομεν τὸ θεῖον ὑμῶν κράτος ἀπὸ τοῦ νῦν κλεῖσαι τὰ ὦτα τῆς θεοψηφίστου βασιλείας ὑμῶν ταῖς τῶν πονηρῶν ἐκείνων καὶ χαιρεκάκων ἀνθρώπων κατὰ τῶν ἀρχιερέων τοῦ Θεοῦ διαβολαῖς καὶ συκοφαντίαις· καὶ ὡς ἄγος καὶ μύσος καὶ ἀποτρόπαιον αὐτούς τε καὶ τὰς πονηρὰς βολίδας τῶν λόγων αὐτῶν ἀποπέμπεσθαι· τιμᾶν τε τοὺς

* Pro ἀπεδείχθησαν in fragmentis Joannis Vecci legunt.

* Ibidem. ἡμέτερον.

A mutuam in vobis caritatem inferendam. Suſcipite autem vos illum certa indubitataque ſententia, caritate ac fide: omne malitiæ ac doli venenum, & animi duplicis aut hæſitabundi, ex cordibus veſtris ejicientes, quemadmodum ipſum ſuſcepit etiam eccleſia Romana. Didicimus enim fere ex omnibus qui illic degunt, virum omnibus quæ ad Deum ſpectant potiſſimis dotibus eminere: tum ſapientia ac prudentia in rebus divinis & humanis omnes anteire: tum in alia omni virtute quæ in rerum actione cernitur, & in exercitatione divinorum mandatorum operarium inconfuſibilem prædicari. Nec fas eſſe B duximus, talem ac tantum virum inertem & otioſum permanere: ſed in ſublimi veſtra eccleſia rurſum impoſitum ac refulgentem, conſueta ſibi & Deo accepta erga ſacerdotes & epiſcopos opera perficere.

Itaque rurſum eumdem iterantes ſermonem, vobis omnibus dicimus: Suſcipite virum ſine aliqua excuſatione. Nemo prætexat eas quæ contra ipſum factæ ſunt injuſtas ſynodos. Nemo, ut pleriſque videtur imperitis ac rudibus, deceſſorum noſtrorum beatorum Pontificum, Nicolai, inquam, & Hadriani, decreta culpet: neque enim ab ipſis ſuſcepta ſunt quæcumque fuerunt adverſus ſanctiſſimum Photium agitata. Nemo ex ſubſcriptionibus C veſtris adverſus ipſum, occaſionem ſchiſmatis accipiat, ſive contra eum, ſive inter vos invicem. Finita ſunt enim omnia, repudiata omnia, quæ adverſus eum geſta ſunt, infirma irritaque reddita. Omnia per nos tametſi minimos in manibus * Coryphæi poſita ſunt, & per ipſum in humeris Jesu Chriſti Agni Dei, qui tollit peccatum mundi. Suſcipite ergo ipſum manibus apertis, fratrem noſtrum & comminiſtrum. Suſcipite Dei Pontificem irreprehenſibilem. Suſcipite patriarcham eccleſiæ veſtræ. Confirmate in illum caritatem, D fidem, & cum reverentia obedientiam; & per ipſum in ſanctam Romanam eccleſiam. Qui enim ipſum non ſuſcipit, is manifeſte neque noſtra neque ſanctæ Romanæ eccleſiæ de ipſo decreta ſuſcipit: neque is nobis bellum indicit, ſed ſanctiſſimo Petro Apoſtolo, immo verius Chriſto Dei Filio, qui ſic honorificavit & glorificavit Apoſtolum ſuum, ut dederit illi poteſtatem ligandi atque ſolvendi.

Et illud ut meminerit veſtrum pium imperium cohortamur, quamdudum ſcandala & ſchiſmata, quæ in veſtram eccleſiam irrepſerunt, integritatem ejus labefactarint. Atqui horum malorum cauſa E non alia exſtitit, niſi quod vos, Imperatores, excepiſtis obtrectationes & calumnias adverſus Pontifices & Patriarchas veſtros, & ceteros Dei ſacerdotes: & quod negligentes fuiſtis in caritate, ac fide & honore ac reverentia erga ipſos. Quapropter divinum veſtrum principatum obteſtamur, ut deinceps veſtri a Deo decreti imperii occludat aures hominum iſtorum improborum, & qui malis alienis gaudent, falſis adverſus Dei Pontifices delationibus & calumniis: & ut tanquam deteſtandam rem & abominandam hos homines & maligna ſermonum ipſo-

1. Tim. 1. 15.

* Petri.

1. Cor. 1. 8.

ipſorum jacula procul ſummoveatis: honoretis autem patriarchas veſtros, & religioſe colatis, ac velut patres veſtros reputetis, & tanquam mediatores Dei & hominum revereamini. Ipſi enim pervigilant pro animabus veſtris, ſemper a Deo poſcentes quæ ad veſtram ſalutem conferunt; ſed & ſi quid, ut fit, delicti admiſeritis, quo Deus offendatur, hoſtias eidem offerunt pro veſtra reconciliatione, placatum vobis divinum Numen exhibentes. Verum etiam & pro ſtabilitate ac perennitate imperii veſtri, pro victoria triumphiſque de hoſtibus, pro ſalute omnium Chriſtianorum, legatione ipſi funguntur apud clementiſſimum Deum noſtrum. Ipſi etiam ductores doctoreſque veſtri nuncupantur, quando adhortantur vos ut ea faciatis, quæ regnum cælorum vobis acquirant. Præterea diligere vos pluſquam ceteri agnoſcuntur: neque enim ea, quæ propria adulantium eſt, amicitia vos diligunt; ſed ea quam docuit ipſos Jesus Chriſtus, per ſuos ſanctos Apoſtolos.

Non ſunt igitur contemnendi patriarchæ veſtri, tum ob ea quæ antea diximus, tum eo quod ita vos diligunt, ut præcepit Dominus. Sic autem habetote, quod dum ita facitis & reverenter eos tractatis, non ipſos honoratis & colitis, ſed eum qui ipſorum manibus ſacrificatur, & pro peccato totius mundi offertur Deo & Patri. Nam qui hos honorat, Deum honorat; & qui hos averſatur, Deum averſatur. Falſas igitur adverſus eos ſermocinationes ac ſuſurrationes, per quas zizania & ſchiſmata & ſcandala in eccleſias Dei ſubeunt, dividuntque contextam deſuper Chriſti tunicam, ut venenum aſpidum, deſugiat pium veſtrum imperium: ſed potius opituletur ſanctiſſimo Photio fratri & comminiſtro noſtro, in omni re quæ ad integritatem eccleſiæ confert. Sed & eos qui ipſum honori non habent, caſtigate, ut reſipiſcant. Quos enim ſæpe Dei timor & erga res divinas reverentia non adducit ad ſanam mentem, hos Imperatorum & præſidum & magiſtratuum ira ſuperveniens modeſtos & frugi reddidit. Hoc ſi feceris, tibi, ut probe noſti, comparabis regnum cælorum, & perpetuitatem principatus veſtri, & pacificum imperii veſtri ſtatum. Verum enimvero ſi hæc non feceritis, ſic habetote fore, ut nunquam ceſſent ſchiſmata in eccleſia Conſtantinopolitana.

Etiam ut hoc ſtatuatis, adhortamur veſtrum a Deo cuſtoditum imperium, ut poſt obitum ſanctiſſimi Photii, comminiſtri & fratris noſtri, nemo e ſæculari magiſtratu ad pontificalem dignitatem eligatur & ordinetur; ſed aut ex presbyteris cardinalibus, vel in eccleſia Catholica conſcriptis, aut ex ejus diaconis, aut ex aliis ſacerdotibus qui ſubjecti ſunt ſedi Conſtantinopolitanæ, juxta divinos & ſacros canones: ne quid agatis contra eccleſiaſticam diſciplinam, & canones Patrum. Procedere autem hunc volumus, probatum per ſingulos eccleſiæ gradus: primo lectorem, deinde acolythum, poſtea diaconum, deinde presbyterum: poſthæc epiſcopum. Ita nimirum ut bonum habeat teſtimonium de innocentia morum & diſcendi ſtudio: quoniam dum in inferiori-

Adhortamur autem & ſuper hac re veſtram fraternitatem, ut Præfecturam Bulgariæ, quam Deus per interceſſionem beati Petri Apoſtoli, & magnum laborem deceſſorum noſtrorum ad Chriſtum adduxit, nobis C reſtituatis. Volumus autem & hoc: ut ſi quis fuerit ejectus aut ſeparatus, veſtro vos labore, ſatagentes cum ſanctiſſimo patriarcha Photio, pro quo etiam veſtrum ardorem declaraſtis, inter omnia veſtra pia opera etiam hos lucremini: ut hac etiam parte ſine reprehenſione coram Deo inveniamini. Sanctiſſimus autem ac religioſiſſimus frater noſter Photius patriarcha ne turpe ducat coram ſynodo gratiam & favorem noſtrum, ſeu potius viſcera Romanæ eccleſiæ prædicare, quemadmodum etiam nos gratiam in illum fraternam contulimus, patriarcham ipſum agnoſcentes legitimum & ſecundum canones conſtitutum, conſortem beati Petri Apoſtoli: D & omnis eccleſia Romana exhibuit erga eum paterna viſcera, exemplum ſecuta aliorum prædeceſſorum noſtrorum, in primis vero beatiſſimi Innocentii & Gelaſii, & multorum ſanctorum Pontificum Romæ. Oportet enim quæcumque ad communem ſalutem conferunt, ea propenſo animo fieri. Multi enim Pontifices ſuas ſedes injuſte amittentes & ex iiſdem ejecti, Apoſtolica diſpoſitione proprias ſedes receperunt. Vos autem, cum ſitis boni, & bona ſint quæ petitis, & ad communem orbis terrarum utilitatem; quis adeo rigidus ſævuſque ſit, ut petitioni veſtræ, fratres cariſſimi, adverſetur ſuperbe, & com- E munem eccleſiarum ſalutem improbet?

Ecce igitur obſecuti ſumus & obſequimur poſtulationi veſtræ, ratum habentes & confirmantes paſtorem veſtrum Photium ſanctiſſimum patriarcham; & rogamus veſtram reverentiam in bona converſatione permanere, & ut non ſint in vobis ſchiſmata: ſed ſuſcipientes ipſum decenter cum ſincero propoſito, certa ſententia, & ſimplici corde, quemadmodum & ſignificaſtis, eamdem conjunctionem & eamdem caritatem in Chriſto om-

ANNO CHRISTI 879.

nium capite coaleſcere faciatis ; & nemo poſthac in vobis res novas moliatur . Nam qui illum non ſuſcipit , non habet partem nobiſcum : Quemadmodum qui ſuſcipit ipſum , & nos ſuſcipit . Oportet enim vos , cui nos manum porrigimus , nobiſcum porrigere , ut & nos cui manum porrigitis , vobiſcum porrigamus . Sic enim impletur & illud : In uno ſpiritu & uno corde glorificare omni dignum honore nomen Patris & Filii & Spiritus ſancti , nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum . Amen .

*Abrupta epiſtola initus : Nulla anni nota appoſita, præter morem.*

Poſt lectam epiſtolam ſanctiſſimi legati veteris Romæ dixerunt ; Recipit epiſtolam ſanctitas veſtra , & amplectimini cum ſanctiſſimo patriarcha unionem & communionem ? Sancta ſynodus dixit : Nos non ſemel iterumque , ſed & ſæpius diximus , ut & ante hanc venerandam epiſtolam . Et uniti ſumus cum Photio ſanctiſſimo noſtro patriarcha , & indivulſi ab eo permanebimus omnibus diebus vitæ noſtræ . Et qui non ſuſcipiunt Pontificatum ejus ſanctum & canonicum ac legitimum , tanquam alienos a pietate & canonicis conſtitutionibus ducimus ac reputamus . Et nunc autem gratias Deo referimus , & ſanctiſſimo Papæ Joanni , tanquam concordi & conſentienti nobis , & ſuſcipienti unionem eccleſiæ Dei , & operam nobis conferenti ad omnem eccleſiæ noſtræ conſtitutionem , & tanquam amplectenti ac ſuſcipienti & toto cordis affectu conjuncto cum Photio ſanctiſſimo domino noſtro & Pontifici .

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit : Et facitis quæcumque ea epiſtola continentur ? Sancta ſynodus dixit : Quæcumque ſunt ad gloriam eccleſiæ Dei , hæc & fecimus , & ſuſcepimus , & ſuſcipimus , & immutabiles in eo propoſito in æternum permanebimus . Quæcumque vero ſunt alia , quæ non pendent ex noſtro ſuffragio , ſed ex magni celſiſſimique Imperatoris noſtri adminiſtratione & judicio , hæc ipſius curæ ac providentiæ remittimus . Sanctiſſimi legati veteris Romæ dixerunt : Nihil epiſtola continet niſi conveniens & ex ratione . Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit : Continetur in ea epiſtola , ne quis ex laicis promoveatur ad dignitatem Pontificalem : & quod dedecus eſt ita facientibus . Nos quidem certe non neſcimus , Sardicenſem ſynodum prohibuiſſe ne hoc fieret . At neque ipſa omnem laicum arcet : ſed certas quaſdam deſignat perſonas : hoc eſt , e foro divitem , & e foro ſcholaſticum . Tales vero hæc eccleſia per gratiam Chriſti nunquam ſuſcepit . Præterquam quod etſi canon eſſet omnem omnino laicum arcens , nec localis etiam tum ſynodi , ſed œcumenicæ , ſi quidem non haberet adverſantem ſibi conſuetudinem , ſervari eum oporteret . Poſtquam vero multa conſueto alicui regioni more videmus ſæpe obliterare canonicas inſtitutiones , nullum nobis dedecus adhæreſcit . Nam quæ utilitas eſt , ſi quis cum ſit clericus aut monachus , aliter converſetur , quam fert ejus profeſſio ? Quid vero impedimenti affert quod eſt a natûra capillamentum , ſi in ordine laicali conſtitutus , ſecundum evangelica præcepta vitam inſtituat , & dignum ſeipſum præbeat per opera ſua , ſacerdotali & pontificali dignitate ?

A μηδεὶς μηκέτι ἐν ἡμῖν στασιάζῃ. ὁ γὰρ αὐτὸν μὴ ἀποδεχόμενος, οὐκ ἔχει μέρος μεθ' ἡμῶν· ὥσπερ ὁ ἀποδεχόμενος αὐτὸν, καὶ ἡμᾶς δέχεται. δεῖ γὰρ ὑμᾶς, ᾧτινι χεῖρα ἡμεῖς ὀρέγομεν, μεθ' ἡμῶν ὀρέγειν· ἵνα καὶ ἡμεῖς ᾧτινι χεῖρα ὀρέγετε, μεθ' ὑμῶν ὀρέγωμεν. οὕτω γὰρ πληροῦται καὶ τὸ ἐν ἑνὶ πνεύματι καὶ μιᾷ καρδίᾳ δοξάζειν τὸ πάντιμον ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

Μετὰ τὸ ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν, οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ἀποδέχεται τὴν ἐπιστολὴν ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, καὶ ἀσπάζεσθε τὴν πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἕνωσιν καὶ κοινωνίαν; B ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἡμεῖς οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δὶς, ἀλλὰ καὶ πολλάκις ἔφαμεν, ὡς καὶ πρὸ τῆς τιμιωτάτης ἐπιστολῆς ταύτης, καὶ ἡνώθημεν * Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν πατριάρχην· καὶ ἀχώριστοι αὐτοῦ διατελοῦμεν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν. καὶ τοὺς μὴ ἀποδεχομένους τὴν ἀρχιερωσύνην αὐτοῦ ἁγίαν καὶ κανονικὴν καὶ ἔνθεσμον, ὡς ἀλλοτρίους τῆς εὐσεβείας καὶ τῶν κανονικῶν διατάξεων καὶ ἡγούμεθα καὶ λογιζόμεθα. καὶ νῦν δὲ εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἁγιωτάτῳ πάπᾳ Ἰωάννῃ, ὡς ὁμονοοῦντι καὶ ὁμοφρονοῦντι ἡμῖν, καὶ ἀσπαζομένῳ τὴν ἕνωσιν τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ συνεργοῦντι ἡμῖν εἰς πᾶσαν τὴν τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας C κατάστασιν, καὶ περιπτυσσομένῳ καὶ ἀσπαζομένῳ, καὶ ὁλοψύχῳ διαθέσει ἑνουμένῳ πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν δεσπότην καὶ ἀρχιερέα.

* Forte, πρὸς τὸν Φώτιον.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινάλις εἶπε· καὶ ποιεῖτε ὅσα τῇ ἐπιστολῇ ἐμπεριέχεται; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ὅσα εἰσὶν εἰς δόξαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ ἐποιήσαμεν καὶ ἀπεδεξάμεθα, καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ ἀμετάθετοι ἐν ταύτῃ τῇ διαθέσει εἰς τὸν αἰῶνα διαμένομεν. ὅσα δέ εἰσιν ἕτερα, ἃ οὐκ ἀνήκουσιν εἰς τὴν ἡμετέραν γνώμην, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ μεγάλου βασιλέως ἡμῶν καὶ ὑψηλοῦ διοίκησιν καὶ κρίσιν, ταῦτα ἐκείνου τῇ φροντίδι καὶ προνοίᾳ ἀνατίθεμεν. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· οὐδὲν περιέχει D τὸ γράμμα ἔξω τοῦ προσήκοντος λόγου. Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπε· περιέχεται τῇ ἐπιστολῇ, ὡς τὸ ἀπὸ λαϊκῶν μὴ προάγεσθαι εἰς ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα, καὶ ὅτι αἰσχύνη ἐστὶ τοῖς τοῦτο ποιοῦσιν. ἡμεῖς μὲν οὖν οὐκ ἀγνοοῦμεν, ὡς ἡ ἐν Σαρδικῇ σύνοδος κωλύει τοῦτο γίνεσθαι. πλὴν οὐδὲ αὐτὴ πάντα λαϊκὸν κωλύει, ἀλλ' ὡρισμένα ἔχει πρόσωπα. τουτέστι τὸν ἀπὸ ἀγορᾶς πλούσιον, καὶ τὸν ἀπὸ ἀγορᾶς σχολαστικόν. τοιούτους δὲ ἡ ἐκκλησία αὕτη χάριτι Χριστοῦ οὐδέποτε ἐδέξατο. πλὴν εἰ καὶ κανὼν ἦν καθάπαξ ἅπαντα λαϊκὸν κωλύων, καὶ τότε οὐχὶ τοπικῆς συνόδου, ἀλλὰ οἰκουμενικῆς, εἰ μὲν οὐκ εἶχεν ἀντιμαχόμενον E τὸ ἔθος, ἀνάγκη φυλάττεσθαι αὐτόν. ἐπεὶ δὲ πολλὰ τῷ ἐπιχωρίῳ ἔθει ὁρῶμεν κατακρατήσαντα πολλάκις κανονικῶν διατάξεων, οὐδεμίαν ἔχομεν αἰσχύνην προστριβομένην ἡμῖν. τί γὰρ ὄφελος, ἐάν τις ὢν κληρικὸς ἢ μοναχὸς, ἀλλότρια τοῦ ἐπαγγέλματος πολιτεύηται; τί δέ ἐστιν ἐμποδὼν, ἡ τῶν τριχῶν φυσικὴ περιβολὴ, ἐὰν ἐν τῷ τάγματι τῶν λαϊκῶν ἐξεταζόμενος κατὰ τὰς εὐαγγελικὰς διατάξεις πολιτεύηται, καὶ ἄξιον ἑαυτὸν παρασκευάζῃ, δι' ὧν πράττει, καὶ τοῦ ἱερατικοῦ καὶ τοῦ ἀρχιερατικοῦ ἀξιώματος;

ANNO CHRISTI 879.

Ζαχαρίας ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Χαλκηδόνος εἶπε· τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην, καὶ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, τοὺς πρὸς τὴν ἡμετέραν ἐκκλησίαν σπουδῆς ἕνεκεν παραγενομένους, καὶ ὁ Θεὸς καὶ ἡ ἡμετέρα μετριότης ἀποδέχεται· καὶ εὔχοιτο καὶ ὑμῖν τυχεῖν τῶν ἴσων, τῆς χρείας ἀπαιτούσης. περὶ δὲ τοῦ ἀπὸ λαϊκῶν, βούλομαι εἰπεῖν ὀλίγα. ὁ κανὼν φανερῶς καὶ διαρρήδην λέγει τὴν αἰτίαν, δι' ἥν τινα κωλύει ἀπὸ λαϊκῶν εὐθὺς ἐπὶ τὸν μέγαν τοῦτον ἀναβιβάζεσθαι θρόνον. λέγει γὰρ οὕτως· ὡς ἐάν τις τῆς οἰκείας ἀρετῆς πεῖραν παράσχοι, καὶ ὁ τρόπος αὐτοῦ δοκιμασθείη. ὥστε ἐὰν ᾖ ἱκανὰ τῆς οἰκείας ἀρετῆς ἔργα παρεσχηκὼς, καὶ τὸν τρόπον ἔχων δοκιμασθέντα, ὁ κανὼν τὸν τοιοῦτον οὐ κωλύει. μάρτυς τοῦ λεγομένου ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ δευτέρα σύνοδος, οὐ λόγοις, πράγμασι δὲ μᾶλλον μαρτυροῦσα τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγομένοις. τὸν γὰρ Νεκτάριον ἄρτι τῷ θείῳ λουτρῷ προσελθόντα πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως ἀπέδειξεν. ἔχετε τούτου παράδειγμα Ἀμβρόσιον τὸν μέγαν, Ἐφραίμιον τὸν Ἀντιοχείας, Εὐσέβιον τὸν Καισαρείας, καὶ πολλοὺς, οὓς οὐδὲ ἐξαριθμήσασθαι διὰ τὸ πλῆθος δυνάμεθα. εἰ βούλεσθε δὲ καὶ γνώμην ἀνδρὸς διηγήσομαι, ὃν πατέρα καὶ καθηγητὴν ἡ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία ἐπιγράφεται, καὶ τοὺς ἐκείνου λόγους κανόνας ὀνομάζει, καὶ ἀποδέχεται. ἓν οὖν τῶν ἐκείνου διηγήσομαι. περὶ γὰρ καταστάσεως ἐπισκόπων ἐπιστέλλων Ἀμφιλοχίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἐπισκόπῳ Ἰκονίου, οὕτω πως φησίν. εἰ δέ ἐστί τις τῶν νεοφωτίστων, κἂν δοκῇ τῷ Μακεδονίῳ, κἂν μή, ἐκεῖνος προβληθήτω ἐπίσκοπος. τυπώσεις δὲ αὐτὸν πρὸς τὸ δέον * καὶ ἐν πᾶσι συνεργοῦντος, καὶ τὴν εἰς τοῦτο χάριν παρεχομένου. ὥστε οὐ μόνον ἀπὸ λαϊκῶν δεῖ προβιβάζειν εἰς ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ νεοφωτίστων, ὡς αὐτὴ ἡ λέξις σαφῶς ἐδήλωσεν· ἂν ἄρα δηλονότι τοῦ βίου δοκιμὴν ἔδωκεν, ἐν τῇ τῶν μυουμένων ἔτι καθιστάμενος χώρᾳ. πλὴν εἰ μὴ δὲ τοῦτο ἦν, ἀλλ' οὖν οἱ ῥηθέντες ἅγιοι ἀρχιερεῖς, ἱκανοί εἰσι πᾶσαν αἰσχύνην καὶ πᾶσαν μέμψιν ἀφ' ἡμῶν ἀφελεῖν. τούτους γὰρ ἅπαντας τοὺς εἰρημένους ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἀποδεχομένη ἐκκλησία διαρρήδην βοᾷ σήμερον, ὅτι οὐ δεῖ πείθεσθαι τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγομένοις, ἀλλὰ μᾶλλον τοῖς πραττομένοις. ἐγὼ δὲ νῦν λέγω· καὶ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐκ λαϊκῶν τινὲς εἰς ἀρχιερατικὸν θρόνον κατέστησαν, ὧν τὰ ὀνόματα ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη ἡμῶν μᾶλλον ἐπίσταται. ἀλλὰ καὶ τὸ ἔθος αὐτὸ ἱκανόν ἐστι νικᾷν τὸν κανόνα. τοιαῦτα πολλὰ ὁρῶμεν σήμερον. ὑμεῖς οἱ φωστῆρες τῆς ἐκκλησίας, οἱ τὰς οἰκείας αὐγὰς * πᾶσαν τὴν οἰκουμένην πέμποντες, * ἐρεῖν ἔχετε, αὐτοὺς ψηλαφῶντες καὶ ἐρευνῶντες, πολλὰ ποιοῦντας παρὰ τὸν κανόνα τοῖς ἔθεσιν ἑπομένους. ἀλλὰ καὶ τὸ ἔθος πολλάκις νικᾷ τὸ ἔθος. εἰς τὴν ἀνατολὴν εἰ μή ἐστί τις κεκαρμένος ἐν Χριστῷ, ἐπίσκοπος ἢ πατριάρχης οὐ γίνεται. ἡ δὲ δύσις καὶ τοὺς ὄντας μοναχοὺς κληρικοὺς ποιεῖται. τοῦτο δὲ ἡμεῖς οὐ γνωρίζομεν. ἔπειτα δὲ καὶ ὁ κανὼν τὸν ἀπὸ ἀγορᾶς σχολαστικὸν λέγει, ὥσπερ προλαβὼν καὶ ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας εἶπε· τοιοῦτον δὲ οὐδέποτε ἡ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησία ἀπεδέξατο. τί γὰρ χρὴ λέγειν ἐπὶ τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν ἀρχιερέως· ὃς τοσοῦτον ἀπεῖχε σχολῆς ἀγοραίου, ὡς οὐδ' ἀτενέσιν ὀφθαλμοῖς ἐμβλέπειν αὐτῇ, ἢ ποιῷ τῳ τινὶ ἠδύνατο; ὁ γὰρ οὗτος διὰ τὴν προσοῦσαν

* Pro συνεργοῦν, in Joanne Becco.

* ἀνὰ πᾶσαν, in Joanne Becco.

* Pro ἐρεῖν ἔχετε, ἑαυτοὺς, &c. in Joanne Becco.

A Zacharias Dei amantiſſimus metropolita Chalcedonis dixit: Sanctiſſimum Papam Joannem, etiam vos, fratres patreſque, qui huc acceſſiſtis ex propenſione erga noſtram eccleſiam, & Deus & noſtra mediocritas ſuſcipit: atque utinam & vos paria recipiatis, cum neceſſitas poſtularit. De laicis autem volo pauca dicere. Canon perſpicue & conceptis verbis cauſam profert, cur quempiam ex laicis prohibeat in magnum hoc tribunal evehi. Dicit enim ſic: „Si quis propriæ virtutis experimentum præbuerit, & mores ejus probati fuerint. Itaque ſi idonea virtutis propria ſpecimina ediderit, & mores habeat probatos, canon eum qui hujuſmodi eſt, non B prohibet. Teſtis eſt hujus dicti ſancta & œcumenica ſecunda ſynodus, non verbis, ſed rebus ipſis magis teſtimonio ſuo comprobans quæ dico. Nectarium enim, qui paulo ante divinum lavacrum acceſſerat, patriarcham Conſtantinopoleos deſignavit. Habetis hujus rei exemplum, Ambroſium magnum, Ephræmium Antiochiæ, Euſebium Cæſareæ, & multos, quos neque enumerare ob multitudinem poſſumus. Si vultis autem & ſententiam viri commemorabo, quem patrem & magiſtrum eccleſia Dei inſcribit: cujus ſermones canones vocat & ſuſcipit. Unum igitur ex illis commemorabo. Nam de epiſcoporum inſtitutione ſcribens ad Amphilochium C ſanctiſſimum epiſcopum Iconii, ſic loquitur: „Si vero eſt aliquis nuper baptizatorum, ſive ita Macedonio videatur, ſive non, promoveatur ille. Inſtitues autem illum ad virtutis officia, Domino in omnibus cooperante, & ad id gratiam præbente. Itaque non ſolum ex laicis oportet promovere ad dignitatem pontificalem, ſed etiam ex recens baptizatis, ut ipſa oratio manifeſte declaravit: ſi quidem nimirum vitæ ſpecimen dederit, cum eſſet adhuc in ordine diſcentium. Præterquam quod ſi neque hoc eſſet, tamen prædicti ſancti Pontifices ſatis idonei ſunt ut omne dedecus & omnem reprehenſionem a nobis auferant. Nam hos omnes D antedictos ſancta Romana recipiens eccleſia, aperte clamat hodie, non eſſe fidem verbis a me prolatis habendam, ſed multo majorem rebus ipſis. Ego vero nunc aio: Etiam in ipſa Romana eccleſia ex laicis nonnulli in Pontificali ſede conſtituti ſunt, quorum nomina melius ſanctitas veſtra novit, quam nos. Sed & conſuetudo ipſa poteſt canonem obliterare. Talia multa hodie cernimus. Vos qui eccleſiæ eſtis luminaria, qui radios veſtros in omnem terrarum orbem mittitis, invenire poteſtis, ſi quidem vos ipſos perſcrutemini & exploretis, facere vos præter canonem, conſuetudini obſequentes. Sed & conſuetudo ſæpe E conſuetudinem vincit. In Oriente niſi quis fuerit tonſus in Chriſto, epiſcopus aut patriarcha non fit. Occidens vero etiam eos qui ſunt monachi, clericos facit. Hoc vero nos non agnoſcimus. Deinde vero & canon e foro ſcholaſticum dicit; quemadmodum antevertens etiam Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ dixit: At nihil tale eccleſia noſtra admittit. Quid enim dicendum eſt de ſanctiſſimo noſtro Pontifice, qui tantum abfuit a ſchola forenſi, qui neque fixis oculis hanc intueri, aut aliquid ſimile potuit? Etenim is ob inſitam ſibi virtutem inter pri-

ANNO CHRISTI 879.

primos cooptatus eſt curiæ Senatus, tametſi humanum averſaretur magiſtratum. Adeo autem forenſis tumultus refugit, deſiderio rerum meliorum, ut qui in montibus ſunt, hos urbanos & municipes cenſeat, neque quidquam huic rei par. Tamen & illud adjicio. Multi cum illo habuere ſuffragia, clerici & monachi, & omnibus præſtare judicatus eſt opportune. Deinde non eſt abſurdum aut præter rationem, ut qui a tergo erant & ſecundum tenebant ordinem, eoſdem rurſum primos cenſeri; ipſoſque qui poſtremo loco erant, ob virtutes in Pontificalem ſedem aſcendere: hunc vero omnibus ſuffragiis potitum illorum, ut extremum locum implentem, gradus & tempora remetiri fruſtra, qui jam virtutibus eadem prius dimenſus ſit. De ſancto Taraſio autem dictum eſt a vobis, quod hæreticos multos convertit. Atque ita profecto eſt. Hujus vero pater & mater pro pietate certantes ſupremum diem obierunt. Quorum veſtigiis a puero iſte dominus noſter ſanctiſſimus patriarcha conſtanti progreſſu inſtitit, & in hanc ſacram ſedem ubi pervenit, idem præſtare non neglexit. Neque vero in ſeipſo ſolummodo, aut in ſubjecto ſibi populo pietatem circumſcripſit: ſed totam pœne ſuis ſermonibus terram illuſtravit, ab errore hominibus revocatis. Teſtis Armeniorum regio, & Meſopotamia, & gentes integræ, barbarum & crudele prius vivendi genus ſecutæ, ipſius adhortationibus a priore liberatæ errore, & ad lucem per ipſum adductæ poſt prædicationem pietatis: & quoſcumque quis cum eo conferre dicta dicendo voluerit, multitudo operum inferiores eſſe eos oſtendet.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dicit: Apoſtoli elegerunt Joſeph, qui & Barſabas, ut adnumeraretur cum ipſis. Sed gratia Spiritus ſancti ſacratiſſimum Mathiam Apoſtolici cœtus choro adlegens, ejuſdem ſententiæ ipſos fieri cadente ſuper illum ſorte diſpoſuit. Nihil igitur abſurdum, ſi & veſtra ſanctitas cum divina gratia Photium ſanctiſſimum patriarcham pronunciavit: Apoſtolicus autem Papa in præſentia veniens & confirmavit vobiſcum & ſimul ſuſcepit. Tamen ſi jubet veſtra ſanctitas, prodeat & miſſa prius Hieroſolymorum antiſtitis ad Imperatorem epiſtola. Æquum enim eſt & ipſam, lectam quidem antea vobis præſentibus, etiam nunc coram reliquis fratribus & coepiſcopis veſtris, qui tunc non adfuerunt, legi, & actis inſeri. Igitur invitatus Petrus, Dei amantiſſimus diaconus & protonotarius, legit.

A divina cælitus providentia coronato, directo & gubernato domino, benefico, pacifico, victorioſo, ſimul cum Deo pugnanti, auguſto, Chriſti amanti, Chriſtianiſſimo, manſueto, & mitiſſimo, Baſilio Imperatori Romanorum, Theodoſius minimus Dei miſeratione patriarcha Hieroſolymorum, auſus eſt ſcribere:

Magnus Dominus, & magna virtus ejus. Secundum magnam miſericordiam ſuam,

A αὐτῷ ἀρετὴν ἐν τοῖς πρώτοις μετὰ κατελέγετο τῆς συγκλήτου βουλῆς· εἰ καὶ τὴν ἀνθρωπίνην παρῃτεῖτο τιμήν. τοσοῦτον δὲ ἔφευγε τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ θορύβους, ἐφέσει τῶν κρειττόνων, ὡς καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὄρεσιν ὄντας ἀστικοὺς καὶ πολίτας * ἢ οὐδὲν πρὸς * τοῦτον νομίζεσθαι. ὅμως λέγω καὶ τοῦτο. πολλοὶ μετ' τούτου ἐψηφίσθησαν, καὶ κληρικοὶ καὶ μοναχοὶ, καὶ πάντων προεκρίθη κατὰ τὸν καιρόν. εἶτα οὐκ ἔστιν ἄτοπον καὶ παράλογον, ἵνα τοὺς τότε ὀπίσω γενομένους καὶ δευτέραν τάξιν λαβόντας, τοὺς αὐτοὺς πάλιν πρώτους νομισθῆναι· κρείσσους μὲν τὴν ἐσχάτην ἔχοντας χώραν ταῖς ἀρεταῖς, εἰς τὸν ἀρχιερατικὸν ἀνέρχεσθαι θρόνον· τοῦτον δὲ ἁπάσαις ψήφοις κρατήσαντα ἐκείνων, ὡς τὴν ἐσχάτην χώραν ἀναπληροῦντα, βαθμοὺς καὶ καιροὺς B ἀναμετρεῖν εἰς μάτην, τὸν ἤδη ταῖς ἀρεταῖς προδιαμετρήσαντα; περὶ δὲ τοῦ ἁγίου Ταρασίου ἐλέχθη παρ' ὑμῶν, ὅτι πολλοὺς αἱρετικοὺς ἐπέστρεψε. καὶ ἀληθὴς ὁ λόγος. τούτου δὲ καὶ ὁ πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ ὑπὲρ εὐσεβείας ἀθλοῦντες ἐναπέθανον. ὧν τὴν ὁδὸν ἐκ παίδων αὐτὸς ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἀκλινεστάτῃ πορείᾳ διήνυε, κἂν τῷ ἱερῷ τούτῳ ἐπεληλυθὼς θρόνῳ, τὸ αὐτὸ μὲν ποιεῖν οὐκ ἠμέλησεν. οὐκ ἐν ἑαυτῷ δὲ μόνῳ, οὐδὲ ἐν τῷ ὑπὸ χεῖρα λαῷ τὴν εὐσέβειαν περιέγραψεν· ἀλλὰ μικροῦ πᾶσαν ἐπῆλθε τοῖς λόγοις τὴν γῆν, τῆς πλάνης τοὺς ἀνθρώπους ἐπιστρεφόμενος. καὶ μάρτυς ἡ Ἀρμενίων χώρα, ἥτε Μεσοποταμία, καὶ ἔθνη ὁλόκληρα C βαρβαρικὸν καὶ ὠμὸν τὸ πρὶν διαζῶντα βίον ταῖς αὐτοῦ διδασκαλίαις τῆς παλαιᾶς ἀπαλλαγέντα πλάνης, καὶ πρὸς τὸ φῶς χειραγωγηθέντα δι' αὐτοῦ τοῦ τῆς εὐσεβείας κηρύγματος. καὶ ὅσους ἄν τις τῷ λόγῳ παραστῆσαι βουληθείη, πολὺ τῶν ἔργων καταδεεστέρους ἀποδείξει.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· οἱ ἀπόστολοι ἐξελέξαντο Ἰωσὴφ, τὸν καὶ Βαρσαβᾶν, ἰσάριθμον αὐτῶν γενέσθαι· ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος τὸν ἱερώτατον Ματθίαν τῆς ἀποστολικῆς ὁμηγύρεως τῷ χορῷ συγκαταλέξασα, συμψήφους αὐτοὺς γενέσθαι τῷ * ἐπιπεσόντι αὐτῷ κλήρῳ παρεσκεύασεν. οὐδὲν οὖν ἀπεικὸς * καὶ ἡ D ὑμετέρα ἁγιωσύνη χάριτι θείᾳ Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἐψηφίσατο. ὁ δὲ ἀποστολικὸς πάπας τὰ νῦν ἐλθὼν, καὶ ἐπεκύρωσε μεθ' ὑμῶν, καὶ συναπεδέξατο. πλὴν εἰ κελεύει ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, ἐλθέτω καὶ ἡ πεμφθεῖσα πρότερον τοῦ Ἱεροσολύμων πρὸς τὸν βασιλέα ἐπιστολή. δίκαιον γάρ ἐστι κἀκείνην ἀναγνωσθεῖσαν μὲν πάλαι κατενώπιον ὑμῶν, καὶ νῦν κατενώπιον τῶν λοιπῶν ἀδελφῶν καὶ συνεπισκόπων ὑμῶν, τῶν μὴ τότε παραγενομένων, ἀναγνωσθῆναι, καὶ ἐνταγῆναι τοῖς πεπραγμένοις. καὶ δὴ προτραπεὶς Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος ἀνέγνω.



E Τῷ ὑπὸ τῆς ἄνωθεν θείας προμηθείας ἐστεμμένῳ, ὁδηγουμένῳ, καὶ διακυβερνωμένῳ δεσπότῃ, ἀγαθοποιῷ, εἰρηνικῷ, νικοποιῷ, θεοσυμμάχῳ, σεβαστῷ, φιλοχρίστῳ, χριστιανικωτάτῳ, ἐπιεικεῖ, καὶ πρᾳοτάτῳ Βασιλείῳ, βασιλεῖ Ῥωμαίων, Θεοδόσιος ἐλάχιστος Θεοῦ ἐλέει πατριάρχης Ἱεροσολύμων, τετολμηκὼς γράφω.

Μέγας ὁ κύριος καὶ μεγάλη ἡ ἰσχὺς αὐτοῦ. κατὰ τὸ μέγα αὐτοῦ ἔλεος καὶ ἀνέκφραστον, με-

ANNO CHRISTI 869.

μεγάλην σωτηρίαν ἐργάσεται τοῖς ἐν οἰκουμένῃ χριστιανοῖς προσδοκῶσι τὴν ἀνεκδιήγητον παράκλησιν, ἀναστήσας τὸ μέγα κράτος καὶ ἀσύγκριτον τῆς βασιλείας ὑμῶν· ἐν ᾗ κέρατα ἁμαρτωλῶν πολεμίων πάντων συνθλῶνται, καὶ τὸ μετ' ὀλίγον καὶ τὸ κατάλοιπον εἰς τὸ παντελὲς θλασθήσεσθαι μέλλει· καὶ κέρας δικαίων καὶ εὐσεβῶν σὺν εὐδαιμονίᾳ ὑψωθήσεται, τροπαιοφόροις νίκαις καὶ μεγαλοπρεπέσι σκηπτουχίαις ὑμῶν· ἐν ᾗ τὸ παμποίκιλον τῆς ὀρθοδόξου πίστεως σεμνολόγημα, ὡς κρίνον ἐξανθεῖ· καὶ πᾶς κατηφὴς ἐν χρονίᾳ ἀθυμίᾳ, θάλλει τῇ ψυχῇ αὐτοῦ, ἐπ' ἐλπίδι τῶν χαρμονικῶν προοιμίων, ὡς ἤδη ἐν αὐτοῖς εὐωχούμενος· καὶ λύπη πᾶσα ἀφανισμῷ παραδίδοται. εἰς τέλειον δὲ ἔργον ἐλθεῖν τοῦτο, ἡμεῖς οἱ ἀνόμων χερσὶ κατασχεθέντες διὰ τὰς ἡμῶν ἁμαρτίας, ἐνδελεχῶς λιτανεύομεν. ὅτι πάνυ, προφητικῶς εἰπεῖν, ἐπτωχεύσαμεν· καὶ ἡ ὀδυνηρὰ ἡμῶν ζωὴ τῷ ᾅδῃ προσήγγισε. βοηθῆσαι ἡμῖν κύριος ὁ Θεός, ὁ τὴν ἁγίαν βασιλείαν ὑμῶν ἀναστήσας, δι' ἧς τὸ μνημόσυνον τῶν ἐπαχθεστάτων ἐχθρῶν καὶ πικρῶν τυράννων ἐκ γῆς ἐξολοθρεύσει, καὶ τὰς ψυχὰς ἡμῶν τῶν ἐσχάτῃ ταπεινώσει πενητευόντων διασώσει, καὶ ἐξ ἀδικίας αὐτῶν λυτρώσαιτο. ἐπεὶ ὡς ἡ ἀκαταίσχυντος ἐλπίς, θεόστεπτοι βασιλεῖς, τοῖς ἁπανταχοῦ χριστιανοῖς εὐαγγελίζεται ἐξ ἀστραπῆς τῶν ἀριστευμάτων τῆς ὑμῶν δεσποτείας, τὸ τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν εἰς πέρας ἥξει· καὶ ἡμεῖς οἱ ἐλεεινοὶ οὔπω τυχόντες αὐτῆς, τῆς θείας προνοίας ἀγούσης τὰ καθ' ἡμᾶς, δι' ὑμῶν εὐπλοήσομεν. τὸ δὲ νῦν * ἔχον ἱκετικῶς ἐν συνοχῇ οἰμωγῶν, μετὰ συντετριμμένης ἀλγεινῆς καρδίας, προσκύνησιν δουλικὴν προσάγω τῇ θεοψηφίστῳ ὑμῶν βασιλείᾳ, ἐλεῆσαι τὴν ἐκκλησίαν τῆς ἁγίας ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ κατοικτειρῆσαι Σιὼν τὴν μητέρα τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν· καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς τῆς ἀσυγκρίτου βασιλείας ὑμῶν μὴ * ἀποπέσωσι κινδύνῳ ἀφανισμοῦ. οὐ γὰρ ῥητῶς ἐξικνούμεθα σαφηνίσαι τὰς προσγινομένας αὐταῖς θαμινῶς ἀφορήτους ζημίας. οἱ γὰρ κίνδυνοι ἄπειροι, καὶ οἱ πειρασμοὶ ἀνέκτοι ὄντες οὐχ ὑποπίπτουσι διηγήματι. διὸ ἀξιωθείημεν θεομιμήτου ἐλέους ἐκ τῆς βασιλείας ὑμῶν. ὅταν γὰρ ἤλθομεν εἰς ἐσχάτην ταπείνωσιν, ἀπώλειαν ἀπειλοῦσαν ἡμῖν, τότε ὑπὸ τῆς κατεχούσης βίας ἠξιώσαμεν τὸν εὐλαβέστατον κύριον Ἀνδρέαν τὸν κασίγνητον τοῦ ὁσίου ἡμῶν τοποτηρητοῦ τοῦ κυρίου Ἡλία τοῦ στυλίτου, ἀπάραι πρὸς τὸ ὑμέτερον θεόδμητον κράτος, ἐπιφερόμενον καὶ τὸ ψιλὸν ἡμῶν ἱκετικὸν τοῦτο γράμμα. ὃς βεβαιώσει ἐνώπιον τῆς ὑμετέρας ἁγίας βασιλείας τὰ καθ' ἡμῶν δεινὰ καὶ τυραννικά, ἐν ὅσῳ ὁ προρρηθεὶς βέλτιστος ὅμαιμος αὐτοῦ αὐτόθι πρὸς τὴν ὑμετέραν βασιλείαν προσκαρτερεῖ, χάριν καταστάσεως τῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν τε καὶ βαθμῶν, καθαίρεσιν δὲ καὶ * ἀφανισμῶν τῶν τοῦ ἐχθροῦ πονηρευμάτων. ἐν ἄλλῳ γὰρ τὸ πιστὸν οὐκ εἴχομεν, ὥστε τούτῳ ὑπηρετῆσαι, πλὴν Ἀνδρέου τοῦ προρρηθέντος αὐταδέλφου τοῦ ἡμῶν τοποτηρητοῦ Ἡλία· ὅτι ἡ ἀνάγκη ἡμᾶς τοσοῦτον κεκίνηκεν, ὥστε αὐτὸν ἐκλέξασθαι διακονῆσαι τὴν τοιαύτην ἐλπιδηφόρον διακονίαν. ἐν τούτοις οὖν πᾶσι τοῖς ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις συμβεβηκόσι, δεκτικῶς τολμῶντες ἀπηγγείλαμεν τῇ φιλοσυμπαθεστάτῃ ἡμῶν βασιλείᾳ, ἀξιῶσαι αὐτὰς ἐλέους, καὶ τὸν δυνατὸν τρόπον βοηθῆσαι αὐταῖς. τοῦτο δὲ θεσπίζομεν, μᾶλλον δὲ συνε-

* Pro ἔχων.

* Forte, ἀποπέσωσι.

* Pro ἀφανισμόν.

A & ineffabilem, ſalutem magnam operatus eſt in medio terræ exſpectantibus ineffabilem conſolationem Chriſtianis, ſuſcitans magnum & incomparabile robur imperii veſtri, in quo cornua peccatorum, hoc eſt, omnium adverſariorum confringuntur, & haud multo poſt etiam quod reliquum eſt omnino conteretur: & cornu juſtorum ac piorum cum felicitate exaltabitur, inſignibus per trophæa victoriis, & magnifica gubernatione veſtra, in quo multiplex de orthodoxa fide gravis & reverenda oratio tanquam lilium floret; & quicumque vultum demittit ex diuturna triſtitia, floret intus in anima, ſpe lætorum principiorum, velut jam in ipſis epu- B lans: & omnis mœſtitia evanuit. Ad opus autem perfectum ut iſtud veniat, nos qui impiorum manibus detenti ſumus propter peccata noſtra, ſine intermiſſione oramus. Quoniam valde, ut cum propheta loquar, *pauperes facti ſumus*; & plena doloris *vita noſtra inferno appropinquavit*. Adjuvet nos Dominus Deus, qui ſanctum regnum tuum ſuſcitavit, per quod memoria moleſtiſſimorum hoſtium & ſævorum tyrannorum de terra perdat, & ſalvet animas noſtras, qui in extrema humilitate inopes ſumus, & ex impietate eorum redimat eas. Deinde quoniam ut ſpes quæ non confundit, a Deo coronati Imperatores, Chriſtianis qui ubi- C que ſunt annunciatur ex fulgore recte factorum veſtræ dominationis, redemptio nobis tandem veniet: & nos miſeri nondum ea potiti, divina providentia res noſtras gubernante, proſpere agemus. In præſentia autem ſupplicans in anguſtia fletuum, in contritione cordis gemebundi, venerationem ut famulus exhibeo a Deo electo imperio veſtro, ut miſereatur Eccleſiæ ſanctæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti; ut miſereatur Sion, quæ eſt mater ſanctarum eccleſiarum: & in tempore viſitationis incomparabilis imperii veſtri ne ſubjaceant periculo excidii. Non enim certis verbis aggredimur explicare, quæ ipſis frequenter accide- D runt damna intolerabilia. Sunt enim pericula infinita, & tentationes cum ſint intolerandæ, exprimi oratione non poſſunt. Quamobrem digni habeamur ab imperio veſtro commiſeratione, quæ vos Deo ſimiles efficiat. Quando enim devenimus ad extremam humilitatem, quæ nobis exitium minitabatur, tunc ſub cohibente nos tyrannide deprecati ſumus reverentiſſimum dominum Andream, fratrem ſancti noſtri legati domini Eliæ Stylitæ, ut proficiſceretur ad veſtrum divinum imperium, & ut deferret tenuem hunc libellum ſupplicem. Ille confirmabit coram veſtro ſancto imperio quæ patimur acerba & tyrannica: interea dum prædictus optimus fra- E ter ipſius illic apud veſtrum imperium aſſiduus eſt, pro conſtitutione legum eccleſiaſticarum & dignitatum, everſione autem & abolitione malignitatum inimici. In alio enim fidem non habebamus, ita ut ejus miniſterio uteremur, præter Andream prædictum fratrem legati noſtri Eliæ: quoniam neceſſitate tali adacti ſumus, ut eum eligeremus ad fungendum illo ſpei pleniſſimo miniſterio. In his igitur omnibus quæ ſanctis Dei eccleſiis contigerunt, ſuppliciter auſi ſumus renunciare humaniſſimo veſtro imperio, ut earum miſereri dignetur, & pro virili iiſdem opem fer-

ANNO CHRISTI 869.

teste. Hoc vero obſervari præcipimus, ſeu
potius in ſynodo præcepimus per noſtras Apo-
ſtolicas ſedes, & omnibus denunciamus &
prædicamus ut legem immutabilem: Si quis
non ſuſcipit ſanctum ac percelebrem commi-
niſtrum noſtrum fratrem dominum Photium,
urbis regiæ patriarcham & cum ipſo non fa-
cit rem ſacram, ſit anathema: & ſit de-
poſitus auctoritate ſanctarum ſedium Apoſtoli-
carum. Precibus autem ipſarum poſſideat
ſanctum imperium veſtrum fines orbis ter-
Pſal. 146. 2. rarum, *congregans in unum diſperſos filios*
Joan. 11. 52. eccleſiæ catholicæ. Tu enim *exſurrexiſti ut*
Pſal. 101. 14. *miſerearis Sion, quia venit tempus miſerendi ejus.*

Sancta ſynodus reſpondit: Quæ ſunt ſy-
nodice a ſanctiſſimo patriarcha Hieroſolymo-
rum ſancita, noſtra etiam mediocritas ſuſci-
piens, eos qui ſecus ſentiunt anathemati
ſubjicit. Sanctiſſimi legati veteris Romæ di-
xerunt ad Eliam religioſiſſimum presbyterum
& legatum Orientis: Ecquando venit hæc
epiſtola: & a quo delata eſt? Elias reli-
gioſiſſimus presbyter & legatus Orientis di-
xit: Miſit hanc Theodoſius ſanctiſſimus pa-
triarcha Hieroſolymorum, qui ſynodice qui-
dem prius ſuſcepit Photium ſanctiſſimum pa-
triarcham, præſente ibidem tenuitate mea:
ſeu veterus quam habuit de ipſo vetuſtam,
amplam & magnam exiſtimationem confirma-
vit. Poſtea vero cum tempus poſceret, hanc
miſit per Andream reverentiſſimum mona-
chum & fratrem meum germanum; non
modo Hieroſolymorum, ſed & Antiochiæ
antiſtite conſentiente huic ſynodico judi-
cio.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardina-
lis dixit: Ecce nunc quemadmodum ſanctiſ-
ſimi Orientis patriarchæ præmiſerunt ſynodi-
cas litteras, confirmantes ac ſuſcipientes Pho-
tium ſanctiſſimum patriarcham; ſimiliter &
Dominus noſter œcumenicus Papa miſit epi-
ſtolam, quam & audiſtis; conſentientem
per omnia dictis ſanctiſſimis patriarchis, in
ſuſceptione ac reſtitutione dicti ſanctiſſimi pa-
triarchæ; & habet ipſum ut fratrem & com-
miniſtrum. Sed quandoquidem qui pridem
acceſſerunt ab Oriente Thomas & Elias, ut
una voce ab omnibus accipimus, Saracenos
quidem captivos requirebant, & a Sarace-
nis pro cognatorum ſuorum liberatione miſ-
ſi ſunt, & Saracenorum legati dicebantur;
a nullo autem patriarcharum miſſi erant,
nullo eccleſiaſtico miniſterio eis commiſſo:
ſed etiam ex ipſis Elias pridem condemna-
tus eſt, & ejectus ex numero Chriſtiano-
rum: idcirco quærimus de fratribus qui nu-
per advenerunt, & Pontificum epiſtolas at-
tulerunt, & perſonam repræſentant ſedium
Pontificalium Orientis. Scriptum eſt enim:
Veritas examinata ſplendidior fit. Audi-
ſtis igitur legationes fratrum iſtorum,
& quomodo conſentiant Orientalium ec-
cleſiæ?

Paulus & Eugenius ſanctiſſimi legati di-
xerunt: Non ſolum epiſtolas, ſed & ip-
ſum epiſtolas deferentem dominum Andream
reverentiſſimum monachum vidimus, qui fe-
cit nobiſcum dies multos: cujus etiam fidem
diligenter diſcutientes, invenimus pure ec-
cleſiæ dogmata aſſerentem: a quo & fidei
libellum ſuſcepimus. Sancta ſynodus dixit:

A δικῶς ἐθεσπίσαμεν διὰ τῶν καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῶν θρόνων, καὶ πᾶσι διαγγέλλομεν, καὶ κηρύττομεν, ὡς κανόνα * ἀπαράβατον. εἴτις οὐκ ἀποδέχεται τὸν ὅσιον καὶ περιβόητον συλλειτουργὸν ἡμῶν ἀδελφὸν κύριον Φώτιον, τὸν τῆς βασιλίδος πατριάρχην, καὶ αὐτῷ οὐ συνιερατεύει, ἤτω ἀνάθεμα, καὶ ἔσω καθῃρημένος ἐξ αὐθεντίας τῶν ἁγίων ἀποστολικῶν θρόνων. εὐχαῖς δὲ αὐτῶν κατίσχοι τὸ ἅγιον κράτος ὑμῶν ἄκρα γῆς πάσης, εἰς ἓν συνάγον τὰ διεσκορπισμένα τέκνα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. σὺ γὰρ ἀνέστης οἰκτειρῆσαι τὴν Σιὼν, ὅτι καιρὸς τοῦ οἰκτειρῆσαι αὐτήν.

* Forte, ἀπαράτρεπτον.

Ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεκρίθη· τὰ συνοδικῶς παρὰ B τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων θεσπισθέντα, καὶ ἡ ἡμετέρα μετριότης ἀποδεχομένη, τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας τῷ ἀναθέματι παραπέμπει. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον πρὸς Ἠλίαν τὸν θεοσεβέστατον πρεσβύτερον, καὶ τοποτηρητὴν τῆς ἀνατολῆς· πότε ἦλθεν ἡ ἐπιστολὴ αὕτη, καὶ παρὰ τίνος ἀπεκομίσθη; Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς τῆς ἀνατολῆς εἶπε· ταύτην ἀπέστειλε Θεοδόσιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Ἱεροσολύμων, συνοδικῶς μὲν προαποδεξάμενος Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, παρούσης καὶ τῆς εὐτελείας μου ἐκεῖσε, μᾶλλον δὲ ἣν εἶχε περὶ αὐτοῦ ἀρχαίαν ὑψηλὴν καὶ μεγάλην ὑπόληψιν ἐβεβαίωσε. μετέπειτα δὲ ἡνίκα ὁ καιρὸς ἐκάλει, ἀπέστειλε ταύτην διὰ Ἀνδρέου τοῦ εὐλαβεσ- C τάτου μοναχοῦ καὶ ἐμοῦ γνησίου ἀδελφοῦ, οὐ μόνον τοῦ Ἱεροσολύμων, ἀλλὰ καὶ τοῦ τῆς Ἀντιοχείας προέδρου συμψήφου γενομένου τῇ συνοδικῇ ταύτῃ ἐπικρίσει.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινάλις εἶπεν· ἰδοὺ νῦν καθὼς οἱ τῆς ἀνατολῆς ἁγιώτατοι πατριάρχαι προαπέστειλαν συνοδικὰς ἐπιστολὰς ἐπικυροῦντες, καὶ ἀποδεχόμενοι Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, ὡσαύτως καὶ ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ οἰκουμενικὸς πάπας ἀπέστειλεν ἐπιστολὴν, ἣν καὶ ἠκούσατε ὁμοφωνοῦσαν μὲν κατὰ πάντα τοῖς εἰρημένοις ἁγιωτάτοις πατριάρχαις, ἐπὶ τῇ ἀποδοχῇ καὶ ἀποκαταστάσει τοῦ εἰρημένου ἁγιωτάτου πατριάρχου· καὶ ἔχει D αὐτὸν ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργόν. ἀλλ' ἐπειδὴ οἱ πάλαι παραγενόμενοι ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, οἱ περὶ Θωμᾶν καὶ Ἠλίαν, ὡς ὁμοφώνως παρὰ πάντων ἀκούομεν, Σαρακηνοὺς μὲν αἰχμαλώτους ἐπεζήτουν, καὶ παρὰ Σαρακηνῶν ἐπὶ τῇ τῶν συγγενῶν αὐτῶν * ἀναῤῥήσει ἀπεστάλησαν, καὶ Σαρακηνῶν ἀποκρισιάριοι ἐχρημάτιζον· παρ' οὐδενὸς δὲ τῶν πατριαρχῶν ἀπεσταλμένοι ἦσαν, οὐδεμίαν ἐκκλησιαστικὴν ἐμπιστευθέντες δουλείαν· ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῶν ὁ Ἠλίας πάλαι κατακεκριμένος ἦν, καὶ ἀποβλητὸς τοῦ χοροῦ τῶν χριστιανῶν· διὰ τοῦτο ἐξετάζομεν περὶ τῶν ἀρτίως παραγεγονότων ἀδελφῶν, καὶ τὰς ἀρχιερατικὰς ἐπιστολὰς ἐπικομιζομένων, καὶ τὸ πρόσωπον ἐπεχόντων τῶν τῆς ἀνατολῆς E ἀρχιερατικῶν θρόνων. γέγραπται γὰρ, ὅτι ἀλήθεια ἐξεταζομένη καθαρωτέρα γίνεται. ἠκούσατε τοίνυν τὰς ἀποκρίσεις τῶν ἀδελφῶν τούτων, καὶ πῶς ὁμονοοῦσι τῶν ἀνατολικῶν αἱ ἐκκλησίαι;

* Pro ἀπειρύσει

Παῦλος καὶ Εὐγένιος οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· οὐ μόνον τὰς ἐπιστολὰς, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τὸν ἐπιστολοφόρον κύριον Ἀνδρέαν τὸν εὐλαβέστατον μοναχὸν εἴδομεν, ποιήσαντα μεθ' ἡμῶν ἡμέρας ἱκανὰς, οὗ καὶ τὴν πίστιν ἀκριβῶς ἀνακρίναντες εὕρομεν αὐτὸν καθαρῶς τὰ τῆς ἐκκλησίας πρεσβεύοντα δόγματα, ἐξ οὗ καὶ τῆς πίστεως ἐδεξάμεθα λίβελλον. ἡ ἁγία σύ-

ANNO CHRISTI 879.

σύνοδος εἶπεν· ἔδει μὲν ἐκείνους ἀθέμιτα κατεργαξάντας ἔργα, καὶ Σαρακηνῶν φρονήματα ἔχειν, καὶ Σαρακηνῶν ὑπηρέτας εἶναι, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀπωσθῆναι. οὓς δὲ ἀπέλυσαν οἱ ἁγιώτατοι πατριάρχαι, ἀληθῶς οὗτοι τοποτηρηταί αὐτῶν εἰσί, καὶ τῶν ἀποστόλων μαθηταί, καὶ τῆς ἐκκλησίας θρέμματα, καὶ ἐκκλησιαστικὴν καταπεπιστευμένοι διακονίαν.

A Oportebat utique illicitum opus aggreſſos, & Saracenorum ſenſus habere, & miniſtros fieri Saracenorum, & ab eccleſia ejici. Quos autem miſerunt ſanctiſſimi patriarchæ, hi vere ſunt eorumdem legati, & diſcipuli Apoſtolorum, & alumni eccleſiæ, quibus eccleſiaſticum creditum miniſterium eſt.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· τὰ μὲν τότε γεγονότα, Θεὸς λήθῃ βαθείᾳ παραδοίη, καὶ ἡμᾶς αὐτῶν ἀμνησίαν τε καὶ ἀμνησικακίαν διατηρεῖν ἐνισχύσαι. πολλῷ γὰρ ἀμείνονα ταῦτα ποιεῖ ἡ σιγή, ἢ καὶ βραχεῖά τις καὶ συντετμημένη περὶ τούτων διάλεξις. πλὴν κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἡνίκα ἡμεῖς μὲν ἠλαυνόμεθα τοῦ θρόνου, ἅπας δὲ τῶν ἀρχιερέων Θεοῦ καὶ ἱερέων ὁ κατάλογος μετὰ τὴν στέρησιν τῶν οἰκείων θρόνων πικραῖς ἐνεταλαιπωρεῖτο κακουχίαις, εἶπον πρὸς τοὺς τότε παρόντας· ὡς εἰ μὲν κατ' ἐμοῦ τὴν πᾶσαν ὀργὴν ἔχετε, ἄφετε μὲν τούτους ὑπάγειν· κατ' ἐμοῦ δὲ οἷον ἂν καὶ τὸ θέλημα ὑμῖν ἐπιτάσσοι ἔγκλημα ἀναπλάσαντες προσενέγκατε. κἀντὶ τῆς τούτων ἁπάντων ἐλευθερίας τε καὶ ἀφέσεως, ἕτοιμός εἰμι καὶ κατ' ἐμοῦ τὸ ἔγκλημα ἀνομολογεῖν· πλὴν εἰ μὴ ἀσέβειαν περιέχει· καὶ ὑμᾶς εἰς κόρον ἐμπλῆσαι τοῦ ὑμετέρου θελήματος. παραδίδωμι γὰρ ἐμαυτὸν συνομολογῶν ὑμῖν τὴν κατ' ἐμοῦ κατηγορίαν, ποιεῖν εἰς ἐμὲ ἅπερ ἂν ἡ ὁρμὴ βούλοιτο. μόνον τοῦτο τὸ ἐλεεινὸν καὶ τραγικὸν διήγημα εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν μὴ παρεισαγάγητε, μὴ δὲ τοσοῦτον καὶ τηλικοῦτον λαὸν ὀρθοδοξίᾳ τε ἀνέκαθεν ἀνακείμενον, καὶ Θεῷ καθιερωμένον ὅσον ἧκεν εἰς τὴν ἡμετέραν γνώμην, μὴ θανάτῳ, καὶ λιμῷ, καὶ ὑπερορίᾳ, καὶ πᾶσι κακοῖς παραδώσετε· μὴ δὲ τὰ χριστιανῶν ὄργια γέλωτα πᾶσιν Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, μήτε χριστιανοῖς προθήσετε· μὴ δὲ τηλικαύτῃ αἰσχύνῃ τὰ χριστιανῶν περιβάλητε νόμιμα. ἀλλ' ἐγὼ μὲν ἐβόων ταῦτα, καὶ διεμαρτυρόμην, καὶ πράττειν ἕτοιμος ἦν τὴν ὑπόσχεσιν· τὴν τῶν πολλῶν καὶ ἀθῴων καὶ ἀναιτίων σωτηρίαν τῆς ἐμῆς, ὡς ἂν ἐκεῖνοι φαῖεν, ἀπωλείας ἀνταλλασσόμενος. ἀλλ' ὁ μὲν τῆς ὁρμῆς αὐτῶν πρόλογος ἦν καθ' ἡμῶν· ἡ δὲ τῆς ὀργῆς ῥύμη συνελαύνει καὶ πάντας, οὐ μόνον *ὅσον ὁ ἱερὸς θεσμὸς εἰς τὸν προκεκριμένον ἔφερε κατάλογον, ἀλλὰ καὶ ἁπλῶς πάντας, ὅσοι δήποτε ἱερωσύνης καὶ θεοσεβείας γνωρίσματα ἔφερον. ἀλλ' ἐκεῖνα μέν, ὥσπερ ἔφημεν, ἐχέτω σιγὴ καὶ ἐχέτω. ὁ δὲ τῶν ἀνεξιχνιάστων κριμάτων κύριος, καὶ τῶν ἀνελπίστων ἀγαθὸς χορηγός, πρὸς μόνην ἡμῶν τὴν τότε προαίρεσιν ἐπιδών, παραδόξως καὶ παρ' ἐλπίδα πᾶσαν ἀνθρωπίνην· ἅπαντα μὲν ἐκεῖνα τὰ τολμήθια καταστροφῇ δικαίᾳ παρέδωκε· τὴν δὲ τοῦ ὑψηλοῦ καὶ μεγάλου βασιλέως ἡμῶν καρδίαν, ἅτε δὴ τῇ χειρὶ αὐτοῦ περικρατουμένην τε καὶ περιφρουρουμένην, ἀνεκίνησεν ἀναλαβεῖν τὰ ἐλέη αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς· καὶ ἃ προώρισεν, ὡς ἔδειξε, ταῦτα καὶ εἰς πλέον ὑπὲρ λόγον, ὡς ὁρᾶτε, παρεστήσατο.

* Τὸ ὅσοι

Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Quæ tunc quidem facta ſunt, hæc Deus perpetuæ oblivioni tradat: & nos ipſorum eſſe ſemper immemores præſtet. Multo enim meliora hæc facit ſilentium, quam vel brevis aliqua & compendioſa de his diſceptatio. Tamen quo tempore nos quidem ejecti e ſe- B de ſumus, omnis autem Pontificum Dei & ſacerdotum numerus acerbis conflictabatur malis, dixi his qui tunc præſentes aderant: Si quidem adverſum me unum iraſcimini, ſinite hos abire: adverſum me autem quantam volueritis criminationem proferte. Et pro horum omnium libertate ac dimiſſione paratus ſum & adverſum me crimen confiteri, modo impietatis reus non peragar, & quidquid volueritis, adimplere. Trado enim meipſum, vobiſcum conſentiens accuſationi adverſum me contextæ, ut faciatis in me quidquid ira ſuggeſſerit: tantum ne hæc miſerabilis & tragica hiſtoria in eccleſiam Dei inducatur; nec talem ac tantum po- C pulum orthodoxa fide ab origine dedicatum & Deo conſecratum, quamdiu acceſſit ad noſtram ſententiam, ne morte, & fame, & exſilio, & omnibus malis dedatis, neque Chriſtianorum cæremonias irriſioni omnium Græcorum & barbarorum, ac non Chriſtianorum, exponatis; neque in tantum dedecus inſtituta Chriſtianorum trahatis. Ego vero ſic quidem clamabam & conteſtabar, & paratus eram promiſſum præſtare, multorum innocentium & culpa carentium ſalutem meo (ut illi appellabant) exitio redempturus. Et illa quidem iracundiæ ipſorum adverſum nos præfatio fuit, progreſſus autem iracundiæ ſimul vexavit & omnes non ſolum quotquot D ſacri ritus in egregium numerum retulerunt: ſed & omnes omnino quicumque ſacerdotii & cultus divini geſtarent inſignia. Verum iſta quidem, ut diximus, premuntur premanturque ſilentio. Sed imperveſtigabilium judiciorum Dominus, & deſperantium bonus auxiliator, ad noſtrum ſolum reſpiciens propoſitum, præter opinionem ac præter ſpem omnem humanam omnia quidem auſa illa juſte ſubvertit; celſiſſimi autem magnique Imperatoris noſtri animum, quippe quem manus ejus poſſideret & gubernaret, permovit ut erga nos reciperet commiſerationis affectum: Et quæ prædeſtinavit, ut palam fecit, hæc ad effectum ſupra quam dici pot- E eſt, ut videtis, perduxit.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς τῆς ἀνατολῆς εἶπε· Γινώσκει ἡ ἀγαθότης τοῦ Θεοῦ, ὅτι οὔτε τὸν πατριάρχην κύριον Φώτιον προεῖδον, οὔτε γράμμα παρ' αὐτοῦ ἐδεξάμην, οὔτε συνέτυχον αὐτῷ ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις· ἀλλὰ διὰ τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἀθέμιτον εἰς αὐτὸν γεγενημένην ἀπόνοιαν, καὶ τοὺς ψευδοτοποτηρητὰς τοὺς ἀθέους ἐκείνους, διὰ ταῦτα παραγέγονα. Παῦλος καὶ Εὐγένιος οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώ-

Elias religioſiſſimus presbyter & legatus Orientis dixit: Novit bonitas Dei, quod neque patriarcham dominum Photium prius videram, neque litteras ab ipſo acceperam, neque diebus illis cum eo ſum collocutus: ſed propter eccleſiam & virtutem ejus, & injuſtam adverſus eum commiſſam amentiam, & pſeudolegatos impios illos, idcirco acceſſi. Paulus & Eugenius ſanctiſſimi legati veteris Romæ dixerunt: Ut ipſa Veritas teſta-

ANNO CHRISTI 879.

ſtatur, neque ob affectionem, neque ob A munerum acceptionem loquimur; ſed ut Deus ſcit: & ipſe ſanctus Imperator teſtatus eſt commiſerationem & largitionem in pauperes & ſupereminentem viri virtutem, quod hominem hujuſmodi multis abhinc annis non ſuſcepit eccleſia Conſtantinopolitana.

Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Nos peccatores & humiles ſumus: Hanc vero dignam mercedem veſtri erga nos affectus recipietis. Si utique de altero quopiam ſermo propoſitus eſſet, multa haberem dicere: quandoquidem vero de me ipſo eſt, ſatagens invidia carere talium ſermonum, ſilere ſatius eſſe, niſi neceſſitas quædam magna compel- B lat, quam loqui, arbitror.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Evangelicum imples oraculum, quod ait: *Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & judicet.* Sed quæ ad iſta pertinent, tempus probavit. Si placet autem ſanctæ huic & pacificæ ſynodo, legatur etiam quod datum eſt nobis Commonitorium, ſive Mandatum, a ſanctiſſimo & œcumenico Papa Joanne: in quo & omnes noſtri epiſcopi & presbyteri ſubſcripſerunt. Sancta ſynodus dixit: Legatur: Et ſurgens igitur Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis, per Leonem Protoſpatharium & interpretem legit:

Joan. 8. 50.

Commonitorium fratribus Paulo & Eugenio epiſcopis: ſimiliter & Petro presbytero & cardinali noſtro, miſſis Conſtantinopolim.

Vet. Baron. an. 879. n. 4.

*Caput* 1. POſtquam Dei ope & interceſſionibus ſanctorum Apoſtolorum Conſtantinopolim ingreſſi fueritis, ubi præcipiet Imperator, ibi manſionem habete: & priuſquam Imperatorem videritis, alteri cuipiam Apoſtolicas litteras nolite tradere. Vobis autem adſtantibus coram Imperatore, epiſtolas præbete, his verbis ipſum compellan- D tes: Salutat veſtrum ex Deo Imperium ſpiritalis noſter pater, Joannes Apoſtolicus Papa: veſtram ex Deo potentiam ſuis quotidie ſupplicationibus commendans ſancto Deo: ut qui tale vobis deſiderium injecit, ob negotium eccleſiaſticæ pacis, pro mercede retribuat vobis gratiam ſuam, & conſoletur vos ſua felici gubernatione, & perficiat in bonis deſiderium veſtrum.

*Caput* 2. Si voluerit Imperator, antequam litteras legat, legationis noſtræ capita diſcere, his eum verbis alloquimini: Si jubet imperium veſtrum, videat epiſtolas. Et ſi E dixerit: Quid continent epiſtolæ? Reſpondete ei: Salutationes veſtræ pietatis, & ſermones eccleſiaſticæ pacis vinculum adornantes, & omnino recte perficientes.

*Caput* 3. Altera autem die ſalutantes Photium ſanctiſſimum, date ei epiſtolam, compellantes eum decenter his verbis: Salutat te dominus noſter Joannes Apoſtolicus Papa, & vult habere te fratrem & comminiſtrum

A μηδὲ εἶπον· ὡς αὐτὴ ἡ ἀλήθεια μαρτυρεῖ, οὔτε κατὰ προσπάθειαν, οὔτε κατὰ δωροδοκίαν λέγομεν· ἀλλ᾽ ὡς ὁ Θεὸς ἐπίσταται, καὶ αὐτὸς ὁ ἅγιος βασιλεὺς ἐμαρτύρησε τήν τε συμπάθειαν, καὶ τὴν ἐλεημοσύνην, καὶ τὸ ὑπεραναβεβηκὸς τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρός, ὅτι τοιοῦτον ἄνθρωπον πολλὰ ἔτη ἔχει ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία μὴ δεξαμένη.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ἡμεῖς ἁμαρτωλοὶ καὶ ταπεινοί ἐσμεν· αὐτοὶ δὲ τὸν ἄξιον μισθὸν τῆς πρὸς ἡμᾶς διαθέσεως ἀπολήψεσθε. εἰ μὲν οὖν περὶ ἄλλου τινὸς ὁ λόγος καὶ ἡ προκειμένη ὑπόθεσις, πολλὰ ἂν εἶχον λέγειν. ἐπειδὴ δὲ περὶ ἐμαυτοῦ ἐστί, τὸ ἀνεπαχθὲς τῶν τοιούτων διαλαβούμενος λόγων, ἄμεινον τὸ σιγᾷν, εἰ μή τις κατεπείγει μεγάλη ἀνάγκη πρὸς τὸ λέγειν, ἡγοῦμαι.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινάλις εἶπε· τὸ εὐαγγελικὸν ἀποπληροῖς λόγιον τὸ φάσκον· ὅτι ἐγὼ τὴν δόξαν μου οὐ ζητῶ. ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων. ἀλλὰ τὰ μὲν περὶ τούτων ὁ καιρὸς ἐδοκίμασεν. εἰ δοκεῖ δὲ τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ εἰρηνικωτάτῃ συνόδῳ, ἀναγνωσθήτω καὶ τὸ ἐπιδοθὲν ἡμῖν κομμονιτώριον, ἤτοι ἐντάλμα, παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα Ἰωάννου. ἐν ᾧ καὶ πάντες οἱ καθ᾽ ἡμᾶς ἀρχιερεῖς καὶ ἐπίσκοποι ὑπέγραψαν. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀναγνωσθήτω. καὶ δὴ ἀναστὰς Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινά- C λις, διὰ Λέοντος πρωτοσπαθαρίου καὶ ἑρμηνέως ἀνέγνω.

Κομμονιτώριον τοῖς ἀδελφοῖς Παύλῳ καὶ Εὐγενίῳ τοῖς ἐπισκόποις· ὡσαύτως καὶ Πέτρῳ πρεσβυτέρῳ καὶ καρδινάλι ἡμῶν τοῖς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἀπεσταλμένοις.

Κεφάλαιον α´. ΜΕτὰ τῆς Θεοῦ βοηθείας καὶ τῶν πρεσβειῶν τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐν Κωνσταντινουπόλει εἰσερχομένων ὑμῶν, ὅπου προστάξει ὁ βασιλεὺς ἐκεῖσε μετασταθῆτε· καὶ πρὸ τοῦ τὸν βασιλέα θεάσασθαι, ἄλλῳ τινὶ τὰς ἀποστολικὰς ἐπιστολὰς μὴ θελήσητε δοῦναι. παραστάντων δὲ ὑμῶν D ἐνώπιον τοῦ βασιλέως, τὰς ἐπιστολὰς παράσχετε, τοιούτοις ῥήμασιν αὐτῷ προσφθεγγόμενοι· προσκυνεῖ τὴν ὑμετέραν ἐκ Θεοῦ βασιλείαν ὁ πνευματικὸς ἡμῶν πατὴρ ὁ κύριος Ἰωάννης ὁ ἀποστολικὸς πάπας. τὸ ὑμέτερον ἐκ Θεοῦ κράτος ταῖς αὐτοῦ καθ᾽ ἑκάστην ὑμετέρον ἱκεσίαις παρατιθέμενος τῷ ἁγίῳ Θεῷ· ἵνα ὁ τοιαύτην ὑμῖν ἐπιθυμίαν δοὺς, διὰ τὸ πρᾶγμα τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης, ἀντικαταπέμψῃ ὑμῖν τὴν χάριν αὐτοῦ, καὶ παραμυθήσηται ὑμᾶς τῇ αὐτοῦ κατευοδώσει, καὶ πληρώσαι ἐν ἀγαθοῖς τὸ θέλημα ὑμῶν.

Κεφάλ. β´. Ἐὰν θελήσει ὁ βασιλεὺς, πρὸ τοῦ τὰς ἐπιστολὰς ἀναγνῶναι, τὰ τῆς ἀποκρίσεως ἡμῶν ἀναμαθεῖν κεφάλαια, τοιούτοις ῥήμασιν αὐτῷ προ- E σείπατε· εἰ κελεύει ἡ βασιλεία ὑμῶν, ἰδέτω τὰς ἐπιστολάς· καὶ ἐὰν εἴπῃ· τί περιέχουσιν αἱ ἐπιστολαί; ἀποκρίθητε αὐτῷ· προσκυνήσεις πρὸς τὴν ὑμετέραν εὐσέβειαν, καὶ λόγους τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης συγκροτοῦντας τὸν σύνδεσμον, καὶ παντὶ τρόπῳ καλῶς ἀποπληροῦντας.

Κεφάλ. γ´. Τῇ δὲ ἑτέρᾳ ἡμέρᾳ προσαγορεύοντες Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ, ἐπίδοτε καὶ τὴν ἐπιστολὴν, ἀσπαζόμενοι αὐτὸν πρεπόντως τοιούτοις ῥήμασι· προσκυνεῖ σε ὁ κύριος ἡμῶν Ἰωάννης ὁ ἀποστολικὸς πάπας, καὶ θέλει ἔχειν σε ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργόν.

Κε-

ANNO CHRISTI 879.

Κεφάλ. δ΄. Καθὼς ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς, ἵνα διὰ A τὴν εἰρήνην τῆς ἐκκλησίας ἀποδεξώμεθα τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Φώτιον ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν ἡμῶν, εἰσηκούσαμεν τῆς δεήσεως ὑμῶν. καὶ κελεύομεν ἵνα ἐνώπιον ὑμῶν ἔλθῃ εἰς τὴν σύνοδον, καὶ ἀποδέξηται αὐτὸν πᾶσα ἡ ἐκκλησία κατὰ τὴν διάταξιν τῶν γραμμάτων ἡμῶν· ἀποδέξησθε αὐτὸν καὶ ὑμεῖς συγκοινωνὸν καὶ συλλειτουργόν. καὶ ἵνα εὐχαριστίαν καὶ ἔλεος τῆς ἐκκλησίας τῶν Ῥωμαίων προσφέρῃ.

Κεφάλ. ε΄. Ἀναστάντες εἴπατε αὐτῷ· κελεύει ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἁγιώτατος πάπας, ἵνα πάντες οἱ ἐν διαφόροις ὄντες τόποις ὑπερόριοι, εἴτε ἐπίσκοποι, εἴτε πρεσβύτεροι, εἴτε ἄλλοι τινὲς, καὶ οὐκ ἠθέλησαν B ἕως τοῦ παρόντος κοινωνῆσαι μεθ' ὑμῶν, διὰ τοῦ μόχθου ὑμῶν ἑνωθῶσι τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, καὶ γένωνται ἓν μεθ' ὑμῶν. ἐρχομένων δὲ αὐτῶν ἀποδέξεται αὐτοὺς, ὡς πατὴρ τέκνα· καὶ νουθετήσει αὐτοὺς πολλάκις, ἵνα διὰ τὴν εἰρήνην τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ὁμονοήσωσι μετὰ τοῦ ἀποστολικοῦ, καὶ κρατήσωσι μετ' αὐτοῦ ἓν θέλημα, ἀποδεχόμενοι Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, καὶ γινόμενοι αὐτοῦ συγκοινωνοί. οἱ δὲ * ἀρχόμενοι, ὅσοι μὲν προεχειροτονήθησαν, ἵνα ἀπολάβωσι τοὺς θρόνους αὐτῶν. οἱ δὲ ἐσχάτως χειροτονηθέντες, ἵνα ἔχωσιν ἐκ τῶν αὐτῶν ἐπισκόπων διατροφὰς καὶ σκεπάσματα ἀρκοῦντα.

* Pro ἐρχόμενοι, in Baronio.

Κεφάλ. ϛ΄. Καθεσθέντων ὑμῶν ἐπὶ τῆς συνό- C δου μετὰ τοῦ προρρηθέντος ἁγιωτάτου πατριάρχου, καὶ τῶν τῆς ἀνατολῆς τοποτηρητῶν, ἅμα τοῖς λοιποῖς ἀρχιεπισκόποις καὶ μητροπολίταις, καὶ πᾶσι τοῖς ἱερεῦσι τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, πρῶτον ἀναγνωσθήτωσαν αἱ ἐπιστολαί, αἱ πρὸς τὸν βασιλέα ἀποσταλεῖσαι· καὶ ἐρωτηθήτω ἡ σύνοδος, εἰ ἀποδέχεται αὐτὰς, καὶ ἐὰν φυλάττωσι τὰς μαρτυρίας ἃς περιέχει ἡ ἐπιστολή. ἀποκριναμένων αὐτῶν εἴπατε· ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἁγιώτατος πάπας πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν φροντίδα ποιούμενος, καὶ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας, καὶ ἑνώσεως, καὶ εἰρήνης προμηθούμενος, ἀπέστειλεν ἡμᾶς τοὺς δούλους αὐτοῦ, ἵνα τοὺς διεσκορπισμένους συναγάγωμεν, καὶ τοὺς διεστῶτας εἰρηνεύσωμεν, D καὶ τῷ ἐλέει τῆς ἐκκλησίας χεῖρα ὀρέξωμεν, τοὺς κατερραγμένους ἀνορθώσωμεν· ἵνα πάντες ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζωμεν τὸν πατέρα σὺν υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι. ἔστι τοῦτο καλὸν, εἰ οὐχί; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ὅσα πρὸς εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν τῆς ἐκκλησίας εἰσὶ, καὶ καλὰ καὶ ἀποδεκτὰ ἡγούμεθα.

Κεφάλ. ζ΄. Τοὺς δὲ διαμένοντας ἐν τῇ αὐτῶν αὐθαδείᾳ καὶ ταραχῇ, καὶ εἰς τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν ἀδελφῶν μὴ θέλοντας συνελθεῖν, μηδὲ τὸν σύνδεσμον τῆς ἀγάπης διαφυλάξαι, μετὰ β΄. καὶ γ΄. νουθεσίαν ὑμῶν τε καὶ τῆς ἁγίας συνόδου, ποιή- E σατε αὐτοὺς ἀκοινωνήτους, καὶ παντὸς τάγματος ἐκκλησιαστικοῦ ἀφορίσατε, ἕως ἂν ἑνωθῶσι τῷ οἰκείῳ πατριάρχῃ, καὶ τῇ κατ' αὐτὸν ἐκκλησίᾳ.

Κεφάλ. η΄. Ἐξακολουθοῦντες τοῖς κανόσι τῶν ἁγίων πατέρων λέγομεν, ἵνα μετὰ τὴν ἀποβίωσιν Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου μηδεὶς ἀπὸ κοσμικοῦ ἀξιώματος εἰς τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως ἀνέλθῃ, καθὼς καὶ αἱ ἐπιστολαὶ ἡμῶν μαρτυροῦσι.

Κεφάλ. θ΄. Θέλομεν ἐνώπιον τῆς συνόδου ἵνα τὸν προρρηθέντα Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην παρακαλέσητε, μήτε ὠμόφορον εἰς Βουλγαρίαν ἀποστεί-

*Caput* 4. Sicut ſcripſit Imperator, ut per pacem eccleſiæ ſuſciperemus ſanctiſſimum patriarcham Photium fratrem & comminiſtrum noſtrum, exaudivimus preces veſtras. Et jubemus ut coram vobis veniat ad ſynodum, & ſuſcipiat eum omnis eccleſia juxta diſpoſitionem litterarum noſtrarum; ſuſcipictis eum & vos conſortem & comminiſtrum: & ut gratiarum actionem referat, & miſericordiam commendet eccleſiæ Romanæ.

*Caput* 5. Surgentes dicite ei: Jubet dominus noſter ſanctiſſimus Papa, ut omnes qui in diverſis locis ſunt exſules, ſive epiſcopi, ſive presbyteri, ſive alii quilibet, qui noluerunt hactenus communicare vobiſcum, veſtro labore uniantur eccleſiæ Dei, & fiant unum vobiſcum. Venientibus autem illis ſuſcipiet illos, ut pater filios, & ſæpe monebit illos, ut propter pacem eccleſiæ Dei ſint unius ſententiæ cum Apoſtolico, & cum ipſo retineant unam voluntatem, ſuſcipientes Photium ſanctiſſimum patriarcham, & communicantes cum eo. Ex his autem qui venient, qui quidem prius ordinati fuerint, recipiant ſedes ſuas: qui vero poſterius ſunt ordinati, ſic habeant ab ipſis epiſcopis victum ac veſtitum ſufficientem.

*Caput* 6. Conſidentibus vobis in ſynodo cum prædicto ſanctiſſimo patriarcha, & legatis Orientis, cum reliquis archiepiſcopis & metropolitis, & omnibus ſacerdotibus eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, primum legantur litteræ ad Imperatorem miſſæ: & interrogetur ſynodus, an illas ſuſcipiat, an & cuſtodiant præceptiones quas epiſtola continet. Reſpondentibus illis dicite: Dominus noſter ſanctiſſimus Papa omnium eccleſiarum ſolicitudinem gerens, & veſtræ ſaluti, & unitati, pacique conſulens, miſit nos ſervos, ut diſperſos congregemus, & diſſidentes conciliemus, & eccleſiæ commiſeratione manum porrigamus, eliſos erigamus; ut omnes uno ore glorificemus Patrem cum Filio & Spiritu ſancto. Eſt hoc bonum, annon? Sancta ſynodus dixit: Quæcumque ad pacem & concordiam eccleſiæ ſunt, & bona ſunt & ſuſcipienda.

*Caput* 7. Qui vero permanent in ſua contumacia & diſcordia, nec volunt in unionem eccleſiæ fratrumque convenire, neque vinculum caritatis cuſtodire, poſt ſecundam & tertiam admonitionem veſtram & ſanctæ ſynodi, hos excommunicate, & ab omni eccleſiaſtica dignitate excludite, donec uniantur ſuo patriarchæ & ipſius eccleſiæ.

*Caput* 8. Sequentes canones ſanctorum patrum dicimus, ut poſt obitum Photii ſanctiſſimi patriarchæ, nemo e ſæculari dignitate in Conſtantinopolitanam ſedem aſcendat, quemadmodum litteræ etiam noſtræ conteſtantur.

*Caput* 9. Volumus ut coram ſynodo prædictum Photium ſanctiſſimum patriarcham adhortemini, ut neque pallium in Bulgariam mittat,

ANNO CHRISTI 879.

...tui, neque ordinationes faciat in illa provincia. Nam ſi hoc fecerit, ipſum ſecundum canones arguemus.

*Caput* 10. Volumus coram præſente ſynodo promulgari, ut ſynodus quæ facta eſt contra prædictum patriarcham Photium ſub Hadriano ſanctiſſimo Papa in urbe Roma, & Conſtantinopoli ex nunc ſit rejecta, irrita, & ſine robore; neque connumeretur cum altera ſancta ſynodo. Sancta ſynodus reſpondit: Nos rebus ipſis condemnavimus & abjecimus & anathematizavimus dictam a vobis ſynodum, uniti Photio ſanctiſſimo noſtro patriarchæ: & eos qui non rejiciunt ſcripta dictave contra eum in hac dicta a vobis ſynodo, anathematizamus. Elias metropolita Martyropoleos, & Elias Hieroſolymorum legatus, dixerunt: Quomodo enim ſynodus appellaretur, quæ infinitis ſchiſmatibus eccleſiam replevit? Quis ſynodum appellet, quæ ſedere fecit tanquam judices ad leges ferendas legatum Saracenorum? Quibus ſynodis adnumerabitur, quæ auſa eſt ſtatuere contraria omnibus ſanctis ſynodis: quæ innocentes & ſine qualicumque examine condemnavit; quæ omnes leges eccleſiaſticas & civiles confudit & evertit? Nam propter hæc ſanctiſſimæ Orientis ſedes acta illa damnarunt, rejecerunt, & anathematizarunt.

*Caput* 11. Videte ut juxta mandatum noſtrum ita ambuletis. Neque muneribus abducamini, neque per adulationem aut metum declinetis ad dexteram aut ad ſiniſtram: ſed regia via incedite: ut qui locum noſtrum & poteſtatem habeatis, quam vobis ob pacem eccleſiæ dedimus, ut per veſtrum laborem & dignam veſtram ſolicitudinem gratiam noſtram & ſedis Apoſtolicæ habeatis, & noſtræ communionis ſitis cohæredes.

Sancta ſynodus dixit: Ecce videmus vos per omnia mandata ſanctiſſimi Papæ eſſe obſecutos; vere enim talis Pontificis magni tales eſſe oportuit & legatos. Nicetas Dei amantiſſimus metropolita Smyrnæ dixit: Deo volente res eo loco poſitas inveniſtis, ut ſi quis velit extra præceptum Dei & mandata ſanctiſſimi Papæ ambulare, non inveniat excuſationem: & ubi res illæ ipſæ cogunt viam Dei ambulare, neque qui habent pravas opiniones, poſſunt contra res ipſas venire: quanto igitur magis qui mentem habent omni genere virtutum inſtructam; non poſſunt omnino declinare neque ad dexteram neque ad ſiniſtram extra voluntatem Dei, ſive extra mandata Pontificis Romæ?

Sanctiſſimi legati veteris Romæ dixerunt: Propheta dicit: *Ad omnia quæ mittam vos, ibitis*. Non venimus ut impleremus niſi voluntatem Dei & domini noſtri ſanctiſſimi Papæ. Sancta ſynodus dixit: Perſpicue cernimus, vos voluntatem Dei & Pontificis qui miſit vos, adimplere. Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Divina voluntas eſt illius qui deſcendit de cælis, & noſtram naturam accepit, ut reconciliaret genus humanum Patri ſuo, quod fuerat multis antea ſæcu- Jerem. 1. 7.

A λαι, μήτε χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὐτῇ ἐπαρχίᾳ. ἐὰν γὰρ τοῦτο ποιήσῃ, ἐλέγξαι αὐτὸν ἔχομεν κανονικῶς.

Κεφάλ. ί. Θέλομεν ἐνώπιον τῆς ἐνδημούσης συνόδου ἀνακηρυχθῆναι, ἵνα ἡ σύνοδος ἡ γεγονυῖα κατὰ τοῦ προρρηθέντος πατριάρχου Φωτίου ἐν τοῖς καιροῖς τοῦ Ἀδριανοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἀπὸ τοῦ παρόντος ᾖ ἐξωστρακισμένη καὶ ἄκυρος καὶ ἀβέβαιος, καὶ μὴ συναριθμῆται αὕτη μεθ' ἑτέρας ἁγίας συνόδου. ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεκρίθη· ἡμεῖς δι' ἔργων ἀπεκηρύξαμεν καὶ ἀπεβαλόμεθα καὶ ἀνεθεματίσαμεν τὴν παρ' ὑμῶν λεγομένην σύνοδον, ἑνωθέντες Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἡμῶν πατριάρχῃ· καὶ τοὺς μὴ ἀποβαλλο- B μένους τὰ κατ' αὐτοῦ γραφέντα ἢ λαληθέντα ἐν αὐτῇ τῇ ῥηθείσῃ παρ' ὑμῶν συνόδῳ, τῷ ἀναθέματι παραπέμπομεν. Ἠλίας μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως, καὶ Ἠλίας Ἱεροσολύμων τοποτηρητὴς, εἶπον· καὶ πῶς γὰρ ἂν σύνοδος ῥηθείη ἡ μυρίων χισμάτων ἐκκλησίαν πληρώσασα; τίς ὀνομάσειε σύνοδον τὴν Σαρακηνῶν ἀποκρισιαρίους κριτὰς καὶ νομοθέτας καθίσασαν; ποίαις συνόδοις ἀριθμηθείη ἡ πάντων τῶν ἁγίων συνόδων ἐναντία τολμήσασα; ἡ τοὺς ἀναιτίους καὶ χωρὶς τῆς οἵας δήποτε ἐξετάσεως καταδικάσασα; ἡ πάντας θεσμοὺς ἐκκλησιαστικοὺς καὶ πολιτικοὺς συγχέασα, καὶ καταστρέψασα; διὰ ταῦτα γὰρ οἱ τῆς ἀνατολῆς ἁγιώτατοι θρόνοι ἀποκηρύ- C κτους τὰς πράξεις αὐτοῦ καὶ ἀποβλήτους ἐποιήσαντο, καὶ τῷ ἀναθέματι παρεπέμψαντο.

Κεφάλ. ιά. Βλέπετε ἵνα κατὰ τὸ ἔνταλμα ἡμῶν οὕτως περιπατήσητε, καὶ μήτε δώροις συναπαχθῆτε, μήτε διὰ κολακείαν ἢ φόβον ἐκκλίνητε δεξιὰ ἢ ἀριστερά· ἀλλὰ βασιλικῇ ὁδῷ πορεύθητε, ὡς τὸν τόπον καὶ τὴν ἐξουσίαν ἡμῶν, ἣν ὑμῖν διὰ τὴν εἰρήνην τῆς ἐκκλησίας δεδώκαμεν, ἔχοντες· ἵνα διὰ τοῦ ὑμετέρου κόπου καὶ ἀξίου ὑμῶν μόχθου τὴν χάριν ἡμῶν καὶ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἔχητε, καὶ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας γένησθε συγκληρονόμοι.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἰδοὺ ὁρῶμεν ὑμᾶς κατὰ πάντα τῷ ἐντάλματι τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐξακο- D λουθοῦντας. ἐπ' ἀληθείας γὰρ τοιούτου ἀρχιερέως μεγάλου, τοιούτους ἔδει εἶναι καὶ τοὺς τοποτηρητάς. Νικήτας ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Σμύρνης εἶπεν· ὁ Θεὸς οὕτως ἐποίησεν εὑρεῖν ὑμᾶς τὰ πράγματα, ἵνα κἂν θέλῃ τις ἔξωθεν τῆς ἐντολῆς τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν παραγγελμάτων τοῦ ἁγιωτάτου πάπα περιπατῆσαι, μὴ εὑρίσκῃ πρόφασιν· καὶ ὅπου τὰ πράγματα καὶ αὐτὰ ἐκεῖνα ἀναγκάζουσι κατὰ τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ πορεύεσθαι, οὐδὲ οἱ ἔχοντες φαύλας γνώμας δύνανται ἐναντία τῶν πραγμάτων ἐλθεῖν· πόσῳ οὖν μᾶλλον οἱ ἔχοντες τὴν διάνοιαν αὐτῶν πάσῃ ἀρετῇ * κατηρτισμένους, οὐ δύναιντο οὕτως παντελῶς ἐκκλῖναι δεξιὰ ἢ ἀριστερὰ τοῦ θελήματος τοῦ Θεοῦ, εἴτε τῶν * *fort.* κατηρτισμένην.

E ἐνταλμάτων τοῦ ἀρχιερέως τῆς Ῥώμης;

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ὁ προφήτης λέγει· εἰς πάντα ὅσα ἀποστέλλω ὑμᾶς, πορεύεσθε. οὐκ ἤλθομεν πληρῶσαι εἰ μὴ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἐναργῶς βλέπομεν, ὅτι τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀποστείλαντος ὑμᾶς ἀρχιερέως πληροῦτε. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· θεῖον θέλημά ἐστι τοῦ κατελθόντος ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ τὴν ἡμετέραν φύσιν ἀναλαβόντος, ἵνα καταλλάξῃ τὸ ἀνθρώπινον γένος πρὸς

ANNO CHRISTI 879.

πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἐκπεπολεμημένον χρόνοις πολλοῖς ἐμαρτυρήθη. καὶ νῦν ὁρᾷ σὺν ἡμῖν ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη, ὅτι κατὰ τὸ θέλημα καὶ τὴν ἐντολὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα πάντα συνῆλθον, καὶ τὸ ἀντιπῖπτον οὐδέν ἐστι· καὶ συνέδραμε τῇ ἐκείνου γνώμῃ καὶ ἡ τῶν πραγμάτων φύσις. οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· τὸ ἔργον ἡμῶν τοῦτό ἐστιν, ἵνα διὰ ἀγῶνος καὶ μόχθου ἑνώσωμεν τὴν καθ᾽ ὑμᾶς ἐκκλησίαν. διὰ τοῦτο καὶ πολλοὺς κόπους ἐν τῇ ὁδῷ ὑπεμείναμεν. ὅμως οἱ ἅγιοι ἄνδρες διὰ κόπου ἤρεσαν τῷ Χριστῷ. Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ἔστι μισθαποδότης ὁ Θεὸς ὁ τοὺς μεγάλους μισθοὺς καὶ ἀκενώτους ταμιευόμενος ὑμῖν ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινάλις εἶπεν· ἰδοὺ καὶ αἱ ὑπογραφαὶ τῶν ἐπισκόπων, ὅπως ὡμονόησαν καὶ ἀπεδέξαντο Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην σὺν πάσῃ τῇ ἁγίᾳ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ.

Ζαχαρίας ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας Ἀναγνήνων, καὶ βιβλιοθηκάριος τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ἐν τούτῳ κομμονιτορίῳ ὑπὲρ τῆς ἀποδοχῆς Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἰδιοχείρως ὑπέγρ.

Μαρτῖνος ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας Ναρνιόνσου, ὁμοίως ὑπέγραψε.

Δομίνικος ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας Τριβέντου, ὁμοίως.

Φλῶρος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Μαρτουρένσου, ὁμοίως ἰδιοχείρως ὑπέγραψε.

Γαυδέριχος ἐπίσκοπος Βελιτέρνου, ὁμοίως.

Στέφανος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Φερεντίνης, ὁμοίως.

Λέων ἐπίσκοπος Γαβιένσης, μύστης καὶ ἀποκρισιάριος ἀποστολικοῦ θρόνου, ὁμοίως ἰδιοχείρως ὑπέγρ.

Πέτρος ἐπίσκοπος Φοροσιφρονιένσου, ὁμοίως.

Οὐαλπέρτος τῆς ἁγίας * Πέτρου ἐκκλησίας, ὁμοίως. (* τοῦ Πόρτου)

Συμεὼν ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Φουνδάρων, ὁμοίως.

Ἰωάννης ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Σιγνίων, ὁμοίως.

Βενέδικτος ἐπίσκοπος, ὁμοίως.

Γρηγόριος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Σολβοκανδίδου, ὁμοίως.

Βονιφάτιος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας τῶν Βλεράνων ἐκκλησίας, ὁμοίως.

Στέφανος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας τῶν Νεπεσινῶν ἐκκλησίας, ὁμοίως.

Γερμανὸς πρεσβύτερος τοῦ ἁγίου Παύλου καὶ Ἰωάννου, ὁμοίως.

Πέτρος πρεσβύτερος τοῦ ἁγίου Χρυσογόνου, ὁμοίως.

Βενέδικτος πρεσβύτερος τῆς ἁγίας Βαλβίνης, ὁμ.

Ἀδριανὸς πρεσβύτερος τοῦ ἁγίου Λαυρεντίου, ὁμοίως.

Λέων πρεσβύτερος, ὁμοίως.

Ἰωάννης πρεσβύτερος τῆς ἁγίας Κικιλίας, ὁμοίως.

Παῦλος διάκονος, ὁμοίως ὑπέγραψε.

Λέων διάκονος, ὁμοίως.

Μετὰ τὴν συμπλήρωσιν τοῦ κομμονιτορίου, Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινάλις εἶπεν· ἀρέσκει τῇ ὑμετέρᾳ ἁγιωσύνῃ; καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεκρίθη· ἀρέσκει. καὶ μάλιστα αἱ γενόμεναι ὑπογραφαὶ ὑπὲρ τῆς κοινῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ ὑπὲρ τῆς ἀποδοχῆς Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου. καὶ ταῦτα εἰπόντες ἐπευφήμησαν· πολλὰ τὰ ἔτη τῶν βασιλέων.

A lis inimicum. Et nunc videt nobiſcum veſtra ſanctitas, quod ſecundum voluntatem & mandatum ſanctiſſimi Papæ omnia convenerunt, neque quidquam adverſatur: & concurrit cum illius judicio ipſe rerum ſtatus. Sanctiſſimi legati dixerunt: Opus noſtrum hoc eſt, ut labore ac ſolicitudine noſtra uniamus eccleſiam veſtram. Propterea & multas moleſtias in itinere ſuſtinuimus. Ac certe viri ſancti per moleſtias Chriſto placuerunt. Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Eſt remunerator Deus, qui magnam mercedem & inexhauſtam vobis aſſervat in regno ſuo.

B Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit; Ecce ſubſcriptiones epiſcoporum, qui conſenſerunt, ac receperunt Photium ſanctiſſimum patriarcham, cum omni ſancta Romana eccleſia.

Zacharias epiſcopus eccleſiæ Anagninæ & Bibliothecarius ſedis Apoſtolicæ, in hoc Commonitorio pro ſuſceptione Photii ſanctiſſimi patriarchæ, propria manu ſubſcripſit.

Martinus epiſcopus eccleſiæ Narnienſis, ſimiliter ſubſcripſit. Vid. Baron. ann. 879 n. 3.

C Dominicus epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Triventi, ſimiliter.

Florus epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Marturenſis, ſimiliter propria manu ſubſcripſit.

Gaudericus epiſcopus Velitrenſis, ſimiliter.

Stephanus epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Ferentinæ, ſimiliter.

Leo epiſcopus Gabienſis, miſſus & legatus Apoſtolicæ ſedis, ſimiliter ſubſcripſit propria manu.

Petrus epiſcopus Foro-Sempronienſis, ſimiliter.

Vvalpertus ſanctæ Porti eccleſiæ, ſimiliter.

Symeon epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Fundanæ, ſimiliter.

D Joannes epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Signinæ, ſimiliter.

Benedictus epiſcopus, ſimiliter.

Gregorius epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Silvæ candidæ, ſimiliter.

Bonifacius epiſcopus ſanctæ Bletanæ eccleſiæ, ſimiliter.

Stephanus epiſcopus ſanctæ Nepeſinæ eccleſiæ, ſimiliter.

Germanus presbyter ſancti Pauli & Joannis, ſimiliter.

Petrus presbyter ſancti Chryſogoni, ſimil.

Benedictus presbyter ſanctæ Balbinæ, ſimilit.

E Hadrianus presbyter ſancti Laurentii, ſimilit.

Leo presbyter, ſimiliter.

Joannes presbyter ſanctæ Cæciliæ, ſimiliter.

Paulus diaconus, ſimiliter ſubſcripſit.

Leo diaconus, ſimiliter.

Poſt abſolutum Commonitorium, Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Placetne ſanctitati veſtræ? Et ſancta ſynodus reſpondit: Placet: & factæ præſertim ſubſcriptiones pro communi pace & concordia ſanctæ Dei eccleſiæ, & pro ſuſceptione Photii ſanctiſſimi & œcumenici patriarchæ. Et hæc dicentes acclamatione fauſta precati ſunt: Multos annos Imperatoribus.

ACTIO

ANNO CHRISTI 879.

## ACTIO QUARTA.

MEnſe Decembri, die quinta, in vigilia Nativitatis Chriſti Dei noſtri: præſidente Photio ſanctiſſimo noſtro patriarcha, in ſancto magno ſecretario: & conſidentibus ſimul cum eo ſanctiſſimis legatis antiquæ Romæ, & ſedium Orientalium, adhuc autem & omnibus Dei amantiſſimis metropolitis & epiſcopis; Petrus Dei amantiſſimus diaconus & protonotarius dixit: Metropolita Martyropoleos nuper adveniens ex parte patriarchæ Theopoleos ſive Antiochiæ, & locum ipſius tenens, & ſimul afferens ſanctiſſimi patriarchæ Hieroſolymorum litteras, pro foribus adſtat: & ſi B jubet ſancta ſynodus veſtra ut ingrediatur. Sancta ſynodus dixit: Ingrediatur. Ingreſſus autem, ſalutationem pro more & reverentiam exhibens Photio ſanctiſſimo patriarchæ, & ſolita ei facta precatione a ſanctiſſimo patriarcha Photio, amplexus eſt eum, & interrogavit eum, quomodo valeret patriarcha Antiochiæ, & Hieroſolymorum ſimiliter. Illo autem dicente ipſos recte valere, tametſi multis circumdarentur periculis; Photius ſanctiſſimus patriarca ſubjecit iterum: Sancta quam adminiſtrat Dei eccleſia quomodo ſe habet, qua pace fruitur? Et ipſo reſpondente, Per ſanctas orationes veſtras in pace & concordia perſeverat, ei ſalutatio fit C a ſanctiſſimis legatis antiquæ Romæ, & in ſua ſede eſt collocatus.

Poſtea interrogatus eſt a ſanctiſſimis legatis, cujus rei cauſa adveniſſet, & a quo miſſus eſſet. Baſilius Dei amantiſſimus metropolita Martyropoleos & legatus Antiochiæ dixit: Miſſus ſum a ſanctiſſimo meo patriarcha Theopoleos, ſive Antiochiæ, Theodoſio; ſed & ab Elia, qui in præſentia Hieroſolymitanæ ſedis regit gubernacula; & perſonam ſanctiſſimi mei patriarchæ repræſentaturus venio. Affero autem & litteras ipſius, D & ſanctiſſimi patriarchæ Hieroſolymorum. Cauſam vero propter quam adveni, ipſa epiſtola plenius quam oratio mea, manifeſtabit. Quamquam & viva voce pauca dicere nihil vetat. Sanctiſſimus meus patriarcha Theodoſius nullo modo (abſit) neque per ſeipſum, neque per alterum alicui injuſtæ actioni contra ſanctiſſimum & œcumenicum patriarcham Photium ullo modo communicavit: ſed ab ipſis ſemper exorſus initiis non ad Pontificatus apicem proſiluit; & in cleri conſcriptus ordine, demum divina Antiochiæ gubernacula ſuſcipiens, Pontificem Dei & comminiſtrum cenſet & appellat: & avertatur ſecus ſentientes. Poſtquam vero litteras ſuſcepit, ut quoſdam mitteret qui in E communi cœtu & lætitia ſocii celebritatis eſſent cum fratribus, ad hoc ipſum miſſus ſum. Sanctiſſimus vero Elias nuper Hieroſolymorum Pontifex conſtitutus, in omnibus ſequens Theodoſium, qui prius eamdem ſedem adminiſtravit, nunquam ulla ratione venit in partem injuriarum quæ ſunt ſanctiſſimo patriarchæ illatæ: ſed & qui fuerunt legati Saracenorum, & finxerunt ſe perſonam illius ſuſcipere, anathemati ſubjecit. Miſſus ſum igitur etiam ab ipſo, ut

## ΠΡΑΞΕΙΣ Δ.

ΜΗνὶ Δεκεμβρίῳ, ἡμέρᾳ ε. ἐν τῇ παραμονῇ τῆς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν γεννήσεως, προκαθεσθέντος Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου ἐν τῷ ἁγίῳ μεγάλῳ σεκρέτῳ· καὶ συγκαθεσθέντων αὐτῷ τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς τε πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων· ἔτι δὲ καὶ πάντων τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν, καὶ ἐπισκόπων· Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος εἶπεν· ὁ μητροπολίτης τῆς Μαρτυροπόλεως ἄρτι παραγεγονὼς ἀπὸ τοῦ Θεουπόλεως ἤτοι Ἀντιοχείας πατριάρχου, τόν τε B τόπον ἐπέχων αὐτοῦ, συνεπιφερόμενος δὲ καὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων γράμματα, πρὸ τῶν πυλῶν ἵσταται· καὶ εἰ κελεύει ἡ ἁγία σύνοδος ὑμῶν εἰσελθεῖν αὐτόν. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εἰσίτω. εἰσελθὼν οὖν, καὶ τὴν πρὸς ἔθος προσκύνησιν καὶ τὸ σέβας ποιησάμενος πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην, καὶ τῆς εἰθισμένης αὐτῷ εὐχῆς παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Φωτίου γεγενημένης, ἠσπάσατό τε αὐτὸν, καὶ ἐπηρώτησε τὰς τοῦ πατριάρχου Ἀντιοχείας ὑγείας· ὡσαύτως δὲ καὶ τοῦ Ἱεροσολύμων. ἐκείνου δὲ ἐν ὑγείᾳ διαμένειν αὐτοὺς εἰπόντος, εἰ καὶ πολλοῖς περιστοιχίζονται πειρασμοῖς· Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἐπήνεγκε πάλιν· ἡ κατ' αὐτὸν ἁ- C γία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία πῶς διάκειται; πῶς εἰρηνεύει; καὶ τούτου ἀποκρινομένου, ὡς διὰ τῶν ἁγίων εὐχῶν ὑμῶν ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ τελεῖ, ὁ ἀσπασμὸς αὐτῷ γίνεται παρὰ τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς * πρεσβυτέρης Ῥώμης· καὶ ἐν τῷ οἰκείῳ βαθμῷ ἐκαθέσθη.

Μετὰ ταῦτα ἐπηρωτήθη παρὰ τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν, τίνος ἕνεκα παραγέγονε, καὶ παρὰ τίνος ἀπεσταλμένος εἴη. * Βασίλειος ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Μαρτυροπόλεως, καὶ τοποτηρητὴς Ἀντιοχείας εἶπεν· ἡ ἐμὴ ἀποστολὴ ἐγένετο παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου μου πατριάρχου Θεουπόλεως, ἤτοι Ἀντιοχείας, Θεοδοσίου· οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ παρὰ Ἠλία τοῦ νῦν τῶν Ἱεροσολύμων θρόνου ἰθύνοντος τοὺς οἴακας, καὶ * D τὸ μὲν πρόσωπον τοῦ ἁγιωτάτου μου πατριάρχου ἀναπληρώσων ἥκω. ἐπιφέρομαι δὲ καὶ ἐπιστολὰς αὐτοῦ τε καὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων. ἡ δὲ αἰτία δι' ἣν παραγέγονα, αὐτὰ τὰ γράμματα μᾶλλον ἀκριβεστέρως τῆς ἐμῆς φωνῆς δηλώσει. πλὴν καὶ ἀπὸ στόματος οὐδὲν κωλύει βραχέα εἰπεῖν. ὁ ἁγιώτατός μου πατριάρχης Θεοδόσιος οὐδέποτε [μὴ γένοιτο] οὔτε δι' ἑαυτοῦ, οὔτε δι' ἑτέρου, εἰς τὴν ἄθεσμον πρᾶξιν τὴν κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου Φωτίου κατ' οὐδένα τρόπον ἐκοινώνησεν. ἀλλ' ἐξ ἀρχῆς καὶ ἄνωθεν ἀεὶ οὐ πρὸς τοὺς τῆς ἀρχιερωσύνης ὅρους ἀνέδραμε· καὶ ἐν τῇ τοῦ κλήρου κατειλεγμένος τάξει, ὕστερον τῶν τῆς Ἀντιοχείας θείων οἰάκων ἐπειλημμένος, ἀρχιερέα Θεοῦ καὶ συλλειτουργὸν E καὶ ἔχει καὶ ὀνομάζει, καὶ τοὺς μὴ οὕτως ἔχοντας ἀποστρέφεται. ἐπεὶ δὲ γράμματα ἐδέξατο, ἀποστεῖλαι τινὰς ἐπὶ τῇ κοινῇ συνελεύσει καὶ εὐφροσύνῃ συνεορτάσοντας τῶν ἀδελφῶν, ἐπὶ τῷ αὐτῷ τούτῳ ἡ ἐμὴ ἀποστολὴ γέγονε. καὶ ὁ ἁγιώτατος δὲ Ἠλίας, ὁ ἄρτι τῶν Ἱεροσολύμων ἀρχιερεὺς καταστάς, κατὰ πάντα ἑπόμενος Θεοδοσίῳ τῷ προηγησαμένῳ τοῦ αὐτοῦ θρόνου, οὐδέποτε μὲν ταῖς κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου παροινίαις οὐδαμῶς ἐκοινώνησεν. ἀλλὰ καὶ τοὺς γεγονότας ἀποκρισιαρίους τῶν Σαρακηνῶν, καὶ πλασαμένους αὐτοῦ

* Pro πρεσβυτέρας. Et ſic ubique πρεσβυτέρης in mſ. ſcribitur.

* Supra p. 471. D. 6. Ἠλίας.

* Pro τοῦ

ANNO CHRISTI 879.

αὐτοῦ τὸ πρόσωπον ὑποδῦναι, τῷ ἀναθέματι παρεπέμψατο. ἀπέστειλε γοῦν καὶ παρ' ἐκείνου, ὥστε τὰ τῆς αὐτοῦ γνώμης, ὡς εἶχε τὰ ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἔχει, καὶ ἕξει, ἐμφανῆ τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καταστήσω συνόδῳ. καὶ μετὰ ταῦτα ἀναστὰς, πρὸς Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν τὰς ἐπιστολὰς ἀποδέξασθαι, ἰδοὺ παρ' ἐμοί εἰσι.

Φώτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· συνεπινευόντων τῶν ἀδελφῶν καὶ συλλειτουργῶν ἡμῶν τῶν τιμιωτάτων τοποτηρητῶν, ἐπιδότω ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν τὰς τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν ἐπιστολάς. ἐπιδοθεισῶν δὲ αὐτῶν, λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος * καὶ πρωτονοτάριος ἀνέγνω.

* Πέτρ. διάκονος.

B Οὐκ ἔστιν εὐχαριστία, ἣν προσάγειν οὐκ ὀφείλομεν Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν, ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. καὶ γὰρ δι' αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ καὶ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν· καὶ οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τιμῇ τῆς ὁμοιώσεως αὐτοῦ τετιμήμεθα, καὶ γινόμεθα κατὰ χάριν, ὅπερ αὐτὸς ὑπάρχει κατὰ φύσιν. ὑπὲρ τούτων ἁπάντων ἄλλων ἄλλης εὐεργεσίας τετυχηκότων, καὶ ἡμεῖς τῆς εἰς τὴν ὑμετέραν ἀξιότητα φθασάσης εὐεργεσίας, τὴν εὐχαριστίαν ἀναπέμπομεν, καὶ τὸν ἀσπασμὸν ἀλλήλοις χρεωστικῶς, ὡς ἀδελφοὶ ἀδελφοῖς, ἀπονέμομεν. τῇ μὲν ἐλπίδι τῶν ἐπηγγελμένων ἀγαθῶν τοῖς διὰ Χριστὸν πειραζομένοις χαίροντες ἀδιαλείπτως· τὰ δὲ ἄλλα πάντα τῷ κυβερνήτῃ τῶν ὅλων ἀνατιθέντες Θεῷ. C διὸ προσαγορεύοντές σου τὴν πανίερον ἀδελφότητα, θεοτίμητε πάτερ, καὶ εἰς ἀδελφὸν ἡμέτερον καὶ συλλειτουργὸν ἐγκαταλεγῆναι ποτνιώμενοι, διαγγέλλομεν τὰ μὲν ἄλλα ὅσα περὶ τὴν εὐημερίαν τοῦ βίου νεκροῖς ἐοίκαμεν, ἀφορήτοις περιαντλούμενοι περιστάσεων κύμασι· μόνῳ δὲ Θεῷ καὶ τῇ ἐλπίδι πνέομεν, καὶ σαλεύομεν· τὰ δὲ τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας ὀρθοδοξεῖ. καὶ τὴν ἡμετέραν εὐτέλειαν εἰς ποιμένα καὶ πατριάρχην τῆς Θεουπόλεως προεχειρίσαντο. ὅπερ δὲ εἶχεν ἄλγος ἐκ πολλοῦ ἡ καθ' ἡμᾶς ἁγία τῶν Ἀντιοχέων ἐκκλησία, περὶ τῶν σχισμάτων τῆς ἁγίας τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, D καὶ μάλιστα διὰ τὴν ἔλευσιν τοῦ κυρίου Θωμᾶ τοῦ ἐκ Βηρυτοῦ τὴν Τύρον ἐπισκοποῦντος· ὃν ἡ θεία χάρις δι' εὐχῶν ὑμῶν ἁγίων οὐκ εἴασε συναπολέσθαι ταῖς ἀνοσίοις πράξεσιν ἐκείναις, ἃς κατὰ τῆς ὑμῶν ἀρχιερατικῆς κεφαλῆς συμπαρασυρεὶς τῷ δυσάθλῳ Ἠλίᾳ παρηνέχθησαν κατεργάσασθαι. καὶ γὰρ διὰ τῆς αὐτοῦ θερμῆς ὑποπτώσεως τὴν κατ' αὐτοῦ ἀπειλουμένην κατέσβεσε φλόγα. τίς γὰρ πλέον ἡμῶν ἐπίσταται, ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, ὅτι ἡ Ἀντιοχέων ἐκκλησία οὐδέποτε κατὰ τῆς σῆς ἁγιωσύνης ἀηδές τι ἢ ἐδέξατο ἢ ἐφρόνησεν; ἀπὸ γὰρ τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, ἀφ' ὧν ἄχρι καὶ δεῦρο ὑπὲρ τοὺς εἴκοσι χρόνοι διέδραμον, τὰ τῆς σῆς ἀρετῆς τε καὶ γνώσεως καὶ ἀρχιερατικῆς τελειώσεως ἐνηχηθέντες, E καὶ κοινωνὸν καὶ συλλειτουργὸν καὶ ἀπεδεξάμεθα, καὶ ἀποδεχόμεθα, ἀρχιερεῖς τε καὶ ἱερεῖς, καὶ ἅπαν τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας τὸ σύνταγμα· καὶ τοὺς οὕτω μὴ φρονοῦντας ἐχθροὺς ἡγούμεθα καὶ πολεμίους τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως. οὐ γὰρ μικρῶς ἠνιάθημεν καὶ ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσι τῇ σῇ ἀγάπῃ θλιβεροῖς, ὅτε ἂν καὶ ἕκαστα ἀνεμάθομεν, ἅπερ ἡ τοῦ πονηροῦ σοι συνεσκευάσατο μηχανὴ, κἂν ἦν τὸ ἐπαμύνειν οὐκ εὔκαιρον. νῦν δὲ ἀξιωθέντες παρά τε τοῦ θεοφρουρήτου καὶ εἰρηνοποιοῦ βασιλέως, παρά τε τῆς σῆς ἀδελφικῆς ἀγάπης σκυ-

A ſenſus ipſius , quos ab initio habuit , habetque , & habebit , ſanctæ huic ſynodo manifeſtem . Et poſtea aſſurgens Photio ſanctiſſimo patriarchæ dixit : Si jubet ſanctitas veſtra literas ſuſcipere , ecce apud me ſunt.

Photius ſanctiſſimus patriarcha dixit : Aſſentientibus fratribus & comminiſtris noſtris , reverendiſſimis legatis , reddat ſanctitas veſtra litteras . Accipiens igitur ab eo reddente Petrus Dei amantiſſimus diaconus & protonotarius , legit.

B Non eſt gratiarum actio quam referre non debeamus Chriſto vero Deo noſtro , *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* . Etenim per ipſum & *in ipſo vivimus & movemur & ſumus :* neque hoc tantum : ſed & honore ſimilitudinis ejus donati ſumus; & hoc ſumus per gratiam , quod eſt ipſe per naturam . Super hæc omnia cum alii aliis beneficiis cumulati fuerimus , nos etiam pro beneficio quo vos pro veſtro merito aucti eſtis , gratiarum actionem referimus , & mutuam ſalutationem , ut par eſt , veluti fratres fratribus impertimus : ſpe bonorum quæ promittuntur his qui propter Chriſtum vexantur , indeſinenter gaudentes : cetera vero C omnia univerſorum rectori Deo permittentes . Quapropter ſalutantes tuam ſacratiſſimam fraternitatem , venerande admodum pater , & in fratrem noſtrum ac comminiſtrum deſiderantes cooptari , ſignificamus , quod quidem pertinet ad hujus vitæ felicitatem , nos ſimiles mortuis factos eſſe , intolerandis obrutos calamitatis fluctibus , ſola in Deum ſpe reſpirantes , & fluctuantes : quod ſpectat autem ad noſtram ſanctiſſimam eccleſiam , orthodoxe ſapit , & noſtram tenuitatem in paſtorem & patriarcham Theopoleos ordinavit . Quod autem in mœrore jamdiu eſt ſancta noſtra Antiochenſium eccleſia ob ſchiſmata ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ , & maxi- D me propter adventum domini Thomæ ex urbe Beryto , qui Tyriorum epiſcopus eſt , quem divina gratia per ſanctas orationes veſtras non eſt paſſa ſimul perire illis impiis actibus , quos contra tuum pontificale caput cum infeliciſſimo Elia avulſus & abſtractus inducebatur operari . Nam per iſtius ſubitam ruinam imminens ſibi extinxit incendium . Quis enim melius novit quam nos , frater cariſſime , quod Antiochenſium eccleſia nunquam contra tuam ſanctitatem injucundum aliquid aut ſuſcepit aut cogitavit ? Nam a diebus illis, ex quibus uſque nunc ſupra annos viginti decucurrerunt , de tua virtute & ſcientia & Pontificali perfectione edocti , E conſortem te & comminiſtrum ſuſcepimus ſuſcipimuſque, epiſcopi & ſacerdotes, & omnis noſtræ eccleſiæ ordo. Et ſecus ſentientes pro hoſtibus ducimus, & inimicis eccleſiæ tranquillitatis. Neque enim mediocriter triſtati ſumus ſuper anguſtiis quæ obtigerunt caritati tuæ , quando ea ſingulatim didicimus, quæ inimici malitia adverſum te adornavit, tametſi non erat ſuccurrere tempeſtivum . Nunc vero rogati tum a pacifico & a Deo cuſtodito Imperatore, tum a tua fraterna caritate, ut illuc ad vos proficiſcerer, dolui, ob petitionis difficultatem: ne forte nos reos peragant ii qui nobis in-

ANNO CHRISTI 879.

ANNO CHRISTI 879

inſidiantur. Et hactenus quidem ſic affecti & A animati ſumus. Si vero qui omnia conſtituit pro eo atque utilius eſt, Dominus facile reddiderit, quod difficile videtur, fiet quod vobis placuerit. Interim igitur quando præſens nobis aderat unus e reverentiſſimis epiſcopis noſtris, qui civitatem Martyrum Chriſti regit, tunc præſentes noſtras ei in manus litteras dedimus, & ad veſtrum patriarchicum caput miſimus, noſtram ei vicem committentes. Quæ ad nos & noſtram eccleſiam pertinent, vobiſcum; quæ ad pacem Dei, & eccleſiaſticam unitatem ac tranquillitatem, & quæcumque pia ſanctæ veſtræ ſynodo videbuntur, omnia vobiſcum definiet. Quæcumque enim perficiet, & ſi quid eorum egerit quæ ad eccleſiaſticam tranquilli- B tatem ſpectant; omnia lubentiſſime admittemus. Gratiam autem nobis pro orationibus quas pro tua Pontificia incolumitate facimus, reddideris, ſi Chriſti amantiſſimum Imperatorem adhorteris, ut captivis Saracenis bene faciat. Multis enim nos ea ratione calamitatibus liberabis: & orationes quidem ſine intermiſſione a nobis, mercedem vero irrevocabilem a Deo conſequeris. Vale in Chriſto, ſacratiſſime & admodum venerande frater ac comminiſter.

Et poſt lectionem epiſtolæ, Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Omnes a- C gnoſcitis, reverendi fratres & comminiſtri, quod propter pacem & unitatem hujus ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, & ob ſuſceptionem Photii ſanctiſſimi patriarchæ huc venimus: Et ecce animadvertimus, ſedes Orientales, velut ex compacto idem ſentientes, miſiſſe litteras commendatitias. Et gaudemus ea de re, quoniam in talem concordiam Pontificales omnes aſſentiuntur ſedes, domno & domino noſtro œcumenico Papa. Ipſe enim eſt caput omnium eccleſiarum: & quod debuerunt facere, ſequi nimirum ſanctiſſimam Romanam eccleſiam, hoc fecerunt, comprobante Spiritu ſancto.

D

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit: Quando divina ſententia cælitus delata eſt, quicumque ſunt Spiritus ſancti participes, concurrunt & comprobant & congaudent ob cæleſtem ſententiam. Quamobrem & nos de omnium concordia & conſenſione gaudemus. Sancta ſynodus exclamavit: Si quis de hac re non gaudet, & gratias agit Deo, indignus eſt & gaudio & ſalute. Si quis non amplectitur & ſuſcipit talem conſenſionem, inimicus eſt pacis, & ipſiuſmet Chriſti, qui eſt pacis auctor. Si quis non ſuſcipit Photium legitimum & cano- E nice electum Pontificem Dei, ut legitime & canonice promotum, quemadmodum clamant omnes Pontificiæ ſedes, ſit iſte anathema a Chriſto. Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Si juſſerit ſanctitas veſtra, legatur & antiſtitis Hieroſolymorum epiſtola. Sancta ſynodus dixit: Legatur. Et accipiens Petrus Dei amantiſſimus diaconus & protonotarius, legit:

Fecit, ut decuit ſupremum atque a Deo gubernatum veſtrum Pontificale caput, cum mi-

λιταῖς πρὸς τὸ αὐτόθι, ἠλγήσαμεν διὰ τὸ φορτικὸν τῆς αἰτήσεως, μήποτε ὑπόδικοι τοῖς ἐπηρεάζουσι γενώμεθα. καὶ τέως μὲν οὕτω διακείμεθα. εἰ δ' ὁ πάντα κατασκευάζων πρὸς τὸ λυσιτελέστερον κύριος, εὐχερὲς φανήσει τὸ δοκοῦν δυσχερές, τὸ ἀρεστὸν ἐνώπιον αὐτοῦ γένοιτο. τέως οὖν ἐφ' ᾧ παριστάμεθα νῦν ἐν τῷ εὐλαβεστάτων ἡμῶν ἐπισκόπων τὴν τῶν Μαρτύρων Χριστοῦ πόλιν ἰθύνοντι, τό τε παρὸν ἡμῶν ἐνεχειρίσαμεν γράμμα· καὶ πρὸς τὴν ὑμῶν πατριαρχικὴν κεφαλὴν, τὸ ἡμέτερον ἐμπιστεύσαντες πρόσωπον, ἀπεστείλαμεν, ὅς τις ἀνθ' ἡμῶν καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας, ἅμα ὑμῖν, τὰ ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἑνώσεώς τε καὶ καταστάσεως, καὶ ὅσα ἂν εὐσεβῆ τῇ καθ' ὑμᾶς ἁγιωτάτῃ δόξει συνόδῳ, ἅπαντα σὺν ὑμῖν ἐκπερατώσει. ὅσα γὰρ τελέσει, καὶ εἴ τι τῶν εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν κατάστασιν συντεινόντων διαπράξεται, ἅπαντα ἄσμενοι ἀποδεξόμεθα. χάριτας δὲ ἡμῖν τῶν ὑπὲρ τῆς σῆς ἀρχιερατικῆς κεφαλῆς εὐχῶν ἀποδοίης, εἰ τὸν φιλόχριστον βασιλέα παρακαλέσεις, τοὺς αἰχμαλώτους Σαρακηνοὺς ἀγαθοποιῆσαι. πολλῶν γὰρ ἡμᾶς διὰ τούτου συμφορῶν ἀποσπάσεις· καὶ εὐχὰς μὲν ἀλήκτους ἀφ' ἡμῶν, μισθὸν δὲ ἀναφαίρετον παρὰ Θεοῦ κληρονομήσεις. ὑγίαινε ἐν Χριστῷ, ἱερώτατε καὶ σεβασμιώτατε ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργέ.

Καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῆς ἐπιστολῆς, Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπε· πάντες γινώσκετε, τιμιώτατοι ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοὶ, ὅτι ἕνεκεν εἰρήνης καὶ ἑνώσεως τῆς ἁγίας ταύτης τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, καὶ ἀποδοχῆς Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, ἤλθομεν ἐνταῦθα. καὶ ἰδοὺ θεωροῦμεν ὅτι καὶ οἱ ἀνατολικοὶ θρόνοι, τὸ αὐτὸ ὡς ἐκ συνθήματος φρονοῦντες, ἀπέστειλαν συστατικὰς ἐπιστολάς. καὶ χαίρομεν ἐπὶ τούτῳ, ὅτι εἰς τὴν τοιαύτην ὁμόνοιαν οἱ ἀρχιερατικοὶ ἅπαντες συνευδόκησαν θρόνοι, μετὰ τοῦ κυρίου καὶ δεσπότου ἡμῶν τοῦ οἰκουμενικοῦ πάπα. καὶ γὰρ ἐκείνη ἐστὶ κεφαλὴ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. καὶ ὅπερ ὤφειλον ποιῆσαι, καὶ ἐξακολουθεῖν τῇ ἁγιωτάτῃ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ, πεποιήκασι, τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου εἰς τοῦτο συνευδοκήσαντος.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ὅταν θεία ψῆφος ἄνωθεν ἐνεχθῇ, πάντες οἱ τοῦ παναγίου πνεύματος μετασχόντες συντρέχουσι καὶ συνευδοκοῦσι, καὶ συγχαίρουσι τῇ ἄνωθεν ψήφῳ. διὸ καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τῇ πάντων ὁμονοίᾳ καὶ ὁμοφροσύνῃ χαίρομεν. ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν· εἴ τις ἐπὶ τούτῳ οὐ χαίρει, καὶ εὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ, ἀνάξιος ἐστὶ καὶ χαρᾶς καὶ σωτηρίας. εἴ τις οὐκ ἀσπάζεται καὶ ἀποδέχεται τὴν ὁμοφωνίαν ταύτην, ἐχθρός ἐστι τῆς εἰρήνης, καὶ αὐτοῦ τοῦ εἰρηνάρχου Χριστοῦ. εἴ τις οὐκ ἀποδέχεται Φώτιον ἐννομώτατον καὶ κεκανονισμένον ἀρχιερέα Θεοῦ, ὡς ἐννόμως τε καὶ κανονικῶς προαχθέντα, καθὼς οἱ ἀρχιερατικοὶ θρόνοι ἅπαντες βοῶσιν, ἔστω ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἀπὸ Χριστοῦ. Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· εἰ κελεύει ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν, ἀναγνωσθήτω καὶ ἡ τοῦ Ἱεροσολύμων ἐπιστολή. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀναγνωσθήτω. καὶ λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος ἀνέγνω.

Καλῶς ποιοῦσα ἡ ἐξοχωτάτη καὶ θεόθεν πρυτανευθεῖσα ὑμῶν ἀρχιερατικὴ κεφαλὴ τὸ ἐπὶ τὴν ἁγίαν

Addit ex Joanne Becco titulum epiſtola: Τῷ

ANNO CHRISTI 879.

γίαν τοῦ Χριστοῦ ἀνάστασιν πάθος τοῦ πνεύματος ἀπέστειλεν ἰάσασθαι. τὸ δὲ πάθος οὐκ ἀρνούμεθα κοινὸν εἶναι τῆς ὅλης ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. κἂν πλέον ἡ μήτηρ ἀλγῇ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, ἡ ἁγία αὐτὴ Σιών. καὶ οὐ νῦν τὸ ἄλγος ἐν ἡμῖν ἐξεκαλύφθη. ἀλλ' ἐξ ὅτου ὁ ἅγιος ἀνὴρ Θεοδόσιος ὁ πρὸ ἡμῶν τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐπισκοπῶν ἀναστάσεως. οὗτος γὰρ ἐν πολλῇ ἀγωνίᾳ καὶ θλίψει γενόμενος ἐπὶ τοῖς ζέουσιν ὡς φλόγα, διὰ τῆς οἰκείας κακίας, τῆς ἐκκλησίας τὰ σχίσματα, καὶ κατὰ τῆς σῆς πατριαρχείας, ἁγιώτατε καὶ συλλειτουργὲ ἡμῶν, ἐξυλακτοῦσι. πλέον δὲ τοῦ ταπεινοῦ καὶ ἀθλίου Ἠλία πτοούμενος τὰς μαγγανείας, ἐξαπέστειλε τὸν κύριον Ἠλίαν τὸν καλὸν καὶ πιστὸν δοῦλον Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, δυνατὸν ὄντα πολλοὺς ὑπὲρ εὐσεβείας ἀνατλῆναι κινδύνους· ὃν καὶ πάλιν διαφόρως δι' ἐπιστολῶν αὐτοῦ αἰδεσίμων πρός τε τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα, καὶ πρὸς τὴν σὴν ἀδελφικὴν ἀγάπην παρέθετο, ἄξιον ὄντα τοιούτου ἀνδρὸς πληρῶσαι διατάξεις. ὃν δὴ νῦν καὶ ἡμεῖς ἐπικυροῦμεν πιστὸν ἀνθ' ἡμῶν καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγίας ἐκκλησίας ἐπικυρωτὴν τῆς φωνῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς δοθείσης τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει ἡμῶν, τῆς λεγούσης· εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν· εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν. καὶ πάλιν μετὰ τὴν ἁγίαν αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν· εἰρήνη ὑμῖν. ταύτην καὶ ἡμεῖς οἱ ἀνάξιοι, τὸν αὐτὸν θρόνον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ παρακαθήμενοι, ἀποφαινόμεθα. εἰρήνη ὑμῖν πᾶσι, τοῖς τὰ ὀρθὰ δόγματα τῆς ἐκκλησίας πρεσβεύουσι. καὶ εἴ τις τῷ κανόνι τούτῳ στοιχεῖ, εἰρήνη ἐπ' αὐτὸν καὶ ἔλεος. εἴ τις δὲ πρὸς ἔριδας ἀποβλέπει καὶ ἑαυτὸν ἀπομερίζειν πειρᾶται τῆς ἀρχιερατικῆς τελειότητος, καὶ κοινωνίας καὶ ἑνώσεως, ἔστω ἀλλότριος καὶ ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τοῦ εἰπόντος· ὃν ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένος καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ. καὶ ὃν ἂν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένος καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ. ταύτην τὴν πληγὴν ἐνσκήψασαν ἐκ μακροῦ τοῦ χρόνου εἰς τὴν ἁγίαν ὑμῶν ἐκκλησίαν, ἀδελφὲ ἀγαπητέ, ἐλπίζω νῦν ἐγὼ ὁ ταπεινὸς διὰ σοῦ, καὶ διὰ τῆς ἁγίας Σιών, τῆς μητρὸς πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, ἰαθῆναι. ἐφ' ᾧ καὶ τὸν θεοσεβέστατον Ἠλίαν ἀνθ' ἡμῶν συνιστῶμεν, καθὼς ὁ πρὸ ἡμῶν Θεοδόσιος ὁ ἐν ἁγίοις πατριάρχης Ἱεροσολύμων, ὡς ἂν παρουσιάζοντος αὐτοῦ, εἴγε βούλοισθε καὶ αὐτοί, συνοδικῶς τὰ τῆς εἰρηνικῆς καταστάσεως τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ βεβαιωθῇ. ἔτι δὲ καὶ πάντα ὅσα δοκεῖ ὑμῖν εὐσεβῶς καὶ θεαρέστως ἐκθεῖναι, ἀνθ' ἡμῶν βεβαιώσῃ καὶ ἐπισφραγίσῃ, ὥστε Θεοῦ εὐδοκοῦντος πάντα περιαρθῆναι τὰ σκάνδαλα. καὶ γὰρ οἱ τῆς ὀρθοδόξου μερίδος ὑπάρχοντες ὀφείλουσιν ὀρθοδόξοις πατράσι πείθεσθαι, μᾶλλον δὲ τῷ θείῳ Παύλῳ τῆς ἐκκλησίας τῷ κήρυκι· ὥστε εἶναι πάντας ἓν σῶμα ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ πάντων κεφαλῇ.

Οὐκ ἐπαισχυνθησόμεθα δὲ τὰς ἡμετέρας ἐκτραγῳδεῖν συμφορὰς πρὸς τὴν ἡμῶν ἀδελφότητα. ἔχεις σύνηθες τὸ φιλάνθρωπον. ἔχεις ἀρχαῖον τὸ εὐσυμπάθητον. μνήσθητι καὶ νεκρῶν ὁ ζῶν· καὶ προβάτων ἀπεσχοινισμένων μακράν, ὁ μέγας ποιμήν. οἰκτείρησον τὴν Σιών, ὡς Θεοῦ μιμητής· καὶ αὐτὸς ἐξαποστείλαι σοι βοήθειαν ἐξ ἁγίου, καὶ ἐκ Σιὼν ἀντιλάβοιτό σου. καὶ μνησθεὶς πάσης θυσίας σου, δῴη σοι πάντα κατὰ τὴν καρδίαν σου, καὶ πᾶσαν τὴν βουλήν σου πληρῶσαι.

τῷ μακαριωτάτῳ συλλειτουργῷ ἡμῶν κυρίῳ Φωτίῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, Ἠλίας Ἱεροσολύμων.

A ſit qui mederetur ruinæ quam paſſa eſt ſancta Chriſti Reſurrectio. Hunc vero caſum non inficiamur communem eſſe toti eccleſiæ Dei noſtri: tametſi plus dolet quæ mater eſt omnium eccleſiarum, ſancta ipſa Sion. Neque nunc dolor in nobis detectus eſt: ſed ex quo vir ſanctus Theodoſius ante nos ſanctam Dei Reſurrectionem rexit epiſcopus. Hic enim in magna anxietate & anguſtia fuit, ob eos qui nutrirent velut incendium, per ſuam malitiam, eccleſiæ ſchiſmata, & contra tuum patriarchatum, ſanctiſſime comminiſter noſter, oblatrarent. Amplius autem abjecti & miſerabilis Eliæ metuens impoſturas, miſit dominum Eliam, bonum ac fidelem ſervum Chriſti Dei, B qui poſſet multa pro pietate ſubire diſcrimina. Quem etiam iterum multifarie per epiſtolas ſuas venerabiles, tum ad piiſſimum Imperatorem, tum ad tuam fraternam caritatem, commendavit; veluti qui dignus eſſet talis viri præceptiones implere. Quem ſane nunc & nos confirmamus fidelem pro nobis & noſtra ſancta eccleſia: qui confirmabit vocem Domini noſtri Jesu Chriſti, quem dedit diſcipulis ſuis ſanctis in ſancta civitate noſtra, his verbis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Ac rurſum poſt ſanctam ejus ex mortuis reſurrectionem, *Pax vobis*. Hanc & nos indigni proferimus, quibus commiſſa ipſa ſedes eſt Salvatoris noſtri Jesu Chriſti, Pax C vobis omnibus, qui recta eccleſiæ dogmata prædicatis. Et *ſi quis hanc regulam ſecutus fuerit, pax ſuper ipſum, & miſericordia*. Si quis autem ad lites & diſſidia reſpicit, & ſeipſum ſeparare nititur a patriarchali perfectione, communione, & unione, ſit alienus & anathema a Deo, qui dixit: *Quemcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatus & in cælo, & quemcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutus & in terra*. Hanc plagam, quæ jam dudum invaſit veſtram ſanctam eccleſiam, frater cariſſime, ſpero ego minimus nunc per vos, & per ſanctam Sion matrem omnium eccleſiarum, eſſe perſanandam. Cujus rei gratia etiam religioſiſſimum Eliam vice noſtra con- D ſtituimus; quemadmodum deceſſor noſter Theodoſius, qui nunc inter ſanctos degit, patriarcha Hieroſolymorum; ut præſente ipſo, ſiquidem & ipſi volueritis, ſynodaliter quæ ad pacem & tranquillitatem eccleſiæ Dei pertinent, robur accipiant: Adhuc autem & quæcumque vobis placuerit pie atque ex divino præſcripto ſtatuere, pro nobis confirmet & rata habeat. ut Deo favente omnia tollantur e medio ſcandala. Debent enim qui ſunt partis orthodoxæ orthodoxis patribus obedire, vel potius divino Paulo eccleſiæ præconi: ut ſint omnes unum corpus in Chriſto Jesu, qui eſt omnium caput.

E

Non erubeſcemus autem noſtras enarrare calamitates fraternitati veſtræ. Eſt innata tibi humanitas: eſt antiquus commiſerationis affectus. Etiam mortuorum memento, tu qui vivis: & ovium longe diſperſarum, tu qui es magnus paſtor. Miſerere Sion, Deum imitatus; & *mittat* ipſe *tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te. Et memor omnis ſacrificii tui, tribuat tibi* omnia *ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet*. Pſal. 19. 3

ANNO CHRISTI 879.

Et poſt lectionem epiſtolæ, Gregorius Dei A
amantiſſimus archiepiſcopus Epheſi dixit: Et-
iam hanc epiſtolam epiſcopi & comminiſtri au-
divimus. Sancta ſynodus dixit: Nos etiam an-
te hanc epiſtolam, nec ſolum autem ante
hanc, ſed & ante eam quæ venit per An-
dream, quæ prius lecta eſt, omnimodam ha-
bemus perſuaſionem, quod nullo modo diſſi-
dent ſedes Orientales a ſanctiſſimo noſtro pa-
triarcha; ſed ſemper & pariter Pontificem il-
lum & comminiſtrum habuerunt & prædica-
runt. Et de his omnibus gratiæ Deo agen-
dæ, qui talem ac tantam uſque ad fines orbis
terrarum concordiam & conſenſionem procu-
ravit. Deus, domine noſter ſancte, cuſtodiat
Pontificatum tuum ad multos annos, Deus au- B
geat annos tuos ad gloriam eccleſiæ ſuæ.
Nam per divinam ſolicitudinem magnorum &
excelſorum Imperatorum noſtrorum, & per
tuam incredibilem humanitatem, oblivionem-
que injuriarum, uniti ſumus omnes, & om-
nem veritatem exploratam habemus. Expulſa
ſunt ſcandala: debilitatus eſt inimicus: pax
exultat: concordia vincit. Deus ad multos
annos ſanctam tuam vitam extendat, ad glo-
riam & exultationem eccleſiæ ſuæ. Nos non
opus habuimus epiſtolis, ut tuum ſuſcipere-
mus Pontificatum. Nos etiam ante ipſas uniti
eramus & conjuncti ſimul ſpiritaliter. Tamen
gaudemus & ſimul lætamur, quod noſtram
conſenſionem etiam omnes Pontificales ſedes C
confirmant & ratam habent.

Καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῆς ἐπιστολῆς, Γρηγόριος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Ἐφέσου εἶπε· καὶ ταύτην τὴν ἐπιστολὴν ἀρχιερεῖς καὶ συλλειτουργοὶ ἠκούσαμεν. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἡμεῖς καὶ πρὸ τῆς ἐπιστολῆς ταύτης, οὐ μόνον δὲ πρὸ ταύτης, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς ἐλθούσης διὰ Ἀνδρέου, ἥτις ἔμπροσθεν ἐπανεγνώσθη, πᾶσαν ἔχομεν πληροφορίαν, ὅτι οὐδέποτε διέστησαν οἱ ἀνατολικοὶ θρόνοι ἀπὸ τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου. ἀλλ' ἀεὶ καὶ συναρχιερέα καὶ συλλειτουργὸν εἶχον καὶ ἀνεκήρυττον. καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις εὐχαριστία τῷ Θεῷ τῷ τοσαύτην καὶ τηλικαύτην εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης ὁμόνοιαν καὶ ὁμοφροσύνην πρυτανεύσαντι. ὁ Θεός, δέσποτα ἡμῶν ἅγιε, διαφυλάξαι τὴν ἀρχιερωσύνην σου εἰς ἔτη πολλά. ὁ Θεὸς κρατύναι τοὺς χρόνους σου εἰς δόξαν τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ. καὶ γὰρ διὰ τῆς ἐνθέου ἐπιμελείας τῶν μεγάλων καὶ ὑψηλῶν βασιλέων ἡμῶν, καὶ διὰ τῆς σῆς ἀνυπερβλήτου φιλανθρωπίας, καὶ ἀμνησικακίας ἡνώθημεν πάντες, καὶ ἐπιγνωμεν πάντα τὰ τῆς ἀληθείας. ἐξεδιώχθη τὰ σκάνδαλα, κατηργήθη ὁ πονηρός, ἡ εἰρήνη ἐβράβευσεν, ἡ ὁμόνοια κρατεῖ. ὁ Θεὸς εἰς πολλοὺς χρόνους τὴν σὴν ἁγίαν παρατεῖναι ζωήν, εἰς δόξαν καὶ καύχημα τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ. ἡμεῖς οὐκ ἐδεήθημεν τῶν ἐπιστολῶν εἰς τὸ τὴν σὴν ἀρχιερωσύνην ἀποδέξασθαι. ἡμεῖς καὶ πρὸ αὐτῶν ἡνώθημεν καὶ συνεδέθημεν πνευματικῶς· πλὴν χαίρομεν καὶ συνευφραινόμεθα, ὅτι τὴν ἡμετέραν ὁμοφροσύνην καὶ πάντες οἱ ἀρχιερατικοὶ ἐπικυροῦσί τε καὶ ἐπικρατύνουσι θρόνοι.

Elias religioſiſſimus presbyter & legatus Hie-
roſolymorum dixit: *Omne datum bonum & om-*
Jac. 1. 17 *ne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a*
*Patre luminum.* Quis enim poteſt negare, aut
audebit excuſare excuſationes in peccatis, quod
hoc opus non ſit a Deo, aut quod ipſe Deus
non immiſerit in corda ſanctiſſimorum patriar-
charum; nec illorum dumtaxat, ſed & totius
Chriſtum amantis populi, qui in omni Orien-
tali tractu degit. Sed quid dico, in corda ſan-
ctiſſimorum patriarcharum immiſit? Adeo vir-
tus ſanctiſſimi noſtri & œcumenici patriarchæ D
ſplenduit in partibus Orientis, ut ipſi etiam
Saraceni, qui infidelitate detinentur, miſerint
ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum litteras;
alii quidem doceri cupientes, & ſalutari ba-
ptiſmate digni cenſeri, & in ſervitutem ac
ſubjectionem ſanctorum Imperatorum noſtro-
rum ſeipſos tradere: alii vero hactenus non-
dum quidem fidem ſe mutare profeſſi, ſed o-
rantes ut ſervi ac tributarii fierent a Deo ele-
cti noſtri Imperatoris, interventu ſanctiſſimi
noſtri patriarchæ. Sed, ut videtis, ecce ipſæ-
met litteræ Amirarum ſunt Orientis. Annon
hæc in melius immutatio eſt? non talis inno-
vatio ex Deo eſt? Sancta ſynodus dixit: Om-
nibus manifeſtum iſtud factum eſt: & quod E
Deus in ipſo habitat, nemo neſcit.

Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπε· πᾶσα δόσις ἀγαθή, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. τίς γὰρ δύναται ἀρνήσασθαι ἢ τολμήσει προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις, ὅτι τὸ πρᾶγμα τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἢ ὅτι αὐτὸς ὁ Θεὸς οὐκ ἐνέπνευσεν εἰς τὰς καρδίας τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν· καὶ οὐ μόνον εἰς ἐκείνων, ἀλλὰ καὶ παντὸς τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ, τοῦ ἀνὰ πᾶσαν τὴν ἀνατολικὴν διατρίβοντος χώραν; τί δὲ λέγω, ὅτι ἐνέπνευσεν εἰς τὰς καρδίας τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν; τοσοῦτον ἡ ἀρετὴ τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου διέλαμψεν εἰς τὰ μέρη τῆς ἀνατολῆς, ὥστε καὶ αὐτοὶ οἱ Σαρακηνοὶ οἱ τῇ ἀπιστίᾳ κατεχόμενοι, ἀπέστειλαν πρὸς τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν δεσπότην γράμματα. οἱ μὲν διδασκαλίαν αἰτούμενοι καὶ τοῦ σωτηρίου βαπτίσματος ἀξιωθῆναι· καὶ εἰς τὴν δουλείαν καὶ ὑποταγὴν τῶν ἁγίων βασιλέων ἡμῶν ἑαυτοὺς παραδοῦναι· οἱ δὲ καὶ πῶς; οὔπω μὲν τὴν πίστιν μεταβαλεῖν ὁμολογοῦντες, δοῦλοι δὲ καὶ ὑποτελεῖς παρακαλοῦντες γενέσθαι τοῦ θεοπροβλήτου ἡμῶν βασιλέως, διὰ μεσιτείας τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου. καί, ὡς ὁρᾶτε, ἰδοὺ αὗται αἱ ἐπιστολαὶ τῶν Ἀμηράδων εἰσὶ τῆς ἀνατολῆς. ἢ οὐκ ἔστιν αὕτη ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἀλλοίωσις; καὶ ἡ τοιαύτη μεταβολὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ; ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· πᾶσι τοῦτο φανερὸν γέγονε, καὶ ὅτι ὁ Θεὸς οἰκεῖ ἐν αὐτῷ, οὐδεὶς ἀγνοεῖ.

Sanctiſſimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Miſericordia Dei & inſpiratio ejus talem immiſere lucem in puriſſimam animam ſanctiſſimi patriarchæ, ut colluſtraret & illuminaret omnem creaturam. Nam quemadmodum ſol, quamvis in cælo tantummodo oberret, tamen totum illuminat terrenum orbem: ſic etiam

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ ἔμπνευσις αὐτοῦ τοιοῦτον φῶς δέδωκεν εἰς τὴν καθαρὰν ψυχὴν τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, ὅτι λαμπρύνει καὶ φωτίζει πᾶσαν τὴν κτίσιν. ὥσπερ γὰρ ὁ ἥλιος, κἂν εἰς μόνον τὸν οὐρανὸν περιέχηται, ὅμως ὅλον τὸν περίγειον κόσ-

ANNO CHRISTI 879.

κόσμον φωτίζει· οὕτω καὶ ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ κύριος Φώτιος, κἂν καθέζηται εἰς Κωνσταντινούπολιν, ἀλλὰ καὶ τὴν σύμπασαν κτίσιν διαυγεῖ, καὶ καταλάμπει. καὶ χαίρομεν ἐπὶ τῇ ἑνώσει πασῶν τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ τῶν ἐν τῇ ἀνατολῇ· τουτέστι, τῆς Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, καὶ τῶν Ἱεροσολύμων. καθότι γὰρ ἠκούσαμεν πρῶτον διὰ ἀποκρισιαρίων καὶ διὰ γραμμάτων, ἀρτίως θεωροῦμεν τοῖς οἰκείοις ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῦτον τὸν ἁγιώτατον ἐπίσκοπον Μαρτυροπόλεως ἐλθόντα εἰς τὴν ἁγίαν σύνοδον.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ διὰ τῆς καλοκἀγαθίας καὶ ἀπλέτου συμπαθείας τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου ἐπισυνάξας ἔκ τε τῶν ἑσπερίων καὶ τῆς ἀνατολῆς τιμιωτάτους ἄνδρας, εἰς τὸ ἐπισυναγαγεῖν πάντα τὰ διεσκορπισμένα μέλη τῆς ἐκκλησίας. καὶ γὰρ αὐτὸς οὗτος ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν μιμούμενος, τὸν τὸ ἀπολωλὸς πρόβατον ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενον, οὐδένα ἀπωθεῖται, οὐδένα βδελύσσεται· ἀλλὰ πάντας προσκαλεῖται εἰς τὴν κοινὴν ὁμόνοιαν καὶ ἀποκατάστασιν τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. διὰ τί δὲ προσκαλεῖται πάντας; ὅτι ὁ τῆς εἰρήνης κύριος ἐπαναπέπαυται αὐτῷ.

Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδηνάλις εἶπεν· ἡμεῖς ὁμοίως ὡς ἐπ' αὐτῷ τούτῳ παραγενόμενοι, θέλομεν πάντας εἰς μίαν ἕνωσιν καὶ ὁμόνοιαν ἐλθεῖν. ὃ καὶ χάριτι Θεοῦ ἑκάστης ἡμέρας γίνεται. σήμερον γὰρ διὰ τῶν πρεσβειῶν τῶν ἁγίων ἀποστόλων, οἱ τῆς ἐκκλησίας ἑαυτοὺς χωρίσαντες δύο πατρίκιοι, μετανοοῦντες προσῆλθον αἰτούμενοι συγγνώμης ἀξιωθῆναι. τὴν γὰρ ἡμετέραν ἄνοδον, ὡς ἔφασαν, περιέμενον. καὶ διὰ τοῦτο τῇ ἐκκλησίᾳ οὐ προσήρχοντο. ἐπειδὴ δὲ παρ' ἡμῶν πεπληροφόρηνται, ὅτι ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἐννομώτατον ἀρχιερέα ἔχει τὸν κύριον Φώτιον, καὶ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἕνωσιν ἀποδέχεται, προσῆλθον ὁλοψύχως μετὰ πάσης προθυμίας. εἴδετε αὐτούς, καὶ ἀποδέξασθε.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· εἴδομεν αὐτούς, καὶ ἀπεδεξάμεθα. καὶ ἄλλην αἰτίαν οὐδεμίαν προεφασίζοντο, ὡς παρ' αὐτῶν ἐκείνων ἠκούσαμεν, εἰ μὴ ὅτι συνηρπάγημεν καὶ ἠπατήθημεν, ποιήσαντες ἰδιόχειρα, ἐκ τῶν ψευδοαποκρισιαρίων καὶ ἄλλων τινῶν προσώπων. καὶ εἰ μὴ κατ' αὐτοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἡμῶν ποιήσαντες ἰδιόχειρα, ἐξ αὐτοῦ μόνου τὴν λύσιν εἴχομεν δέξασθαι. ἐπειδὴ δὲ ἡ γενομένη παρανομία κατ' αὐτοῦ ἦν, ἐξεδεχόμεθα ἕτερον θρόνον, ἵνα ἐκεῖνοι λύσωσι τὸ κατάκριμα, καὶ ἡμεῖς ὦμεν ἀκατάκριτοι. ἐπεὶ ἄλλο τί ποτε οὐκ εἴχομεν. ἐπεὶ οὖν αὐτοὶ τὴν λύσιν ἐδώκατε, ὡς φασί, μετὰ πάσης χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης, καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ συγγνώμην αἰτούμεθα καὶ τοὺς μὴ ἀποδεχομένους ἀποβαλλόμεθα. διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς ἀπεδεξάμεθα αὐτοὺς ὡς οἰκεῖα τέκνα καὶ μέλη.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ εἶπον· ἐὰν ὑμεῖς τούτους ἀπεδέξασθε, καὶ πρὸ πάντων ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης, καὶ ἡμεῖς τούτους ἀποδεχόμεθα. καὶ γὰρ οὓς αὐτὸς οὗτος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἀποδέχεται, καὶ ἡμεῖς συναποδεχόμεθα, καὶ οὓς ἀποβάλλεται, συναποβαλλόμεθα, κατὰ τὴν φωνὴν Ἰννοκεντίου τοῦ πάπα. λέγει γὰρ οὕτως· ᾧ τινι χεῖρα ὀρέγετε, καὶ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν ὀρέγω. ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία ὥσπερ λυπεῖται ἐπὶ τῇ διχονοίᾳ τῶν ταύτης τέκνων,



A dominus noſter domnus Photius, quamvis Conſtantinopoli ſedeat, tamen omnem etiam creaturam illuminat & illuſtrat. Et gaudemus de unione omnium ſanctarum eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Oriente, hoc eſt, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum. Quemadmodum enim audivimus primum per legatos & per litteras, modo videmus ipſis oculis & hunc ſanctiſſimum epiſcopum Martyropoleos ad hanc veniſſe ſynodum.

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit: Benedictus Deus, qui per probitatem & ingentem commiſeratio-
B nem ſanctiſſimi domini noſtri congregavit ex occidente & ex oriente reverendos viros, ut colligerent diſperſa omnia eccleſiæ membra. Nam ille ipſe ſanctiſſimus Dominus noſter Chriſtum verum Deum noſtrum imitatus, qui perditam ovem in humeros ſuos impoſuit, neminem repellit, neminem faſtidit: ſed omnes invitat ad communem concordiam, & reſtitutionem eccleſiæ Dei. Cur autem invitat omnes? Quoniam Deus pacis requieſcit in ipſo.

Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixit: Nos ſimiliter, ut qui ob illud ipſum
C huc acceſſimus, volumus omnes in unam unionem & concordiam venire: id quod etiam per Dei gratiam ſingulis diebus fit. Hodie enim per interceſſiones ſanctorum Apoſtolorum, qui ab eccleſia ſeipſos ſejunxerant patricii duo, pœnitentes acceſſerunt, rogantes ſibi veniam donari. Noſtrum enim adventum, ut ajebant, exſpectabant; & propterea ad eccleſiam non acceſſerunt. Poſtquam autem a nobis certo ſunt perſuaſi, quod Romana eccleſia legitimum Pontificem agnoſcit dominum Photium, & eccleſiæ unionem amplectitur, acceſſerunt toto animo cum omni alacritate. Agnoſcite ipſos, & ſuſcipite.

Sancta ſynodus dixit: Agnoſcimus ipſos &
D ſuſcipimus: neque aliam cauſam hi prætendebant, ut ab illis ipſis audivimus; niſi, Quod ſimul abrepti ſumus & decepti, quando propria manu ſubſcripſimus, a falſis legatis & aliis quibuſdam perſonis: ac niſi contra ipſum ſanctiſſimum patriarcham noſtrum propria manu ſubſcripſiſſemus, ab ipſo ſolo debebamus ſolutionem accipere. Quoniam vero commiſſa adverſus ipſum iniquitas fuit, exſpectabamus alteram ſedem, ut illi damnationis vinculum ſolverent, & nos eſſemus indemnati. Enimvero aliud quid nunquam habuimus. Poſtquam igitur ipſi ſolutionem datis, ut ajunt, cum omni gaudio & lætitia etiam hos ipſi ſuſcipimus, & veniam pro eo rogamus, & eos qui non ſuſcipiunt, rejicimus. Idcirco & nos ſuſcipimus eos ut proprios filios & membra.

E

Sanctiſſimi legati dixerunt: Si vos hos ſuſcepiſtis, & ante omnes ſanctiſſimus patriarcha, etiam nos hos ſuſcipimus. Nam quos ipſe ille ſanctiſſimus patriarcha ſuſcipit, etiam nos ſuſcipimus; & quos abjicit, ſimul abjicimus, juxta dictum Innocentii Papæ. Sic enim loquitur: Cuicumque manum præbueritis, ego vobiſcum præbeo. Sancta Dei eccleſia quemadmodum triſtatur de diſſenſione filiorum ſuorum, ſic de eorumdem concordia & conſen-

ANNO CHRISTI 879

tunc gaudet. Meminerit autem ſancta hæc & œcumenica ſynodus, quod in epiſtola, quam miſit ſanctiſſimus Papa ad ſanctum Imperatorem noſtrum, continebantur quædam capitula, quæ volumus iterum coram veſtra ſanctitate legi, & in dicta capitula conſentire veſtrum ſanctum cœtum. Sancta ſynodus dixit: Legantur. Et accipiens Petrus Dei amantiſſimus diaconus & protonotarius, legit:

„ *Cap.* 1. Ne poſthac in Bulgaria ordinet „ antiſtes Conſtantinopolitanus, neque pallium „ eo mittat: neque ſi, ligemus ipſos, & ad veſtram ſanctitatem confugiant, obtineant veniam.

Sancta ſynodus dixit: Nos jam antea diximus veſtræ ſanctitati, iterumque dicimus, quod ſermo de diœceſibus a præſenti cauſa differt, & peculiare tempus deſiderat. Ceterum tamen vobiſcum orabimus piiſſimum noſtrum Imperatorem ſuper ea re: & quemadmodum gubernaverit ipſum Deus, & fecerit, divinis ſacriſque canonibus conſpirantibus, & dummodo ii ſalvi ſint nobis, etiam nos acquieſcimus & aſſentimur.

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit: Diximus etiam antea, ſi meminit veſtra ſanctitas, quod hoc capitulum aliud tempus requirit. Speramus enim in miſerationes Dei, & in pietatem ſanctorum Imperatorum noſtrorum, & orationem ſanctiſſimi Domini noſtri, quemadmodum & res ipſas progreſſum accipere cernimus, fore ut Deus reſtituat imperio ejus antiquos ſuos fines, & totius orbis qui ſub ſole eſt gubernationem. Et quando hoc factum fuerit, tunc prout imperium ejus voluerit, dividet fines ſedium Pontificalium: ut lites deinceps nullæ inter eas ſuboriantur: ſed in ea re, quemadmodum in aliis, alta pax in republica ſit.

Theophilus Dei amantiſſimus metropolita Iconii dixit: Ita ſperamus ſe rem habituram eſſe; & tunc pluſquam deſiderat ſanctiſſimus Papa Romæ, conſecuturus eſt: præſertim cum ſanctiſſimus noſter patriarcha dominus Photius, tantam erga ipſum reverentiam ac venerationem exhibeat, paratuſque ſit, ſi fieri poſſit, & propria membra ei præbere.

Nicetas Dei amantiſſimus metropolita Smyrnæ dixit: Cum tanta ſit caritas & amicitia ſpiritalis inter ſanctiſſimum Papam Romæ, & ſanctiſſimum patriarcham noſtrum Photium, quis non aperte videt, quod quemadmodum habent animam unam, ſic & ſubjectum ſibi populum, ſubjectaſque provincias communes exiſtimant, & uterque eorum proprium lucrum in proximi & amici lucro poſitum reputat? Sancta ſynodus dixit: Eadem etiam nos ſcimus pariter ac dicimus.

„ *Caput* 2. Ut deinceps nemo ex laicis pro„ moveatur in ſedem Conſtantinopolitanam. „ Nam quæ raro fiunt, quamvis valde bona „ ſint, pro lege conſtitui poſteris non poſ„ ſunt.

Baſilius Dei amantiſſimus metropolita Martyropoleos & legatus, & Elias religioſiſſimus presbyter & legatus, adhuc autem & Coſmas legatus Alexandriæ, dixerunt: Id nullo modo adverſatur eccleſiaſticæ conſuetudini. Nam & Alexandria, & patriarchica Antiochiæ ſedes,

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· δίκαιόν ἐστι καὶ τοὺς ἀπολειφθέντας ἀδελφοὺς ἀκροατὰς τούτων γενέσθαι, ἵνα καὶ τῆς εὐφροσύνης κοινωνοὶ γένωνται. καὶ λαβὼν Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος E τὸν ἐκφωνηθέντα καὶ ἐπικυρωθέντα ὅρον παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ταύτης συνόδου, ἀνέγνω· δηλαδὴ τὸν ἐν τῇ προτέρᾳ πράξει ἐκκείμενον. καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν ἡ ἁγία σύνοδος ἐβόησεν· οὕτω φρονοῦμεν, οὕτω πιστεύομεν, ἐν ταύτῃ τῇ ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως κραταιούμεθα. τοὺς οὕτω φρονοῦντας διδασκάλους καὶ πατέρας ἀνακηρύττομεν. τοὺς παρὰ ταῦτά τι φρονοῦντας ὡς ἐχθροὺς Θεοῦ καὶ τῆς ἀληθείας ἡγούμεθα. εἴ τις παρὰ τοῦτο τὸ ἱερὸν σύμβολον τολμήσειεν ἕτερον ἀναγράψασθαι, ἢ προσθεῖναι, ἢ ἀφελεῖν, καὶ ὅρον ὀνομάσαι ἀποθρασυνθείη, * κατάκρι-

* Pro κατηφείας.

* Forte deeſt, εἴη.

ANNO CHRISTI 879.

χριστος καὶ πάσης χριστιανικῆς ὁμολογίας ἀπόβλητος. A τὸ γὰρ ἀφελεῖν, ἢ προστιθέναι, ἁπλῆν τὴν πρὸς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα μέχρι σήμερον ἀνέκαθεν κατιοῦσαν ὁμολόγησιν ἡμῶν δείκνυσι, καὶ τῆς τε ἀποστολικῆς παραδόσεως καὶ τῆς τῶν πατέρων διδασκαλίας καταγινώσκει. εἴ τις τοίνυν εἰς τοῦτο ἀπονοίας ἐλάσας τολμήσειεν, ὡς ἀνωτέρω λέλεκται, ἕτερον ἐκθέσθαι σύμβολον, καὶ ὅρον ὀνομάσαι, ἢ προσθήκην ἢ ὑφαίρεσιν ἐν τῷ παραδεδομένῳ ἡμῖν παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἐν Νικαίᾳ τὸ πρῶτον μεγάλης συνόδου ποιῆσαι, ἀνάθεμα ἔστω.

Πάλιν ἀκουσώμεθα καὶ τῆς τῶν εὐσεβῶν καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων ὑπογραφῆς. καὶ δὴ προσταχθεὶς Πέτρος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ πρωτονοτάριος, B ἀνέγνω καὶ ταύτας. καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν, Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπεν· ἡ πάντων συνεκτικὴ Θεοῦ σοφία καὶ δύναμις, ἡ πρὸς τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν θεμένη σοφώτατα διϊθύνεσθαι, αὕτη προκατιδοῦσα τὸ καθαρὸν καὶ ἄδολον τῆς διανοίας τοῦ βασιλέως ἡμῶν τοῦ ἁγίου, ἀνήγαγέ τε καὶ ἐνίδρυσεν εἰς τὸν περίβλεπτον καὶ ὑψηλότατον θρόνον τῆς βασιλείας, χαρισαμένη ἡμῖν καὶ τὸν δεσπότην ἡμῶν τὸν ἅγιον τὸν κύριον Φώτιον πατριάρχην, καὶ δι' αὐτοῦ ἑνώσας τὰ διεστῶτα μέρη τῆς ἐκκλησίας εἰς μίαν ποίμνην τοῦ μεγάλου ἀρχιποιμένος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ C ἡμῶν. ἐκκόψας καὶ τοὺς * ἀντιθάσους λύκους ἐκ τῆς λογικῆς τοῦ Χριστοῦ μάνδρας, τοὺς τῷ κωδίῳ τὴν ἑαυτῶν κακίαν περικαλύπτοντας, καὶ τὴν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν μὴ ἀσπαζομένους. ὅθεν καὶ ἡμεῖς οἱ ἀνάξιοι δοῦλοι αὐτοῦ ὑπερευχόμεθα τῆς βασιλείας αὐτοῦ τῆς ἁγίας, ὅπως χαρίσηται ἡμῖν αὐτὴν κύριος ὁ Θεὸς εἰς ἔτη πολλὰ καὶ καλά. ὑποτάξαι κύριος πάντα τὰ ἔθνη τὰ τοὺς πολέμους θέλοντα, ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ· καὶ μέτοχον αὐτὸν ἀναδείξειε τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν, ὧν ἡτοίμασε τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν, πρεσβείαις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, καὶ τῶν ἁγίων καὶ κορυφαίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ εὐχαῖς τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου Φωτίου τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου. γένοιτο. ἀμήν.

* Pro ἀντιθέτους.

D

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· εὐλογητὸς ὁ Θεός, ὅτι ἡ ἀγαθὴ φήμη τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου τοῦ πατριάρχου, οὐ μόνον εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς χώραν, ἀλλὰ καὶ εἰς ἅπαντα τὸν κόσμον ἐξελήλυθεν. οὐ τοσοῦτον λόγοις τὸ βέβαιον ἔχουσα, ὅσον ἔργοις τὰ πέρατα περιλαβοῦσα· καὶ οὐ μόνον ἐν Γαλλίᾳ καὶ Ἰταλίᾳ διηχήθη, ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ τῇ ὑφ' ἥλιον γῇ· καὶ τοῦτο μαρτυροῦσιν οὐχὶ μόνοι οἱ τὴν ἑλλάδα μετιόντες γλῶσσαν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ βαρβαρικὸν καὶ ὠμότατον γένος, ὅτι οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὅμοιος ἐν σοφίᾳ καὶ γνώσει, οὔτε ἐν ἐλεημοσύνῃ καὶ συμπαθείᾳ, οὔτε ἐν χρηστότητι, καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ E ὅτι πάντοτε τὰ ἔργα αὐτοῦ πλείονα τῶν λόγων εἰσίν. ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἀποστολικὸς ταῖς τοῦ βασιλέως παρακλήσεσι, καὶ ὑμετέραις δεήσεσιν ἐπικαμφθείς, ἀπέστειλεν ἡμᾶς τοὺς ἐλαχίστους, ἵνα μεθ' ὑμῶν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ εἰς ἓν συναγάγωμεν. ὃ διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου γέγονε. καὶ ἓν σῶμα καὶ μία ποίμνη ὑφ' ἑνὶ ποιμένι ἐγενήθητε.

Προκόπιος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπε· τοιοῦτον ἔπρεπεν ἐπ' ἀληθείας εἶναι τὸν τοῦ σύμπαντος κόσμου τὴν ἐπίστασιν λαχόντα, εἰς τύπον τοῦ ἀρχιποιμένος Χρι-

ANNO CHRISTI 879.

ſectam erga ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem, quæ uſque in hanc diem a majoribus deſcendit, confeſſionem noſtram oſtendit; & Apoſtolicam traditionem & patrum doctrinam condemnat. Si quis igitur eo amentiæ provehatur, ut auſit, quemadmodum ſuperius dictum eſt, alterum exponere ſymbolum, & definitionem appellare, aut adjicere vel demere in tradito nobis a ſancta & œcumenica Nicææ primum magna ſynodo, anathema ſit.

Porro audiamus etiam piorum & Chriſtum amantium Imperatorum ſubſcriptionem: igitur invitatus Petrus Dei amantiſſimus diaconus & protonotarius, legit etiam ipſas. Et poſt lectionem, Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit: Quæ univerſa continet Dei ſapientia & virtus, quæ per principatus & poteſtates humanum genus poſuit ſapientiſſime regi, eadem prævidens puram ſinceramque mentem ſancti noſtri Imperatoris, extulit eum & conſtituit in conſpicuum & celſiſſimum thronum Imperii, largiens etiam nobis ſanctum Dominum noſtrum dominum Photium patriarcham; & per ipſum uniens partes eccleſiæ diſſidentes in unum ovile magni & ſummi paſtoris Chriſti Dei noſtri; procul abigens inimicos lupos ex rationabili ovili Chriſti, qui ſub ovina pelle ſuam improbitatem tegunt, neque pacem & concordiam amplectuntur. Unde & nos indigni ſervi ipſius precamur pro ſancto ejus imperio, ut largiatur nobis illud Dominus Deus in annos multos & felices. Subjiciat Dominus omnes gentes quæ bella volunt, ſub pedibus ejus; & participem eum efficiat æternorum bonorum, quæ præparavit diligentibus ſe; per interceſſiones ſanctiſſimæ Deiparæ, & ſanctorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli; & per orationes ſanctiſſimi domini noſtri Photii œcumenici patriarchæ. Fiat. Amen.

Sanctiſſimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Benedictus Deus, quod optima fama ſanctiſſimi Photii patriarchæ, non ſolum in noſtram regionem, ſed etiam in univerſum orbem pervenit, nec tantum ſermonibus confirmata, quantum factis attigit fines terræ; nec ſolum in Galliam & Italiam pervaſit, ſed & in omnem terram quæ ſub ſole eſt: idque teſtantur non ii ſolum qui linguam Græcam profitentur, ſed ipſum etiam barbaricum & agreſte genus, non eſſe ſimilem ei ſapientia & ſcientia, neque commiſeratione ac largitione in pauperes, neque benignitate & humilitate: & quod ſemper facta ejus plura ſunt quam dicuntur. Dominus noſter Apoſtolicus Imperatoris hortatu & veſtris permotus precibus miſit nos minimos, ut vobiſcum eccleſiam Dei in unum cogeremus: id quod per Spiritum ſanctum factum eſt: Et unum corpus & unus grex ſub uno paſtore facti eſtis.

Procopius Dei amantiſſimus archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, dixit: Talem decebat in veritate eſſe eum, qui totius mundi ſortitus eſt curam, ad normam ſummi paſtoris Chriſti Dei no-

ANNO CHRISTI 879.

noſtri. Id quod etiam prævertens beatus Paulus deſcripſit, dicens: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos.* Audebit enim oratio mea eo uſque progredi: quandoquidem novit ſcriptum deos nuncupare qui ſecundum gratiam vivunt.

*Heb. 4. 14. Pſal. 81. 6.*

Sanctiſſimi legati antiquæ Romæ dixerunt: Verum eſt quod dixiſti. Etiam nos, qui fines terræ ultimos incolimus, hæc audivimus. Procopius Cæſarienſis dixit: Cum iſtud ſcirent celſiſſimi & magni Imperatores noſtri, fidem ardentem affectumque geſſerunt erga Pontificem noſtrum; neque ipſi ſolum, ſed omnis etiam Pontifex & ſacerdos, monachi & in laicali ordine poſiti, ſectatores ejus & diſcipuli ſumus, & de plenitudine ejus nos omnes accepimus, quemadmodum eximie prædicandi Apoſtoli ex Domino noſtro Jesu Chriſto. Donetur ille nobis ad multos annos. Et ſanctas orationes ejus atque interceſſiones Dominus Deus nobis impertiat in hoc ſæculo & in futuro.

Paulus & Eugenius ſanctiſſimi epiſcopi & legati antiquæ Romæ, adhuc autem & Petrus religioſiſſimus presbyter & cardinalis dixerunt: Si quis ipſum non habet patriarcham ſanctum, neque ejus communionem amplectitur, ſit pars illius cum Juda; neque omnino adnumeretur cum Chriſtianis. Et ſancta ſynodus exclamavit: Omnes hoc ſentimus & prædicamus. Et ſi quis ipſum non habet Dei Pontificem, ne videat gloriam Dei. Et cum hoc dixiſſent, apprecati ſunt multos annos Imperatoribus.

ſῦ τῦ Θεῦ ἡμῶν. ὃ κὶ προλαβὼν ὁ μακάριος ὑπεζωγράφησε Παῦλος εἰπών· ἔχοντες οὖν ἀρχιερέα διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς. τολμήσει γάρ μοι ὁ λόγος κὶ μέχρι τούτου προβῆναι, ἐπειδὴ οἶδεν ἡ γραφὴ * Θεοὺς καλεῖν τοὺς κατὰ χάριν βιοῦντας.

* *Pro θεούς.*

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπον· ἀληθές ἐστιν ὅπερ εἴρηκας. κὶ ἡμεῖς οἱ εἰς τὰ ἔσχατα τῆς γῆς κατοικοῦντες, ταῦτα ἀκούομεν. Προκόπιος ὁ Καισαρείας εἶπε· τοῦτο εἰδότες οἱ ὑψηλοὶ κὶ μεγάλοι βασιλεῖς ἡμῶν διάπυρον πίστιν κὶ πόθον ἔχουσιν εἰς τὸν ἀρχιερέα ἡμῶν. οὐ μόνον δὲ αὐτοί, ἀλλὰ καὶ πᾶς ἀρχιερεὺς καὶ ἱερεύς, μοναχοί τε κὶ οἱ ἐν λαϊκῇ καταστάσει, ὀπαδοὶ αὐτοῦ ἐσμὲν κὶ μαθηταί, καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ πάντες ἐλάβομεν, ὥσπερ οἱ πανεύφημοι ἀπόστολοι ἐκ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. χαρισθείη ἡμῖν εἰς ἔτη πολλά. κὶ τὰς ἁγίας εὐχὰς αὐτοῦ κὶ πρεσβείας κύριος ὁ Θεὸς δωρήσαιτο ἡμῖν, ἐν τῷ νῦν αἰῶνι κὶ ἐν τῷ μέλλοντι.

Παῦλος κὶ Εὐγένιος οἱ ἁγιώτατοι ἐπίσκοποι κὶ τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, ἔτι δὲ κὶ Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος κὶ καρδινάλις εἶπον· εἴ τις αὐτὸν οὐκ ἔχει πατριάρχην ἅγιον, κὶ τὴν μετ' αὐτοῦ κοινωνίαν οὐκ ἀσπάζεται, ἔστω ἡ μερὶς αὐτοῦ μετὰ τοῦ Ἰούδα, κὶ μὴ συγκαταταγείη ὅλως μετὰ χριστιανῶν. κὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν· ἅπαντες τὸ αὐτὸ φρονοῦμεν κὶ δοξάζομεν. κὶ εἴ τις αὐτὸν οὐκ ἔχει ἀρχιερέα Θεοῦ, μὴ ἴδοι τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. κὶ ταῦτα εἰπόντες, ἐπευφήμισαν. πολλὰ τὰ ἔτη τῶν βασιλέων.

*Concilium hoc e manuſcripto Græco Vaticano diligenter exſcriptum, & cum archetypo collatum ac recognitum teſtamur. Romæ 14. Septembris* 1703. JOSEPHUS JUVENCIUS S. J. PHILIPPUS AMYOT D'INVILLE, Societatis JESU.

## Epiſtola beati Joannis Papæ Romæ, ad ſanctiſſimum Photium Archiepiſcopum Conſtantinopoleos.

*Conflatam a ſcrinio alque Joannis Papæ nomine hanc epiſtolam eſſe contendunt Baronius ad an. 879 num. 54 & 59.*

Joannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Photio reverendo & Catholico fratri, patriarchæ Conſtantinopoleos, gratiam cæleſtem ad opera ſalutaria.

NOn ignoramus eſſe quoſdam illic non homines pacis, qui de eccleſia quæ hic eſt, etiam ipſi ad veritatem non reſpicientes, mala quædam dicunt; in tantum, ut parum abſit, quin tuæ etiam fraternitati non bonas habere de nobis ſuſpiciones, & de iis qui nobis ſunt ſubditi, perſuaſerint. Et eſt illis quidem occaſio talis propoſiti falſa: & ipſis ego affirmaverim, quemadmodum & in progreſſu hujus orationis oſtendam, & Deus ſuperne nobis teſtimonium reddet. Verum ut qui vinum aqua adulterant, miſcent illi quædam ex ſeipſis quæ falſo comminiſcuntur. Neque vero quidquam illic mirum. Oportet enim eum qui ab initio mali opifex fuit, & adverſus Deum conſtituit inimicitias, & poſtea noſtrum etiam primum parentem a conditoris amore ſejunxit, etiam nunc quoſdam habere in ſuo miniſterio, quos excitet ut in medium eccleſiæ ſcandalum inſerant. At ego intuens in largitorem pacis Chriſtum, qui etiam *inimicitias in carne ſua interfecit*, quantum poſſum, dabo operam ut ora hominum obſtruam, qui delectantur malis.

## Ἐπιστολὴ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου πάπα Ῥώμης πρὸς τὸν ἁγιώτατον Φώτιον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως.

*Græca ſunt ex editione Beveregii Angli.*

Ἰωάννης ἐπίσκοπος, δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, Φωτίῳ τῷ αἰδεσίμῳ καὶ καθολικῷ ἀδελφῷ, πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, χάριν ἄνωθεν πρὸς ἔργα σωτηριώδη.

ΟΥ'κ ἀγνοεῖν συμβαίνει ἡμᾶς, ὥς τινες τῶν αὐτόθι οὐκ εἰρηνικοὶ ἄνθρωποι, περὶ τῆς ἐνταῦθα ἐκκλησίας, κὶ αὐτοὶ οὐ πρὸς ἀλήθειαν ὁρῶντες, κακά τινα λέγουσι, κὶ τοσοῦτον, ὅτι κὶ τὴν σὴν ἀδελφότητα μικροῦ δεῖν οὐκ ἀγαθὰς ὑπολήψεις ἔχειν εἰς ἡμᾶς κὶ τοὺς ὑφ' ἡμᾶς παραπείθουσι. κὶ ἔστι τούτοις ἡ μὲν ἀφορμὴ τοῦ σκοποῦ τούτου * οὐ ψευδής. κὶ αὐτοῖς εἴποιμι ἂν ἐγώ, ὡς κὶ ὁ λόγος προϊὼν παραστήσει, κὶ ὁ Θεὸς ἄνωθεν ἡμῖν ἐπιμαρτυρήσει. ἀλλὰ κατὰ τοὺς τὸν οἶνον καπηλεύοντας ὕδατι, παραμιγνύουσι καί τινα ἀφ' ἑαυτῶν * ψευδοπληρήσαντες· κὶ θαυμαστὸν οὐδέν. δεῖ γὰρ τὸν ἀπ' ἀρχῆς δημιουργὸν τῆς κακίας, κὶ πρὸς τὸν Θεὸν στήσαντα ἔχθραν, εἶτα κὶ τὸν ἡμῶν προπάτορα τῆς τοῦ κτίσαντος ἀγάπης χωρίσαντα, κὶ νῦν τινας ἔχειν πρὸς ὑπηρεσίαν αὐτοῦ, κὶ διεγείρειν τοὺς τοιούτους, ὅπως ἐκβάλωσι μέσον τῆς ἐκκλησίας σκάνδαλον. ἀλλ' ἐγὼ πρὸς τὸν τὴν εἰρήνην δόντα Χριστὸν ἀφορῶν, ὃς κὶ τὴν ἔχθραν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ ἔκτεινεν, ὡς ἔχω δυνατόν, σπουδάσω τὰ

* *Delendum videtur illud οὐ, repetitum ex præcedente vocabulo τούτου.*

* *Forte ψευδοληρήσαντες.*

τὰ στόματα τῶν χαιρεκάκων ἀνδρῶν ἀποφράττειν. καὶ διὰ τοῦτο καὶ πρὸ τοῦ ὅλως τὴν σὴν ἀδελφότητα δηλῶσαί μοι τι, προφθάνω αὐτὸς περὶ τῶν τοιούτων γνωρίζειν σοι· ἵν᾽ εἰδὼς ὅπως ἔχει τὰ καθ᾽ ἡμᾶς, μὴ παρέχῃς ὦτα τοῖς θέλουσι λοιδορεῖν. ἀλλὰ μᾶλλον ἀποσοβεῖν αὐτοὺς, καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς μὴ ἀκούειν τοὺς λόγους αὐτῶν. καὶ γὰρ ἡ σὴ ἀδελφότης ἐπίσταται, ὡς ὅτε παρεγένετο πρὸς ἡμᾶς ὁ μικρῷ πρότερον ἀποσταλεὶς παρ᾽ αὐτῆς, περὶ τοῦ ἁγίου συμβόλου ἡμᾶς ἐδοκίμασεν, εὗρεν ἀπαράξωτον, καθὼς ἀρχῆθεν παρεδόθη ἡμῖν, διατηροῦντας, καὶ μήτε προστιθέντας τι ἢ ἀφαιροῦντας, ἀκριβῶς εἰδότας, ὡς τοῖς τὰ τοιαῦτα τολμῶσι βαρεῖα καταδίκη ἀναμένουσα ἀπόκειται. καὶ πάλιν οὖν παραδηλοῦμεν τῇ αἰδεσιμότητί σου, ἵνα περὶ τοῦ * ἄρθρου τούτου, δι᾽ ὃ συνέβη τὰ σκάνδαλα μέσον τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, ἔχῃς πληροφορίαν εἰς ἡμᾶς, ὅτι οὐ μόνον οὐ λέγομεν τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρώτους θαῤῥήσαντας τῇ ἑαυτῶν ἀπονοίᾳ τοῦτο ποιῆσαι, παραβάτας τῶν θείων λόγων κρινόμεθα, καὶ μετοποιητὰς τῆς θεολογίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, καὶ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν λοιπῶν πατέρων, οἳ συνελθόντες συνοδικῶς παρέδωκαν τὸ ἅγιον σύμβολον. καὶ μετὰ τοῦ Ἰούδα αὐτοὺς τάττομεν, ὅτι καὶ ταὐτὸν ἐκείνῳ τετολμήκασιν, οὐ παραδόντες εἰς θάνατον τὸ κυριακὸν σῶμα, ἀλλὰ τοὺς πιστοὺς, οἵ εἰσιν ὡς μέλη τοῦ σώματος αὐτοῦ, διασχίζοντες καὶ διατέμνοντες ἀλλήλων, καὶ οὕτως αἰωνίῳ παραπέμψαντες θανάτῳ, καὶ μᾶλλον ἑαυτοὺς, ὡς ἐποίησεν ὁ ῥηθεὶς οὐκ ὀρθὸς μαθητὴς, ἀποπνίξαντες. οἰόμεθα δὲ μηδὲ τὴν σὴν ἱερότητα ἀγνοεῖν, ὡς οὖσαν συνετὴν τε καὶ πλήρη σοφίας, ὅτι τὸ καὶ τοὺς λοιποὺς ὑμῶν ἐπισκόπους καταπεῖσαι οὕτω φρονεῖν, εἰς δυσχέρειαν ἡμῖν οὐ μικρὰν ἐμπίπτει. ὅτι πράγματι * θειότερον οὕτω ταχέως μεταλαβεῖν οὐδεὶς ἂν εὐκόλως δυνηθείη *, καὶ βραχεῖ χρόνῳ τὴν ἔναρξιν εἴληφε, καὶ οὐκ ἔστι παγιωθὲν ἐκ πολλῶν ἐνιαυτῶν. καὶ διὰ ταῦτα καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἡμῖν, ἵνα μὴ μετὰ βίας ἀναγκασθῇ τις παρ᾽ ἡμῖν ἐᾶσαι τὴν προσθήκην, ἣν ἔφθασεν ἐν τῷ συμβόλῳ προσθεῖναι· ἀλλὰ μᾶλλον μετ᾽ ἐπιεικείας καὶ οἰκονομίας παρασκευάσαι τούτους, κατὰ βραχὺ * παραινοῦντας ἀποστῆναι τῆς βλασφημίας. ποιμαίνετε γὰρ τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, οὐκ ἀναγκαστῶς, ἀλλ᾽ ἑκουσίως· οὐδ᾽ ὡς κατακυριεύοντες τοῦ κλήρου, ἀλλ᾽ ὡς τύποι γινόμενοι, ὁ ἄκρος τῶν ἀποστόλων Πέτρος ἔφη. τοίνυν οὕτως ἡμῶν κατηγοροῦντες, ὡς τοῦτο φρονούντων, οὐκ ἀληθείᾳ πρὸς τὴν κατηγορίαν ταύτην κέχρηνται. ὅσοι δὲ περὶ μὲν τῆς ἐμῆς γνώμης τοῦτο οὐκ ἀμφιβάλλουσιν, ἄλλως δέ τισι τετολμημένον καὶ νῦν καθ᾽ ἡμᾶς καταγγέλλουσιν, οἱ τοιοῦτοι οὐ ψευδῶς λέγουσι. τῇ σῇ τοίνυν ἀδελφότητι ἁρμόζει, μηδέν τι ἔχειν καθ᾽ ἡμῶν σκάνδαλον, μηδὲ ἐκκόπτειν τοῦ λοιποῦ τῆς ἐκκλησίας ἡμῶν σώματος· ἀλλὰ μᾶλλον συναγωνίζεσθαι ἡμῖν μετ᾽ οἰκονομίας καὶ ἐπιεικείας καὶ τοὺς λοιποὺς, ὅσοι τῆς ἀληθείας ἐξέκλιναν, πρὸς αὐτὴν ἐπανάγειν, ἵνα δὴ καὶ τὸν ὑπὲρ τούτου μισθὸν σὺν ἡμῖν ἡ αὐτὴ ἀπολήψηται. ἔῤῥωσο ἐν κυρίῳ, αἰδεσιμώτατε καὶ καθολικὲ ἀδελφέ.

* Nempe de voce Filioque.

* Forte, θειότερον.

* Lege εἰ τῷ.

* Forte, τὰ προδὲν τό. 1 Pet. 5. 2.

Propterea & antequam omnino fraternitas tua ſignificet mihi quidquam, ipſe præveniens volo de his te certiorem facere: ut cum reſcieris quomodo ſe res noſtræ habent, non præbeas aures his qui reprehendere volunt; quin potius hos repellas, prohibeaſque ne alii horum ſermones audiant. Novit enim fraternitas tua, quod quando acceſſit ad nos qui non ita pridem a te miſſus eſt, de ſancto ſymbolo noſtram ſententiam perſcrutatus eſt; & invenit illæſum, quemadmodum a principio traditum eſt nobis, ſervaſſe nos, nihil addentes, nihil auferentes: quippe qui recte novimus, quod qui audent talia, hos gravis condemnatio manet. Iterum igitur tuæ reverentiæ ſignificamus, ut de hoc articulo, ob quem ſuborta ſunt ſcandala inter eccleſias Dei, certam perſuaſionem de nobis habeas, quod non ſolum illum non dicimus, ſed etiam eos qui primum auſi ſunt ſua inſipientia hoc facere, prævaricatores eſſe cenſemus divinorum oraculorum, qui pervertunt ſacram doctrinam Domini Chriſti, & Apoſtolorum, ac ceterorum Patrum, qui ſynodice convenientes tradiderunt ſanctum ſymbolum. Hos cum Juda collocamus, quoniam idem ac ille ſcelus auſi ſunt admittere; non quidem morti tradentes corpus Dominicum; ſed fideles, qui ſunt membra corporis ejus, diſcindentes ac diſſecantes invicem, & ſic in ſempiternam mortem illos deducentes, vel ſeipſos potius, ut fecit prædictus perverſus diſcipulus, ſtrangulantes. Arbitramur autem neque tuam ſanctitatem ignorare, cum ſit prudens & plena ſapientiæ, quod reliquos epiſcopos noſtros perſuadere ut ſic ſentiant, non minimam id nobis difficultatem affert. Quoniam rem quempiam graviorem adeo celeriter immutare nemo facile poſſit, quamvis haud ita pridem initium acceperit, nec ſit confirmatum a multis annis. Propterea optimum factu viſum eſt nobis, ut per vim nemo cogatur a nobis additamentum illud dimittere, quod prius ſymbolo adjecerit: ſed potius cum moderatione ac prudentia præpara hujuſmodi homines, paulatim adhortans ut abſtineant a blaſphemia. *Paſcite enim qui in vobis eſt gregem, non coacte, ſed ſpontanee, neque ut dominantes in clero, ſed ut forma facti*, inquit princeps Apoſtolorum Petrus. Qui igitur nos ita accuſant, quaſi ſic ſentiamus, non veritate nituntur in hac accuſatione. Quicumque autem de mea ſententia non ita dubitant, ſed quod alii auſi ſunt committere, ad vos referunt, hi certe non mentiuntur. Tuæ igitur fraternitati convenit, nullum ut habeas adverſum nos offendiculum, neque ſcindas reliquum eccleſiæ noſtræ corpus: ſed potius nobiſcum certes cum prudentia & lenitate etiam reliquos, quicumque a veritate declinarunt, ad eam reducere, ut etiam pro hac re mercedem nobiſcum ipſa recipiat. Vale in Domino, reverendiſſime & Catholice frater.

# AD PSEUDO-SYNODUM PHOTIANAM

*anno 879. habitam*

## ADDITIO.

Ex Ma[illegible] ſuppl. pag. 1031.

CONſtantinopolitanam illam Synodum, in qua Photius ſedi patriarchali redditus eſt authoritate Joannis VIII. papæ, qui ea de re literas & nuntios ad urbem principem miſit, ex Græco codice Vaticano Baronius deſcripſit, actorumque excerpta paſſim exhibuit. Integra illa acta Græco.Latina Harduinus dedit, ex quo in collectionem Venero-Labbeanam tranſierunt tom. XI. pag. 328. In his actione II. recitantur literæ Joannis papæ VIII. ad Baſilium, Leonem, & Alexandrum imperatores CPtanos directæ, quibus ea ſignificat, quæ præſtanda cenſebat, ut reſtitutio Photii a ſe admitteretur, reciperetùrque. Baronius has ipſas literas Græce ibidem recitatas, conferens cum Latina epiſtola, quæ legitur in regiſtro epiſtolarum ejuſdem pontificis num. CXCIX. quam epiſtolam ipſiſſimam eſſe a Joanne tunc miſſam judicabat, diſcrepantem in multis utrumque ectypum animadvertit. Quare ſuſpicatus eſt a Photio Latinam Joannis epiſtolam, dum a ſe Græce redderetur, vitiatam, mutilatam, interpolatamque fuiſſe. Idem de Photio judicium latum eſt ab omnibus, quotquot poſt Baronium ſcripſerunt; nec ego illum plane abſolverem. Neſcio tamen nunquid pro liberando a doli crimine Photio valere aliquid poſſit, quod ſtatim ſubdo. Ivo Carnotenſis notus ſæculi XII. ineuntis ſcriptor, epiſtolam dedit, inſcriptam: *De intelligentia, & diſpenſatione eccleſiaſticæ diſciplinæ*, quæ eſt in editione Jureti, Epiſt. 283. in ea vero longum ex epiſtola hac Joannis VIII. fragmentum Latinum recitat, ibique omnes variantes exhibentur, quibus Græcus epiſtolæ textus a Latinæ epiſtolæ ectypo diſcrepat. Ex hoc vero alterutrum conſequatur oportet; ſive Ivonis ætate Latinam quandam verſionem Græcorum actuum hujus concilii evulgatam obtinuiſſe, ſive Latinam aliquam epiſtolam Joannis tunc ſuperfuiſſe, iis plane omnibus, quæ in Græca leguntur, cohærentem, quam Joannes ipſe poſt priorem illam, quæ in ejus regiſtro legitur, ſcripſerit, quam ſecundam epiſtolam Græcus interpres fideliter licet non de verbo ad verbum, ſed paraphraſtice potius expreſſerit. Id potius maluerim, quam illud; neque enim vetus aliqua eorum actorum verſio ſive reperta eſt unquam, ſive ab antiquo aliquo ſcriptore commemoratur. Utcumque res habent ſeſe, juvat integrum illud fragmentum, ex eadem Ivonis epiſtola hic repræſentare, admonendo prius lectores, Ivonem hic, ſicut alias ſæpe, non totam quidem literarum ſeriem exhibuiſſe, ſed excerpta hinc inde ex ſingulis ejuſdem paragraphis carpſiſſe, ſervatis quidem ipſis ſcriptoris verbis, ſed pluribus periodis omiſſis.

*Joannes papa VIII. Photium neophitum a papa Nicolao depoſitum interventu Auguſtorum, Baſilii, Leonis, Alexandri in patriarchatu CPtano reſtituit, ſcribens prædictis Auguſtis in hæc verba.*

Scripſiſtis nobis, dilectiſſimi, ut apoſtolica & compaſſionis viſcera aperiens, omnes qui in eccleſia, quæ apud vos eſt, correctionibus ſubjacent, recipiamus, pacique & unanimitati ſtudentes, ipſum domnum Photium archiepiſcopum communicantem nobis in ſummam Sacerdotum dignitatem & honorem patriarchatus reſtituamus, ne diutius eccleſia Domini a ſchiſmate & ſcandalo conturbata permaneat. Nos ergo petitionem veſtram, ut juſtam & Deo placentem amplexi, & opportunum tempus, quod diu deſideravimus vos inveniſſe gaviſi, miſimus apocriſarios noſtros, voluntatem veſtram complere, quamvis pietas veſtra antequam advenirent, ipſum virum *præoccupaverit violenter reſtituere.* * Quod tamen & nos libenter recipimus; & quamvis hoc faciendi poteſtatem habentes, non tamen ex poteſtate noſtra eum reſtituere volumus, ſed ex apoſtolicis decretis, & paternis conſtitutionibus teſtimonia proferemus, non leges eccleſiæ antiquitus datas ſolventes, ſed in quibus gratiarum diligentia inconvertibiliter obſervatus, eccleſiæ corpus evellit, & diſſipat, ad utilitatem ejus omnia reducere cupientes. Synodus enim Nicæna ſecundo capitulo dicit: Quoniam frequenter ſive ex neceſſitate ſive aliquo quolibet modo tranſgredi contingit homines eccleſiaſticos canones; & papa Gelaſius dicit: *Quoniam ubi neceſſitas non eſt, inconvertibilia maneant ſanctorum patrum decreta*. Et ſanctiſſimus papa Leo in eodem ſpiritu præcipit dicens: *Ubi neceſſitas non eſt, nullo modo violentur ſanctorum patrum ſtatuta. Ubi vero neceſſitas fuerit ad utilitatem eccleſiæ, qui poteſtatem habet, ea diſpenſet*. Ex neceſſitate enim fit imitatio legis. Et Felix papa: *Contemplari oportet, quod ubi occurrerit neceſſitas, ſæpe conſtitutiones patrum tranſgrediuntur*. Et Carthaginenſis Synodus XXXV. capitulo dicitur: *Præcipimus, ut clerici rurſus in eccleſiam recipiantur, quamvis primum in ſynodo depoſiti fuerint*; ſynodus enim ſynodum ſolvit propter unitatem, & pacem eccleſiæ. Et Innocentius papa dicit V. capitulo. *Qui promoti ſunt a Bonoſo hæretico, recipiantur iterum, ne ſcandala in eccleſia pullulent*. Non ſolum autem pro hæreſi depoſitis, apoſtolica ſedes hæc, paci eccleſiaſticæ ſtudens, adjutorii manum porrexit, ſed & orthodoxis ſacerdotibus, & patriarchis ad eam confugientibus, ſicut & nunc Photius fecit, uſitata miſeratione ſubvenit. Noſtis enim quod magnum Athanaſium epiſcopum, & Cyrillum, & Polycronium Jeroſolymitanos, & Joannem, quem charitas noſtra Chryſoſtomum vocat, & Flavianum a ſynodo depoſitos apoſtolica ſedes in priſtinum honorem reſtituit. Si ergo qui a Donatiſtis & Bonoſo ordinati, & a liminibus orthodoxæ eccleſiæ a ſynodo plenaria ſequeſtrati, ab alia ſynodo recipiuntur, & in catalogo Sacerdotum habentur, ne eccleſia diminutionem vel diviſionem patiatur; quanto magis orthodoxæ fidei viros & immaculatæ vitæ non oportet contemnere, ſed ad priſtinum honorem revocare? Sicut enim apoſtolica ſedes, & ſemel accipiens claves regni Cælorum a primo & magno pontifice Jeſu Chriſto per principem apoſtolorum Petrum, dicente ad eum: *tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, * habent poteſtatem univerſaliter ligandi & ſolvendi, & ſecundum Hieremiam evellendi, & plantandi. * Et propter hoc & nos ejuſdem poteſtate Principis Apoſtolorum Petri utentes cum omni Eccleſia noſtra mandamus vobis, & SS. fratribus ve-

* *Hoc unum eſſe ex interſis a Photio, Baronius queritur; ſed et & cætera quæ ſequuntur.*

* Matth. 16.

* Jerem. 1. 10.

ANNO CHRISTI 881. &c.

Ex Manſi ſuppl. pag. 1018.

veſtris patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ & Jeroſolymorum, & cæteris Epiſcopis, & omni plenitudini Chriſtianæ Eccleſiæ ſecundum petitionem veſtram, Photium * patriarcham fratrem, & ſacerdotem noſtrum nos in communionem recipere. Item recipite eum ſine excuſatione. Nullus excuſet ſe pro ſynodis contra eum peractis. Nullus ſanctorum prædeceſſorum meorum Nicolai, & Adriani ſententias contra eum cenſetur. De ipſo enim ſurreptum eſt illis. * Nullus contra eum ſubſcriptiones noſtras occaſionem ſchiſmatis habeat. Omnia enim ut infecta, & irrita facimus, & quæcumque ſunt contra eum in manibus Principis apoſtolorum ponimus, & per eum in humeris Jeſu Chriſti Agni Dei qui tollit peccata mundi. Item & hoc confirmare vos volumus, ut poſt mortem Photii fratris noſtri nullus ex dignitate mundana ad Pontificalem honorem aſcendat; ſed ex presbyteris cardinalibus ejuſdem Eccleſiæ, vel ex diaconibus, aut ex aliis ſacerdotibus, qui ſub A eccleſia Conſtantinopolitana conſiſtunt. Item & quoniam nos, pro pace eccleſiæ ſolliciti, Photium fratrem noſtrum ſuſcepimus, ſicut & Adrianus papa Tharaſium, nullum computet canonicum uſum. Privilegia enim paucorum communem legem non faciunt. Si quis vero tale quid amodo facere præſumpſerit, ſine venia erit. Ita * quoque cum eſſet antiquis regulis præfinitum, ut nullus qui eſſet in clero, extranearum conſortium haberet mulierum, ſed earum tantum, quæ omnem ſuſpicionem excluderent; Beatus Papa Gregorius hunc rigorem ita modificavit clericis Anglorum, ut ſi qui eſſent extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe B continere non poſſent, uxores ſortirentur, & ſtipendia ſua foris acciperent. Intelligens leviorem eſſe caſum, ſi ruentes conjugali vinculo exciperentur, quam ſi vago concubitu interminatæ libidinis voragine abſorberentur. Sic aliæ diſpenſationes ſalubri deliberatione admiſſæ, ceſſante neceſſitate, deberent & ipſæ ceſſare.

* Hic plura ſunt in iis quæ Baronius vocat Photii additamenta.

* Hæc item addititia cenſet Baronius.

* Hæc forte de ſuo Ivo adjecit.

ANNO CHRISTI 879.

# CONCILIUM MANTALENSE

## IN QUO REGIS NOMEN BOSONI AB ARELATENSIS

Regni epiſcopis proceribuſque delatum eſt Idibus Octobris, anno Chriſti DCCCLXXIX. Joannis VIII. papæ anno VII. Ludovici & Carolomanni regum primo.

### *ELECTIO BOSONIS REGIS.*

CUm conveniſſent ſancti patres in nomine Domini ſalvatoris noſtri, conventum celebraturi apud Mantalam territorii Vienuenſis, de multis eccleſiæ negotiis tractaturi, & ſanctæ ſolicitudinis ſecretarium penetraturi, multis emergentibus, & ſuimet conſideratione cogentibus, ſacerdotalis affectus ex antiquo patrum cordibus infuſus evidenter dictavit ei perſonæ curam gerere, cujus adminiculo tam in veteri teſtamento, quam & in novo, conſuevit * populo condignum regimen exhiberi. Et quoniam jam olim ejuſdem perſonæ præſidiis, tam ipſi patres, quos gratia divina epiſcopos vocari conceſſit, quam principes, & totum vulgus carentes, nullis compatientis ſulciebantur vel juvabantur auxiliis, præſertim cum rege communi morte recepto, nullus in eos ſua viſcera per caritatis largitatem extenderit, anxiari plurimum compulſi ſunt, quia non ſolum in internis per inviſibilem inimicum, ſed etiam in apertis per viſibiles inimicos, etiam ex his, quos ipſa Chriſti peperit ſancta mater eccleſia, peſſumdari funditus videbantur. Itaque dum mentis aciem uſquequaque verterent, & ſimul cum nobilioribus ad hanc neceſſitatem ſubmovendam, idoneas perſonas conſiderarent, non invenientes qui ſui conſultationi reſpondere vellent, utpote negligentibus cunctis tantum laborem ob honorem Dei & ſanctorum ejus & matris eccleſiæ ſumere,
omnes inflammati Deum omnium principem pro
hac anguſtia medullitus exoraverunt, ut is qui cu-
ram ſingularem habet mortalium, & cujus diſpo-
ſitio curricula vergit omnium ſæculorum, & re-
ctum daret conſilium, & evidens conſilii prome-
ret indicium. Denique cui patet omne cor, &
omnis voluntas loquitur, fatigatos majorum &
minorum inſpiciens animos, quoddam clareſcere
fecit ſolatium, & quodammodo præſentavit ſuffra-
gium. Sane omnibus unum ſapientibus, & per
divinam viſitationem idem indiviſibiliter ambien-
tibus, cordi fuit exhibitus homo, jamdudum

* Pro, Populi. Hard.

C in principatu domni Caroli defenſor & adjutor neceſſarius: cujus poſt ſe filius ejuſdem imperatoris, cernens ejus inſignem prudentiam, amplificare delegerat domnus rex Ludovicus. Ipſe etiam non tantum in Galliis, ſed & in Italia cunctis enituit, ut domnus apoſtolicus Joannes Romenſis, inſtar filii complexus, ejuſdem ſinceritatem multis præconiis extulerit, & ad ſuam tutelam, revertens ad ſedem propriam, delegerit. Ergo nutu Dei, per ſuffragia ſanctorum, ob inſtantem neceſſitatem, & eam, quam in eo compererunt, expetibilem utilitatem, & prudentiſſimam atque providentiſſimam ſagacitatem, communi animo, parique voto, & uno conſenſu, clariſſimum principem dominum Boſonem, Chri- D ſto præduce, ad hoc regale negotium petierunt, & unanimiter elegerunt. Qui etſi conſideratione tanti laboris renuerit, & abdixerit, oppoſitis his quæ Dei ſunt, & ejus eccleſiæ, tandem obedienter colla promittendo ſubmiſit. Electus autem Deo ſtatuitur, preces funduntur, Domini noſtri Jeſu Chriſti gratia, quæ præceſſit in velle, in certo perfecto ſatis efficax poſtulatur. Et ut hæc electio præſentibus & futuris certius innoteſcat, omnium epiſcoporum ſubſcriptio luce clarius indicat. Actum apud Mantalam publice, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIX. Idibus Octobris.

### ET SUBSCRIPSERUNT EPISCOPI.

E Ottramnus archiepiſcopus Viennenſis.
Aurelianus archiepiſcopus Lugdunenſis.
Teutrannus archiepiſcopus Tarantaſienſis.
Rotbertus archiepiſcopus Aquenſis.
Radbertus epiſcopus Valentiæ.
Bernarius epiſcopus Gratianopolitanus.
Elias epiſcopus Vaſionenſis.
Hemico epiſcopus Dienſis.
Adalbertus Epiſcopus Mauriennæ.
Biraco epiſcopus wapicenſis.
Euſtorgius epiſcopus Tolonenſis.
Girbaldus epiſcopus Cabilonenſis.

ANNO CHRISTI 879.

Hieronymus epiſcopus Lauſanenſis.
Richardus epiſcopus Agathenſis.
Guntardus epiſcopus Matiſconenſis.
Roſtagnus archiepiſcopus Arelatenſis.
Theodericus archiepiſcopus Veſontionenſis.
Ætherius epiſcopus Vivarienſis.
Leodoinus epiſcopus Maſſilienſis.
Germardus epiſcopus Arauſicenſis.
Ratfridus epiſcopus Avenionenſis.
Vvalefridus epiſcopus Ucetienſis.
Edoldus epiſcopus Regienſis

*Synodi ad Boſonem regem deſignatum legatio.*

SAcra ſynodus Mantalenſis, territorii Viennenſis, in nomine Domini noſtri congregata, ſimul cum primoribus, inſpirante divinitate ſummæ majeſtatis, ſincera devotione veſtram prudentiam, clariſſime princeps, adit, petens addiſcere veſtra certiſſima reſponſione, qualem vos velitis in principatu, quo vos ſublimari per divinam miſericordiam optamus, omnibus oſtendere. Si videlicet honorem Dei omnipotentis, & dilectionem in fide catholica veraciter quæſituri eſtis, & eccleſiam illius pro viribus exaltaturi. Si vultis omnibus, ſicut boni principes qui vos præceſſerunt, & quorum formam literis & fama noſtis, legem, juſtitiam, & rectum concedere & ſervare: tenentes humilitatem, quæ eſt fundamentum virtutum, cum patientia, & animo ſereno, humillimo, ad damnandum incondito, ſed in omnibus juſte promiſſis ſtabili, & certo, bene per Dei gratiam præparato & ornato, ſobrietate competenti venuſto. Qui ſitis acceſſibiles omnibus recta ſuggerentibus, & pro aliis intercedentibus, quærentes magis prodeſſe, quam præeſſe, ſequentes veſtigia ſanctorum principum, calcantes iram, ſævitiam, duritiam, avaritiam, cupiditatem, indignationem, & ſuperbiam. Juſtus patricius veſtris majoribus & minoribus apparentes, veritatem ore & opere præferentes, ſalubre conſilium libenter audientes, monſtra vitiorum declinantes & perſequentes, virtutes amantes, defenſionem & mamburgium ſingulis exhibentes, ut neque eadem ſancta ſynodus, & primates veſtri cum ea ſentientes nunc de vobis in bonitate maledicantur, vel detrahantur in futuro, neque ſacro veſtro principatui, nobis, ut credimus, profuturo juſte derogetur: ſed ſit pax & veritas ſanctorum ſuffragiis, per divinam gratiam, prælatis & ſubditis, ſacerdotibus & illis commiſſis primatibus, dum eis auctoritatem evangelicam & apoſtolicam cum juſta lege humana conſenſeritis & obſervaveritis, ut per omnia & in omnibus benedicatur Deus. Precatur etiam ſacerdotalis & laicalis fidelitas, ut faciat veſtra prudentia unumquemque in veſtra domo ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore.

## BOSONIS REGIS ELECTI AD SYNODUM RESPONSIO.

SAcratiſſimæ ſynodo, & cunctis primoribus noſtris fidelibus, humilis Chriſti vernaculus Boſo. Primum veſtræ ſinceriſſimæ devotioni gratiarum actiones corde & ore rependo, quod, licet immerito, ſola veſtra benevolentia, per incommutabilem Dei gratiam, amplecti me viſceribus veſtris ad liquidum comperio. Pariter quoque, quod fervor veſtræ caritatis ad id officium me promoveri divinitus optat, ut mea parvitas matri

A meæ, quæ eccleſia Dei vivi eſt, ob immortalem remunerationem decertare valeat. Ego autem, conſcius meæ conditionis & figmenti fragilis, imparem me judicans tanto negotio, omnimodis abnuiſſem, niſi per Dei nutum vobis cor unum & animam unam in unum conſenſum advertiſſem. Obediendum itaque pro certo cognoſcens inſpiratis a Deo tam ſacerdotibus, quam noſtris amicis & fidelibus, non reluctor, nec audeo, veſtris juſſionibus. Quod vero requiſiſtis, qualem me præbere vellem in committendo per Dei miſericordiam in regimine futuro, & ſimul oſtendiſtis normam, & inſtruxiſtis dogmate ſacro, libentiſſime ſuſcipio. Amplector catholicam fidem, in qua nutritus ſum, quam puriſſimo corde teneo, B ore veraciſſimo pronuncio, pro qua paratus ſum impendi & ſuperimpendi, ſi ſic placuerit Domino Deo noſtro: eccleſiarum privilegia, juvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, reſtaurare & conſervare, & juſtitiam per veſtrum commune conſilium curabo. Omnibus, ut monuiſtis, legem, juſtitiam & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conſervabo, & impendere curabo: quo ſequens præcedentium bonorum principum veſtigia, tam ſacris ordinibus, quam vobis noſtris fidelibus, conſulere certam æquitatem ſervando. De moribus meis, licet me peccatorem præ omnibus ſciam, voluntatem meam hanc eſſe veraciter aſſero, ut per omnia morigerum bonorum, & in nullo malorum oſtendam. Si autem, quoniam homo ſum, C contra quemlibet animo exceſſero, ſecundum veſtrum conſilium corrigere curabo. In quo precor reverenter, ut quod juſtius & rationabilius inveneritis, mihi congrue pro tempore & loco ſuggerentes, vos ipſos in me honoretis: quoniam & ego, ſi quis veſtrum in me deliquerit, emendationem rationabiliter acceſſibilis factus expectabo: evangelicam & apoſtolicam auctoritatem cum juſta lege ſequar humana, ut ipſo præduce & comite, per omnia & in omnibus benedicatur Deus. De domo noſtra, ſicut me monuiſtis, quia Deus in ſanctis habitat, ſolicitudinem adhibebo, & ut decenter quiſque incedat, ſtudioſiſſime procurabo. Igitur, Domini mei, ſacroſancti pontifices, eccleſiæ ſummi Dei noſtri præſules, & vos omnes noſtri D fideles, primates & ſubprimates, confiſus de Dei gratia & auxilio, per ſanctorum ejus ſuffragia, quia veſtris juſſionibus faveo, precor vos & obſecro, ut per ipſum, & cum ipſo, tam piis ad ipſum interventibus, in tanto ſubeundo labore meam neceſſitatem & humilitatem juvetis, quam etiam humanis adminiculis & auxiliis pro poſſe ſuffragari mihi certetis. Quod ſi cui diſplicet, & aliter animo tenet, quæſo patenter edicat, & ſe nobiſcum in nullo decipiat. Simulque precor per caritatem, qua fervetis, ut communi faventes utilitati, triduanis ſolenniter precibus Dominum Deum noſtrum cum plebibus vobis commiſſis exoretis, ut propter peccata mea, vel levitatem meam, vos, aut me ad deceptionem populi E ſui nequaquam errare permittat, ſed ſuam ex hoc voluntatem miſericorditer oſtendat.

## NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Mantalenſe*) Ex verbis Paradini, qui hanc ſynodum primus in lucem dedit, ſubſcriptiones concinnavimus, ſeriem ſecuti epiſcoporum quos interfuiſſe narrat. Confirmant porro epiſcopi quod modo adſtruebamus; nam Ludovicum Calvi filium regem vocant, non imperatorem.

HINC-

# HINCMARI EPISCOPI REMENSIS

## EPISTOLÆ SYNODALES.

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

SYnodos Remis ab Hincmaro archiepiſcopo ſæpiſſime fuiſſe celebratas ejus ſcripta declarant: ac præter ea quæ ſuperiori tomo a pag. 475. ad 499. edidimus, fidem facient ſequentes duæ epiſtolæ ex codice veteri S. Laurentii Leodienſis vulgatæ a R. P. Jac. Sirmondo tomo II. operum Hincmari pag. 831.

## EPISTOLA I.

*Hincmarus epiſcopus ac plebis Dei famulus.*

NOtum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ rectoribus, miniſtris quoque ac filiis ad quos hæc poterunt pervenire, quia Godbaldus quondam preſbyter parochiæ noſtræ, de quadam fœmina nomine Doda criminatus, & idoneis teſtibus comprobatus, & ſecundum ſacros canones ad judicium provocatus, de ipſo judicio conſcientia ſua redargutus fuga lapſus eſt. Propterea ſecundum ſacros canones, ſpiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos, omni ſacerdotali officio eſt privatus, docente B. Bonifacio papa: Probat inquit vera eſſe illa quæ adverſum ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minime vult. Quod ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ non luceretur. Nam manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato judicio purgandi ſe occaſione non utitur. Nihil enim intereſt, utrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cum ipſa quoque pro confeſſione procurata totiens conſtet abſentia. Data ex ſynodo in Remenſi metropoli habita x. Kal. Majas indictione XII.

## EPISTOLA II.

*Hincmarus epiſcopus ac plebis Dei famulus.*

NOtum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ rectoribus, miniſtris quoque ac filiis ad quos hæc potuerunt pervenire, quia Fulcherus & Hardoiſa carne propinqui, contra legis præcepta & prophetica dicta, contraque evangelicam & apoſtolicam atque canonicam regulam, ſed & contra leges humanas, non conjugio, ſed inceſtu, carnali commixtione conjuncti ſunt: ſicut idoneis & D veracibus teſtibus computata utriuſque cognatione probatum eſt. Et quia obedire divinis & humanis legibus noluerunt, ut ſe ab ipſo inceſtu disjungerent, ſecundum ſacros canones a ſacra communione corporis & ſanguinis Chriſti, & ab omnium Chriſtianorum ſocietate abjecti ſunt, uſque dum Domino reſpiciente a laqueis diaboli, a quo capti tenentur, per pœnitentiam ſeparati, ab ipſo inceſtu reſipiſcant, decernente B. Gregorio: ſi quis, inquit, conſobrinam duxerit in conjugio, anathema ſit, & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Et item: ſi quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Vos fratres ac filii qui literas non didiciſtis, ſcitote quid ſonat in noſtra lingua anathema, id eſt alienatio: ut a Chriſto, a quo nominantur Chriſtiani, & a Chriſtianorum ſocietate atque communione A ſint tales alieni, donec ab illa inlicita conjunctione ſe ſeparent, & per pœnitentiam & ſacerdotale miniſterium Chriſto & ſanctæ eccleſiæ, id eſt, Chriſtianis reconcilientur. Progeniem vero ſuam divinæ leges unumquemque Chriſtianum uſque ad ſeptimam generationem, & quamdiu ſe cognoſcunt affinitate propinquos, obſervare decernunt, ut nemo ex propria conſanguinitate conjugem habeat, vel quam ex propria conſanguinitate aliquis conjugem habuit, vel aliqua inlicita pollutione maculavit, quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis hominibus, & inceſtuoſos a liminibus ſanctæ eccleſiæ B præcipient ſeparari, uſque dum per ſatisfactionem precibus ſacerdotum eidem, ut præmiſimus, ſanctæ eccleſiæ canonice reconcilientur. Si autem ab hoc inceſtu, in quo perditi jacent, ſeparare ſe voluerint, quia ſicut ſacræ leges dicunt, inceſtus nullo conjugii nomine deputatur, ſi ſe continere non potuerint, poſt pœnitentiam & reconciliationem quibus conjunctio inlicita interdicitur, habebunt incundi melioris conjugii libertatem. Quandiu autem in ipſa inlicita conjunctione manſerint, nullus Chriſtianus quocumque modo eis communicet, quia cum talibus cuicumque Chriſtiano C nec communem cibum ſumere licet. Propterea fratres ac filii, omnes ſcilicet Chriſtiani ſeparate vos ab omnimoda eorum communione, ne, quod abſit, communicantes illis pariter pereatis. Nec mirum ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur: cum & inter jumenta hoc fieri ſcitis, ut ea quæ ſcabiem habere videntur, ſeparentur a ſanis, ne illorum morbo cetera damnentur vel pereant. Et dicente Domino, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: ſi antequam ſe ab hoc inceſtu ſeparent, quiſquam eorum in infirmitatem deciderit, & ut ſic jam in deſperationem de vita temporali devenerit: ſi vel tunc ex corde pœnituerit, & coram Deo, a ſacerdote, ac fidelibus hominibus confeſſus fuerit, & fidejuſſores dederit, ut ſi de ipſa infirmitate convaluerit, ulterius ad illam inceſtam conjunctionem non rediet, cum aliis peccatis ſuis de hoc inceſtu puram confeſſionem faciat, & a ſacerdote reconcilietur, & ſancto oleo ungatur, & communio corporis & ſanguinis Chriſti ei largiatur. Si vero in hac pertinacia uſque ad mortem permanſerit, & ſine reconciliatione & communione corporis & ſanguinis Chriſti quiſquam eorum mortuus fuerit, ſine pſalmis & hymnis atque orationibus, & non cum aliis Chriſtianis ſepeliatur, E quia ſicut ſancto Spiritu inſpirante ſcriptum legimus, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus. Data ex ſynodo in Remenſi metropoli habita x. Kalendas Majas indictione XII.

ANNO CHRISTI 880.

# CONCILIUM ROMANUM V.

## A JOANNE PAPA VIII. VI. IDUS.

### Novembris celebratum anno DCCCLXXX.

Synodus Romana menſe Novembri anno 880. habita eruitur ex epiſtolis Joannis P. VIII. n. 253. ad Romanum Archiepiſcopum Ravennatem, & num. 254. ad univerſos Epiſcopos datis, in quibus indicit ſynodum ad diem VI. Idus Novembris quartæ decimæ Indictionis, ad eam diem dilata ob Saracenorum bella, atque impedimenta. Eam porro celebratam fuiſſe oſtendit ejuſdem Pontificis epiſtola num. 276. ad Romanum Archiepiſcopum Ravennatem data: in qua Pontifex narrat, Romanum præfatum excommunicaſſe Deuſdedit Ducem ad ſedem Apoſtolicam appellantem; & ob id Romanum vocatum fuiſſe Romam VI. Id. Novemb. ad Synodum celebrandam, ut Deuſdedit cauſa canonice finiretur: *Qui*, ſubdit epiſtola, *pro ſe ſui cardinis Dominicum presbyterum, & Joannem Diaconum miſit, tranſmittens cum illis ſcriptas accuſationes: quibus ſcriptis coram ſancta Synodo lectis, ad ea Deuſdedit reſpondit, & ſe inceſtum, atque nefarium commiſiſſe negavit; ſed coram omnibus ſe innocentem oſtendit, & divini munданique Juris auctoritate ſe conjugatum probavit. Quapropter una cum ſancta Synodo illum abſolvimus &c.*

# CONCILIUM MEDIOLANENSE

## *Sub Anſperto Mediolanenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis ad reprimendas Attonii cujuſdam ſacrilegas invaſiones,*

### Circa annum 880. celebratum.

Ex Mansi Suppl. pag. 110. Anno 880. circ.

Attonius quidam, homo impius & potens, gravia nonnulla & impia in res eccleſiæ Mediolanenſis intulerat; qua de re ab Anſperto Mediolanenſi præſule frequenter admonitus atque reprehenſus, numquam tamen manus abſtinuit. Quare Anſpertus convocato ſuffraganeorum concilio eccleſiaſtico anathemati devovendum illum cenſuit. Sed neque eo fræno coercitus, ad Joannem VIII. papam ab eodem archiepiſcopo delatus eſt, qui datis ad eumdem Attonium literis, minitatus eſt ſe confirmaturum ſententiam præſulis ſui, niſi reſipiſceret. Rem totam in eadem epiſtola, quæ eſt 272. narrat pontifex, ubi & ejuſdem concilii, alias ignoti, ſuboſcure meminit his verbis: *Poſt correctionem una cum venerabilium coepiſcoporum cœtu a ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini communione ſeparavit.* Et infra: *ſecundum jam dicti confratris noſtri, & epiſcoporum ſententiam &c.* Signatur epiſtola die XV. Kal. Maji indictione XIV. ideſt anno 881. ex quo arguere licet anno forte præcedenti 880. vel priori 879. in Attonium ſententiam Concilium Mediolanenſe tuliſſe, quam ſpernens ad pontificem delatus eſt.

ANNO CHRISTI 881.

# CONCILIUM ROMANUM VI.

* VI. ex ſe prædictis.

## QUO ATHANASIUS EPISCOPUS SIMUL

### Et princeps Neapolitanæ urbis, propter fœdus cum Saracenis initum excommunicatus eſt.

Athanaſius Neapolitanus epiſcopus & princeps.

1 (Concilium.) Athanaſius Neapolitanus epiſcopus ſimul & princeps olim a Joanne papa epiſtola 66. 161. & 162. plurimum laudatus, in tranſverſum actus, & in arcum pravum converſus ſceleſtiſſimus evaſit. De ipſo enim Leo Oſtienſis libro 5. capite 42. iſta habet: *Idem vero Athanaſius princeps illi, nempe Sergio, ſubrogatus, firmata cum Saracenis pace, Beneventum, Capuam, Salernum, Romamque depopulari cum eis cœpit, multaque tunc monaſteria & eccleſiæ cum villis & urbibus impiorum incendio conflagrarunt.* Hæc Leo. Poſt fœdus cum Saracenis contractum Joannes papa per epiſtolam 251. & 256. eum admonuit, ut fœdus cum barbaris initum diſſolveret, & niſi pareret, anathematis ſententia feriendus eſſet. Immo quod magis eſt, ipſe Joannes papa hac de cauſa ſe Neapolim contulit: ſed fruſtra. Quare dum in urbem rediiſſet, hac ſynodo ibidem congregata, anathematis ſententiam in eum tulit, eamque per epiſtolam circularem 270. epiſcopis circumpoſitis omnibus inſinuavit. Cumque excommunicatus Athanaſius pro abſolutione non ſemel inſtitiſſet, pontifex ab eo ſæpius deluſus nullam ipſi fidem adhibendam eſſe putavit, niſi primum Saracenis ab ipſo necatis vel captis, pœnitentiæ certa ſigna edidiſſet. Quod ut illi conſtaret, Marinum epiſcopum cum epiſtola 294. ad eumdem Athanaſium ſcripta hujus rei cauſa ablegavit. Vide Baronium anno 881. numero 1. & ſequentibus.

Marinus ad Athanaſium ablegatus.

ANNO CHRISTI 881. &c. Ex Manſi Suppl. pag. 1034.

ANNO CHRISTI 881. &c.

# ROMANÆ SYNODI TRES

*A Joanne VIII. Marino I. & Stephano V. in Photium habitæ annis* 881. 883. & 884.

COnſtat inter omnes, Romanos tres hoſce pontifices Photium patriarchali ſolio reſtitutum iterum atque iterum evertiſſe. Sed id ab illis præſtitum in ſynodis, ea de re coactis, quanquam omnes facile admiſſuros credo, nemo tamen ſibi affirmandum huc uſque cenſuit. Cujus cunctationis cauſa ex eo repetenda eſt, quod nemo veterum de Romanis Synodis ea de cauſa coactis quidquam mutiverit. Neque ego ſine veteri auctore quidquam ea in re auderem; quare ut hoc affirmem facit & rei gravitas, quæ ſynodum poſcebat, & inſcriptio Græculi illius, qui epiſtolarum Nicolai, Adriani, Joannis, Marini, Stephani, & A Formoſi epitomen dedit, quam in ſupplemento ad ſynodum VIII. ex vetuſto codice, Raderius prior, dein Labbeus tom. X. col. 922. vulgavit. Ita enim epitomen hanc inſcripſit: [illegible] *Synodica pontificum Romanorum, Nicolai, Adriani, Joannis, Marini, Stephani, Formoſi &c.* Quanquam vero Græculus iſte recentior eſt ſcriptor, potuit tamen ex vetuſto aliquo codice titulum hunc accepiſſe. Nec ſane abs re opinaremur, Joannem, Marinum, & Stephanum, quos ſane Photium damnaſſe compertum eſt, in ſynodo id ſolemniter egiſſe, cum & ætatis illius mores, & rei gravitas id expoſceret.

# CONCILIUM APUD S. MACRAM.

## SYNODUS QUÆ FUIT ACTA APUD

Sanctam Macram, in loco qui dicitur [a] Finibus Rhemenſis parochiæ, tempore Ludovici regis, filii Ludovici Caroli filii, die IV. Nonas Apriles, anno Chriſti DCCCXXCI. Ioannis papæ VIII. anno IX. Ludovici ejuſdem regis anno [*] XI.

[*] immo II. dumtaxat, ut bene Sirmondus.

## TITULI CAPITULORUM. B

Ex MS. Cod. S. Mariæ Laudun. primum edidit Sirmondus. Harduinus.

I. *Quod diſtincta ſint poteſtas regia & auctoritas pontificum.*
II. *Increpatio torporis & negligentiæ ſacerdotum; ex ſancto Gregorio.*
III. *De honore, cultuque Dei & eccleſiarum.*
IV. *De ſuſcipienda cura monaſteriorum.*
V. *De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda.*
VI. *Admonitio ad regem, & miniſtros reipublicæ.*
VII. *De præſtanda per pœnitentiam emendatione.*
VIII. *Ad regem, ut bonos diligat conſiliarios.*

## PRÆFATIO.

DIverſarum provinciarum epiſcopi, quorum nomina tenentur ſubter adſcripta, qui ante nequivimus, diverſis occupationibus, tam Paganorum infeſtationibus, quam pravorum Chriſtianorum inſectationibus præpediti, tunc anno incarnationis dominicæ DCCCLXXXI. indictione XIV. IV. Nonas Apriles, maxima neceſſitate compulſi, apud martyrium ſanctæ Macræ, in loco qui dicitur Finibus Rhemenſis parochiæ, in nomine Chriſti convenimus. Ab omnibus, qui juſte & pie in communione catholicæ eccleſiæ, quæ Chriſti eſt corpus, vivere volunt, ea quæ ſequuntur, Domino mediante, obſervari decernimus, non nova condentes, ſed quæ a majoribus noſtris ſecundum tramitem ſanctarum ſcripturarum ſtatuta, & a Chriſtianis imperatoribus ac regibus promulgata, & uſque ad hæc periculoſa noſtræ infelicitatis tempora fuere ſervata, quaſi lumina in malignorum operum tenebras, quæ excæcant diffidentiæ filios, devocamus: ut falce ſancti Spiritus, per divinum miniſterium noſtri officii, perque regiæ ſolicitudinis poteſtatem, ac miniſtros reipublicæ, male pullulantia recidantur, & fructuoſa Chriſtianis mentibus inſerantur.

## CAPITULA.

### I.

HÆc namque ſunt ſacerdotalis officii, & regii miniſterii, quia ſicut in ſacris legimus literis duo ſunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra pontificum, & regia poteſtas. Solus enim Dominus noſter Jeſus Chriſtus vere Gelaſius epiſt. 10.
C fieri potuit rex & ſacerdos. Poſt incarnationem vero, & reſurrectionem, & aſcenſionem ejus in cælum, nec rex pontificis dignitatem, nec pontifex regiam poteſtatem ſibi uſurpare præſumpſit: ſic actionibus propriis dignitatibuſque ab eo diſtinctis, ut & Chriſtiani reges pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium rerum curſu regum diſpoſitionibus uterentur: quatenus ſpiritalis actio a carnalibus diſtaret incurſibus, &
D ideo militans Deo minime ſe negotiis ſæcularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. Et tanto eſt dignitas pontificum major quam regum, quia reges in culmen regium ſacrantur a pontificibus, pontifices autem a regibus conſecrari non poſſunt: & tanto gravius pondus eſt ſacerdotum, quam re-
E gum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem: & tanto in humanis rebus regum

gum cura eſt propenſior, quam ſacerdotum, quanto pro honore & defenſione ac quiete ſanctæ eccleſiæ, ac rectorum & miniſtrorum ipſius, & leges promulgando, ac militando, a rege regum eſt eis curæ onus impoſitum. Et legimus in ſacris hiſtoriis, [Deut. 17.] quia cum ſacerdotes in regimine regni reges ungebant, & diademata capitibus illorum imponebant, legem in manibus eis dabant, ut diſcerent & ſcirent, qualiter ſe & ſubjectos ſibi regere, & ſacerdotes Domini honorare debeant. Legimus etiam in ſacra hiſtoria, quia Ozias rex præſumpſit incenſum ponere, [2 Par. 26.] (quod non regii, ſed ſacerdotalis erat miniſterii) lepra eſt a Deo percuſſus, & de templo a ſacerdotibus ejectus, & in domo ſua eſt uſque ad mortem recluſus.

II.

Denique ſi pro ſalute regis ac reipublicæ miniſtrorum, & pro miniſterio indignitati noſtræ commiſſo, in proceſſu aliqua dixerimus, quæ carnalibus animis valeant diſplicere, (quia medicus ſæpe, quos leni unguento medicare non poteſt, per amarum poculum confectionis reducit ad hilaritatem ſanitatis) ne dicant de nobis quod dictum legimus de ſedentibus in cathedra Moyſis: [Matth. 23.] *Imponunt onera gravia & importabilia in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere*, nos prius verbis ſancti Gregorii, ex homilia quam de evangelio tractavit tempore ſynodi epiſcoporum, accuſamus: quoniam ad exteriora negotia, partim neceſſitate barbarici timoris, partim negligentia noſtri temporis, dilapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcepimus, atque aliud officio actionis exhibemus. Miniſterium prædicationis relinquimus, & ad pœnam noſtram, ut video, epiſcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Deum hi qui nobis commiſſi ſunt, & tacemus: in pravis actibus jacent, & correctionis manum non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus noſtram? Curis enim ſæcularibus intenti, tanto inſenſibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris ſunt ſtudioſiores videmur. Uſu quippe curæ terrenæ a cæleſti deſiderio obdureſcit animus, & dum ipſo ſuo uſu durus efficitur per actionem ſæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad caritatem Dei: quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus. Dei cauſam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum eſt in nobis profecto quod ſcriptum eſt: *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos*. [Iſai. 24. Oſee 4.] Sacerdos enim non diſtat a populo, quando nullo vitæ ſuæ merito vulgi tranſcendit actionem. Ecce jam pene nulla eſt ſæculi actio, quam non ſacerdotes adminiſtrent. Quanto autem mundus gladio feriatur aſpicimus, quibus quotidie percuſſionibus intereat populus, videmus. Cujus hoc niſi noſtro præcipue peccato agitur? ecce depopulatæ urbes, everſa caſtra, eccleſiæ ac monaſteria deſtructa, in ſolitudinem agri redacti ſunt: ſed nos pereunti populo auctores mortis exiſtimus, qui eſſe debuimus duces ad vitam. Ex noſtro etenim peccato populi turba proſtrata eſt, quia faciente noſtra negligentia ad vitam erudita non eſt. Penſemus ergo, qui unquam per linguam noſtram converſi de perverſo ſuo opere, noſtra increpatione correpti pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex noſtra eruditione deſeruit, quis avaritiam, quis ſuperbiam declinavit. Hic paſtores vocati ſumus, & cum ante æterni paſtoris oculos venerimus, ibi gregem noſtra prædicatione converſum non ducemus. Sed utinam, ſi ad prædicationis virtutem non ſufficimus, loci noſtri officium in innocentia vitæ teneamus.

III.

De honore & cultu Dei, atque ſanctarum eccleſiarum, quæ auctore Deo ſub ditione regiminis regis noſtri conſiſtunt, communiter verbis ejus qui dixit diſcipulis & apoſtolis ſuis, [Luc. 10.] quorum licet indigni vicibus in eccleſia ſanguine Chriſti redempta fungimur: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris qui loquitur in vobis*, domnum noſtrum regem monemus, ut ſicut tempore anteceſſorum ſuorum imperatorum ac regum excultæ & honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, ſalva æquitatis ratione ita permaneant; & quæ ſua liberalitate honoratæ atque ditatæ fuerunt, de cetero ſub integritate ſui ſerventur. Et ſacerdotes, ac ſervi & ancillæ Dei, vigorem eccleſiaſticum, & debita privilegia, juxta reverendam auctoritatem obtineant: eiſque regalis poteſtas, & illuſtrium virorum ſtrenuitas, ſeu reipublicæ adminiſtratores, ut ſuum miniſterium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juſte concurrant.

IV.

Ut miſſi regii per civitates, & ſingula monaſteria tam canonicorum, quam monachorum, ſive ſanctimonialium, una cum epiſcopo parochiæ uniuſcujuſcumque in qua conſiſtunt, cum conſilio etiam & conſenſu ipſius qui monaſterium retinet,

net, vitam ibi degentium & converſationem inquirant, & ubi neceſſe eſt corrigant, & ubi deſunt, congruas officinas conſtruere jubeant, & ubi factæ & per negligentiam ſunt deſtructæ, inſtaurari præcipiant, & victum ac potum, & veſtitum, atque cetera neceſſaria, pro qualitate & poſſibilitate loci, & inhabitantium neceſſitate ordinent, & hoſpitalitatem ſupervenientium hoſpitum, & receptionem pauperum ibidem diſponant & ordinent: & theſaurum, ac veſtimenta, ſeu libros diligenter imbrevient, & breves regi reportent. Imbrevient quid unuſquiſque eccleſiarum prælatus, quando prælationem eccleſiæ ſuſcepit, ibi invenerit, & quid modo exinde minus ſit, vel quid & quantum ſit ſuperadditum. Numerum etiam canonicorum, & monachorum, ſive ſanctimonialium, uniuſcujuſque loci deſcribant, & regi referant: ſecundum qualitatem loci, cum conſilio epiſcoporum & fidelium ſuorum, ubi minor numerus fuerit, regia auctoritate addatur: ubi vero indiſcretione prælatorum ſuperfuerit, ad menſuram redigatur. Et qualiter abbatiarum prælati, & in locis ſacris inhabitantes, de his quæ miſſi regii præceperint, obedierint, regi diligentiſſime & capitulatim referre procurent.

V.

• Raptores autem, non noſtris verbis ſed Chriſti & ſanctorum ejus, qui cum illo in cælo regnant, & in terris miraculis coruſcant, auctoritate ipſius qui nobis licet indignis in apoſtolis ſuis dixit: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæ ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*, monemus, & eis verba ipſius Domini inculcamus, quæ, niſi ſe correxerint, in extremo judicio audient: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*, & cetera, quibus dicit: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*. Hinc ergo colligendum eſt, quanta damnatione plectendi ſunt, qui aliena rapiunt, ſi tanta animadverſione feriuntur qui ſua indiſcrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res apta, ſi tali ſubjicit pœnæ non tradita: perpendant quid meretur injuſtitia illata, ſi tanta percuſſione digna eſt pietas non impenſa. Audiant raptores: *Væ ei qui multiplicat non ſua uſquequo, & aggravat contra ſe denſum lutum*. Denſum lutum contra ſe aggravare, eſt terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Audiant quid Chriſtus dicat: *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum fiat*? id eſt, quid prodeſt homini, ſi totum quod extra ſe eſt congregat, ſi hoc ſolum quod ipſe eſt damnat? Audiant quod illa quæ rapiunt in hoc ſæculo deficient, aut in ſæculo dimittent, ſed ſecum ad judicium cauſas rapinæ, id eſt, damnationem ſecum ferent. Audiant quid propheta Iſaias dicit: *Rapina pauperis in domo veſtra*, &: *Cauſa viduæ non ingreditur ad eos*, &: *Non deſpiciet Dominus preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt uſque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*. Audiant quia in cujus domo rapina eſt, ſive in domo corporis, ſive in domo manſionis, non habitat in illa domo Spiritus ſanctus, ſed ſpiritus malignus: & ſi accedit ad communionem corporis & ſanguinis Chriſti ante dignam ſatisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, ſed plenius, ſicut Judas, quando in cœna plenus rapina & iniquitate communicare præſumpſit de manu Chriſti, poſſeſſus eſt a diabolo. Unde & ſuſpenſus crepuit medius, & abiit in locum ſuum, id eſt, ſuis meritis acquiſitum, videlicet in ignem æternum: quia cum intravit ſanctus panis in plenum de iniquitate ventrem, intravit hoſtis antiquus, qui dicitur diabolus & ſatanas, in crudelem & impiam mentem. Et ille enim, ſicut Judas tradidit Chriſtum peccatoribus Judæis, ita plenus rapinis & iniquitate tradidit Chriſtum peccatoribus membris ſuis, qui illud inæſtimabile Domini corpus violare præſumit. Et væ illi homini, qui ad menſam Domini malignus accedit, qui inſidiis mente conditis, qui præcordiis rapina aut aliquo ſcelere pollutis myſteriorum Chriſti ſecretis participare non metuit. Væ illi homini, de quo Jeſus, qui altaribus ſacroſanctis inter immolandum, utpote propoſita conſecraturus munera, adeſſe non dubitatur, adſtantibus ſibi miniſtris cæleſtibus queri cogitur, quod in cœna diſcipulis de Juda dixit: *Ecce*, inquiens, *manus tradentis me mecum eſt in menſa*. Et væ illi de quo dicit Paulus apoſtolus, quod quaſi ſpeciali privilegio in cœna Domini quando hæc ſunt tradita legimus: *Quicumque manducat panem hunc, aut calicem Domini bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans*, ideſt, non diſcernens a cibis ceteris, *corpus Domini*: ſed ſic ad menſam Domini accedit ſine reverentia & timore de peccatis ſuis, ſicut lætus accedit, quando ſocius ſuus illum plena menſa paſcit de rapinis ſuis. Et quod idem dicit apoſtolus: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt, multi*, id eſt moriuntur, *multi*. Hoc monſtratur in exemplo de infirmitatibus & mortibus corporalibus aliquorum, quod ſit

Matth. 18. — Matth. 19. — Habac. 2. — Matth. 16. — Iſai. 3. — Eccl. 35. — Luc. 22. — 1. Cor. 11. — 1. Cor. 11.

ANNO CHRISTI 881.

fit in anima in ſpiritalibus infirmitatibus
atque mortibus omnium irreverendorum.
Hoc enim paſcha, quod tunc Dominus
in novo myſterio egit, quotidie celebra-
mus, quotieſcumque miſſam agimus: ſic-
ut ipſe tunc omnibus epiſcopis & presby-
1. Cor. 11. teris, ac ceteris fidelibus, celebrantibus
atque adſtantibus ad hoc terribile ſacra-
Ibidem. mentum, in apoſtolis ſuis dixit: *Hæc quo-*
*tieſcumque feceritis in meam memoriam facie-*
*tis*. Et poteſt fieri, ut quidam audientes
tale periculum eſſe communicare corpori
& ſanguini Domini, qui non volunt a
malis recedere & de præteritis pœniten- B
tiam agere, dicant: Abſtinebimus nos
ab illa communione, quia non retra-
himus nos a mala operatione. Unde au-
diant quibuſcumque diabolus iſta ſuſurrat,
quoniam ſicut Dominus dicit de baptiſ-
mo, quod nullus poteſt fieri ſalvus, niſi
qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſan-
cto: ita de hac ſancta communione dixit:
Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & bi-*
*beritis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in*
Marc. 16. *vobis*. Et ſicut dixit: *Qui crediderit & ba-*
*ptizatus fuerit, ſalvus erit*, id eſt, ſicut pro-
miſit in baptiſmate, diabolo & ejus operibus C
abrenunciando, & in Deum fide quæ per di-
lectionem operatur credendo, hoc eſt ut in
fide & bonis operibus permaneat, & ſi poſt
baptiſmum peccaverit, confeſſionem & di-
gnam pœnitentiam, illis qui in eum pec-
caverunt dimittendo, & bonis operibus
inſiſtendo, hoc quod male fecit emendet:
ita etiam de hac ſancta communione di-
Joan. 6. xit: *Qui manducat carnem meam, & bibit*
*ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo*:
& : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet*
*in æternum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo* D
*die*: & : *Sicut miſit me vivens Pater, & ego*
*vivo propter Patrem*: & : *Qui manducat me,*
*& ipſe vivet propter me*. Audiant rapaces
& prædatores, quid iterum Dominus per
prophetam dicat: *Qui prædaris, nonne &*
Iſa. 33. *ipſe prædaberis*? Videlicet quia illius qui
prædatur res pauperum & eccleſiarum ac
ſervorum Dei, prædatur a diabolo, &
præda illius fit. Audiant quid ſanctus
Paulus apoſtolus dicat, per quem locutus
eſt Chriſtus, & qui raptus fuit uſque ad
tertium cælum, & qui raptus fuit in pa-
radiſum, & audivit talia ſecreta verba,
quæ non licebat homini loqui. Ait nam-
1. Cor. 6. que quia *neque rapaces, neque homicidæ, ne-* E
*que adulteri regnum Dei poſſidebunt*. Unde
intendant quale quantumque peccatum eſt
rapina, quam cum adulterio & homicidio
ſanctus comparavit apoſtolus. Item ipſe
1. Cor. 5. dicit: *Si quis fornicator, aut adulter, aut ra-*
*pax, aut homicida eſt, cum hujuſmodi nec ci-*
*bum ſumere*. Chriſti diſcipulo, id eſt, Chri-
ſtiano, licet, ante ſatisfactionem, ideſt, cor-

A rectionem, ac emendationem & dignam
pœnitentiam. Audiant quod ſanctus Jo-
annes apoſtolus, electus & dilectus Chri-
ſti, qui in cœna ſuper pectus ejus recu-
buit, talem hominem ſalutare vetat di-
cens: *Nec Ave ei dixeritis, neque in domum* 2. Joan. 10.
*receperitis*. Audiant quid per prophetam
Dominus dicit ad eos qui in medio ta-
lium immorantur. *Exite*, inquiens, *de me-* 2. Cor. 6.
*dio eorum, & immundum ne tetigeritis, & ego* Jer. 31.
*recipiam vos, & habitabo inter vos, & ero vo-*
*bis in Deum, & vos eritis mihi in filios &*
*filias*. Nihil enim eſt aliud quod iſti ra-
B ptores faciunt, niſi præcurſio exercitus an-
tichriſti, cujus voce dictum eſt. *Non mo-* Pſalm. 10.
*vebor a generatione in generationem ſine malo*:
id eſt tanta mala faciam in uno loco,
ut antequam ad alium locum veniam,
adventum meum ibi habitantes timeant:
ſed & poſtea ſentient. Et Joannes apoſto-
lus, *Nunc*, inquit, *antichriſti multi ſunt*. 1. Joan. 2.
Unde timendum nobis eſt quod omnis
propter hoc deprecatur eccleſia: *Exurge* Pſal. 10.
*Domine Deus, exaltetur manus tua*, id eſt,
ad vindictam, *non obliviſcaris pauperem po-*
*pulum*, & Dominus, qui non mentitur,
C repromittit dicens: *Propter miſeriam inopum,* Pſal. 11.
*& gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit*
*Dominus*, id eſt, jamque in proximo vin-
dictam exercebo. Audiant raptores, quid
de talibus ſacri canones decernunt. Si Concilium
quis, inquiunt, de potentibus clericum, Toleti can. 1.
aut quemlibet pauperem, aut religioſum
exſpoliaverit, & mandaverit ad ipſum
epiſcopus ut eum audiat, & is contem-
pſerit: invicem mox ſcripta percurrant per
omnes provinciæ epiſcopos, & quoſcum-
que adire potuerit, ut excommunicatus
habeatur, donec audiat & reddat aliena.
D Ecce de pauperum raptoribus. Audiant
raptores & prædones rerum eccleſiaſtica-
rum, quid ſanctus Anacletus papa, ab
ipſo beato Petro apoſtolo presbyter ordi-
natus, cum totius mundi ſacerdotibus ju-
dicavit. Dicit namque: Qui abſtulerit ali- Epiſt. 1.
quid patri vel matri, homicidæ particeps
eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui
nos creavit, mater vero noſtra eccleſia,
quæ nos in baptiſmo ſpiritaliter regenera-
vit. Ergo qui Chriſti pecunias & eccleſiæ
rapit, aut aufert, vel fraudatur, homici-
da eſt, atque homicida ante conſpectum
juſti judicis deputabitur. Qui rapit pecu-
E niam proximi ſui, iniquitatem operatur:
qui autem pecuniam vel res eccleſiæ ab-
ſtulerit, ſacrilegium facit, & ut ſacrile- Epiſt. 1.
gus judicandus eſt. Et ſanctus Urbanus
papa & martyr: Res, inquit, & faculta-
tes eccleſiaſticæ oblationes appellantur,
quia Domino offeruntur, & vota ſunt fi-
delium, ac pretia peccatorum, atque patri-
monia pauperum: ſi quis illa rapuerit,
reus

reus eſt damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujuſmodi tradere ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Et ſanctus Lucius papa: Rerum, inquit, eccleſiaſticarum & facultatum raptores a liminibus ſanctæ eccleſiæ anathematizatos apoſtolica auctoritate pellimus & damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus: & non ſolum eos, ſed & omnes conſentientes eis: quia non ſolum qui faciunt rei judicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna & agentes & conſentientes comprehendit. Et ſanctus Auguſtinus in ſermone evangelii ſancti Joannis ita dicit: Fur ſacrilegus loculorum ſacrorum & dominicorum eſt Judas, & qui aliquid de eccleſia furatur & rapit, Judæ perdito comparatur. Item in ſacris canonibus a Spiritu ſancto dictatis, & Chriſti ſanguine confirmatis, ſcriptum eſt: Si quis oblationes eccleſiæ extra eccleſiam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam epiſcopi vel ejus cui hujuſmodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus voluerit agere conſilio, anathema ſit. Epiſcopus autem omnibus ſe audientibus dicere debet quid ſit anathema: Id eſt, alienatio a Chriſto & ejus corpore, quæ eſt ſancta eccleſia. Et ne deſperent tales homines, & in peccato permaneant, oſtendere debet epiſcopus quamdiu duret anathema, id eſt, quamdiu quiſque errorem non corrigit, & digna ſatisfactione non emendat, ut reconciliationem & indulgentiam valeat promereri. Si quis vero ante ſatisfactionem, & reconciliationis indulgentiam, in peccatis ſuis perſeverans mortuus fuerit, jam anathema perpetuum illi erit, & peccatum ad mortem, pro quo non dicit apoſtolus ut oretur.

Tract. 50 in Joannem.

Concilium Gangren. 7.

## VI.

Regiam vero dignitatem, & miniſtros reipublicæ, ac cooperatores regii miniſterii, epiſcopali auctoritate & Domini voce monemus, ut ſemetipſos coram Deo & coram hominibus tales exhibeant, ut adjutores Dei fieri, & ab ipſo & in præſenti ſæculo & in futuro adjuvari mereantur: & nulla quælibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium, aut timor, aut gratia, ab ſtatu rectitudinis eos deviare compellat, quin inter proximum & proximum juſte judicent: pupillorum vero, & viduarum, & ceterorum pauperum adjutores ac defenſores, & ſanctæ eccleſiæ vel ſervorum illius honoratores juxta ſuam poſſibilitatem fiant: illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis, ſive rapinis, communem pacem populi perturbare moliuntur, ſuo ſtudio & correctione ſicut decet compeſcant. Unde quædam capitula, a præcedentibus imperatoribus & regibus ſtatuta, in unum collecta ſubjungere dignum duximus, quæ ita ſe habent.

*Ex capitulis imperatorum & regum*

DE pace in exercitali itinere ſervanda uſque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damni ſibi præterito anno illati nominatim cognoſcit, ut juſtitiam de illo quærat, & accipiat. Deinceps tamen omnibus denunciare volumus, ut unuſquiſque cognoſcat omnes, qui in ſuo obſequio in tali itinere pergunt, ſive ſui ſint, ſive alieni, ut ille de eorum factis rationem ſe ſciat redditurum: & quidquid in pace violanda deliquerint, ad ipſius debet periculum pertinere: ea ſcilicet conditione ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, ſive coram nobis, ſive coram miſſo noſtro, dignas pœnas perſolvat: & ſenior, qui ſecum talem duxerit, quem aut conſtringere noluit, aut non potuit, ut noſtram juſſionem ſervaret, & inſuper in regno noſtro prædas facere non timeret, pro illius negligentia, ſi ante eum de his non admonuerit, & poſtquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere ſicut decet neglexerit, honore ſuo privetur, ut ſcilicet neuter illorum ſine juſta vindicta remaneat.

Si quis in exercitu infra regnum, ſine juſſione dominica, per vim hoſtilem aliquid prædare voluerit, aut fœnum tollere, aut granum; ſive pecora majora vel minora, domoſque infringere, vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod ſi ab aliquo præſumptioſo factum fuerit, ſexaginta ſolidos ſi liber eſt ſit culpabilis & omnia * cimelia reſtituat, aut cum duodecim teſtibus ſe purget. Si vero ſervus hoc fecerit, capitali crimini ſubjaceat, & Dominus omnia cimelia reſtituat, quia ſervum ſuum non correxit, nec cuſtodivit, ut talia non perpetraret. Quoniam ſi noſipſos comedimus, cito deficiemus. Unuſquiſque tamen cuſtodiat exercitum ſuum, ne aliqua deprædatio intra regnum fiat. Lib. v c. 189.

* Sirmondus ſimilia.

Si quis domum alienam cujuslibet infregerit, quidquid exinde per vim abſtulerit, aut rapuerit, vel furaverit, ſecundum legem illi, cujus domus fuerit infracta & ſpoliata, in triplum componat, & inſuper bannum dominicum ſolvat. Si ſervus hoc fecerit, ſententiam ſuperiorem accipiat, & inſuper ſecundum ſuam legem compoſitionem faciat. Si quis liber homo aliquod tale damnum alicui fecerit, pro quo plenam compoſitionem facere non valeat, ſemetipſum in vadio pro ſervo dare ſtudeat, uſque dum plenam compoſitionem adimpleat. Lib. iii c. 61.

De pace admonemus, ut omnes qui per aliqua ſcelera rebelles ſunt conſtringantur. Lib. iii c. 1.

Si quis meſſes aut annonas in hoſte ſuper bannum dominicum rapuerit, vel paverit, aut furaverit, aut cum caballis vaſtaverit, æſtimato damno ſecundum legem in triplum componat: & ſi liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Servus vero ſecundum legem tripla compoſitione damnum in loco reſtituat, & pro damno diſciplinæ corporali ſubjaceat. Ib. 4 cap. 66.

Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli, ejuſque homini, aliquid vi abſtulerit, in triplo cui aliquid abſtulit legibus componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt ſexaginta ſolidos, nobis perſolvat. Poſtmodum vero a comite ante nos adducatur, ut in baſtonico retrutus uſque dum nobis placuerit pœnas luat. Lib. 4 c. 95.

ANNO CHRISTI 881.

Nam ſi publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta ſacrorum canonum ſanctionem. Si vero occulte, ſacerdotum conſilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam *raptores*, ut ait apoſtolus, (1. Cor. 6.) niſi veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non poſſidebunt*. Qui vero de rebus eccleſiarum aliquid abſtulerint, gravius inde judicentur: quia ſacra- rum rerum ablatio ſacrilegium eſt, & ſacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abſtulerit aut rapue- rit. Extorres namque a liminibus ſanctæ matris eccleſiæ tales perſonæ uſque ad ſatisfactionem ec- cleſiæ quam læſerint, ſunt habendæ, atque firmi- ter denotandæ.

(Carol. Calvi ...) Unuſquiſque miſſus in ſuo miſſatico proviſio- nem habeat, ut ſi aliquis de noſtris fidelibus per miſſaticum ſuum tranſierit, aut ibi conſiſtens, vel commanens, rapinas, vel deprædationes, aut ta- lia illicita fecerit, de quibus Deus offendi ſolet, & populus pro oppreſſione gemere, quatenus hoc ſubtiliter & veraciter inveſtiget, & nobis renun- ciet, qualiter inde nos ſic ordinemus, ut nec ip- ſum, nec alium hoc agere delectet.

(Ibid. c. 3.) Ut miſſi in illorum miſſaticis curam habeant, ne homines noſtri, aut alii quilibet, vicinos ſuos majores vel minores tempore æſtatis, quando ad herbam ſuos caballos mittunt, vel tempore hie- mis, quando mareſcalcos illorum ad fodrum di- rigunt, vicinos majores vel minores deprædentur: & ſi egerint, hoc etiam, ut prædiximus, veraci- ter miſſi noſtri inveſtigent, & nobis renuncient, ut in ſeniore hoc ſic emendemus quatenus homi- nes ſuos in poteſtate habeat, & contenti ſint de- bitis, & indebita injuſte non appetant.

(Ludovici Balb. ... c. 8.) Volumus ut res eccleſiarum, in cujuſcumque regno caput fuerit, tam de epiſcopatibus, quam de abbatiis, ſine ulla contradictione rectores ipſa- rum eccleſiarum, ſicut tempore domini ac geni- toris noſtri fecerunt, illas poſſideant. Et quia per vagos & tyrannica conſuetudine irreverentes ho- mines pax & quies perturbari ſolet, volumus ut ad quemcumque noſtrum talis venerit, ut de his quæ egit rationem & juſtitiam ſubterfugere poſ- ſit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel retineat, niſi ut ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et ſi rationem rectam ſubterfugerit, omnes in commune, in cujus re- gnum venerit, illum perſequantur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

(Caroli Calvi tit. xxxvi. c. 5) Similiter & de eo agendum eſt, qui pro ali- quo capitali & publico crimine a quolibet epiſco- po corripitur vel excommunicatur, aut ante ex- communicationem crimen faciens, regnum & re- gis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam ſuſci- piat, aut ſuſceptam legitime peragat.

(Caroli Calvi tit. ix. c. 4.) Denunciandum eſt omnibus, & a miſſis noſtris ordinandum, ut omnes eccleſiæ & presbyteri ſub immunitate ac privilegio, & ordinatione atque diſpoſitione epiſcoporum ſingularum parochiarum, in quibus conſiſtunt, ſecundum auctoritatem ca- nonicam, & capitularia domini Caroli imperato- ris & pii Auguſti Hludovici permaneant.

(Ibid. c. 5.) Ut miſſi noſtri diligenter inveſtigent cum epi- ſcopo, & prælatis monaſteriorum, & per fideles & ſtrenuos viros in unaquaque parochia, de re- bus eccleſiaſticis in alodem datis: & ſicut eviden- tibus & veris indiciis ac auctoritatibus compere- rint, diligenter a quo & quibus datæ ſint, & quan- tum exinde ſit deſcribant, & nobis renuncient, ut cum conſilio fidelium noſtrorum hoc ſacrilegium emendare curemus.

(Ibid. c. 6.) Ut miſſi noſtri expreſſe, & cum omni diligen- tia, cum epiſcopo & prælatis monaſteriorum, per ſingulas parochias requirant de rebus eccleſiaſticis A unde nonæ & decimæ ſolvi debent, & non ſol- vuntur, ut perſolvi ab eaſdem res retinentibus fa- ciant. Et ſi aliqua contradictio, quæ rationabilis videatur, oborta fuerit, deſcribatur: & prælatus ipſius caſæ Dei, unde res eſſe noſcuntur, & ille qui eas detinet, & nonam ac decimam ſolvere detrectat, ſimul cum miſſis noſtris ad noſtram ju- beatur venire præſentiam, ut tunc veritate com- perta, & diffinitione decreta, quod rationabiliter invenerimus, inde præcipiamus.

Volumus etiam, ut inveſtigent miſſi noſtri, (Ibid.) qualiter illi, qui eaſdem res eccleſiaſticas, unde decimæ dantur, ſive non dantur, illas ſalvas ha- beant, & in caſticiis & in ſilvis cuſtoditis, vel ſi terræ ac mancipia inde perdita ſint, vel ali- B quid hujuſmodi, aut ſi familia oppreſſa ſit con- tra legem, & omnia per breves renuncient miſſi noſtri.

Ut miſſi noſtri per ſingulas parochias comiti- (Ibid. cap. 7.) bus & reipublicæ miniſtris ex banno noſtro præ- cipiant ne malla vel placita in exitibus & atriis eccleſiarum, & presbyterorum in manſionibus, ne- que in dominico, vel feſtivis diebus, tenere præ- ſumant: ſed comes convenientem locum conſide- ret & inveniat ubi ſtationem ad mallum tenen- dum conſtituat: quia nefas eſt ibi reos puniri, ubi reſpectu divinæ reverentiæ miſericordiam con- ſenſu fidelium & decreto prædeceſſorum noſtro- rum conſequuntur.

Ut miſſi noſtri comitibus, & omnibus reipubli- (Ibid. cap. 8) C cæ miniſtris, firmiter ex verbo noſtro denuncient, atque præcipiant, ut a quarta feria ante initium quadrageſimæ, nec in ipſa quarta feria, uſque poſt octavas paſchæ, mallum vel placitum publicum, niſi de concordia & pacificatione diſcordantium, tenere præſumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem Domini, uſque poſt conſecra- tos dies obſervent: nec non in jejuniis quatuor temporum, & in rogationibus, ſimili obſervatio- ne eoſdem feriatos dies venerari omnimodis ſtu- deant.

Ut miſſi noſtri omnibus per ſingulas parochias (Ibid. cap. 9.) denuncient, quia ſi epiſcopus, aut miniſtri epiſco- porum, pro omnibus colonos flagellaverint cum virgis, propter metum aliorum, & ut ipſi crimi- D noſi corrigantur, cum tali diſcretione ſine ulla occaſione indebita, ſicut in ſynodo collocutum eſt, & vel inviti pœnitentiam temporaliter & cor- poraliter agant, ne æternaliter pereant: ſi ſenio- res ipſorum colonorum indigne tulerint, & ali- quam vindictam inde exercere voluerint, aut eoſ- dem colonos ne diſtringantur continere præſum- pſerint, ſciant quia & bannum noſtrum compo- nent, & ſimul cum excommunicatione eccleſiaſti- ca noſtram harmiſcaram ſuſtinebunt.

Ut miſſi noſtri omnibus reipublicæ miniſtris de- (Ibid. cap. 10.) nuncient, ut comes, vel reipublicæ miniſtri, ſimul E cum epiſcopo uniuſcujuſque parochiæ ſint in mi- niſteriis illorum, quando idem epiſcopus ſuam parochiam circumierit, cum epiſcopus eis notum fecerit: & quos per excommunicationem epiſco- pus adducere non potuerit, ipſi regia auctoritate & poteſtate ad pœnitentiam vel rationem atque ſatisfactionem adducant.

Sciant etiam fideles noſtri, quia conceſſimus in (Ibid. cap. 11.) ſynodo venerabilibus epiſcopis, ne ſuper beneficia eccleſiaſtica, vel præſtarias, etiamſi quilibet mo- naſteriorum prælatus irrationabiliter petierit, præ- cepta confirmationis noſtræ ullo modo faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione ſe unuſquiſque compeſcat.

De uno manſo ſecundum capitulare Auguſto- (Caroli Calvi tit. xxxii. cap. 11.) rum & prædeceſſorum noſtrorum ad eccleſiam da-

to,

ANNO CHRISTI 881.

to, nullus cenſus, neque caballi paſtus, a ſenioribus de presbyteris requiratur, ſicut in præſato capitulari continetur. Sed neque de terrulis ac vineolis pro loco ſepulturæ ad eaſdem eccleſias datis, nempe de decimis, ſicut in canonibus, & in præſatis capitularibus continetur. Et ubi inventum fuerit a miſſis noſtris, quod ſeniores ſine conſcientia epiſcoporum presbyteros de eccleſiis ejiciunt, vel in eccleſiis ſtatuunt, miſſi noſtri, ſicut in præſatis capitularibus continetur, inde faciant, & epiſcopi de clericis hominum noſtrorum ita faciant, ſicut in eiſdem capitularibus continetur.

Hoc miſſi noſtri notum faciant comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad cauſas audiendas & judicandas ſedere volumus. Comites autem & miſſi noſtri magnum ſtudium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, ſi noſtram gratiam habere volunt. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis cauſis ſe ad nos reclamare, niſi de quibus aut miſſi noſtri, aut comites, eis juſtitias noluerint facere.

Caroli Calvi tit. xxxiv. c. 2. Ut noſtri fideles, unſquiſque in ſuo ordine & ſtatu, veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abhinc inante contra legem & juſtitiam, vel auctoritatem ac juſtam rationem, aut damnabimus, Tit. XLIII. ibidem c. 2. aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus: & illorum, ſcilicet veraciter nobis fidelium, communi conſilio ſecundum Dei voluntatem, & commune ſalvamentum ad reſtitutionem ſanctæ Dei eccleſiæ, & ſtatum regni, & ad honorem regium, atque pacem populi commiſſi nobis pertinentem aſſenſum præbebimus. In hoc ut illi non ſolum non ſint nobis contradicentes & reſiſtentes ad iſta exequenda: verum etiam ſic ſint nobis fideles, & obedientes, ac veri adjutores atque cooperatores vero conſilio & ſincero auxilio ad noſtrum debitum honorem, & ad iſta peragenda quæ præmiſimus, ſicut per rectum unuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu ſuo, principi & ſuo ſeniori eſſe debet.

## VII.

Ecce quæ de rapinis & de raptoribus ſanctus Spiritus per ſibi organa digna comminatus eſt & decrevit. Ecce quæ anteceſſores veſtri imperatores ac reges, in diverſis ſynodis ac placitis, conſilio epiſcoporum ac ceterorum fidelium ſuorum inde conſtituerunt. Quæ quomodo de emendationibus quæ male acta ſunt legi per Moyſen datæ congruant, qui eam legit intelligit. Et in evangelio legimus dixiſſe Zachæum ad Dominum: *Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quem* Luc. 19. *defraudavi, reddo quadruplum*. Ad hoc enim aliam medietatem bonorum ſuorum ſervavit. Et hinc ſanctus Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium dicit: Quod dicis, Epiſt. 54. inquiens, Sceleris culpam cupiunt ſibi homines relaxari, & id propter quod ſcelus admiſſum eſt poſſidere: peſſimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res neceſſaria, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: ſed cum reſtitui poteſt. Plerumque enim qui aufert amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo, nec aliud habet unde reſtituat. Huic certe non poſſumus dicere, Redde quod abſtuliſti, niſi cum habere credimus & negare. Ubi quidem ſi aliquos ſuſtinet repente cruciatus, dum exiſtimatur habere quod reddat, nulla eſt iniquitas: quia etſi non eſt unde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per moleſtias corporales redhibere compellitur, peccati quo male ablata eſt pœnas luit. Sed inhumanum non eſt etiam pro talibus intercedere, tanquam pro reis criminum: non ad hoc ut minime reſtituatur aliena, ſed ne fruſtra homo in hominem ſæviat. Illud vero fidentiſſime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantum honeſte poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis. Nam miſericordius opem noſtram talibus ſubtrahimus, quam impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adjuvat, ac non potius ſubvertit atque opprimit. Nolentes autem reddere, quos novimus & male abſtuliſſe, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, & deteſtamur, quoſdam clam, quoſdam palam, ſicut diverſitas perſonarum diverſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad majorem inſaniam concitari. Aliquando etiam, ſi res magis curanda non impeditur, ſancti altaris communione privamus. Nec interveniendum eſſe pro aliquo auſim dicere, ut quod ſcelere abſtulit, ſceleris impunitate poſſideat: ſed ut remiſſa injuria quod injurioſe abſtulit reddat, ſi tamen habet quod abſtulit, vel aliud unde illud reſtituat. Qui vero contra jus ſocietatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppreſſionibus, invaſionibus abſtulerit, reddenda potius quam donanda cenſemus, Zachæi publicani evangelico exemplo, qui cum hoſpitio Dominum ſuſcepiſſet, in vitam ſanctam repente mutatus, *dimidium*, inquit, Luc. 19. *rerum mearum do pauperibus, & ſi cui aliquid abſtuli, quadruplum reddo*. Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ leges & judices reddi jubent? An crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Omnes igitur nos, & vos, & totius regni populus, recurramus ad conſcientias noſtras, & quidquid contra voluntatem & mandatum Dei cogitavimus, parabolavimus, & fecimus, per puram confeſſionem, ac dignos pœnitentiæ fructus, atque ſacerdotalem reconcilia-

ANNO CHRISTI 881.

liationem, expurgemus nos a fermento A malitiæ & nequitiæ: & ſicut hortatur nos Spiritus ſanctus per pſalmiſtam, Pſalm. 94. *præoccupemus faciem ejus in confeſſione: procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus.* Legimus enim 1. Mach. 12. in hiſtoria Macchabæorum, quia vir fortiſſimus Judas pugnavit contra inimicos eccleſiæ quæ tunc temporis erat, & plures ex ſuis in illo bello ceciderunt. Poſtquam autem fugatis adverſariis ipſe Judas cum exercitu ſuo ad ſepelienda corpora ſuorum qui in bello ceciderant reverſus B eſt, inventa ſunt ſub tunicis occiſorum donaria de idololatriis, & manifeſtum factum eſt Dei judicium, quia proinde ceciderunt in bello. Ergo ſi ſub tunicis noſtris, id eſt, inter corpora noſtra, habemus conſcientiam malam de rapinis, de avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, de luxuriis, de invidia, de fraternis odiis, & de homicidiis, de ſacrilegiis, & de inceſtibus, & de ceteris criminibus, ac peccatis, expurgemus illa mala per puram confeſſionem, & per bonam devotionem, & per lacrymas, & per eleemoſynas & di- C gnas ſatisfactiones, & quantocius tempus fuerit, faciamus omnes in commune de præteritis peccatis, ſive manifeſtis, ſive ſecretis, publicam pœnitentiam, & triduanum jejunium, & mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. Quia, ſicut S. Auguſtinus dicit exponens ſententiam apoſtoli, peccata ſive parva ſive magna impunita eſſe non poſſunt: quia aut ab homine pœnitente, aut a Deo judicante plectuntur: ceſſat autem vindicta D divina, ſi converſio præcurrat humana. Amat Deus pœnitentibus & confitentibus parcere & ſe judicantes non judicare. Et poſt jejunium, & dignos pœnitentiæ fructus, & profeſſionem quod ab iſtis malis, in quibus hactenus verſati ſumus, nos de cetero abſtinere debeamus, quia pœnitentiam vere agere eſt commiſſa plangere, & iterum plangenda declinare, mutata in mente malignitate in benignitatem, accipiamus corpus & ſanguinem Chriſti in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ut Deus in nobis habitet, & nos in Deo: E quatenus nec inviſibiles, nec viſibiles inimici contra nos poteſtatem habeant. Nam aliter, nec ſuper pravos Chriſtianos virtutem, nec contra Paganos habere poterimus victoriam. Nullus autem de iniquitatum ſuarum immanitate deſperet: tantum ex toto corde convertatur ad Dominum. Joan. 4. Luc. 23. Veternoſas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abſterſit: & converſus latro vitæ præmia etiam in ipſa ſententia ſuæ mortis emeruit. Mutemus A igitur corda, & præſumamus nos jam percepiſſe quod petimus. Citius ad precem judex flectitur, ſi a pravitate ſua petitor corrigatur. Ea namque quæ ingrata eſſe hominibus importunitas ſolet, judicio veritatis placet: quia pius ac miſericors Deus vult a ſe veniam exigi, qui quantum meremur non vult iraſci. Hinc etenim per prophetam dicit: *Invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me.* Pſal. 46. Ipſe ergo ſibi teſtis eſt qui invocantibus miſereri deſiderat, qui admonet ut invocetur. Et ſicut per alium prophetam ad- B monet: *Levemus corda noſtra cum manibus ad Deum.* Thren. 3. Ad Deum quippe corda cum manibus levare eſt, orationis ſtudium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat timori noſtro fiduciam, qui per prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Ezech. 33. Et certa ſententia eſt, quia quos Deus diu, ut convertantur exſpectat, non converſos durius damnat. Et poſtquam taliter, ſicut prædiximus, a peccatis noſtris nos & vos mundabimus, de cetero ab eiſdem & ab aliis peccatis nos contineamus, ne contin- C gat nobis illud proverbium, quod beatus Petrus apoſtolus de redeuntibus poſt pœnitentiam ad peccata dicit: *Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* 2. Petr. 2. Magna eſt enim contra peccatum pœnitentiæ virtus: ſed ſi quis in eadem pœnitentia perſeveret. Nam ſcriptum eſt: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Matth. 10. Hinc ſcriptum eſt: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Eccl. 34. Mortuum quippe eſt omne opus perverſum, quod pertrahit ad mortem, quod vita juſtitiæ non vivit. Bapti- D zatur ergo a mortuo & iterum tangit eum, qui prava opera, quæ ſe egiſſe meminit, deplorat; ſed eiſdem ſe iterum poſt lacrymas implicat. Animæ itaque cuilibet ejuſdem mortui lavatio non proficit, qui hoc iterum faciendo quod planxerat, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem juſtitiæ exurgit. Et quicumque tempore pœnitentiæ profitetur ad priſtina peccata ſe non rediturum, id eſt, præterita peccata anathematizat, (quoniam aliter nec a Deo ſolvitur, nec ſacerdotali miniſterio reconciliari poteſt,) ſolicite atten- E dat quæ S. Gregorius in quadam epiſtola ſua dicit. Lib. 1x. ep. 39. Theoct. ſtæ. Si qui vero ſunt, inquiens, qui dicunt quia compulſus quiſpiam neceſſitate ſi anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur, ipſi ſibi teſtes ſunt quia Chriſtiani non ſunt, quia ligamenta ſanctæ eccleſiæ vanis ſe æſtimant conatibus ſolvere. Ac per hoc nec abſolutionem ſanctæ eccleſiæ, quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas ejus valere non æſtimant. Contra quos diu diſputan-

tandum non eſt, quia per omnia deſpiciendi & anathematizandi ſunt: & unde ſe fallere veritatem credunt, inde in peccatis ſuis veraciter ligantur. Si qui ſunt igitur, qui ſub nomine Chriſtiano hæc, quæ prædiximus, aut prædicare audent, aut taciti apud ſeipſos tenere, procul dubio eos & ego, & omnes catholici epiſcopi, atque univerſa eccleſia anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur. Intereſt tamen plurimum inter eos, qui poſt pœnitentiam & profeſſionem ad criminalia & publica peccata redeunt per contemptum, & in eis perſeverare diligunt, & inter eos, qui per fragilitatem in præterita peccata criminalia vel publica recidunt, & iterum pœnitentiam poſcunt: quia ſicut S. Auguſtinus (Epiſt. 54.) dicit, in tantum hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia vel graviora committant: & tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum, nec minus tribuit, quam ante tribuebat, largiſſima munera vitæ ac ſalutis. Et quamvis in eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ pœnitentiæ non obliviſcitur. Quamvis ergo caute ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat Deo dicere, Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis conſtringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga iſtos non agi quod apoſtolus ait (Rom. 2.): *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* aut iſtis exceptis eſſe diffinitum quod ſcriptum eſt (Pſal. 2): *Beati omnes qui confidunt in eum?* aut ad iſtos non pertinere quod dicitur (Pſal. 26): *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino?*

VIII.

Tandem ad vos, domine rex dilectiſſime nobis, ſermonem convertimus, quia & in iſto temporali regno vos proſperari cupimus & poſt iſtud regnum ad æternum pervenire deſideramus. Sicut quidam noſtrum ab illis audivit, qui interfuerunt, Carolus Magnus imperator, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos quadraginta ſex feliciter rexit, & ſapientia tam in ſanctis ſcripturis, quam & in legibus eccleſiaſticis & humanis, reges Francorum præceſſit, nullo unquam tempore ſine tribus de ſapientioribus & eminentioribus conſiliariis ſuis eſſe patiebatur: ſed viciſſim per ſucceſſiones, ut eis poſſibile foret, ſecum habebat, & ad capitium lecti ſui tabulas cum graphio habebat, & quæ ſive in die ſive in nocte, de utilitate ſanctæ eccleſiæ, & de profectu ac ſoliditate regni meditabatur, in eiſdem tabulis annotabat, & cum eiſdem conſiliariis, quos ſecum habebat, inde tractabat: & quando ad placitum ſuum veniebat, omnia ſubtiliter tractata plenitudini conſiliariorum ſuorum monſtrabat, & communi conſilio illa ad effectum perducere procurabat. Et ſi ille, qui ſic ſapiens & fortis, & amplitudine regni locuples, & multorum regnorum pacificus dominator, agere ſtudebat, (ſequens ſententias ſcripturæ dicentis (Eccl. 32.): *Omnia fac per conſilium, & poſt factum non pœnitebis*: & (Prov. 1.): *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit*, & (Prov. 11.): *Ubi non eſt gubernator, populus corruet; ſalus autem, ubi multa conſilia*:) quid vobis ſit agendum attendite, qui adhuc in ætate immatura eſtis, & tantos comparticipes atque æmulos in iſta particula regni habetis, ut nomine potius, quam virtute regnetis. Quæſumus cum conſilio & auxilio fidelium veſtrorum, eligite qui vobiſcum per ſingulos menſes de utroque ordine conſiliarii maneant, quibus aurem & cordis & corporis libenter accommodetis, quique vos & Deum timere, & ſanctam eccleſiam ac rectores ejus ſecundum ſacras leges doceant honorare, & regnum ac fideles veſtros ſecundum voluntatem Domini gubernare, & veſtram domum, ſicut tempore anteceſſorum veſtrorum fuit, quando bene fuit, illam vobis inſinuant ordinare, ne vos illuc trahat neceſſitas, quod ducere non debet voluntas. Quatenus eccleſiæ in iſto regno per occaſionabiles circadas, & per indebitas conſuetudinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Caroli, & Hludovvici non fuerunt, ſed moderno tempore impoſitæ fuerunt, non affligantur: & regni primores cum debita ſecuritate ac honore erga vos conſiſtere poſſint, & ceteri nobiles homines in regno ſecuritatem habeant, ne per diverſa ingenia a ſuis opibus quas habere potuerint, diſpolientur. Quia poſtquam radix omnium malorum cupiditas in regno exarſit, ut nullus, aut pene nullus, honorem aut aliquod bonum ſine pretio poſſet acquirere aut tenere, aut ſecuritatem habere, pax & conſilium & juſtitia, atque judicium, ſicut neceſſe fuerat, locum in iſto regno non habuerunt. Et ſatagite, ut iſtæ rapinæ ac deprædationes in iſto regno ceſſent, & miſer iſte populus, qui jam per plures annos per deprædationes diverſas & continuas, & per exactiones ad Northmannos affligitur, aliquod remedium habeat, & juſtitia & judicium, quæ quaſi emortua apud nos ſunt, reviviſcant, & virtutem nobis Deus reddat contra paganos, quia uſque modo jam ante plures annos locum in iſto regno defenſio non habuit, ſed redemptio & tributum non ſolum pauperes homines, ſed & eccleſias

ANNO CHRISTI 881.

quondam divites jam evacuatas habent. Ideo regium nomen ad tantam contumeliam & ad tantam brevitatem devenit, ſicut multis eſt notum, & iſtud regnum, quondam nobile atque amplum, in ſeipſum eſt: at ſicut Dominus dicit, *regnum in ſeipſum divisum deſolabitur*, id eſt, de ſolo, vi[illegible]licet de terra, [illegible]itur, id eſt, ac ſi de glacie lubricatur; ita ut non ſit quod in proximo eſt, niſi, ut in pſalmo dicitur, converſi fuerimus; jam Dominus gladium ſuum vibravit, tetendit & paravit illum, & in eo vaſa mortis effecit. Timete ſententiam quam ſcriptura dicit quæ non mentitur: *Væ terræ cujus rex juvenis eſt, & cujus principes mane comedunt*. Et attendite, quia non deteſtatur ſcriptura ætate juvenem, ſed moribus, & vita, atque ſtultitia, quæ nulla conſilii gravitate deprimuntur. Quod alibi ſanctæ ſcripturæ ſententiæ monſtrant dicendo: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani ſunt autem ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Hinc eſt ergo, quod ad Moyſen Dominus dicit: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint*. In quibus non aliud quam ſenectus mentis requiritur, cum tales jubentur eligi qui ſenes ſciuntur. Si enim ſenectus in eis corporis quæreretur, a tantis ſciri poterant, a quantis videri. Dum vero dicitur, *quos tu noſti quod ſenes populi ſint*, profecto liquet quia ſenectus mentis, non corporis eligenda denunciatur. Talium quippe ſenum, ſicut ſcriptura demonſtrat, conſilium Roboam filius Salomonis reſpuit, & hujuſmodi juvenum conſilium ſecutus, maximam partem regni paterni ſua negligentia perdidit. Cui Dominus propter merita David avi ſui parvam regni particulam reſervavit. De eo quod ſcriptum eſt: *Væ terræ, cujus principes mane comedunt*, non de neceſſaria, ſed de voluptuoſa comeſtione dicit ſcriptura, ſicut demonſtrat apoſtolus dicens: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis vel in concupiſcentiis*. Quos enim a cura carnis in concupiſcentiis refrænat, in neceſſariis quoque concedit. Deus omnipotens, qui per nos hæc loquitur in auribus veſtris, per ſe loquatur in cordibus veſtris.

Matth. 12. — Pſal. 7. — Eccle. 10. — Sap. 4. — Num. 11. — 3. Reg. 12. — Eccl. 10. — Rom. 13.

### Notæ Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Finibus Rhemenſis parochiæ*.) Hodie *Fimes* vocitant, celebre opidum martyrio & cultu ſanctæ Macræ virginis. Olim Fines dicebant, quia in finibus pagi Rhemenſis & Sueſſionici. Itinerarium vetus. *Auguſta Sueſſeium. Fines. Durocortorum Rhemorum*. Synodi ergo apud martyrium ſanctæ Macræ plures habitæ memorantur. Hujus autem, in qua verſamur, meminit Hincmarus epiſt. * III. cap. V. XI. & XXXVII. item epiſtola IV. capite I. & XVII. & aliis locis. Meminit etiam epiſtolæ, quæ non exſtat, ab hac ſynodo directæ ad Ludovicum regem in epiſtola quam eidem regi ſcripſit pro electione epiſcopi Belvacenſis.

2 *Raptores autem*.) Hincmarus epiſtola * IV. capite XVII. *De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda, ex ſacris ſcripturis, eccleſiaſticarum legum deffinitionibus, ac legum ſacrarum conſtitutionibus, ſufficienter ex ſynodali conventu apud martyrium beatæ Macræ nuper habito collecta fratri hujus regis noſtri nuper defuncto per epiſcopos miſimus*.

* Vide tom. II. operum Hincmari p. 188. 191. 193. 190. 203. 215. 220. 225.

* nunc numeratur XV. in editione R. P. Jacobi Sirmondi.

# CONCILIUM ROMANUM VII.

## Joannis papæ VIII.

In quo Romanus Ravennas Archiepiſcopus communione privatus fuit.

Romanum Archiepiſcopum Ravennatem multis criminibus irretitum, multorumque hominum accuſationibus horrendis impetitum, & præcipue manifeſto perjurio pollutum miſſis per Joannem Montis Feretrani Epiſcopum literis ad Synodale Collegium Romam evocaverat Joannes Papa VIII. cui cum ille præſentiam ſuam exhibere contempſiſſet, eum iterum ad aliam Synodum octavo Kalendas Octobris quintædecimæ Indictionis celebrandam vocat miſſis per Joannem Callenſem Epiſcopum literis, quæ inter Joannis Epiſtolas leguntur n. 275. Repetito tamen Pontificis præcepto cum Romanus minime obtemperaſſet, & ſe concilio ſiſtere renuiſſet, in Synodo excommunicatus eſt, ut docent literæ Joannis n. 278. datis *menſis Octobris die quarta*, *indictione duodecima* (legendum XV. non autem XIV. ut perperam emendatur in margine editionis Labbeanæ,) ad Ravennates, in quibus hæc leguntur: *Noſſe volumus fidelitatem, & unanimitatem veſtram, quia Romanum archiepiſcopum veſtrum pro perjurii reatu manifeſte pollutum, aliiſque nefandis criminibus impetitum, & idcirco ad Synodum pro ſui purgatione vocatum, occurrere contemnentem, omni Eccleſiaſtica communione una cum ſancta Synodi decreto privavimus, quouſque ſuam ſpecialem ſtuduerit nobis exhibere præſentiam* &c.

ANNO CHRISTI 882.

# RAVENNATENSE CONCILIUM, ſeu CONVENTUS

*A Joanne VIII. Carolo Craſſo imperatore præſente*,

Anno 882. idibus Februarii celebratus.

Ex Manſi Suppl. pag. 1015.

Quamquam de hoc Concilio nihil alicubi ſub expreſſo Concilii nomine reperi; cum tamen ex diplomate Caroli Craſſi, mox recitando, conſtet anno 882. idibus Februarii Joannem VIII pon-

ANNO CHRISTI 882. Ex Manſi Suppl. pag. 1015.

pontificem Ravennam cum imperatore ſe contuliſſe, eodemque conveniſſe *cœtum multorum venerabilium epiſcoporum*, ibique habitum fuiſſe *Concilium generale*; nihil temere me facturum exiſtimavi, ſi cœtum hunc ſacrum, Concilii nomine appellaverim. In eo igitur ſeu conventu ſeu Concilio ſequentia duo Caroli Craſſi imperatoris diplomata data ſunt, quæ recitat Ughellius Ital. ſacr. in Brugnatenſibus tom. IV. pag. 981. & in regio Lepidi epiſcopi tom. II. col. 251. nov. edit. His vero & aliud adjicio ejuſdem Caroli imperatoris diploma in eodem ſeu conventu, ſeu Concilio Ravennatenſi datum, in quo decretum pro immunitate eccleſiarum generatim omnium, & Aretinæ præſertim fertur; quam conſtitutionem, & ſua, & epiſcoporum ſecum ibidem præſentium, ac denique Principum imperii authoritate ſancitam, aſſerit. Poſtremum hoc diploma datur ex Muratorio in Antiquit. Ital. tom. I. col. 869. Idem, quod Muratorius in gratiam Aretinæ eccleſiæ affert Caroli imperatoris documentum; idem, inquam, exhibet Ughellius tom. V. pag. 722. pro Veronenſibus; niſi quod ubi apud Muratorium legitur *Aretinæ eccleſiæ*, Ughellius habet *Veronenſis*. Ceterum in diplomate Muratorii legendum eſt pro anno 883. annus 882. cum illum ferat indictio XV. idemque recte ſignet Ughellianum diploma.

ANNO CHRISTI 882.

## PRÆCEPTUM CAROLI CRASSI

* *Pro Brumacenſi Abbatia.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si petitionibus ſervorum Dei juſtis, & rationabilibus annuimus, & neceſſitudines injuſtas ſublevamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus, quia decet imperiale faſtigium ſibi ſubditis partes oppreſſas objecta erigendo, & ad proprium, Deo favente, ſtatum reintegrando perducere. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ animarum præſentium ſcilicet, & futurarum comperiatur induſtria, quia venientibus nobis Ravennam ad colloquium ſpiritualiter noſtri Joannis, videlicet ſummi Romani Pontificis, & univerſaliter Papæ, pervenit ad noſtram notitiam cum eodem Pontifice vero.... Petrus de monaſterio Brum... proclamantes ſibi illatis ſuperſtitionibus a ſeculari & publica poteſtate, ita ut, contempto timore Dei, & abjecta juſſa Domini Luitprandi, & Racchis, ſeu & Ridulphi, nec non & Gregorii Papæ interdicta, ſeu Deſiderii Regum prædeceſſorum noſtrorum, ita ut eccleſia, ſeu eccleſiaſtica prædia, & placita teneant, & diſtrictiones in liberos maſſarios ſuper eccleſiaſticas res reſidentes, & ſervos Aldiones, tributa faciant ab eis, & exigant decimationes, & cenſum, donationes, & angarias, & operas, quod non ſolum Eccleſiæ filiis, ſed Deo odibiles credimus, qui talem violentiam apud Chriſtianos faciunt. Ideoque omnium fidelium noſtrorum notum ſit in concilium generale Dei noſtri, atque Imperiali auctoritate omnes has ſuperſtitiones, & importunas funditus violentias ab hoc hodierno die deinceps abolendas, in vobis omnibus decernimus ſtatuentes, ut in S. Brumenſi Eccleſia nullus epiſcopus, nullus dux, comeſque, nullus Judex, vel quilibet indicet judiciariæ poteſtatis perſonam, tam Imperialibus, quamque & reliquorum hominum, non audeat de omnibus rebus prædicti monaſterii placita tenere in maſſanos aut colonos liberos, aut aldiones, vel ſervos quoſcumque reſidentes ſuper res ad prædictam Eccleſiam pertinentes quibuslibet modis diſtringere, pignorare, aut angariare, cenſus, decimationes, & denaria exigere quoquo modo præſumant, niſi ſicut conſtituit Gregorius PP. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cenſum reddendum denariorum octo, & candela duo, ſed liberos maſſanos, vel erimanos, quos legales coactio exigere, quærere placitum per patronum, vel advocatum adducat, ut legalis diſtinctio legalem intentionem finem imponant. Hæc vero noſtra imperialis inſtitutio tam epiſcoporum quique & comitum, ſeu & reliquorum fidelium noſtrorum generaliter promulgata, & ſancta auctoritas notum ſit in toto

A Regno Romanorum Deo favente per infinita tempora proprium robur obtineat, nullique temeratori impune eam contemnere facultas exiſtat. manu propria ſubterfirmavimus, & anuli noſtri impoſitione inſigniri juſſimus, quas ſi quis vitiare præſumpſerit 100. lib. auri ſe compoſiturum cognoſcat mediet. Eccleſ. vel monaſt. cui * videntiam intulerit, & mediet. palatio noſtro.

* l. violentiam.

Signum † Domini Caroli Imperatoris.

Vvalde Notarius ad vicem Lutuardi Archicancellarii recognovit.

Dat. 15. Kalend. Martii anno Incarn. D. 882. B Ind. 15. anno vero piiſſimi Imperat. Caroli II. ad Ravennam in Dei nomine. Amen.

„ Act. Placentinus Notarius Sacri Palatii ſupraſcripti privil. exemplar tranſcripſi, & exemplicavi ab authenticis publicis ſigillis vetuſtiſſimis cereis ſigillatis ſicut in eis vidi, & legi. Et hæc cum eiſdem auſcultavi, ad quorum corroborationem juſſu, & auctoritate D. Othonis Archiep. Januen. & Guilielmi Brumacenſis electi ſubſcripſi, & in publicam formam redegi.

C

## CAROLI CRASSI IMPERATORIS

*Præceptum aliud pro Regienſi eccleſia in eadem Synodo datum.*

IN nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis. Carolus divina favente clementia imperator auguſtus. Solet imperialis majeſtas prædeceſſorum regum vel imperatorum decreta optimatum ſuorum intuitu diligenter ſcrutari, & ea, quæ congrua ſunt, libenter ſectari, ſicque fit, ut dum eorum dignas ſanctiones recolit, & rempublicam D ad priſtinum ſtatum perducat eccleſiaſticam, & eam conſervando ſempiternæ remunerationis bravium a rege regum percipiat. Univerſorum igitur ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum noſſe cupimus ſagacitatis induſtriam, qualiter venientibus nobis Ravennam ad colloquium ſpirituale Patris noſtri Joannis pontificis & univerſalis PP. ubi multorum epiſcoporum venerabilis cœtus, nec non & nobilium procerum caterva convenerat, inter quos ven. Aaron S. Regienſis eccleſiæ præſul, per reverendos pontifices Lintuvardum Vercellenſem ſa- E cri palatii noſtri Archicancellarium, & Vvibodum Parmenſem, ſummos & dilectos conſiliarios noſtros, detulit nobis præcepta proavi noſtri Caroli, & avi noſtri Hludovici, & patrui noſtri Hlotarii, ſeu & Hludovici imperatoris conſobrini noſtri, in quibus continebatur quod quondam caſu accidente S. Regien. eccleſiæ tecta ignium flammis ſint conſumpta, & quædam monumenta chartarum exuſta, pro quibus ejuſdem eccleſiæ Antiſtites, Apollinarii videlicet, cujus temporibus in-

ANNO CHRISTI 882.

Ex Manſi Suppl. pag. 1031.

incenſa fuerant, Vitalis quoque & Sigefridus pro A
temporum qualitate, regnique immutatione ſu-
pradictorum imperatorum defentiones, & totius
eccleſiæ tuitiones, rerumque omnium mobilium,
& immobilium, cum familiis utriuſque ſexus,
aldionibus, & aldianis, libellariis, & commendi-
tiis, cunctoque clero epiſcopii, terminiſque &
confiniis per quadripartitionibus orbis plagas, &
climata per parochias & diœceſes circumquaque
per montana, & planities, ac colles, & valles,
rivoſque defluentes per renovationis ſeriem, ade-
pti ſunt a finibus Tuſciæ per confinia Lunen-
ſium, Mutinenſium, Regienſium, Parmenſium,
Cremonenſium, & Mantuanenſium uſque in flu-
vium Padum, immunitatem, & more ceterarum
eccleſiarum, & inquiſitionem per liberos homines B
ſincere fuerit faciendum, & advocatos duos vel
tres, quos ipſius eccleſiæ pontifices aptos & ſibi
congruos proſpexerint eligant, qui cauſas eccle-
ſiæ ſuæ diligenter examinent, & inquirant, ipſi-
que advocati ab omni publica expeditione ſint
ſemper immunes: pro ſecuriore tamen firmitate
jam præfati pontifices noſtram expetierunt cle-
mentiam, ut & nos eidem ſanctæ Regienſi ec-
cleſiæ noſtræ defenſionis, emunitatis, inquiſitio-
nis quoque, & advocationis pragmaticum fieri
juberemus. Nos vero divino freti amore poſtula-
tionibus eorum aſſenſum præbuimus, & ſicut jam
præfati parentes noſtri imperatores Auguſti, Ca-
rolus ſcilicet proavus noſter, & Hludovicus filius
ejus avus noſter, necnon & Hludovicus conſobri- C
nus noſter ſanctam Regien. Eccleſiam ſub co-
rum defenſione cum terminis, & hominibus, re-
bus ad eam pertinentibus receperunt; ita & nos
in omni defenſione rerum, & terminorum per
montana, planitieſque, valles quoque, colles &
alpes, rivoſque diſtillantes & decurrentes, cum
hominibus liberis, & ſervis utriuſque ſexus, com-
menditiiſque, & libellariis, aldionibus, & aldia-
bus, cunctoque clero....... ejuſdem eccleſiæ re-
ſidentibus favemus, ut nullus publicus exactor
cenſus, aut donaria, aut manſionatica, vel ali-
qua publica ſervitia ab eis exigat; emunitatem
quoque, & inquiſitionem, vel advocationem, ut
jam dictum, per duos vel tres, quos elegerint,
perdonamus, omniumque facultatum protectionem D
concedimus, quas hactenus tam oblatione fide-
lium, quam donis & largitione ac conceſſione
rerum, vel imperatorum in montibus, & planis,
ripiſque, & paludibus, cum piſcationibus, & flu-
minibus magnis, & parvis, aquarum ductibus per
ipſius eccleſiæ acquiſivit, vel deinceps juſte ac-
quirere potuerit. Statuimus etiam ut in terminis
S. Regienſis eccleſiæ nullus aut comes, dux, vel
aliqua judiciaria poteſtas, aut miniſter reipublicæ
in domo epiſcopis, vel in plebibus, aut titulis,
aliiſque eccleſiis, vel domibus, aut poſſeſſionibus
urbanis, aut ruſticis placita tenere, aut maſſa-
rios, & colonos liberos, aut ſervos, aut aldio-
nes, ſupra res eidem eccleſiæ reſidentes, diſtri-
buere, pignorare, vel angariare, cenſus, aut de-
naria exigere præſumat. Liberi vero, quos lega-
lis, quæ actio ad placitum exigit, quærere per E
advocatum ejuſdem eccleſiæ, ſuper res ipſius ec-
cleſiæ diſtringantur, ne pignorationis occaſio adi-
tum rapinæ pro datoribus præſtet. Hoc etiam in
hominibus herimannis præfatæ eccleſiæ filiis om-
nimodis obſervare jubemus, ut ab eis nulla de-
naria aut redibitiones, aut pignorationes, aut
injuſtæ diſtrictiones exigant, vel aliqua ſuperim-
poſita eis inferantur. Præcipimus etiam ut nullus
reipublicæ miniſter per univerſa regni ſpatia ab
hominibus ſæpe nominatæ Regienſis eccleſiæ li-
beris & ſervis teloneum, aut ripaticum exquirat;
ſed liceat eis pro utilitate ejuſdem eccleſiæ ejuſ-
demque pontificis libere & ſecure per Padum,
ſive per alia flumina rivoſque ac paludes atque
mercationes ubique incedere, & quæ neceſſaria
fuerint exercere. Si quis autem hoc noſtræ de-
fenſionis, & renovationis, ac reſtitutionis, ſeu
inquiſitionis, & advocationis præceptum violare
temptaverit, noverit ſe compoſiturum emunitatis
pœnam in argento lib. 30. & quia mandatum ir-
rumpere coactus fuerit, edictum componat auri
obrizi 60. medietatem palatio noſtro, & medie-
tatem præfatæ ſæpe nominatæ eccleſiæ. Inſuper
& hoc noſtrum præceptum in ſuo vigore peren-
niter conſiſtat. Et ut hoc noſtræ confirmationis,
& renovationis præceptum ab omnibus verius cre-
datur, diligentiuſque obſervetur, manu propria
ſubter illud confirmavimus, & anuli noſtri im-
preſſione inſigniri juſſimus.

Sign. Domini † Caroli ſereniſſimi imp. au-
guſti.

Waldo not. ad vicem Lituardi Archicancellarii
recognovi.

Data idib. Februarii ann. Incarnat. Domini
882. Indict. 15. anno 2. imperatoris piiſſimi Ca-
roli II.

Actum civitat. Ravennæ in Dei nomine felici-
ter. Amen.

## DECRETUM IMMUNITATIS

*Conceſſum a Carolo Craſſo imperatore omnibus eccleſiis, & nominatim eccleſiæ Aretinæ.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ka-
rolus divina favente clementia imperator Au-
guſtus. Si petitionibus Sacerdotum Dei juſtis,
& rationabilibus annuimus, & neceſſitudines in-
juſtas ſublevamus, id nobis procul dubio ad æter-
nam beatitudinem capeſcendam pertinere confidi-
mus, quia decet imperiale faſtigium ſibi ſubditas
partes oppreſſas, pravitate abjecta, erigendo, &
ad proprium Deo favente ſtatum redintegrando
perducere. Quapropter omnium fidelium ſanctæ
Dei eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet,
& futurorum comperiat induſtria, quia venienti- D
bus nobis Ravennam ad colloquium ſpiritalis Pa-
tris noſtri, Domni Joannis videlicet ſummi Ro-
mani pontificis, & univerſalis papæ, pervenit ad
noſtram notitiam maxima venerabilium epiſcopo-
rum, & populi proclamatio de plurimis ſibi illa-
tis ſuperſtitionibus, & injuſtis * oppreſſionibus a
ſeculari & publica poteſtate, ita ut contempto
timore Dei, & objecta a prædeceſſoribus noſtris
interdicta, per plebes & eccleſiaſtica prædia, &
domos placita teneant, diſtrictiones in liberos
maſſarios, ſuper eccleſiaſticas res reſidentes, &
ſervos, & aldiones faciant, tributa ab eis exi-
gant, cenſus, & donaria, angarias etiam, & ope-
ras, & non ſolum ab eis, ſed & ab omnibus li-
beris erimannis, & eccleſiæ filiis, quod Deo odi-
bile certiſſime credimus, quia tales violentias apud
E Chriſtianos non debere fieri non dubitamus. Id-
eoque omnium fidelium noſtrorum tam reveren-
tiſſimorum epiſcoporum, quamque & illuſtrium
comitum, reliquorumque fidelium noſtrorum coi-
tu, facto conſilio generali, Dei noſtraque impe-
riali auctoritate omnes has ſuperſtitiones, & im-
portunas violentias funditus, ab hodierna die, &
deinceps abolendas & extirpandas radicitus modis
omnibus decernimus: ſtatuentes, ut in ſancta
Aretina eccleſia nullus Comes, nulluſque Judex
vel quælibet judiciariæ poteſtatis perſonæ, tam
in

ANNO CHRISTI 882.

* Ughell. in ſundis.

ANNO CHRSITI 882.

Ex Manſi ſuppl. pag. 825

in plebibus, quamque in monaſteriis, titulis, aliiſque eccleſiis, vel domibus, ſeu urbanis, vel ruſticis poſſeſſionibus ad eam pertinentibus placita tenere, maſſarios & colonos liberos, aldiones, vel ſervos quoſque reſidentes ſuper res ad prædictam ſanctam eccleſiam pertinentes, quolibet modo diſtringere, pignorare, angariare, cenſus & redibitiones, & donaria aliqua exigere quoquo modo præſumat; ſed liberos maſſarios, quos legalis coactio exigit quærere ad placitum, per patronum, ſeu advocatum ad placita adducantur, ut legalis diffinitio legalem contentioni finem imponat. Hæc etiam in omnibus liberis & erimannis præfatæ ſanctæ Aretinæ eccleſiæ filiis, & in ejuſdem diœceſis commanentibus maſſariis, & colonis, obſervari omnimodis jubemus, videlicet, ut ab eis, nec donaria, aut redibitiones, neque pignorationes, vel injuſtæ diſtrictiones exigantur, ſed unuſquiſque cum legalis cenſura exigit, a patrono ſuo ad placitum deducatur, ne pignorationis occaſio aditus rapinæ deprædatoribus in aliquo præſtetur. Interdicimus etiam, nemini licere alienas res præſumptive invadere occaſione cartulæ ab eo factæ, qui veſtituram legitimam non habuiſſe dinoſcitur; ſed ſi quis adquiſitor extiterit, non ante invadere alienas * res eccleſiæ, vel cujuſpiam liberi hominis pervadere præſumat, antequam auctor cartulæ legali & judiciali diffinitione eas vindicet, & tunc demum cui vult, liberam tribuendi habeat facultatem. Hæc vero noſtra imperialis inſtitutio, & tantorum * fidelium noſtrorum tam reverentiſſimorum epiſcoporum, quamque & ceterorum fidelium generaliter promulgata, & ſancita auctoritas, in omnibus parochiis, comitatibus, & marchiis per totius noſtri imperii fines, in toto regno Romanorum, & Longobardorum, & Ducatus Italiæ, Spoleti, & Tuſciæ, Deo favente, per infinita tempora proprium robur obtineat, nullique temeratorum * eam contemnere facultas exiſtat. Quam ſi quis violare præſumpſerit centum libras auri..... * ſe compoſiturum agnoſcat, medietatem eccleſiæ, cui violentiam intulerit, & medietatem palatio noſtro. Et * hoc noſtræ auctoritatis præceptum * propria manu firmavimus, & annulo noſtro * juſſimus ſigillari.

* Ugh venderit aliquas.

ANNO CHRISTI 883.

* Ugh. conſtatum.

* Ugh temeratori.

* Ugh puri.

* Ugh & ut

* Ugh addit firmam & ſtabile permaneat.

Signum Domni Karoli ſereniſſimi imperatoris Auguſti.

Inquirinus Notarius ad vicem Liutuvardi archicancellarii recognovi, & ſubſcripſi.

Data XV. * Kalendas Martii, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. * Indictione XV. anno vero imperii Domni Caroli ſecundo.

Actum Ravenna civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

* Ugh. XVI.

* Ughel DCCCLXXXIII.

# VITA

# MARINI PAPÆ I.

## QUI PERPERAM

## MARTINUS II. NOMINATUR.

ANNO CHRISTI 883.

Quæ ſequuntur vitæ pontificum, ex cardinalis Baronii annalibus aliiſque horum ſæculorum ſcriptoribus ſunt collectæ per Severinum Binium.

MArinus Galleſio oppido oriundus, poſt triduum ab obitu Joannis VIII. Kalen. Februariis unanimi conſenſu totius cleri, non ex diacono ſed epiſcopo electus eſt pontifex anno Domini 882. tempore Caroli III. & Baſilii imperatoris. Sedit annum unum & dies viginti. Hic dum ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis eſſet, miſſus eſt cum Donato atque Leone Conſtantinopolim ad inſinuandam Photio anathematis ſententiam, qua a Nicolao papa perculſus erat. Cum Donato & Stephano tempore Hadriani II. iterato munere legationis apoſtolicæ functus, Conſtantinopoli Photium depoſuit, Ignatium reſtituit, atque ſacroſanctæ œcumenicæ ſynodo octavæ præſedit. Bulgari cum ſibi epiſcopum dari apud Hadrianum II. inſtiterunt; ſed non impetrarunt. Creatus a Joanne pontifice epiſcopus, tertiam legationem obiturus, tertio miſſus eſt Conſtantinopolim, ad ruinam illam reparandam, quæ per Petrum, Paulum & Eugenium tres ſedis apoſtolicæ illhuc pro Photio reſtituendo ad ſynodum ablegatos facta erat. Cumque ibidem ſumma animi conſtantia coram Baſilio imperatore, cuncta quæ prædicti tres legati perperam geſſerant, irrita reddidiſſet, triginta diebus, inquit Stephanus in epiſtola ad Baſilium imperatorem, carcere detentus fuit. Hac confeſſionis glorioſa corona redimitus, ab eodem Joanne VIII. ablegatus eſt ad Athanaſium Neapolitanæ urbis epiſcopum & principem, ut ſi fœdus, quod ille cum Saracenis initum habebat, diſſolveret, eumdem Athanaſium a ſententia excommunicationis, quæ ſynodali judicio in eum lata erat, abſolveret Fuiſſe eumdem ſedis apoſtolicæ arcarium indicat Joannes papa epiſtola 294. Initio pontificatus ſui Photium, omniaque ejus acta ad munus epiſcopale ſpectantia, damnavit, atque acta conciliabuli pſeudooctavi plane reprobavit. Qua de cauſa Baſilius imperator graviter offenſus, furore gravi incenſus, Romam ſcribens dicebat, Marinum non eſſe pontificem, eo quod alterius eccleſiæ epiſcopus jam ante ordinatus fuiſſet, aliaque multa adverſus eumdem papam ſanctiſſimum effutiens, ſolio pontificio eum dejicere ſatagebat. Quid autem pro eodem defendendo Stephanus papa ſucceſſor Marini ad Baſilium reſcripſerit, ex epiſtola ejuſdem Stephani infra patebit. Ea, quæ Joannes papa perperam egerat, reſciſſurus, inter alia Formoſum epiſcopum Portuenſem munere apoſtolatus apud Bulgaros præclare functum, ac aliarum legationum meritis exornatum, quem Joannes epiſcopatu depoſuerat, & juramento obſtrinxerat, ſe nunquam ad ſedem epiſcopalem rediturum; ſed laica communione contentum deinceps quieturum, in urbem & epiſcopatum revocavit, atque eumdem in priſtinum ſtatum reſtituit. Qua de cauſa a Joanne depoſitus, quove modo a Marino reſtitutus fuerit, non conſtat: potuit ſine dubio eum a juramento injuſte exacto abſolviſſe, & ſententiam Joannis papæ velut iniquam, privatoque affectu fortaſſe prolatam, retractaſſe. Utrum horum factum fuerit, incertum eſt; ideoque mirum, quod rerum geſtarum ignari, ob reaſſumptum pontificatum Formoſo obloquantur

Marinus quando pontifex factus? Ante pontificatum quid geſtum eſt ab eo?

Marinus fit glorioſus confeſſor Chriſti.

Quid pontifex fecerit?

Formoſum reſtituit.

Hæc

*Hæc ex diverſis epiſtolis pontificum Baronius.* Fulconi Rhemenſi archiepiſcopo, qui Hincmaro ſurrogatus erat, poſt emiſſam orthodoxæ fidei profeſſionem, pallium conceſſit. *Flodoardus in vita Fulconis.* Scholam Anglorum Romæ exiſtentem rogatu Aelfredi regis a tributo liberam fecit. *Matthæus Weſtmonaſterienſis.* Cumque locis omnibus ſupra allegatis Marinus nominetur, recte Platinam erroris redarguit Onuphrius, quod aliter quam Martinum appellantes ſimilitudine nominis deceptos eſſe ſcribat. Hujus temporibus Northmanni Trevirorum, Tungrorum, Ubiorum, aliorumque circumjacentium populorum urbes & oppida incendiis & rapinis devaſtarunt. *Ex actis ſanctæ Gudilæ & annalibus Francorum Baronius.* Photius ſchiſmaticus hoc tempore Aquilejenſi archiepiſcopo imperito & ſchiſmatico de proceſſione Spiritus ſancti reſpondens, cauſam dedit; quod ſicut jamdiu hoc tempore Aquileienſi archiepiſcopo imperito & ſchiſmatico de proceſſione Spiritus ſancti reſpondens, cauſam dedit; quod ſicut jam diu ante hæc tempora Hiſpaniarum & Galliarum eccleſiæ, ita etiam ad retundendam Photii ejuſque ſectariorum de proceſſione Spiritus ſancti hæreſim, Romana eccleſia additamentum illud, *Filioque*, ad ſymbolum Conſtantinopolitanum poſterioribus hiſce ſæculis adjecerit, & in eccleſia publice decantaverit. Quo tempore & fine, quove auctore & modo id factum fuerit, ex Ætheriano, & concilio Florentino refert Baronius anno 833. numero 34. & ſequentibus. Marinus apoſtolico munere laudabiliter perfunctus migravit ex hac vita XV. Kalendas Februarii anno Redemptoris 884. cum in pontificatu annum unum & dies viginti ſediſſet. Poſt obitum ejus ſedes biduo vacavit.

Sitne Marinus, an Martinus nominandus.

Marini obitus quando ſecutus?

## PRIVILEGIUM MARINI PAPÆ I.

### MONASTERIO SOLEMNIACENSI conceſſum.

F. Sirmondus edidit ex ipſomet autographo.

*Marinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto abbati Danieli ex cœnobio ſancti Petri Solemniacenſis, quod olim a beato viro Eligio conſtructum, ſucceſſoribuſque tuis, ac monachis inibi nobiliter degentibus in perpetuum.*

CONvenit enim noſtro pontificio, ut quantum præ omnibus eminet dignitate, tanto ſupra univerſo eniteat ſereniſſima pietate. Poſtulaſtis itaque a nobis, ut præfatum cœnobium ſub defenſione ac tuitione beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ac noſtra ſtatueremus, ſicut factum legimus ab anteceſſore noſtro beato viro papa, poſtulante nobiliſſimo Francorum rege Dagoberto, & conſtructore ipſius loci ſanctiſſimo viro Eligio epiſcopo Noviomagenſi, quatenus quieti ac tuti eſſe per futura tempora valeatis. Nos vero, veſtram ſanctitatem agnoſcentes, veſtræque religioni aſſenſum præbentes, tanta alacritate læto animo concedimus, quanto vos Deo propinquiores in ſacra converſatione cognoſcimus fore. Igitur juxta petitionem veſtram, hujuſmodi privilegium præſentis auctoritatis noſtræ decreto eidem venerabili monaſterio veſtris futuriſque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus. Et ſicut nobiliſſimus Francorum rex Dagobertus, & glorioſiſſimi Auguſti, Carolus & filius ejus Ludovicus, & filii & nepotes eorum, Carolus imperator, & ejuſdem Caroli filius Ludovicus, nec non & Karlomannus Ludovici filius, qui nunc regnum Francorum feliciter gubernare videtur, ducti divino amore, de villis ac facultatibus ſeu ſtipendiis propriis, vel quolibet modo ibi a fidelibus viris condonatæ res, a vobis quoquomodo acquiſitæ ſunt, ſicut in præceptis prædictorum regum continentur, vel in charta ejuſdem monaſterii fundatoris inſertum eſt, ſcilicet Eligii epiſcopi, omnia illibata & inconvulſa noſtræ auctoritatis privilegio confirmamus. Damus etiam licentiam, propter perſecutionem infidelium Chriſtianitatem devaſtantium, munitionem ibi fieri. Conſtituimus alia auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antiſtitum, vel abbatum, ſeu quilibet ſua præditus dignitate, de iis quæ in prælibatis præceptis continentur, vel in futuro ab eis, vel a quibuslibet de proprio fuerint his ſpecialibus uſibus jure collata, ſub cujuslibet cauſæ occaſione ſive ſpecie, quidquam minuere vel auferre, vel aliis quaſi piis cauſis pro ſuæ avaritiæ excuſatione præſumat concedere. Sed cuncta, quæ uſibus monachorum, vel eccleſia oblata ſunt, vel offerri contigerit, perenni tempore abſque ulla inquietudine ipſis, quibus conceſſa ſunt, profutura permaneant. Statutum etiam, ut nullus epiſcoporum, ſeu comitum, manſionaticum ibi, vel paratas, vel ſtationes requirere ſeu exigere præſumat, ſed liceat ſervis Dei ſine aliqua inquietudine Deo ſervire, & hoſpitalitatis benevolentiam, prout eis libuerit, cunctis fidelibus impendere. Placuit huic paginæ inſeri, ut obeunte abbate prædicti cœnobii, nullus ibi, quacumque ſubreptionis ambitione, abbatem ſtatuere præſumat, niſi quem ejuſdem loci monachi ſecundum authenticam & regularem inſtitutionem ex ſeipſis elegerint ordinandum. Si quis autem hanc paginam conſtitutionis agnoſcens contra eam venire tentaverit, ſit alienus a ſacratiſſimo corpore Domini Jeſu Chriſti, & niſi præſumpta correxerit, vel male ablata non reſtituerit, ultionem cum Juda proditore excipiat, & beatum Petrum ſentiat hoſtem. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis inveniant. Scriptum per manum Zachariæ ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ menſe Majo, indictione prima. Bene valete. Pridie Idus Junias, per manum Valentini eccleſiæ Portuenſis epiſcopi, regnante in perpetuum Domino Deo noſtro. Anno pontificatus domni Marini univerſalis papæ primo, indictione 1.

CON-

# CONCILIUM TOLOSANUM,

## AB EPISCOPIS SEPTIMANIÆ ET AQUITANIÆ

celebratum, in quo audita & repreſſa Judæorum querela ſe a Chriſtianis vexatos conquerentium, anno Domini DCCCLXXXIII.

Ex Labbei Append. tom. IX.

HUjus *Concilii memoriam ſervat ſancti Theodardi Narbonenſis archiepiſcopi vita a Guill. Catello in rerum Occitanarum commentariis edita: cujus hæc verba ſunt, quorum equidem fidem non præſto:* Judæi prædictæ civitatis (*Toloſæ ſcilicet*) adierunt Carlomannum Francorum regem, & queſti ſunt injuriam ſibi fieri ab epiſcopo jam dictæ civitatis, & ab omni clero illius & populo, in colaphizando pariter & cædendo ter in anno unum ex advocatis eorum. *Addit reſponſum a rege, juſſurum ſe hac de re cogi concilium epiſcoporum Septimaniæ & Aquitaniæ. Pergit:*

B Cumque concilium illud ſtrenue ageretur Toloſæ, in atrio pontificalis eccleſiæ, eſſetque inibi grandis frequentia fidelium, & Judæorum, & ex utraque parte, ipſa, propter quam illuc convenerant, cauſa ſagaci diſcuſſione ventilaretur: dicentibus Judæis, injuſte ſibi fuiſſe olim ab epiſcopis ejuſdem civitatis cædendi eos & colaphizandi impoſitam ſarcinam: & e diverſo contradicentibus Chriſtianis non, ſed juſto ejus judicio tali pœna eſſe damnatos: C cum neutra pars eorum adverſariis cederet, ſurrexit, annuente præfatæ urbis epiſcopo Bernardo, jam dictus egregiæ indolis Theodardus *, & manu ſilentium indicens, ait: Si jubeat celſitudo pontificalis gloriæ, & maxime domini Sigebodi archipræſulis, magnique præterea hujus patriæ ac provinciæ ducis Ricardi, qui vicibus fungens regalibus, huic magno præeſt concilio, auctor pariter & diſpoſitor eorum, quæ a rege fieri juſſa ſunt, & ab epiſcopis diligenti curioſitate inveſtiganda ſuper Judæorum querelis, D ſuperque civitatis hujus epiſcopo illato damno, veridica, & omnis ambiguitatis vinculo reſoluta ſermocinatione, eos injuſte cauſari, atque ſatis indebita injuria contra epiſcopum commoveri, in conſpectu veſtro convincam, & a querimoniæ pertinacia rationabili allegatione, Deo auxiliante, deſiſtere, penituſque ceſſare faciam.

* Deinde Narbon. archiepiſcopus.

Quod cum omnibus qui aderant, valde placuiſſet fidelibus, & dicerent ſinguli, Ita fiat: jubente archiepiſcopo ac duce, protulit coram univerſis idem beatus juvenis Theodardus duo regalia præcepta, Caroli Magni videlicet, ejuſque glorioſiſſimi filii Ludovici, & certa ſignacula eorum impreſſione diligenter notata.

*Quorum præceptorum ſententia, ut ibi quidem refertur, hæc eſt: Judæos Toloſæ degentes, quod Abderam Saracenorum regem in Gallias evocaſſent, a Carolo Magno vitam impetraſſe hac conditione,* quatenus per unumquemque annum unus quilibet tam ex ipſis, quam ex ſucceſſoribus eorum Judæus in die natalis Domini & paſſionis ejus, & in die aſſumptionis, colaphizetur ante ſores illius eccleſiæ, ubi ejuſdem civitatis epiſcopus juberet, dumtaxat uno ictu virtuoſi hominis: oblato prius pro cenſu, pondere trium librarum ceræ.

*Quibus auditis, rogati a duce ſententiam epiſcopi,* reſponderunt omnes pariter, & dixerunt: Abſit hoc a nobis, ut contra hanc imperialem, rectamque ac juſtiſſimam ſanctionem, aliquid opponamus contrarium.

*Inſecuta Theodardi & Judæorum altercatio, & in perendinum uſque protracta: in qua cum adverſus Chriſtum impia multa Judæi evomuiſſent, iratuſque dux extrema quæque minaretur: Judæi terrore perculſi acciderunt ad epiſcoporum genua, rogaruntque ut veniam ſibi a duce impetrarent, liceretque ſibi* ipſo eodemque mancipatis ſupplicio, quo ab imperatoribus prius damnati fuerant, ſub quiete ac tranquillitate vivere. *Quod cum recuſaret dux, conceſſit tandem, adjecta ex Theodardi conſilio conditione una:* ut is qui colaphizandus eſt Judæus, priuſquam pugnizetur, coram omnibus ſibi circumſtantibus ter voce dicat excelſa: Bene quidem & ſatis juſte decretum eſt, ut cervices Judæorum pugnis ſubjiciantur Chriſtianorum, eo quod noluerint ſubjici Jeſu Chriſto Nazareno Deo Deorum ac Domino dominorum. Quod ſi noluerit, reſeriatur ſepties: ut impleatur quod in lege eorum ſcriptum eſt: *Augebo pœnas veſtras ſeptuplum, averſus incedens contra vos.* Levit. 26.

*Addit hoc & ab epiſcopis ac duce probatum, & regio deinde præcepto confirmatum.*

VI-

# VITA.

# HADRIANI PAPÆ III.

Quando pontifex factus?

Photium execratus eſt.

HAdrianus III. natione Romanus XIII. Kalendas Februarii anno redemptoris noſtri 884. temporibus Caroli III. & Baſilii imperatoris creatus eſt pontifex: ſedit annum unum, menſes tres, dies decem & novem. Solicitatus a Baſilio imperatore ut cum Photio in rebus fidei & religionis communicaret, non tantum non petitioni ejus acquievit, verum exemplo prædeceſſoris ſui Marini eumdem tamquam laicum acerrime eſt inſectatus. Quo facto imperator graviſſime contra eum commotus, hoſtiles ei literas contumeliis pleniſſimas tranſmiſit. Hadrianus prius hac vita defuncto, quam literas imperatoris minaciſſimas A acceperat, accepit eas Stephanus, reddiditque ad Baſilium eam epiſtolam, quam ſupra in appendice * octavæ ſynodi impreſſam invenies.

De electione pontificis decrevit, ne in ipſo creando imperatoris auctoritas exſpectaretur; idque ideo, ut cleri & populi libera ſint ſuffragia. Ejus tempore Caſſinenſe monaſterium a Saracenis incenſum eſſe ſcribit Leo Oſtienſis libro I. capite 45. Magno cum luctu univerſæ eccleſiæ mortuus eſt anno Domini 885. ſepultus in baſilica ſancti Petri. Quanto tempore ſedes apoſtolica poſt mortem illius paſtore deſtituta fuerit, non ſatis liquet, &c.

* ſub finem Tom. XVI. pag. 421.

Res ſub Hadriano geſtæ

*FINIS TOMI DECIMI SEPTIMI.*

# APPENDIX

## FRANCISCVS DE ROYE

ANTECESSOR ANDEGAVENSIS

DE

# MISSIS DOMINICIS

EORVM OFFICIO ET POTESTATE

VBI

MVLTA AD ECCLESIASTICAM ET FORENSEM DISCIPLINAM.

*Recenſuit, duplicem Indicem, nouamque huic Editioni Præfationem adiecit*

D. IO. WENDELINVS NEVHAVS.

# PRÆFATIO.

FRanciſci de Roye, ICti & Anteceſſoris Andegavenſis, Liber de Miſſis Dominicis, vel ipſa ſingularitate argumenti ſe commendat, quod multi vix intellexere, ita ut inter Rituales illum interdum recenſuerint *. Sed multa præterea continet, quæ ad veterem ſub Francorum Regibus Reipublicæ adminiſtrationem explicandam faciunt, atque vetus Francorum Ius Publicum & Privatum, Civile & Eccleſiaſticum haud parum illuſtrant. Itaque cum rariſſima eſſet Andegavenſis Editio, ſperavi gratiæ nonnihil initurum me ab amantibus bonarum literarum, ſi curam recudendi libri in Germania ſuſciperem. Ergo recenſere illum non piguit, & loca ipſa Scriptorum evolvere. Cumque multi in illis occurrant Gallici Iuris auctores, e re viſum eſt, titulos librorum in Indice Auctorum ſubiicere, notatis, quibus in hac recenſione uſus ſum, editionibus. Nec alienum erit ab hoc loco doctiſſimi Auctoris breve elogium ſuſpendere, & reliqua ingenii eius & doctrinæ monumenta commemorare: tum vero ad libellum ipſum, de Miſſis Dominicis illuſtrandum, unam alteramque obſervationem conferre.

Franciſcus de Roye Andegavi natus fuit, patre Claudio, in Collegio Præſidiali Conſiliario. Ab ineunte ætate præter artes liberales in Iurisprudentiæ inprimis ſtudia ſedulo incubuit, inque illis tam eximios progreſſus fecit, ut primum apud Bituriges, deinde Aureliæ pro conſequenda in Iure Profeſſione, ut moris eſt in Academiis Galliæ, diſputaverit. Eam denique in patria conſecutus, tanta ſedulitate atque doctrinæ fama exornavit, tot ad Rempublicam, & in forum egregios diſciplinæ ſuæ alumnos dimiſit; ut a Rege Ludovico XIV. Profeſſor Facultatis Pariſienſis nominaretur, quod munus tamen, quamlibet ſplendidum, vel ob valetudinem nimis tenuem, vel quia ceteras Facultates Iuridicas contra Pariſienſem acriter defenderat, declinatum ivit, maluitque Patriæ operam ſuam in excolendis non Iurisprudentiæ modo, ſed omnis humanioris literaturæ ſtudiis continuare. Ita cum in eadem urbe nova literatorum hominum ſocietas, quales Academiarum nomine in Italia Galliaque veniunt, inſtitueretur, ſingulare in illa adornanda ſtudium eius enituit. Obiit cœlebs Anno MDCLXXXVI. die 24. Ianuarii. Ingenii eius monumenta, quæ quidem novi, hæc ſunt:

*I. Diſſertatio triplex ad Menagium ad L.* 51. *D. de Acquir. Rer. Domin.*

*II. Diſſertatio ad L.* 4. *D. de Vſur. & Fruct.* Vtraque a V. C. Ever. Ottone Theſauro Iuris Civilis inſerta.

*III. Diſſertat. ad Can. Ego Berengarius* 41. *de Conſecrat. Diſt.* 2. *Andegav.* 4. 1656.

*IV. Liber de Miſſis Dominicis, eorum officio & poteſtate. Andeg.* 4. 1672.

*V. Ad Cap Super Specula* 28. *X. de privil. & exceſſ. privil. ibid.* 1665.

*VI. Inſtitutiones Iuris Canonici, recuſa Lipſia* 1732. 8.

*VII. Tractatus de Iure Patronatus.*

*VIII. Item de Iuribus honorificis in Eccleſia. Coniunctim hi duo tractatus in lucem prodiere Andegav.* 1667. 4.

Cum Auctor cap. V. varias *Miſſorum Dominicorum* appellationes commemoret, addimus hic tantum nomine quoque, *Stolizazi*, eos venire in Legibus Longobardorum Lib. I. tit. 19. Leg. 5. apud Lindebrogium, *in Codic. Leg. Antiquar.* cuius verba ſunt hæc: *Si quis molinum alterius ſcapellaverit aut clauſuram ruperit, ſine auctoritate iudicis, componat Solidos XII. illi, cuius molinum eſſe invenitur. Et ſi iudicem interpellaverit, & Iudex dilataverit ipſam cauſam deliberare, aut licentiam dederit adverſæ parti ipſum molinum evertendi, componat Solid. XX. in Palatio Regis, diſtrictus ab Stolizaz.* Vbi laudatus Lindenbrogius *in Gloſſar. pag.* 1483. addit: *Stolizaz* id eſt *Miſſus Regis*. Videtur vero Miſſus

* Ita obſervavit *Marvillius* in Miſcellaneis ſuis (*Melanges d'Hiſtoire & de Litterature*) Tom. I. pag. 146. *Nous avons vû l'un de ces Bibliothequaires peu exact, quoique d'ailleurs bon Libraire, ranger dans la claſſe de* Rituels *un Traité* de Miſſis Dominicis; *c'eſt à dire, un Livre, ou il eſt traité des Ambaſſadeurs ou des Intendans des Provinces, pour un Recueil de Meſſes* Dominicales,

Miſſus Dominicus Stolizaz *dictus*, *quod loco Regis in iudicio præſideat*, *ſacraque vice iudicet*. Adde Hachenberg. *in Germ. Med. Diſſ. III. theſ.* 26.

Cæterum Auctor in explicando Miſſorum Dominicorum magiſtratu Regni Franciæ Occidentalis ſive Gallicani præcipue rationem habet, ac Capite VII. disquirit, quo tempore inprimis floruerint, & qua ætate deſierint Miſſi Dominici. Exiſtimat autem, Miſſos Dominicos ſub tertia Regum Francicorum ſtirpe ceſſaſſe, ſubiuncta ratione, quod labente Regum imperio, Duces & Comites ex miniſtris tum facti ſunt Domini Regionum. Equidem Conringius etiam *in Examine Rerumpubl. Tot. Orb. cap.* 36. *Oper. Tom. IV. pag.* 370. Miſſorum regiorum poſt annum milleſimum nullam fieri mentionem aſſerit. Hic vero obſervabimus, Miſſos Dominicos in Regno quoque Franciæ Orientalis viguiſſe, eorumque uſum inprimis in Italia duraſſe uſque ad XII. ſeculum.

Sententia *Miſſorum* Imperatoris Ottonis II. in favorem Abbatis de Vularino An. 980. lata, habetur in Vghelli *Italia ſacra Tom. VIII. pag.* 35. Placitum Laudenſe a Benzone, *Miſſo* Ottonis III. A. 1000. habitum, apud Muratorium *in Antiqu. Ital. Tom. I. pag.* 455. commemoratur. *Miſſos* Henrici S. qui Ravennæ exortas controverſias deciderunt, laudat Roſſius *in Hiſtor. Ravennat. Lib. V. pag.* 275.

Duravit etiam ſub Imperatoribus domus Salicæ Miſſorum Dominicorum magiſtratus. Ita ſub Henrico III. occurrit Adelgerius *Miſſus*, cuius ſententiam, in favorem Epiſcopi Comenſis latam, Henricus, Romanorum tum Rex, An. 1043. confirmavit, apud Vghellum *Tom.V. pag.* 287: Placitum a Guntherico, Cancellario & *Miſſo* Henrici, iam Imperatoris, in Comitatu Florentino Anno 1055. habitum, commemorat Diploma apud Muratorium *l. c. pag.* 473. In actis publicis Henrici IV. reperitur refutatio Vallis de Mercato, a civibus Patavinis, Ioanni Abbati facta coram *Miſſis* Henrici Regis, Anno 1077. apud Muratorium *l. c. pag.* 457. & in Pezii *Codice Diplomat. Epiſtolico T. I. pag.* 279. Itemque ſententia Warnerii, *Miſſi* Imperialis, in Placito, habito in monte Silice pro Monialibus S. Zachariæ in urbe Venetiarum, contra monaſterium Patavinum S. Iuſtinæ, An. 1100. pronunciata, apud eundem Muratorium *l. c. pag.* 475.

Imo ſub Lothario II. Saxone & Conrado III. adhuc Otto Morena, *Miſſum* Regalem egit in Italia, uti ipſe de ſe in *Hiſtoria Rerum Laudenſium* prædicat. Servavit etiam Vghellus *Tom. V. pag.* 756. Diploma eiusdem Conradi III, quo poſſeſſio Curtis Cereta Canonicis Veronenſibus a *Miſſo* Regali, An. 1147. tradita fuit. Sed ſucceſſu temporis Miſſorum Dominicorum procuratio videtur a Vicariis Imperii per Italiam occupata eſſe. Verum hæc, & alia nonnulla eiusdem argumenti, alibi forte diligentius excutiendi erit occaſio.

DEDICA-

DEDICATIO AUCTORIS.

*ILLUSTRISSIMO VIRO*

# ANTONIO RIBEYRE,

COMITI CONSISTORIANO, LIBELLORVM SVPPLICVM MAGISTRO, ET APVD TVRONES, ANDES, ET CENOMANOS MISSO DOMINICO INTEGERRIMO

## FRANCISCVS DE ROYE,

ANTECESSOR ANDEGAVENSIS,

S. P. D.

*CVM Rex Chriſtianiſſimus Caroli Magni deceſſoris ſui veſtigia tam generoſe premit ( Vir Illuſtriſſime ) tota quidem miratur Gallia, ſtupent cæteræ Nationes. Sed cum præcipua eius capitula per Miſſos Dominicos obſervari iubes in dies, illud forte nullus adhuc ſerio animadvertit. Eius libelli una dos ea eſt, ut ex æqualibus monumentis doceat, per id genus proceres eadem ipſa quotidie peragi, quæ olim per Miſſos Dominicos ſub ſecunda potiſſimum dynaſtia. Non alteri probandum illud opus offerre poſſum, quam tibi ( Vir Illuſtriſſime ). Cum enim iam iterum agas Miſſum Dominicum, repetita illa ſagaciſſimi Principis electio poſtulat, ut bene fundatam ſummæ illius ſapientiæ notitiam in te omnes venerentur, quam olim in ſuis Miſſis deſiderabat Carolus Magnus. Atque etiam noſtra hæc Andegavenſis Provincia more maiorum pertinet ad tuum Miſſaticum, ut in ea percepti quidam fructus iure tibi offerantur, iique non exigui temporis & ætatem ferentes, ſi modo eos humaniori vultu accipias. Ac tandem ea volui teſtatione publica teſtari meus eſt, quam feliciter actum putaverim cum accademia noſtra, quod cum & Miſſum Dominicum habeat, cui cum probe cognita ſit literarum dignitas, eam tueri velis & poſſis. Qui enim Deos bona fide colit, amat & Sacerdotes. Vnum illud maiore animo ſperaverim, te quam citius apud omnes exemplo & auctoritate facturum, ut qui ius noſtrum apprime callere debent, illud etiam in eius Sacerdotibus pluris facere videantur.*

PRÆFATIO

# PRÆFATIO AUCTORIS.

*Magiſtratuum neceſſitas in quolibet imperio. In eodem varia eorum mutatio. Operis inſtitutum.*

QUod olim imperite non minus quam impie dicebant Ethnici de Chriſtiano-
rum Deo, eum nec ſingulis inſervire poſſe per univerſa diſtrictum, nec
univerſis ſufficere in ſingulis occupatum, MINUTIUS FELIX *in Octavio, cap.*
10. Illud omnino adſcribendum humanis Principibus. Nam Deus noſter ubique to-
tus, ubique præſens, omnia in omnibus, omnia tuetur & continet, S. AUGUSTINUS
*paſſim*: Sed quamvis alter ex iis *ſummum magnum ſit in ſuo ſolio*, ait TERTULLIANUS
*lib. 1. adv. Marcion. cap.* 4. attamen vix unquam ſolus par eſſe poteſt omnibus nego-
tiis, quæ in dies emergunt, ἀμήχανον γὰρ ἐφ' ἅπαντα φθάνειν φύσιν ἀνθρωπίνην; *perar-
duum enim eſt unum hominem obire omnia munia*, inquit PHILO IUDÆUS *de creatione Prin-
cipis*. Vnde licet principaliter proprium illud ſit Dei noſtri, nullius exempli capere
comparationem, & quilibet Reges ad eum comparati jam excidant de ſummo ma-
gno, TERTULLIANUS *ibidem*: Attamen ſicut ille ipſe in ſui Miniſtris & per ſuos Mi-
niſtros agit, S. AUGUSTINUS *lib. 16. de Civitate Dei cap.* 5. quos ideo Apoſtolus vocat
*Cooperarios Dei*: Ita & illud eſt ſummæ poteſtatis officium, eligere aliquot admini-
ſtrationis reddendique juris ſocios, quales ſunt Magiſtratus ſpectatæ prudentiæ, for-
titudinis & juſtitiæ, quibus διανεμέτω τὴν ἀρχὴν, *mandet aut committat imperium*, ait SY-
NESIUS *de regno*, *pag.* 30. *Edit. Dion. Petavii. Paris.* 1681 *fol.* quique bonum Prin-
cipem induſtria & virtute ſua ſublevent, PHILO *ibidem*.

Hoc præſtitit Moyſes ſoceri conſilio, & in ſacra volumina relatum eſt, ut ha-
beant alii Principes quod imitentur: tum ne minoris faciant ſuos Magiſtratus, quaſi
omnia poſſint, quod ſapientiſſimus ille Dei amicus exſtimavit ἀδύνατον, *impoſſibile*:
Tum etiam ne res majoris momenti negligant, dum humilioribus incumbunt. Hoc
Eccleſiæ Gallicanæ Prælati petunt a Ludovico Pio *in additione 2. Capitularium cap.* 28.
in cujus epigraphe Magiſtratus dicuntur *Reip. adiutores*. Ipſi quidem Principes ferant
leges, & pro lege ſervetur, quod ipſi conſtituerint: Sed Magiſtratus inſtituant neceſſe
eſt, per quos effectus rei accipiatur, ſeu qui leges ad affectum perducant: *Quan-
tum eſt enim ius in civitate eſſe, niſi ſint qui iura regere poſſint*, *l.* 2. §. 13. *D. de Orig.
iur.* Vt non immerito Magiſtratus dicantur ψυχαὶ τῶν πόλεων, *quædam animæ regnorum
& civitatum*. & eleganter utique LIPSIUS *de Magnitud. Vrbis Rom. Lib. II. cap.* 10.
Romanorum magnitudinem a variis Magiſtratibus admiretur; quos pro varia loco-
rum, rerum, & perſonarum, conditione aut in urbe creabant, aut mittebant in Pro-
vincias. Quod etiam notavit Iuſtinianus *in Nov.* 13. & 105. quaſi non minimam
Romanæ magnitudinis cauſam.

Sicut vero Reges non tantum novas leges ferre poſſunt, ſed etiam veteres ab-
rogare, aut dictantibus experimentis mutare, ARISTOTELES *lib. 2. Polit. cap.* 2. &
TERTULLIANUS *Apologetici cap.* 4. Ita & non modo ad eorum curam pertinet crea-
tio Magiſtratuum, *l. 1. D. ad l. Iul. amb.* ſed etiam mutatio. Eoque nomine non
tantum venit, ut perſonas ipſas a Magiſtratu removeant, & alias pro arbitrio ſuffi-
ciant in earum locum: ſed & ad utilitatem ſubditorum, ad locorum cuſtodiam, ad
temporis rationem, aut novos Magiſtratus creare, aut antiqua veterum ſchemata,
ſtatasve formas immutare poſſint, aut alios dividere in plures, aut ſimul jungere.
Hoc ipſis rebus exigentibus in Repub. Romana ſæpius actum fuiſſe palam eſt ex va-
ria mutatione Conſulum, Decemvirorum, Tribunorum militarium, Conſularis pote-
ſtatis, & Imperatorum. Hoc etiam eleganter docent POMPONIUS §. 19. & ARCADIUS
CHARISIUS de Præfecto Prætorio, ut tum primum creatus ſit Tribunus Celerum,
poſtea in eius locum, ſuffectus Magiſter Equitum, ac tandem Præfectus Prætorio
ſucceſſerit. Sed hoc potiſſimum familiare fuit Iuſtiniano, dum tot Magiſtratus aut
abrogavit, aut addidit, aut diviſit, aut conjunxit, *Nov.* 20. 24. 29. 30. 31. 80. *&
aliis. Et Edicto* 4. Quodque fuſius ipſe adſcribit utilitati publicæ, PROCOPIUS *in ἀνεκ-
δότοις pag.* 47. *n.* 131. illud omnino refert ad ſolius novitatis ſtudium.

Non ſemel autem humano corpori comparatum eſt Imperium, ut nempe utrum-
que habeat infantiam, adoleſcentiam, virilem ætatem, & ſenectutem: Sed in eo
etiam conſiſtere poteſt analogia, quod ſicut in homine omnes illæ ætates variis mor-
bis ſubjaceant, qui certas quaſdam deſiderant obſervationes, CORNELIUS CELSUS *lib.* 1.
*cap.*

*cap.* 3. & *lib.* 2. *cap.* 1. Ita & variæ illæ Imperiorum ætates varios patiantur motus, & varias gubernandi rationes flagitent, aut ſæpius etiam varias mutationes inducant. Eoque caſu illud eſt omnino Principis πολιτικώτατον utrum neceſſarii ſint plures, an vero pauciores Magiſtratus, an majores, an minores: nam & temporum & locorum diverſa ratio alios atque alios poſtulat, ARISTOTELES *in Polit. lib.* 4. *cap.* 15.

Præcipue vero mutantur Magiſtratus, imo & abrogantur & oblitterantur ſchemata vel formæ Magiſtratuum, ubi Reip. ſtatus immutatur, quod qui fiat pluribus docet ARISTOTELES *ibidem toto lib.* 5. Sic exactis Regibus Romæ conſtituti ſunt duo Conſules, & ſenſim alii Magiſtratus: Sic Auguſtus rerum potitus, & Provinciarum & Magiſtratuum formas immutavit, dum nempe quietas & pacatiores reliquit populo, quas ideo *publicas* vocat TACITUS, *Annal. Lib. XIII. cap.* 4. & alias curæ ſuæ ſervavit, dum veteres Magiſtratus imminuit, & ſuis ſolis dedit jus gladii, DIO *lib.* 53. & STRABO *lib. ulti. Geograph.* Ac tandem Adrianus, Conſtantinus, Iuſtinianus Provincias earumque Magiſtratus pro arbitrio inverterunt. Vix quidem illud obſervatur quietis temporibus: nam ubi res domi tranquillæ, iidem Magiſtratus, eadem Magiſtratuum vocabula, inquit TACITUS *lib.* 1. *Annal. cap.* 3. Sed ubi mutatur facies, nec Provinciæ novum hunc ſtatum abnuunt, ſæpius expedit novos creare Magiſtratus, qui mutationem illam pro imperio ſuo tueantur & foveant. Eaque ſumma eſt Regum poteſtas, ut & Magiſtratus aut mutare poſſint, aut dividere, aut jungere, & provincias ſuas ἄλλοτε ἄλλως dividere, ut pluribus docet BERTERIUS *lib.* 1. *Pithanon. cap.* 11.

Hoc ſæpius in Gallia uſurpatum, in qua forte hodierna multitudo Magiſtratuum provincias onerat, ut de ſuis paſſim Iuſtinianus *in Novellis*. Sub prima ſtirpe Regum noſtrorum ſtatim prodierunt *Majores Palatii*, qui ſub ſecunda evanuerunt: Sub ea floruerunt *Miſſi Dominici*, quos in tertia ſtatim exoleviſſe volunt, & hodie tandem revocati videntur in quotidianum uſum.

*Miſſi Dominici* erant utriuſque ordinis Proceres, qui a Regibus in provincias cum ampliſſima poteſtate mittebantur ad faciendam, aut procurandam juſtitiam. Omnes illius definitionis partes ſuis quibuſque locis exequemur. Elegantiſſime dicebantur *Miſſi*, non tantum quod mitterentur in civitates aut provincias, quæ notiſſima eſt mittendi ſignificatio, ait NONIVS MARCELLVS; ſed quod certo Principis judicio, non etiam ſorte in provincias deſtinarentur. Sicut enim mutato Reip. Rom. ſtatu ea cœpit eſſe differentia inter Proconſules et Præſides provinciarum, aut Legatos Cæſaris, quod illis ſortito provinciæ concederentur, SVETONIVS *in Auguſto cap.* 47. TACITVS *lib.* 3. *annal. cap.* 32. 58. 71. hi miſſu Principis maius imperium in his obtinerent, IDEM 2. *Annal. cap.* 77. & 80. lectu Cæſaris, apud STATIVM *lib.* 4. *v.* 92. *Sylvar.* ἐκκλήτῳ apud DIONEM *l.* 53. Ita & noſtri illi Proceres ideo forte dicebantur *Miſſi*, quod non ſorte, ſed miſſu & lectu Principum mitterentur in provincias. Vnde & ſæpius ſimpliciter dicuntur *Miſſi*, quod inepte omnino veteres quidam Annales ſub Carolo VIII. verterunt *des Meſſagers*, quamvis tamen CAROLVS CALVVS eos etiam vocet Nuntios, *in Epiſt. ad Nicolaum Papam*, *apud* SIRMONDVM *tom.* 3. *Concil. Gall. pag.* 300. quod nunquam ſane pro tabellariis acceperis, ſicut nec hodie Nuntios Summi Pontificis. Miſſorum igitur homonymiam tollemus ſequenti capite. Melius dicuntur paſſim *Legati*, & rectiſſime hodie *Departis*, & Provinciæ iis aſſignatæ *Departements*, ut ex PITHOEO videbimus *cap.* 13.

Doctiſſimus SIRMONDVS *ad Capitula Caroli Calvi ad Sylvacum* addit, Miſſos Dominicos a Principe mitti extra ordinem: Sicut enim Romæ Præfectus annonæ & Præfectus vigilum ab origine ſua non erant Magiſtratus, ſed extra ordinem utilitatis cauſa conſtituti, *leg.* 2. §. 33. *D. de origine Iur.* Ita & verius eſt, olim Miſſos Dominicos non fuiſſe Magiſtratus proprie dictos, nec relatos fuiſſe in laterculum Magiſtratuum; ſed extra ordinem a Principibus miſſos fuiſſe in provincias, vel rebus ita dictantibus, vel ad preces populorum, vel ad petitionem Conventuum, Synodorum, & Prælatorum, uti paſſim videre eſt in Capitularibus Regum noſtrorum, in æqualibus Conciliis Eccleſiæ Gallicanæ, & apud Hincmarum Remenſem. Ejus rei unum illud exemplum pro omnibus: Patres Synodi Sueſſionenſis a Carolo Calvo petunt *an.* 853. ut Miſſos Dominicos dirigat in omnes regni ſui partes. In ea de iis mittendis ſtatutum eſt; conſtituta Capitula, ſeu ſcriptæ Conſtitutiones, quæ iis traderentur: apud Sylvacum deſignati Miſſi, & ſingulis diſtributa Miſſatica cum novis quibuſdam Capitulis, quæ cum aliis bono publico SIRMONDVS edidit. Sed & quandoque urgente neceſſitate addebantur, & ſupplebantur Miſſi Dominici, ut nominatim dicitur *in Capitulis Caroli Calvi apud Attiniacum cap.* 1. propter afflictionem Aquitanicam, propter Nortmannorum & Britonum incurſiones.

Dicebantur *Miſſi Dominici*, id eſt, Miſſi a Domino, puta Rege: nam Reges noſtri propter excellentiam commune nomen *Domini* ſuum fecerunt, ut notat Continuator ANASTASII BIBLIOTH. *in Adriano II.* & ex eo PETRVS PITHOEVS *in Gloſſario ad Cap. Car. M.* De ea appellatione *Domini* videnda epigraphe *l.* 2. & 3. *Cod. Ne rei dom.* &c. TERTVLLIANVS *in Apol. cap.* 34. SYMMACHVS *lib.* 1. *Ep.* 8. & *ibi* IVRETVS. Hinc paſſim in Capitularibus, in Conciliis Galliæ, in aliis æqualibus eorum Scriptoribus, agri, vaſalli, homines Dominicati; nonæ, decimæ Dominicatæ; prædia Dominicata, quæ ad Regem pertinent; Dominica auctoritas, id eſt, Regia, *in Addit.* 3. *Capitular. cap.* 91. Et hinc Miſſi Dominici dicuntur Miſſi Regales, apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 5. *cap.* 29. Miſſi Imperiales, apud EVNDEM *l.* 8. *c.* 18. Miſſi Palatii Imperatoris, *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 13. *cap.* 3. Miſſi ex latere Imperatoris, *in vita Ludovici Pii*. Legati Regii, *in Annalibus Caroli M.* & apud ADONEM *Aet. Sex. ad An.* 815. Regum Vicarii, *in teſtamento S. Geraldi apud* QVERCETANVM *ad Bibliotb. Cluniac.* Legati a latere, in *Capitulis Caroli Calvi tit.* 3. *cap.* 2. Miſſi a latere, puta Regis, *in vita S. Projecti apud* QVERCETANVM *tom.* 1. *hiſtoriæ Franc. p.* 673.

Iſtius appellationis ignorantia, *Gloſſa ad cap.* 2. *de regular. apud Gregorium*, Miſſum Dominicum vertit Vicarium Epiſcopi; nam ibi regalis eſt ille Miſſus, ut ſuo loco videbimus. Male etiam eadem *Gloſſa ad cap.* 1. *de Immun. Eccleſ. ibidem* Miſſum vertit Executorem vel Officialem, & addit, illud eſſe vulgare Italiæ: nam ibi agitur

de Miſſo Dominico, qui ſacra vice judicabat, & ideo vocari poteſt etiam Iudex a latere, ſicut POSSIDONIVS *in vita S. Auguſtini c.* 13. Marcellinum tribunum vocat Judicem a latere, Honorii ſcilicet Imperatoris, qui eum Cognitorem miſerat in Africam. Titubat HOSTIENSIS ad utrumque illud Capitulum, ut infra etiam videbimus.

Præterea ſicut apud veteres Romanos Magiſtratus provinciales ſimpliciter dicebantur Poteſtates, ut jam pridem obſervarunt viri docti ad Suetonium, & Lampridium, & ad varios juris noſtri locos: ita & Miſſi Dominici dicuntur paſſim Poteſtates; & agere manu poteſtativa, *in libris rerum Alemannicarum*. Fideles & Creditarii, *in vita Ludovici Pii ad an.* 814. *ſub fin.* Et apud AIMOINVM *l.* 5. *c.* 10. quod Principes iis credentiam ſeu fidem haberent. Vnde etiam dicuntur Crediti apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 9. *num.* 10. ac tandem Iudices legis Salicæ, apud ADREVALDVM *lib.* 1. *de Miracul. S. Benedicti cap.* 25. quod præcipue judicarent ſecundum legem Salicam, qua de re ſuo loco.

Denique ſicut POMPONIVS de origine & ſucceſſione Magiſtratuum agens, unum illud inprimis aggreditur, qua de cauſa & occaſione quilibet creatus fuerit: ita & idem breviter inquirendum de Miſſis Dominicis. Hoc conjicere licet ex THEGANO, EGINARDO, & æqualibus aliis rerum noſtrarum Scriptoribus. Vbi enim ſcripſerunt, Carolum Magnum graviſſimis bellis & civilibus & externis implicitum, ſtatim ſubjiciunt, regni Proceres, Comites, Seniores non ita bene in eum animatos flagrantibus illis bellis graſſatos fuiſſe in Provinciales; ſed potiſſimum durius egiſſe in Clericos, in pauperes, in alias miſerabiles perſonas (ideoque ſapientiſſimum hunc Principem *Miſſos Dominicos* deſtinaſſe in omnes regni ſui provincias, qui ea omnia emendarent. quam in rem ſingulare eſt illud, quod ex *Chronico Moiſſiacenſi* exſcribetur *cap.* 8.

Neque tamen hinc omnino repetenda eſt prima eorum creatio: nam ut ſuo loco videbimus, jampridem ſub Clodovæo Dagoberti filio, ſub Chilperico, ſub Pipino prodierant. Sed ſicut Præfectura Vrbi & in Repub. & ſub Regibus occurrit, *leg.* 2. §. 33. *D. de orig. Iur.* & apud TACITVM *lib* 4. *Annal. cap.* 56. & tamen SVETONIVS *in Auguſto c.* 37. & DIO *l.* 52. *p.* 478. inter nova officia ab Auguſto excogitata eam referunt, quia ſub eo legitimus & perpetuus cœpit eſſe Magiſtratus: Ita & forte dici poteſt. *Miſſos Dominicos* a Carolo M. inſtitutos fuiſſe, quod ſub eo potiſſimum invaluerint; & quidem ea ratione, ut tollerent tot ſcelerum facies, ut everſas leges reſtituerent, & contra potentiores juvarent oppreſſos, qui partus bellorum civilium & externorum, quæ toties ſub Carolo M. exarſerant.

## CAPUT II.

### *Plures & varii Miſſi Dominici.*

Poſtulat etiam dialectica methodus, ut ſtatim tollatur homonymia. Apud auctores ſequioris ævi nihil frequentius invenias, quam *Miſſos* accipi vel pro Nuntiis, Tabellariis, Gerulis, unde apud BONIFACIVM MOGVNTINVM *in Epiſt.* 29. Miſſus literarum; vel pro Legatis, qui ab altero ad alterum Principem mittuntur, apud NITHARDVM, FLODOARDVM, FREDEGARIVM SCHOLASTICVM, & alios, atque etiam in elegantiſſimo dialogo inter Leonem Papam & Miſſos Caroli Magni, apud BARONIVM *ad An.* 809. & SIRMONDVM *Concil. Gall. Tom.* 2. *p.* 256. Et ita etiam Summi Pontifices, Imperatores, Reges multa ſæpius inter ſe agere dicuntur in ſacris Canonibus, & Hiſtoriis aut Annalibus Eccleſiaſticis per ſuos *Miſſos*, nobis hodie *par leurs Ambaſſadeurs*, vel etiam aliquando *par leurs Envoyés*. De iis in hoc tractatu non agitur, ſed tantum de iis, per quos Chriſtianiſſimi Reges graviora quæque negotia in ſuo regno, & cum ſubditis ſuis explicare & exequi ſolebant.

Sicut vero in Iure Civili Magiſtratuum ſumma illa diviſio eſt, ut alii ſint majores, alii autem minores, *leg.* 32. *D. de injur.* & apud GELLIVM *lib.* 13. *cap.* 15. Ita & ex Miſſis Dominicis alii ſunt majores, alii minores. Hoc eleganter docet CAROLVS CALVVS *in iis Capitulis, quæ poſt reditum a Confluentibus edidit*. Cum enim ea mitteret ad ſuos Miſſos diſcurrentes iis verbis: *Hoc Miſſi noſtri diſcurrentes faciant*, ſtatim ſubjicit: *Et quidquid exinde quod commendamus, per ſe adimplere non potuerint, ad Miſſos majores per ipſum Miſſaticum conſtitutos referant, ut cum illorum conſilio & auxilio omnia impleant.*

*Majores Miſſi* erant proprie Miſſi Dominici, qui habebant certa Miſſatica, & in iis pleniſſimam poteſtatem & majus imperium poſt Principem, ut de Proconſule dicitur in *l.* 7. *in fin.* & *l.* 8. *D. de Offic. Proconſ. & Leg.* eoque ſenſu majores dicebantur iis temporibus, qui nempe majori poteſtate præditi erant in quodam loco, ut fuſius probat CIRONIVS *ad tit. de Major. & Obed.* Vnde Pipinus Major domus diploma quoddam pro S. Dionyſio deſtinat, Miſſis Regalibus quacumque judiciaria poteſtate præditis. Ita & majores homines in *Capitularibus* LVDOVICI PII & CAROLI CALVI dicuntur, qui alios vaſallos ſub ſe habent.

*Minores* autem *Miſſi* dicebantur Miſſi diſcurrentes, in *Capitularibus Regum noſtrorum*, & *in veteribus formulis*; ſeu Miſſi decurrentes, ut in epigraphe cujuſdam Epiſtolæ Caroli M. quæ *trigeſima ſecunda eſt inter Epiſtolas Boniſacii Mogunt.* quod ubique diſcurrerent, ut in quadam veteri carta Sandionyſiana, quam exſcribit BELIVS *in Probationibus Comitum Aquitaniæ pag.* 227. ſeu quod per univerſum regnum diſcurrerent, ut in alia charta, quam idem refert *in Regibus Aquitaniæ pag.* 40. Dicebantur etiam itinerantes, *lib.* 5. *Capitul. cap.* 201. quod propter regiam utilitatem iter agerent, *eorundem lib.* 3. *cap.* 39. & mitterentur ad exequendum aliquod conſtitutum, ut eſt *in Edito* CAROLI CALVI *in Cariſiaco, inter illius Capitularia tit.* 33. Ita ut impoſitum munus celeriter obirent, eoque functi regrederentur, nobis hodie *Commiſſaires du Conſeil*. De diſcurſu Iudicum quædam leges exſtant *in utroque Cod.* Vnde forſan hodie *les Chevauchées*.

Denique Miſſi illi diſcurrentes dicebantur Miſſi juniores, *in Capitularibus paſſim*, & *in* MARCVLFI *formulis Lib.* 1. *cap.* 3. Sic Carolus M. in eadem epigraphe *Epiſtolæ* 32. ſcribit, *Iunioribus noſtris ſeu Miſſis decurrentibus*. Nec ita dicebantur ab ætate, quod eſſent juvenilis ætatis, ſed a minori conditione aut dignitate. Sic notat SPELMANNVS *in Gloſſario*, *Iuniores* aliquando accipi *pro Iudicibus ſubordinatis*. Iuniores Eccleſiæ, quaſi minores Clerici, ſeu in minori ordine & dignitate, apud GREGORIVM TVRON. *lib.* 5. *cap.* 27. qua de re BOSQVETVS *ad Epiſt.* 136. *Innocentii III. lib.* 2. & SOVCHETVS *ad Epiſt.* 286. *Ivonis Carnot.* Aliquando etiam Iuniores pro Succeſſoribus accipiuntur, ut notat vir Magnus BIGNONIVS *ad Marculfum loco cit.* Sed juniores Miſſi procul dubio

bio ſunt Miſſi diſcurrentes, qui, ut jam diximus, dignitate ſunt minores, ſi conferantur cum majoribus. Dicuntur etiam publicæ partis Officiales, *lib. 1. Caſaurienſis ſeu Piſcarienſis Chronici*, *apud* D'ACHERIUM *tom. 5. Spicilegii pag.* 371. quod forte Regis nomine conficiendis & expediendis negotiis adeſſent.

Quamvis autem diſcurrentes Miſſi eſſent minores; attamen iis honor habendus erat, *noſtri honoris cauſa, & propter noſtræ auctoritatis venerationem*, ait CAROLUS M. *lib. 2. Capitular. cap.* 11. *Ita ut nullus Manſionem iis contradicere præſumeret*, IDEM *lib.* 3. *cap.* 39. quod ex eodem Carolo relatum eſt in LEGIBUS LONGOBARDICIS *l.* 3. *tit.* 4. *c.* 4. Et quamvis jure communi prohibitum eſſet, herbam tollere defenſionis tempore, ut ſuo loco videbimus; attamen hoc iis conceſſum erat, ut facilius munere ſuo fungerentur, CAROLUS M. *l.* 5. *Capitula. c.* 201. & in iiſdem LEGIBUS LONGOBARD. *ibidem c.* 3. Præcipue vero quilibet Miſſos illos venerari tenebantur, quod a Rege mitterentur, quod regia auctoritate agerent, & judiciaria poteſtate præditi eſſent; ut eſt in ea Charta Sandionyſiana, quam laudavimus ex BELIO, ut nempe quod a Rege conſtitutum eſſet, exequerentur, ait CAROLUS CALVUS *in Edicto ſuo in Cariſiaco*. Ac ſi quid forte majoris momenti occurreret, quod per ſe non poſſent exequi, illud ad majores Miſſos Dominicos referre tenebantur, ut jam diximus. Sicut olim Legatus Proconſulis in rebus gravioribus Proconſulem conſulere debebat, *l.* 6. *§.* 2. *D. de Offic. Proconſ. & Leg.* Aliquando etiam peculiares quidam Miſſi a Rege privatis petentibus dabantur ad ſingularia quædam negotia, nobis etiam *Commiſſaires du Conſeil.* AGOBARDUS *de inſolentia Judæor. Cœperunt autem efferri quadam inſolentia Judæi, comminantes omnibus injuriis nos afficiendos per Miſſos, quos adepti fuerant.* FLODOARDUS *lib. 3. Rem. Hiſt. cap.* 26. ubi de Erluino, Miſſus Dominicus a Ludovico Pio petitur pro quibuſdam rebus Remenſi Eccleſiæ reſtituendis.

Alii erant adhuc *Miſſi Fiſcalini*, de quibus ſuo loco.

## CAPUT III.

### *Miſſi Apoſtolici. Miſſi Eccleſiæ. Miſſi Epiſcopi.*

IN Iuris Canonici & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris multa paſſim occurrunt, quæ a ſeculari ad Eccleſiaſticam politiam tranſlata ſunt: præcipue vero, ubi Summi Pontifices regiam majeſtatem æmulari voluerunt, & illius opera ſibi vindicare. Sicut ergo Imperatores a latere ſuo Iudices mittere cœperunt in ſuas provincias, ut loquitur POSSIDONIUS *in vita S. Auguſtini cap.* 13. & Chriſtianiſſimi Reges Miſſos & Legatos a latere: ita & quos Romani Pontifices pro gravioribus Eccliſiæ negotiis miſerunt in varias orbis Chriſtiani Diœceſes, eos etiam *Legatos a latere* dixerunt, ut jam olim videre eſt in *Cod. Can. Afric. Eccleſ. in princ & circa fin.* nec quid poſtea frequentius: Qui paſſim etiam dicuntur *Miſſi Apoſtolici*, *Miſſi Pontificales*, *Miſſi S. Petri*, *Miſſi Papæ*, a quibus differunt hodierni eorum Nuntii.

Sed & Epiſcopi ſuos Miſſos habuerunt. Et hoc plures habet viſiones, prout multiplex eſt Epiſcopalis poteſtas aut juriſdictio. Vel enim ea eſt ſpiritualis, vel temporalis, vel judicialis, vel extrajudicialis. Olim ea erant indiviſa, & in ipſo Epiſcopo, & in ejus Vicario, qui dicebatur Miſſus Epiſcopi, ut in *Can. de parentela* 35. *q.* 6. & apud REGINONEM *lib. 2. cap.* 3. 233. 235. *in Capitularibus lib.* 5. *cap.* 12. Unde cum *in cap.* 1. *Ex. de Frig. & Maleſ.* mentio fit Miſſi Epiſcopalis, (non etiam Dominici, ut voluit COQUILLEUS *in Hiſtoria Nivernenſi p.* 118.) male quidam volunt pro *Miſſum*, reponendum eſſe *Vicarium*: conſtat enim, iis temporibus Vicarios Epiſcoporum appellatos fuiſſe Miſſos. GREGORIUS TURON. *lib.* 9. *cap.* 10. eos vocat *Creditos Epiſcoporum*, ſicut Miſſi Dominici aliquando etiam dicuntur *Crediti*, *Creditarii*, ut jam olim diximus; Miſſi diſcuſſores, *in Edicto* CLOTARII II. *ad* 5. *Paris. Concilium*.

Miſſi illi totam & indiviſam habebant Epiſcopalem juriſdictionem: Cauſæ matrimoniales apud eos peragebantur, *d. Can. de Parentela*, & *d. c.* 1. *Ex. de Frig. & Maleſ.* De conſanguinitate conjugum cognoſcebant, de Synodalibus cauſis, & ad Epiſcopi miniſterium pertinentibus, apud REGINONEM *laudatis locis*, ſicut & de Inceſtuoſis, *d. Lib. cap.* 9. *Capitularium*. Tenebant Placita, ut de Miſſis Hincmari Rem. Archiep. teſtatur SIRMONDUS *ad Calcem Capitularium Caroli Calvi pag.* 134. Et quædam lites ad eos rejiciebantur, in *Capitularibus Carolomanni apud Vernis Palatium cap.* 14. Res Eccleſiaſticas curabant, & in judicio perſequebantur, LEGUM ALEMANNIC. *tit.* 21. Inquirebant in Clericorum vitam, in reditus, & reparationes Eccleſiarum, *Can.* 6. *Concilii Toletani* apud BURCHARDUM. Reſtituebant diſciplinam monaſticam, & in Monachos ipſos animadvertebant, *in Epiſtola* 10. FROTHARII *Tullenſis Epiſcopi*, *apud* QUERCETANUM *tom.* 2. *Hiſt. Franc. p.* 716. Parœciales Eccleſias etiam ad Monachos pertinentes annuatim viſitabant, MATTHÆUS PARIS *in vitis Abbatum S. Albani pag.* 1061. *circa fin.* Epiſcoporum nomine aderant Synodis Provincialibus, FLODOARDUS *lib. 3. Rem. Hiſt. cap.* 25. Et hinc plures Epiſcopi quibusdam Eccleſiæ Gallic. Conciliis adfuiſſe leguntur per ſuos Miſſos, id eſt, per ſuos Vicarios, qui eorum nomine iis Conciliis ſubſcripſerunt. Cum Miſſis Dominicis curabant ab omnibus recipi & ſervari Capitula Regia & Eccleſiaſtica, ut teſtatur duplex Epiſtola Ludovici Pii poſt Synodum Aquiſgran. *apud* SIRMONDUM *tom. 2. Conc. Gall. pag.* 426. & 675. Alia etiam ſimilis exſtat apud AUBERTUM MIRÆUM in *Cod. don. piar. cap.* 13. Et ita utramque Iuriſdictionem Epiſcopalem exercebant. Sed tandem eo devenit Eccleſiaſtica diſciplina, ut alius ſit Epiſcopi *Vicarius*, qui habeat ſpiritualem & extrajudicialem juriſdictionem non contentioſam; alius vero ſit *Officialis*, qui contentioſam exerceat, & uterque olim Miſſi Epiſcopalis nomine continebantur.

Erant adhuc alii *Epiſcopales Miſſi*, nobis hodie *Miſſionaris*, qui poteſtatem accipiebant ab Epiſcopo docendi & prædicandi per vicos & villas. Cum enim Epiſcopi propter graviores curas & multiplices occupationes per ſe ipſos non ſufficerent populo miniſtrare verbum Dei, idoneos viros hinc inde mittebant ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum, ut etiam poſtea cautum eſt *in cap. inter cætera* 15. *Ex. de Off. Iud. Ord.* Pleraque iſtius rei exempla ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris exſcribit doctiſſimus ALTASERRA *lib. 2. diſſertat. Iur. Can. cap.* 14.

Denique erant *Miſſi Eccleſiæ*, puta Turonenſis Eccleſiæ, apud FLODOARDUM *lib. 3. cap.* 21. Miſſi Remenſis Eccleſiæ, apud eundem *eod. lib. 3. cap.* 23. *circa fin.* Miſſi cujuſdam Eccleſiæ, apud GREGORIUM TURON. *lib. 2. cap.* 27. Nobis forte *Agens ou Députés du Clergé de Tours etc.* Sicut enim in

Concilio Cathagin. ſæpius occurrunt Τοποτηρηταὶ, ſeu Legati hujus aut illius Eccleſiæ, qui mittebantur aut ad Concilium, aut ad Comitatum, ſeu ad eum locum, ubi eſt Comes vel Imperator, ut interpretatur THEOD. BALSAMON. *ad Canon.* 99. *Carthag. Concilii*, vel potius ad aulam, ad Regiam, πρὸς τὸν βασιλέα, ut addit IVSTELLVS, qui nempe illius Eccleſiæ negotia procurarent; prout etiam Civitates ſuos habebant Legatos ad Principem, ut *in tit. Dig. de Legat.* & apud PHILONEM IVDÆVM *in ſua Legatione ad Cajum.* Ita & olim in noſtra Gallia erant Miſſi Eccleſiæ, qui videlicet aut apud Principem, aut apud Miſſum Dominicum, aut apud Comitem Eccleſiaſtica negotia peragerent, quod & adhuc hodie obſervatur.

Sed & *Abbates* ſuos etiam Miſſos habebant, per quos ſua negotia exequerentur, ut videre eſt in veteri Charta, quam exſcribunt SAMMARTHANI FRATRES *in Abbatibus S. Sergii Andegav. in principio*.

Omnes illi & Epiſcopi, & Eccleſiæ, & Abbates habebant etiam Miſſos Laicos ( huc uſque enim de Miſſis Eccleſiaſticis ) eoſque dicebant Advocatos, Vicedominos, de quibus olim *in Prolegomenis ad tit. de jur. Patron.* apud *Gregor.* egimus. Per eos temporalem juriſdictionem exercebant. Quod ita evenit, cum Capitularia Regum noſtrorum, & ex iis ſacri Canones eam immunitatem conceſſiſſent Eccleſiis, ut nullus plane Iudex publicus aut ſæcularis Malla ſeu Placita in iis, aut earum atriis & villis, vel Manſionibus Presbyterorum haberet ad audiendas cauſas. Sic exactis judicibus laicis, Principes iis conceſſerunt, ut alios inſtituerent judices, qui Iuri dicundo præeſſent inter ſuos homines, colonos & ſervos. Et hinc origo juſtitiarum temporalium, quas habet Eccleſia. Sed obſervanda eſt vulgaris clauſula, quam Principes iis conceſſionibus adhibere ſolebant, vt videre eſt in CHRONICO LAVRISHAMENSI, MVRENSI, HIRSAVGENSI, & aliis, *ut ille Advocatus, ſeu Iudex, commendante Abbate advocationem habeat, eodemque petente bannum Dominicum a Rege*. Sicque Abbas eum quidem inſtituit, dat ei litteras advocationis, eum Regi præſentat; Rex banno ſeu Edicto ſuo eum recipit & confirmat. Quod etiam hodie obtinet in temporalibus eccleſiæ juſtitiis, ut eorum judices ab ea inſtituantur, & recipiantur a Regiis magiſtratibus; tum vero potiſſimum, ubi judices illi habent ordinaria Placita.

## CAPVT IV.

*Comites. Miſſi Comitum. Miſſi Republicæ.*

HIc nolim omnino retexere longiorem Comitum hiſtoriam, ſed tantum delineare breviter, quinam illi fuerint ſub ſecunda ſtirpe Regum noſtrorum, ſub qua potiſſimum floruerunt Miſſi Dominici. PITHOEVS, BIGNONIVS, BELIVS, A. DADINVS ALTASERRA, & alii docent, *Comites* ea ætate conſtitutos fuiſſe tantummodo ad certum tempus, & ad Principis nutum, eorum inſtar, qui nobis hodie dicuntur *Gouverneurs de Provinces*. Et ita cum Carolus M. bellum geſturus eſſet in Longobardos, in Saxones, in Sarracenos, nec ſatis fidem haberet Francorum Proceribus, utpote qui bellis quibuſdam civilibus in eum ſaviſſent; in variis Franciæ provinciis Comites conſtituit, ADREVALDVS *lib.* 1. *de Miraculis S. Benedicti cap.* 18. Et interrogatus olim, cur tot Comites in regno ſuo inſtitueret, reſpondiſſe dicitur, VT FIDELES MIHI ACQVIRAM VEL FACIAM. Sunt verba cujuſdam ANONYMI SANGALLENSIS MONACHI, in libello *de Eccleſiaſtica cura Caroli M. num.* 14 apud ANDREAM DV CHESNE *tom.* 2. *hiſt. Franc.* Iis verbis indicat prudentiſſimus Imperator, ad quietem & ſecuritatem publicam Principi neceſſarios eſſe Magiſtratus & Iudices.

Video tamen, quibuſdam ſuſpectum eſſe locum illum ADREVALDI *cit. loc.* cum ait, *Carolum M. quoſdam ex ſervis ſuis manumiſiſſe, eoſque paſſim inſtituiſſe Comites:* quaſi omnes illi Comites fuerint Franci, hoc eſt, ingenui & nobilioris conditionis, atque etiam aliquando Regiæ ſtirpis. Sed forte jurandum eſt in verba & in mentem ADREVALDI, & quidem συγχρόνου, & ut volunt, alterius ex conſanguineis Caroli M. Nam eleganter oſtendit, qua ratione Carolus ad ſervos ſuos confugerit: tum quia omnes regni ſui Proceres in Italiam miſerat, ut novum illud regnum Pipino filio confirmaret ac ſtabiliret, *qua de re*, inquit, *Primatibus populi Ducibuſque contigit Palatium vacuari*: tum etiam ob ſuſpectam Francorum fidem, *quam ſemel in conjuratione, dum bellum incboaretur Saxonicum, expertus eſt, iterum autem in conjuratione Pipini naturalis filii.* Et hoc a Carolo M. peractum fuiſſe, probat ea LVDOVICI PII *Conſtitutio* apud THEGANVM *n.* 20. *ne amplius fiat, ut ſervi Conſiliarii ſint.* Nec quid frequentius apud HISTORIAE AVGVSTAE SCRIPTORES, quam ut videas, libertos Principum rebus agendis admoveri, quaſi propter ſummum libertatis pretium Principes id genus hominibus pleniſſimam fidem habere deberent. Quidquid ſit, expeditum eſt, ſub ſecunda Francorum dynaſtia Comites non fuiſſe perpetuos, ſed tantum vel ad Regis arbitrium. Quod jam antea ſub priori obtinuiſſe docet GREGORIVS TVRON. *lib* 4. *cap.* 34. *lib.* 5. *cap.* 37. *lib.* 8. *cap.* 18. Et hinc paſſim apud eum *Excomites*, qui Comitis officio functi fuerant. Et hoc ita obſervatum uſque ad tempora Caroli Simplicis, ſub quo Duces & Comites merum quodammodo imperium uſurparunt, & quidem in perpetuum, quod tandem bono publico ad coronam rediiſſe videmus.

Sed obiter obſervanda eſt inſignis ea differentia ( quæ nec hodie forſan otioſa erit ) inter veteres illos *Comites* & quidem *temporales*, & inter eos, qui poſtea fuerunt *perpetui* & *hereditarii:* Quod quæ illi pendente adminiſtratione fundaverant, exſtruxerant, acquiſierant, ea finita, nec in eorum bonis eſſe deſinerent, nec fierent Dominica; ſeu nec Regi, nec fiſco deferrentur, ſed eorum propria & privata remanerent; perinde ac olim ædes ab urbanis Magiſtratibus ex ſanctione Pragmatica, ſeu ex indulgentia Principis exſtructæ, *L. un. in princ. Cod. de Contract. Iud.* Quæ autem a perpetuis Comitibus fundata & exſtructa fuerant, Coronæ unito eorum Comitatu, fierent plane Dominica, & omnino caderent in fiſcum, in ſacrum aut regale patrimonium; quia eorum Comitatus ſummo, perpetuo, & hæreditario jure poſſeſſi, cum ſuis omnibus cauſis ad Coronam redierunt. Et hinc Eccleſiæ a temporalibus olim exſtructæ, nec hodie quaſi regales aut Regiæ fundationis habentur, perinde ac quæ a noſtris Gubernatoribus in ſuarum gubernationum territorio fundatæ fuerint: ſed Eccleſiæ a perpetuis olim Comitibus fundatæ, cenſentur Regiæ fundationis, & a ſolo Rege pendent.

Sicut vero poſterioribus imperii Romani temporibus Comites juri dicundo præerant in provinciis, & ideo apud CASSIODORVM dicuntur paſſim

ſim *Iudices*, HESYCHIO & SVIDÆ Κόμης ὁ λαοῦ ἄρχων, *Comes populi Magiſtratus*. Ita & rectiſſime obſervat magnus BIGNONIVS, Comites fuiſſe etiam judices apud veteres Francos. Ejus rei multa exſcribit exempla A. DADINVS ALTASERRA *in lib. de Duc. & Com. cap.* 4. & SPELMANNVS ait, eos fuiſſe *Iuriſperitos*, ut judicandi munere fungerentur intra ſui Comitatus fines, qui omnino iidem erant, ac ipſius Diœceſeos Epiſcopalis. Et hinc VALAFRIDVS STRABVS *in lib. de reb. Ecclеſ. cap.* 31. ſcripſit, *quod Comites vel Præfecti in ſæculo, hoc Epiſcopi explent*, ut nempe ſint Iudices Ordinarii. FORTVNATVS *lib.* 10. *cap.* 25. *v.* 5. *ad Galactorium Comitem:*

*Iudicio Regis valuiſti creſcere Iudex,*
*Famaque quod meruit, Regia lingua dedit.*

Sed & inſtar Prætorum & Præſidum, qui ſub ſe Magiſtratus habebant municipales, atque etiam pedaneos Iudices ad humiliora negotia, noſtri illi Comites habebant miniſtros, qui eorum vice judicabant, & ſæpius dicebantur *Miſſi Comitum, lib.* 2. *Capitul. cap.* 24. & *lib.* 4. *cap.* 19. *in Piſtenſi Edicto* CAROLI CALVI *cap.* 6. & *in Capitulis* CAROLOMANNI *ad Vernis Palatiom cap.* 11. & & Vicarii Comitum; GREGORIVS TVRON. *l.* 10. *num.* 5. ſic habet: *Reſponderunt, hoc hujuſmodi Vicarii dolo, qui pagum illum judiciaria poteſtate regebat, factum fuiſſe.* CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 28. *Vnuſquiſque Comes Vicarios ſuos habeat ſecum.* CAROLVS CALVVS, *in eodem Edicto cap.* 28. eorum etiam meminit: Et HINCMARVS REM. *in admonit.* 15. *c.* 15. & *in admonit.* 16. *cap.* 3. *Comites in civitatibus ſuis, & Comitum Vicarii in plebibus ſuis.* PITHOEVS *lib.* 1. *Hiſt. Comitum Campaniæ*, & RAGVELLVS *in Indice*, volunt, ab iis Comitum Vicariis fluxiſſe noſtros Vigerios, *Viguiers*. Et forte etiam ad eos propius accedunt, quos hodie dicimus *Legatos generales*. Sicut enim ipſi Comites juri dicundo præerant, & habebant ſuos Miſſos; ita & ad noſtros Seneſchallos pertinet rei judiciariæ cura, & habent ſuos Legatos generales: & in eo tantum conſiſtit analogia; nam in aliis multum differunt. Atque etiam PITHOEVS contendit, Vicarios illos Comitum *in* LEGIBVS LONGOBARDORVM vocari Præpoſitos, & ab iis prodiiſſe *les Juges Prévôts, les Gardes de la Prévoté*, de quibus ſuo loco.

In eo tamen adhuc comparatio quædam eſſe poteſt, quod ſicut noſtri Seneſchalli Legatos generales habere tenentur, ita & olim Comites Miſſos, aut Vicarios. CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 28. *Habeat unuſquiſque Comes ſuos Vicarios. Secundum Cabilonenſe Concilium* ſub CAROLO M. *Can.* 21. *Sed & Comites miniſtros, quos Vicarios & Centenarios vocant, juſtos habere debent*: Imo & plures habere tenebantur; nam ſinguli Comitatus dividebantur in Centena, ſeu in certos pagos, vel ut ita loquar, in Centurias; quod omnino accedit ad mores Germanorum, de quibus apud TACITVM *de moribus Germanorum c.* 6. & 13. Et ab iis Centenis *Centenarii* dicebantur, qui in iis pagis, in minoribus municipiis vice Comitum jus dicebant: Nec forte alii erant a Vicariis aut Miſſis Comitum, ut videre eſt apud VALAFRIDVM *ibidem*. Itaque etiam hodie in eodem Comitatu plures ſunt hinc inde Legati generales ſub eodem Seneſchallo; quique ſunt in civitatibus dicuntur *Ballivi*; qui autem in minoribus municipiis, ſunt tantum *Subballivi*, ut de Ballivo Andegav. & ejus Subballivis de Salmurio, & de Baugeio dicitur, *in Geſtis* GVILLIELMI MAIORIS EPISCOPI ANDEGAV. *pag.* 352. *ſeq. editionis Dacherianæ tom.* 10. *Spicilegii.*

Denique erant etiam *Miſſi Reipublicæ*, apud CAROLVM CALVVM *in Edicto in Cariſiaco*. Quod male quidam trahere voluerunt ad noſtros Magiſtratus populares, puta Majores aut Scabinos; nam illi non alii erant a Miſſis Comitum. CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitulis tit.* 27. *cap.* 7. *Vt Miſſus Reipubl. id eſt miniſter Comitis.* Idem habet HICMARVS REM. *in admonit.* 4. *cap.* 7.

## CAPVT V.

### *De quibus cognoſcerent Comites, & Miſſi Comitum.*

Inter Comites & eorum Miſſos diſtincta erat juriſdictio, perinde ac inter Præſides, & Magiſtratus Municipales in Iure Civili. Comites de gravioribus negotiis cognoſcebant, & eorum Miſſi de humilioribus. VALAFRIDVS STRABVS jam toties laudato loco, Epiſcopis confert Comites, & Parochis Vicarios ſeu Miſſos Comitum addit, *Comites Miſſos ſuos præponere popularibus, ut minores cauſas determinent, ipſis majores reſervent.* CAROLVS M. *lib.* 3. *c.* 79. *Vt nullus homo in Placito Centenarii* (quem Miſſum fuiſſe Comitis, ſuperiori capite diximus) *neque ad mortem, neque ad ſuam libertatem amittendam, aut ad res reddendas, vel mancipia judicetur: ſed iſta aut in præſentia Comitis vel Miſſorum noſtrorum judicentur.* IDEM *lib.* 4. *cap.* 26. *Omnis controverſia coram Centenario definiri poteſt, excepta redditione terræ aut mancipiorum, quæ non niſi coram Comite fieri poteſt.* Et hinc cum ex Imperiali præcepto gravius aliquid exequendum erat, ipſimet Comites ſuas partes interponebant: & ſi quid vilius occurrerent, illud Comites exequebantur per ſuos Miſſos, ut auctor eſt SANGALLENSIS MONACHVS, *lib.* 1. *de geſtis Caroli M. cap.* 32.

Nunc quædam breviter perſtringere juvat, quæ Miſſis Comitum incumbebant. Pagos judiciaria poteſtate regebant, ut *ſuperiori Capite* diximus *ex* GREGORIO TVRON. Cum Comites ſuis illis Miſſis partes ſuas demandabant, in ipſo Comitatu faciebant juſtitiam. Hoc eleganter docet AGOBARDVS LVGDVN. *in Deploratoria de injuſtitiis ad Matfredum*, nobiliorem Ludovici Pii Conſiliarium: *Cognoſcat prudens benignitas veſtra, hæc a me dici non poſſe adverſus Comitem noſtrum Bertmundum, quippe qui bene ſatis habeat ordinatum de juſtitiis Comitatum ſuum, eo quod talem virum pro ſe conſtituerit ad hæc peragenda, qui non ſolum propter amorem etc.* Et ita cum juri dicundo præeſſent, Conventus & Placita ſecundum antiquam conſuetudinem habere tenebantur de Sabbatho in Sabbathum, *tenir l'audience tous les Samedis*: vel a ſeptem in ſeptem noctes, ut eſt *in* LEGIBVS ALEMAN. *tit.* 36. *cap.* 2. quæ noctium computatio cœpit apud veteres Germanos, & ad nos tranſiit: ita tamen, ut ſoli tandem Laici eam obſervaverint, non etiam Clerici. GAVFRIDVS, VINDOCIN. ABBAS, *lib.* 2. *Epiſt.* 27. *In judiciis Laici noctes, Clerici inducias poſtulare ſolent.* Iis Conventibus & Placitis adeſſe tenebantur omnes liberi Pagenſes, qui nempe in ipſo Comitatu vel pago habitabant, alioquin ab ipſo Miſſo mulctantur in 12. ſolidos, *d.* LEG. ALEMAN. *tit.* 36. *cap.* 4.

Præterea Miſſi Comitum abſentibus Comitibus Capitula Regum accipebant ut legerentur in ſuis conventibus, CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 24. Aderant alienationi rerum pupillarium, ne quid in damnum

aut

aut in fraudem pupillorum fieret, *in* LEGIBUS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 29. *cap.* 1. Epiſcopos adjuvare debebant adverſus inceſtuoſos, *in Capitularibus* CAROLI CALVI *tit.* 27. *cap.* 7. In ſuis pagis curabant rem monetariam, ut eſſet bonus denarius, id eſt bene penſans, ſeu habens pondus legitimum, *ibid. tit.* 33. Ex mandato Comitum eos cogebant venire in jus, qui ad juſtitiam reddendam venire nolebant, *ibidem tit.* 45. *cap.* 2.

## CAPUT VI.

*Miſſi Seniorum. Varii juſtitiæ gradus.*

In quolibet Comitatu quidam erant *Seniores*, *des Seigneurs*, quibus homines ſeu vaſſalli quidam fuerant, quique ſuos etiam habebant Miſſos: De iis plus ſatis egimus *lib.* 2. *de Juribus honorif. in Eccleſia caput* 4. 5. *&* 6. nec crambem recoctam hic apponere juvat.

Ex iis, quæ ſupra diximus, conſtat, in qualibet provincia fuiſſe Miſſum Dominicum, Comitem, & Miſſos Comitis. *Miſſi Dominici* habebant quamlibet juſtitiam; ſic PIPINUS MAIOR DOMUS *in diplomate pro S. Dionyſio: Omnibus Miſſis noſtris quacumque judiciaria poteſtate præditis. Comes* videtur mediam habuiſſe juſtitiam, inter Dominicum, & ſuum Miſſum, ut ſupra probavimus: ac tandem *Miſſus Comitis* infimam, quod etiam docet SPELMANNUS in verbo *Centenarii*. Et ita forte dici poteſt, hinc fluxiſſe triplicem hanc juſtitiæ diviſionem, in *altam*, *mediam*, & *infimam*; quæ non adeo recentior eſt, ſed jam diu cognita, ut etiam laudato loco diximus. Et addenda VETUS CHARTA *an.* 1169. & ALIA *an.* 1187. quibus Senon. Archiepiſcopus Cathredali Capitulo concedit plenitudinem poteſtatis, faciendi & exercendi *juſtitias* in malefactoribus ſuis Laicis. Utriuſque Chartæ meminit *le factum de Monſieur l'Archevêque de Sens contre ſon Chapitre.*

## CAPUT VII.

*Quo tempore floruerint, & deſierint Miſſi Dominici. In quibus Regionibus inſtituti.*

POMPONIUS in texenda Magiſtratuum Romanorum Hiſtoria, non modo inquirendum eſſe docet, quo tempore creati ſint, ſed etiam quo præcipue floruerint. Hoc etiam exequitur ARCADIUS CHARISIUS *libro ſingulari de officio Præfecti Prætorio*, ut nempe ita conſtet de eorum poteſtate, cum ſæpius variaverit pro ratione temporum, & pro captu Principum. Hoc in Miſſis Dominicis videndum. Nec erit in difficili, docere, quo tempore floruerint; ſed vix certa quædam epocha conſtitui poteſt, qua tum primum creati fuerint: & hoc Majoribus noſtris imputandum, quod non ſatis accurate res ſuas litteris conſignaverint. Occurrunt quidem Miſſi Dominici in LEGIBUS LONGOBARDORUM, quas a ROTHARIO editas eſſe volunt an. 637. ſed obſervandum diligenter, CAROLUM M. LUDOVICUM PIUM, & LOTHARIUM multa in iis legibus addidiſſe, nec quid eas habere de Miſſis Dominicis, niſi in iis Capitibus, quæ ſunt eorum Imperatorum.

Sed & altius repeti poſſunt. CLODOVÆUS M. præceptum pro Reomaenſi Monaſterio apud COINTEUM *Annal. Franc. tom.* 3. *p.* 465. dirigere videtur *Miſſis diſcurrentibus*. CLOTHARIUS II. *in Edicto ſuo ad quintum Pariſienſe Concilium*, laudat Judices vel Miſſos diſcuſſores. Elegans locus exſtat de Miſſis regalibus ſub Chilperico, apud GREGORIUM TURON. *lib.* 5. *cap.* 29. nec is ſuo ſuo loco excidet. Eos etiam reperio in ſolemnibus formulis, quas omnes LINDEBROGIUS Marculfo adſcribit, qui forte claruit ſub Clodovæo Dagoberti filio, ut ibi exiſtimat *Vir magnus* BIGNONIUS. Sed more ſuo prudenter animadvertit, quaſdam ex iis formulis eſſe Marculfi, quaſdam eſſe incerti Auctoris, qui ſub Carolo M. ſcripſerit, & ita non omnes ſimul eſſe miſcendas. Sane in iis, quas omnes agnoſcunt eſſe Marculfi, occurrunt Miſſi Dominici, *lib.* 1. *cap. ult. & in cap.* 11. *ejuſdem libri*, *tractoria Legatorum*, qui forte non alii ſunt quam Miſſi Dominici. Refertur etiam in notis ad eas veteres formulas, ea epigraphe cujuſdam diplomatis pro S. Dionyſio, *omnibus Miſſis noſtris diſcurrentibus*. At tandem exſtat inter opera BONIFATII MOGUNTINI Epiſtola CAROLI MAIORIS DOMUS, quæ ſimilem habet inſcriptionem *lib.* 1. *epiſt.* 32.

Ex iis conjicerem, Miſſos Dominicos prodiiſſe, & utcumque cognitos fuiſſe ſub finem primæ Dinaſtiæ aut Regiæ ſtirpis; ſub ſecunda omnino floruiſſe, & deſiiſſe ſub tertia. Nihil fere ſunt illi omnes, qui ſub prima ſcripſerunt, præter GREGORIUM TURON. qui ſub illius fine claruit, is iterum tantummodo meminit Miſſorum Dominicorum. Sed apud eos, qui ſub Carolina ſcripſerunt, nihil frequentius Miſſis Dominicis, & forte illud erat ejus ætatis verbum. Ac ſicut olim illi omnes dicebantur *Prætores*, qui in jure & exercitu præerant, apud LIVIUM, VARRONEM & alios: ita & Carolinis illis temporibus invaluerat, ut quibus aliquid a Regibus, aut ab Illuſtribus mandatum eſſet, illi omnes dicerentur *Miſſi*: ſed illi κατ' ἐξοχὴν *Miſſi Dominici*, quibus a Rege demandata eſſet ſumma rei judiciariæ cura per univerſas regni provincias. Quod qua ratione contigerit, ſuo loco diximus.

Sed ideo forte non amplius occurrunt *Miſſi Dominici* ſub tertia ſtirpe, quia labente illius imperio Duces & Comites ex miniſtris facti ſunt Domini. Sub Carolina ſummum & merum imperium erat tantum penes Regem, qui Miſſos illos habebat in ſuis provinciis, ut provincialibus ſubveniret contra potentiores. Sed cum ſub finem illius dominationis Carolus Simplex fere precario regnaret, Duces, Comites, & alii Proceres jure dominii provinciales præfecturas ſibi vindicarunt, ODO CLUNIAC. *in vita S. Geraldi lib.* 1. *cap.* 28. *ſeq.* Cumque antea eſſent tantum Præfecti aut Magiſtratus Regii, poſtea cœperunt eſſe Principes & Domini earum provinciarum, quas regia vice regebant, & eas transmiſerunt ad hæredes. Cumque Regiam majeſtatem in omnibus æmulari conarentur, nec tamen ſe Reges dicere auderent, ſe *Conſules* appellare cœperunt; quod nomen ſub prima & ſecunda Dynaſtia vix unquam uſurparunt. Quod enim FULCO, ANDEGAV. COMES, *in fragmento Hiſtoriæ Andegav.* Ingelgerium & alios ſub ea ſtirpe agentes vocat Conſules, ad ſui temporis uſum loquitur, quo ſub tertia jam ita dicebantur: Et idem plane dicendum de omnibus ejus ævi ſcriptoribus. Unde jus gladii ſeu meri imperii non amplius exercebant quaſi mandatum aut alienum, ſed quaſi ſuum & proprium; ſuoſque ipſi Magiſtratus creabant, quibus mandabant merum imperium. Iis temporibus in Regulos prodierunt Duces Normanniæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, & alii plures, qui non amplius regales Miſſos admiſerunt; ſed aut ipſimet juri dicundo præeſſe voluerunt, aut alios habere Magiſtratus, puta *Bajulos* aut *Ballivos*, & *Seneſchallos*, qui

qui eorum nomine jus dicerent. Adde, quæ diximus *cap.* 4. & 9. Et ita ſi altius inquirere velis in Miſſos Dominicos, tua illa ſit meta laboris, aut eos præcipue Auctores legas, qui ſub Carolina ſtirpe ſcripſerint. Iis adde LOYSÆVM *lib.* I. *de jure Officiorum cap.* 14. *n.* 44. *lib. de Senioratibus cap.* 8. *n.* 39.

Nunc videndum, in quibus regnis aut regionibus floruerint *Miſſi Dominici*. Et quidem cum morte Carolomanni Carolus M. in tota Gallia ſolus eſſet Rex, in ea etiam tota erant Miſſi Dominici. Cumque Aquitania in regnum erecta eſſet, Reges Aquitaniæ habuerunt etiam Miſſos Dominicos, ut docent veteres chartæ, quas exſcribit BELIVS *in Regibus Aquitaniæ pag.* 17. 23. & 40. Ita & cum Carolus M. Pipinum filium Italiæ Regem impoſuit, Primates regni ſui miſit in novum illud regnum, qui & legum moderamina, & morem Franciæ aſſuetum inſtituerent, & illi erant paſſim in Italia Miſſi Dominici. Hæc ADREVALDVS *lib.* I. *de miracul. S. Benedicti cap.* 18. qui ſub eo Pipino verſabantur ad juſtitias faciendas; apud ADONEM: eorumque meminit SIGONIVS *lib.* 4. *de Regno Italiæ circa princip.* & *lib.* 7. *ad an.* 973. & docet, eos obtinuiſſe uſque ad Othonem. Idem evenit in Lombardia: cum enim ea cœpit eſſe in ditione Caroli M., ſuos etiam Miſſos in ea inſtituit, de quibus paſſim ex eo, in LEGIBVS LONGOBARDORVM. Idem eum in devicta Saxonia feciſſe, docet nominatim POETA SAXONICVS *lib.* 3. *de geſtis Caroli M. ad an.* 798. Ludovicus Pius Miſſos Dominicos, & in Gallia, & in Germania, & in Italia inſtituiſſe dicitur apud ADONEM. Sub Carolo Calvo illud in Germania obtinuiſſe adſtruit *Conventus primus apud Marsnam* inter Lotharium Imperatorem, Ludovicum Germaniæ, & Carolum Calvum Franciæ Regem, *in Capitularibus* CAROLI CALVI *tit.* 9. Vbi tres illi Reges viciſſim agunt de Miſſis Dominicis. Notat etiam BROVVERVS *ad Fortunati carmen ſeptimum lib.* 6. in Auſtraſiæ Regno Miſſorum Dominicorum ampliſſimam fuiſſe dignitatem. Quidquid ſit, certiſſime conſtat, Miſſos Dominicos egiſſe in tota Gallia, & in omnibus provinciis aut regionibus Gallicæ ditionis. Cœperunt in Gallia, & a victoribus Chriſtianiſſimis Regibus deducti ſunt in alias regiones.

## CAPVT VIII.

*Cujus ordinis & conditionis fuerint.*

NOn ſemel Romæ agitatum eſt, an etiam ex plebe, an ex ſolis Patritiis eligendi eſſent Conſules: ſicut & an pedanei Iudices ex Equitibus, an ex Senatoribus, an ex utriſque. Sic etiam quæri poteſt, cujus ordinis eſſent *Miſſi Dominici*. Erant ſane viri ſummæ dignationis & prudentiæ. Hoc indicant verba illa MOISSIACENSIS CHRONICI *ad an.* 802. *apud* QVERCETANVM, *tom.* 3. *Scriptorum hiſtoriæ Francorum. Noluit* (Carolus M.) *de intra Palatio ſuo pauperiores vaſſos ſuos transmittere ad juſtitias faciendas, propter munera: Sed elegit in Regno ſuo Archiepiſcopos, & reliquos Epiſcopos, & Abbates cum Ducibus & Comitibus, qui jam opus non habebant ſuper Innocentes munera accipere. Et ipſos miſit per univerſum regnum, ut eccleſiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto populo juſtitiam facerent.* HINCMARVS vocat eos Proceres, Conſiliarios & Domeſticos Palatii, *in Opuſculis tit.* 14. id eſt eos, a quibus magna ex parte pendebat auguſtum conſilium, ut paſſim Domeſtici accipiuntur *in utroque Codice.*

Cum autem regni Proceres & Clerici eſſent, & Laici, ex utroque illo ordine Miſſi Dominici eligebantur. Hoc a Carolo Calvo petunt MELDENSIS CONCILII PATRES *in Can.* 20. & ECCLESIÆ GALLICANÆ PRÆLATI *in ejuſdem Capitularibus in villa Sparnaco cap.* 20. Et ſæpius erant vel Epiſcopi, vel Comites; *Concilii Valentini tertii Can.* 23. vel etiam Abbates, aut alii Nobiliores Laici. CAROLVS M. *lib.* 4. *Capitular. cap.* 69. ait, Miſſos Dominicos, vel Epiſcopos eſſe, vel Abbates, vel Comites. Quam in rem PETRVS PITHOEVS ex vetuſto quodam *Cod. ad Capitularia Caroli* M. in verbo *reclamare*, exſcribit veterem hanc formulam: *Poſtquam autem N. Abbas & N. Comes, Miſſi Dominici in illas partes veniſſent ad juſſionem Domini Imperatoris explendam.* Et obſervandum ex FLODOARDO, *l.* 2. *c.* 18. ut plurimum Abbates eo munere functos fuiſſe; ac tandem, quod ita fuerint ex utroque ordine, apertius adhuc innoteſcet, ubi quorumdam Miſſorum nomina & dignitates referentur *cap.* 13.

Quot mitterentur ſimul, non ſatis conſtat; forte non minus quam duo, aliquando tres, aliquando quatuor, ut videre eſt *in Capitulari* 2. LVDOVICI PII, *cap.* 25. & *in Capitulis* CAROLI CALVI, *apud Sylvacum poſt caput* 13. Sed ex iis ſemper alter erat Clericus, alter vero Laicus, ut ita res omnes, negotia omnia definirent, & de iis ſacra vice judicarent.

LVDOVICVS PIVS *laudato loco cap.* 11. jubet, ut quilibet Miſſis Dominicis honorem exhibeant. *Noſtri*, inquit, *honoris cauſa, & noſtræ propter auctoritatis venerationem*, quod deſumpſit ex *lib.* 2. *Capitular.* CAROLI M. *cap.* 11. & 16. Sed rectiſſime HINCMARVS *in admonitione* 4. *c.* 14. *ad eundem Ludovicum: Sicut Comitibus præponuntur, ita ſcientia, juſtitia & veritate iis præmineant.* Hæc etiam exſcripta ſunt nominatim *in Epiſt. Epiſcoporum, e Synodo apud Cariſiacum cap.* 14. *in fin.* apud SIRMONDVM *tom.* 3. *Conc. Galliæ*. Cumque ad eos aut ſcribebant aut mittebant, ea erat litterarum epigraphe: *Dilectis ac fidelibus Miſſis*, ut videre eſt *in Capitulis* CAROLI CALVI *apud Sylvacum*, & *ex Synodo Cariſiaca*. Nobis hodie: *à nos amés & feaux*. Et Provinciales eos vocabant *Dominos*, ut canit THEODVLPHVS *Aurelian. Epiſcopus*, & ipſe Miſſus Dominicus per Narbon. provinciam, *lib.* I. *carminum v.* 203. *in parænesi ad judices:*

*Hoc ego ſum Domino (Dominum me forte vocabat)*
*Laturus, votis ſi favet ille meis.*

Ibi Præfecturam, aut Legationem ſuam, ſuumve miſſaticum fuſius deſcribit.

## CAPVT IX.

*Quis eorum ordo cum Epiſcopis & Comitibus.*

IN ſecunda ſtirpe Regum noſtrorum conſtat, Epiſcopos, & Comites in ſuis provinciis partem habuiſſe Regalis miniſterii. LVDOVICVS PIVS *in ſuo Capitulari ſecundo cap.* 3. Cumque Carolus Calvus a Iohanne VIII. conſecratus eſſet Imp. & apud Ticinum Palatium ab Italici Regni Proceribus, & Epiſcopis acclamatus, *in ſuis Capitulis ex Synodo Pontigonenſi cap.* 12. *circa finem* ſic habet: *Ipſi nihilominus Epiſcopi, ſinguli in ſuo Epiſcopio, Miſſatici noſtri poteſtate, & auctoritate fungan-*

*gantur*. Unde dici recte poteſt, non adeo novum eſſe in Gallia, Epiſcopos eſſe a conſiliis Chriſtianiſſimi Regis.

Sed cum in provinciis ſæpius agerent *Miſſi Dominici*, non immerito quæri poteſt, quis eorum ordo, quis gradus, quæ dignitas cum Epiſcopis & Comitibus. Semper enim curarunt Principes, ut dignitatum ordo ſervaretur, & varias leges ediderunt de gradu honoratorum. De eo agitur tantum *in hoc cap.* 9. Statim vero conſtat, Miſſos Dominicos anteceſſiſſe Comites. HINCMARUS REM. *in admonit.* 4. *cap.* 14. nominatim ait, eos præeſſe & præponi Comitibus, *qui* (nempe Miſſi Dominici) *ſicut Comitibus præponuntur, ita ſcientia, veritate & juſtitia eis præmineant*. SIGONIUS *lib.* 4. *de regno Italiæ in Carolo M. ad ann.* 774. ait, *Miſſos illos fuiſſe majori auctoritate quam Comites*. Et hinc paſſim in Capitularibus Regum noſtrorum *Miſſi* nominantur ante Comites: atque etiam *in* LEGIBUS LONGOBARDORUM *lib.* 2. *tit.* 52. *l.* 5. Plures habebant Comites ad ſuum Miſſaticum pertinentes, qui ad eorum Placita venire tenebantur, ait CAROLUS M. *lib.* 3. *Capitular. c.* 87.

De Epiſcopis major eſt dubitatio: nam Miſſis obedire debebant, *in Capitulari* 3. LUDOVICI PII *cap.* 3. Comites, & Epiſcopi ad eos recurrebant, *Capitularium* CAROLI M. *lib.* 2. *cap.* 26. Comites, & Epiſcopi debebant eſſe in eorum miniſteriis, *Capitularium* CAROLI CALVI *tit.* 11. *cap.* 10. Miſſi Dominici eos adjuvabant, tuebantur, & corrigebant, ut ſuis quibuſque locis videbimus. Rectiſſime tamen SIRMONDUS *in Notitia dignitatum*, quam ſubjicit Capitulis Caroli Calvi, poſt indicem, ſic ſtatim eum ordinem ſcribit, EPISCOPI, MISSI, COMITES; eumque probat ex multis eorum Capitulorum locis; Epiſcopis enim conceſſa eſt ſublimis ac divina poteſtas, ait S. CYPRIANUS *Epiſt.* 55.

## CAPUT X.

### *An & quatenus Epiſcopi ſubjacerent Miſſis Dominicis.*

IAm olim probavimus, cum Epiſcopis ita ſe habuiſſe Miſſos Dominicos, ut Epiſcopi eos honoris gradu præcederent in ſuis Diœceſibus; ſed tamen in multis Epiſcopi eorum poteſtatem ac juriſdictionem agnoſcere tenebantur. LUDOVICUS PIUS *in Epiſtola quadam apud* SIRMONDUM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 465. ſtatim jubet, *ut Archiepiſcopi cum Suffraganeis obedientes & adjutores ſint Miſſis Dominicis*; quod etiam exſcribit CAROLUS CALVUS *in Capitulis, apud Tuſiacum in Præfat.* CAROLUS M. *lib.* 2. *cap.* 12. *Ut per ſuos Miſſos comperiat, quam religioſe Epiſcopi converſentur, & prædicent*. IDEM *in quibuſdam Capitulis, apud eumdem* SIRMONDUM, *ibidem pag.* 157. *cap.* 11. *Ut Miſſi Dominici provideant, ne forte aliquis clamor ſit ſuper Epiſcopum, vel Abbatem, vel Abbatiſſam*. Ille idem LUDOVICUS *in Capitul.* 3. *c.* 5. ad inſtructionem Miſſorum *ibidem pag.* 466. *Primo de Epiſcopis, quomodo ſuum miniſterium expleant, & qualis ſit eorum converſatio, vel quomodo Eccleſias & Clerum ſibi commiſſum ordinatum habeant atque diſpoſitum, vel in quibus rebus maxime ſtudeant, in ſpiritualibus videlicet aut in ſæcularibus negotiis. Deinde quales ſint adjutores miniſterii eorum, id eſt, Chorepiſcopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, & Vicedomini, & Presbyteri per Parochias eorum: Quale ſcilicet ſtudium habeant in doctrina, vel qualem famam habeant ſecundum veritatem in populo. Utrum Epiſcopi in circumeundo Parochias ſuas, cæteras minores Eccleſias graveant, aut populo oneri ſint, & ſi ab ipſis aut miniſtris eorum, indebita exenia a Presbyteris exigantur*.

Idem *in ſecundo Capitulari cap.* 26. *Et ſi forte Epiſcopus aliquid negligentius in ſuo miniſterio egerit, per Miſſorum admonitionem corrigatur*. Idem *in* LEGIBUS LONGOBARDORUM, *lib.* 2. *tit.* 52. *cap.* 17. *Legatio Miſſorum noſtrorum hæc eſt. Primum ut faciant juſtitiam de rebus & libertatibus injuſte ablatis: Et ſi Epiſcopus hoc feciſſe inventus fuerit, ſtatim reſtituantur*. PIPINUS *ibidem cap.* 21. *Ut ubicumque Miſſi noſtri Epiſcopum invenerunt, qui juſtitiam facere noluerit, aut prohibuerit, de ipſius rebus vivant, quamdiu in eodem loco juſtitiam facere debent*.

Iis adde quæ diximus de Epiſcopis, qui ad Miſſos Dominicos recurrunt, & de oppreſſis Clericis.

Sed & quamvis Sacri Canones prohibeant paſſim, ne quis Epiſcopum capiat: forte tamen, ſi propter aliquod grave crimen depoſitionis ſententiæ obnoxius eſſet, Miſſus Dominicus ex mandato Regis eum diſtringere, & in cuſtodiam conjicere poterat; præcipue vero ſi majeſtatis eſſet reus, ut teſtatur celeberrima cauſa Ebbonis, Remenſis Archiepiſcopi. Cum enim reſtitutum videret Ludovicum Pium, & ad Pariſiacam urbem fugiſſet; Ludovicus Pius ſtrenuos & fideles nuntios dirigens, eum comprehendi juſſit, & cuſtodia mancipari. Ea ipſa ſcribit CAROLUS CALVUS *in Epiſt. ad Nicolaum Papam* apud SIRMONDUM *tom.* 3 *Concil. Gall. pag.* 360. Nuntii procul dubio erant Miſſi Dominici: Primo enim, niſi Regia auctoritate muniti eſſent, vix unquam manus injeciſſent in Archiepiſcopum: Secundo, nihil frequentius *in geſtis, in vita, in Capitularibus* LUDOVICI PII, atque etiam in *Conciliis Gallicanis ſub eo habitis*, quam ut Miſſi Dominici dicantur ſtrenui ac fideles, frequentiſſimum illud eſt eorum epitheton. Ac tandem FLODOARDUS, *lib.* 2. *Rem. Hiſt. cap.* 20. ex iis nuntiis facit Rothordum, primum Sueſſionem Epiſcopum, qui certiſſime Miſſus erat Dominicus. Sed prudentiſſime Ludovicus Pius huic Miſſo adjunxit Erchenradum, Pariſiorum Epiſcopum; quod in ejus eccleſia latitaret Ebbo, ut eſt *in Epiſtola Synodica Concilii Tricaſſini ad Nicolaum Papam*. Ebbo petiit, ut ad Synodum rejiceretur, hoc conceſſit Ludovicus. In ea crimen confeſſus eſt Ebbo, ſuæque depoſitionis ſententiam dictavit: Imperator a Gregorio IV. S. P. petiit, ut huic depoſitioni conſentiret: ac tandem condemnatum Ebbonem in varia monaſteria detruſit per Ciſalpinas regiones. Hæc ex Epiſtolis NICOLAI, CAROLI CALVI, HINCMARI & SYNODI.

Ex iis conſtat primo, reum Epiſcopum a Miſſis Dominicis diſtringi poſſe, quæ hic una eſt intentio: Secundo, ei petenti denegatum non fuiſſe fori privilegium: Tertio, tunc temporis eum deponi non potuiſſe, præterquam in Synodo ex ſcientia & adſenſu Romani Pontificis: Quarto, eum depoſitum a Principe detrudi potuiſſe in carcerem. Et obiter ſincere agnoſcendum eſt, in ea depoſitione magnam fuiſſe Principis poteſtatem; nam & præter diſtrictionem & ultimam detruſionem in carcerem, ad eam animadverſionem Synodum, ejus locum & tempus indicere, & ſtrictius imperare poterat: quod utique non erat vilioris momenti, ut ita Epiſcopi ſe invicem non relinquerent impunitos, & perditis Epiſcopis purgaretur Eccleſia. Luculentum ejus rei exemplum videre eſt *in Geſtis* GUILLELMI *II. Normannorum Ducis, & Regis Anglorum*, *a* GUILL. PICTAVENSI *æquali conſcriptis*. Ubi cum Malgerius, Rothomagenſis

genſis Archipræſul, multorum criminum eſſet reus, nec tamen ullus eum accuſare aut in judicium agere auderet, eo quod eſſet Guillelmi Regis Patruus; ille Ipſe Rex eum depoſuit in publico ſanctæ Synodi, Apoſtolici Vicario, cunctisque Normanniæ Epiſcopis juxta Canonum auctoritatem ſententiam dantibus unanimi conſenſu, & Maurilium Cathedræ liberatæ providit.

Nec ideo tamen dicendum exiſtimarem, in Gallia Chriſtianiſſimos Reges accuſatis Epiſcopis ad libitum dediſſe Iudices Eccleſiaſticos: nam hoc longe alind eſt ab imperanda & indicenda Synodo legitima, quæ iſtius judicii poteſtatem habet a ſacris Canonibus. Nec obſtat VALENTINIANI III. *Conſtitutio*, quam exſtare volunt *in l.* 47. *Cod. Theod. de Epiſc. & Cler.* in qua tamen ne verbum quidem de Patroclo Arelatenſi: ſed ea integra extat apud SIRMONDUM *in appendice Cod. Theod. cap.* 6. Vbi Valentinianus Patroclum, Arelat. Epiſcopum, Iudicem conſtituit contra quosdam hæreticos Epiſcopos. Non obſtat, inquam, vel enim cum doctiſſimo GOTHOFREDO *in notis ad d. l.* 47. dicendum eſt, caput illud ſextum prorſus eſſe confictum & apocryphum; vel ſi genuinum illud habere velis, dicendum eſt ex ejus verbis, præcepiſſe Valentinianum, ut Epiſcopi illi per Patroclum conveniantur, nempe ad Synodum legitimam, cui tanquam eo tempore Sedis Apoſtolicæ Legatus præſit.

Nec obſtat etiam *Novella* 123. *cap.* 24. ubi Iuſtinianus ait, ſe quosdam deputare judices, apud quos accuſetur Epiſcopus Conſtantinopoli repertus ex alia qualibet provincia. Ibi enim agitur de erroneis Epiſcopis, qui paſſim vagantur diſciplinam evitantes, ut de iis GREGORIUS M. *lib.* 7. *Reg. Epiſt.* 118. & ideo voluit Iuſtinianus, ut tanquam errones vagabundi ſtatim ab iis judicibus coerceantur, quos ipſe dederit, ne propter fugam Canonicis pœnis eximantur.

Nec adhuc obſtat *Canon* 104. *Carthaginenſis Concilii, apud* DIONYSIUM EXIGUUM *in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ*. Vbi a Principe impetrari poteſt Epiſcopale judicium; quod nempe reddatur in legitima Synodo, ſeu in Conventu Epiſcoporum, ut ibi addit ZONARAS. Videſis auctorem libri *de Iudiciis Canonicis Epiſcoporum pag.* 761. 762. ubi & ſubjicit, & diligentius examinat *Epiſtolam* 7. GREGORII M. *lib.* 2. *Reg. indict.* 11.

Nec tandem dixeris ex ea Novella, & ex eo Canone, Chriſtianiſſimos Reges primæ ſtirpis Contumelioſo, Salonio, & Sagittario Epiſcopis dediſſe judices: nam hoc omnino eſt contra rei geſtæ veritatem: Legitimam Synodum imperarunt, ut ſupra, & juris utriuſque regulis repugnat, eum litigantibus dare judicem, qui eos ad competentem rejicit. Præterea omnes fere agnoſcunt, in Gallia nec cognitum fuiſſe Ius Iuſtinianeum, nec Dionyſii Codicem (in quo tum primum exſcriptus eſt ille Canon), niſi ſub ſecunda Dynaſtia.

## CAPUT XI.

*An et in quibus Comites iis ſubjacerent.*

SIGONIUS *lib.* 4. *de regno Italiæ ad an.* 773. ait, Carolum M. quosdam Legatos miſiſſe in regnum, quos Miſſos vocavit, *majore quam Comites poteſtate*. Hoc expendendum ex Scriptoribus æqualibus. CAROLUS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 87. docet, Comites pertinuiſſe ad eorum Miſſaticum, quod nihil aliud eſt, quam iis ſubjectos fuiſſe. *Lib.* 4. *cap.* 67. *et ſeq.* jubet, ut eos cogant in ſuis Comitatibus facere juſtitiam, et quamdiu eam non fecerint, de rebus eorum vivant. In ejuſdem Capitulis apud SIRMONDUM, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 157. *De eo, quod Miſſi noſtri providere debent, ut forte ſit aliquis clamor ſuper Comitem, et nobis renuntiare*. In aliis ibidem, *pag.* 245. *Vt Miſſi noſtri diligenter inquirant inter Epiſcopos, Abbates, ſeu Comites, qualem concordiam ad invicem habeant per ſingula miniſteria; aut ſi aliqua diſcordia inter ipſos eſſe videtur, nobis exinde renuntiare non negligant.* Ille ibidem *in* LEGIBUS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 52. *cap.* 2. *Si Comes in ſuo miniſterio juſtitiam non fecerit, tunc Miſſus noſter de hac cauſa ſonare faciat* (id eſt inquirere), *uſque dum juſtitiæ ibidem factæ fuerint.*

LUDOVICUS PIUS *in ſecundo Capitulari cap.* 18. apud SIRMONDUM *ibidem*: *Volumus Miſſos noſtros hujus rei* (monetariæ) *gratia dirigere per ſingulos Comitatus, qui diligenter inquirant, qualiter Comites in hoc noſtram juſſionem adimplere certaverint*. Hoc ANSEGISUS ABBAS exſcribit, *lib.* 2. *Capitular. cap.* 18. Additur *in cap.* 26. *ejusdem Capitularis*, et *in cap.* 26. *ejuſdem libri*: *Miſſi noſtri omnibus generaliter notum faciant, qualis ſit eorum legatio; ſcilicet ad hoc ſe eſſe a nobis Miſſos conſtitutos, ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes, miniſterium ſuum implere non poſſit, ad eos recurrat: et ſi forte Epiſcopus aut Comes aliquid negligentius in ſuo miniſterio egerit, per iſtorum admonitionem corrigatur*. Et multa paſſim conſtituit de ſupplenda et corrigenda Comitum negligentia per Miſſos Dominicos, quod utique majoritatem indicat, ut cum Canoniſtis loquar. Eo etiam pertinet *Epiſtola* 19. LUDOVICI PII *inter epiſtolas Eginardi Abbatis apud* QUERCETANUM *tom.* 2. *Hiſt. Franc. pag.* 699. ubi mandat cuidam Comiti, ut eat obviam Miſſo Dominico, et addit: *Quidquid ille tibi de verbo noſtro ſimul cum aliis Comitibus, et fidelibus noſtris ad faciendum injunxerit, facere ſtudeas, et taliter exinde agas, qualiter in tua fidelitate bonam habemus fiduciam.*

Denique apud CAROLUM CALVUM *in Capitularibus tit. II. cap.* 8. Miſſi Dominici vice regia jubent ac præcipiunt, ubinam et quo tempore Placita ſua Comites habere poſſint. *Ibidem tit.* 27. *cap.* 14. Remenſis et Rothomagenſis Diœceſis Epiſcopi ab eo petunt, *ut tales Miſſos per regnum conſtituat, qui ſciant, qualiter Comites, et ceteri miniſtri Reip. juſtitiam et judicium populo faciant, qui ſicut Comitibus præponuntur, ita ſcientia, et juſtitia, ac veritate iis præmineant*. Eadem exſcribuntur apud HINCMARUM REMENSEM *in admonitione* 4. *cap.* 14. *in fin.*

Et ita ex iis omnibus conſtat, Miſſos Dominicos præeſſe Comitibus, cum eorum jurisdictioni et emendationi ſubjaceant, et ad eorum curam pertineant.

## CAPUT XII.

*Ad quos hodie tranſlatum ſit eorum officium.*

IAm diximus *cap.* 7. Miſſos Dominicos omnino evanuiſſe cum ſecunda ſtirpe Regum noſtrorum. Sed quæritur, quinam poſtea eorum officio functi fuerint. LOYSÆUS *lib. I. de officiis cap.* 14. *a numero* 47. *ad* 57. contendit, *Magiſtros libellorum ſupplicum* partim ſucceſſiſſe in eorum locum, partim *Baillivos*. Forte tamen adhibenda eſt quædam diſtinctio temporis. Primo enim, cum ſub initio tertiæ ſtirpis Duces et Comites præfecturas ſuas ſui juris, ſuique dominii feciſſent, ac rede-

giſlent in ſortem hæreditariam, jus Magiſtratuum creandorum et jus *reſſortus* ſibi vindicarunt, ſeu habue-jus cognoſcendi de cauſis appellationum: ruunt juriſdictiones et Baillivos, ut palam eſt *ex cap. I. Ex. de poſtulan. et ex cap. 4. Ex. ne Cl. vel Mon.* Erant quidem homines, aut vaſalli Regum ju-noſtrorum: ſed quamdiu vel ipſi, vel eorum dices jus dicere parati erant, non patiebantur ali-quid juriſdictionis ab ipſis Regibus uſurpari. In eam rem multi multa congerunt, quæ hic exſcri-bere nolim.

Iis addenda ſingularis, et omnino inſignis *Epiſtola* 465. HENRICI, *Angliæ Regis, ad Ludovicum VII.* quam refert QVERCETANVS *tom. 4. Hiſt. Franc. pag.* 731. ubi cum Ludovicus VII. Alvernenſes Comites prehendiſſet propter aliquod delictum, Henricus eos vindicat iis verbis: *Comites de Al-vernia homines meos.* (nam Alvernia erat Subſeu-dum Aquitaniæ, cujus Dux erat Henricus) *quia ipſos vobis foris feciſſe dicitis, cum tamen de haben-do eos ad juſtitiam minime defecerint, ſicut vobis pla-cuit ſæpiſtis, et cum Baillivos meos ſuper hoc requi-ſiviſſetis, ipſi minime vobis defecerunt, ſicut aſſerunt. Benevolentiam itaque veſtram attentius rogo, quate-nus ſicut nec ego defeci, nec Baillivi, prædictos ho-mines meos, ſi placet, mihi reddatis, vel ſaltem re-credatis, et ego eos habebo ad juſtitiam.* Ibi Alver-nenſes Comites deliquerant in Regem Ludovi-cum, Ducis Aquitaniæ dominum, et tamen Dux ille non patitur, ut in reos illos homines ſuos Ludovicus Rex jure agat, et petit, ut Baillivi de eo crimine cognoſcant. Vnde colligitur, Præfe-cturis illis in dominatum redactis, Duces et Co-mites non amplius agnoviſſe Regios Magiſtratus, ut in iis ſacra vice judicarent, ſed poteſtatem il-lam fuiſſe tantum penes Duces illos, et Comi-tes, aut eorum Magiſtratus, puta Baillivos.

Cum autem Ducatus et Comitatus illi ſenſim eo redierunt, unde diverterant, nempe ad coro-nam regiam, Chriſtianiſſimi Reges Baillivos regios in iis inſtituerunt, qui nomine ſuo juri dicun-do præeſſent: et ſenſim iis pleraque addixerunt, quorum cognitio competebat olim Miſſis Domi-nicis, ut probari poteſt ex veteribus Regum no-ſtrorum Conſtitutionibus, quæ referuntur *in Col-latione Conſtitutionum Regiarum lib. I. tit.* 21. Ita tamen, ut in eas provincias Magiſtros libellorum ſupplicum ſubinde mitterent, qui ſummas eorum Miſſorum partes in iis obirent.

Quænam fuerit eorum origo, quodnam munus et officium, norunt omnes; ſed quæ a multis af-feruntur, iis duo illa lubenter addere juvat. Pri-mum eſt ex *Opuſculis* HINCMARI, *cap. 15. num.* 13. *Legimus, antiquitus judices in porta ad judican-dum ſediſſe, ut nullus accedendi difficultatem habe-ret. Vnde vocatus Hieronymus in Zachariam Prophe-tam, veritatem, inquit, et judicium pacis judicate in portis veſtris; in judicio prima ſit veritas et juſti-tia, deinde ſequatur miſericordia. Quod ſequitur in portis veſtris, illi prophetico congruit: Oderunt in portis corripientem, et verbum ſanctum abominati ſunt. Et in alio loco. Non confundentur cum loquen-tur inimicis ſuis in porta. David quoque judicabat in portis, quando Abſalon veritatem judicii repromit-tens patri tendebat inſidias. Et quæritur, quare apud Iudæos in portis locus fuerit judicandi? Ne cogeren-tur agricolæ intrare urbes, et aliquod ſubire diſpen-dium, judices in portis reſidebant, ut tam urbanos quam ruſticos et in exitu, et in introitu urbis au-dirent.*

Et hinc noſtri illi Magiſtri libellorum hoſpitii Regii, pro ejus foribus jus dicebant. Hoc indi-cat IOINVILLÆVS *pag. 22. editionis Menardinæ: Car de couſtume aprés ce que les Sires de Neelles, et le bon Seigneur de Soiſſons, moy, et autres de ſes pro-ches avions eſté à la Meſſe, il failloit que nous aliſ-ſions oüir les Plets de la porte, que maintenant on appelle les Requeſtes du Palais à Paris.* quod ulti-mum neſcio an ſuppoſititium. Quidquid ſit, Ma-giſtri illi ſupplicum libellorum Regii hoſpitii ſuc-ceſſiſſe videntur hodie in locum Miſſorum Do-minicorum, eidemque fini mittuntur in provin-cias.

## CAPVT XIII.

*Miſſatica. Quorumdam Miſſorum nomina. Eorum numerus in quolibet Miſſatico.*

LVDOVICVS PIVS *lib. 2. Capitular. c.* 17. teſta-tur, a Carolo M. genitore ſuo, certos quoſ-dam ordinatos fuiſſe locos, in quibus agerent Miſſi Dominici, & ſua legatione fungerentur. Locos illos deſcribit *in c. 25. ejuſdem libri*, ſicut & CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitulis ad Sylvacum*. Tractus aut regiones Miſſis illis aſſignatæ dicun-tur paſſim *Miſſatica*, aut *Miſſatici*, utrumque di-citur. Sane *Miſſaticum* aliquando ipſam quoque Legationem ſignificat, & mandata Miſſis data, in *iiſdem Capitulis, tit.* 25. 31. *&* 34. *c. 2. & apud* HINCMARVM *&* FLODOARDVM. Aliquando tamen *Miſſaticum* differt a legatione Miſſorum, ut *in Capitular.* CAROLI M. *lib. 3. cap.* 87. *& alibi paſ-ſim.* Tunc enim *Miſſaticum* ſignificat regionem aut provinciam, & Legatio munus ipſum, quod etiam Præfecturam vocat THEODVLFVS AVRELIAN. *in Paræneſi ad Iudices.* Sed & legatio quandoque accipitur pro Mandatis aut Capitulis, quæ a Prin-cipe Miſſis Dominicis data ſunt. In hoc Capite *Miſſaticum* accipitur tantum pro territorio, & tractu regionis aut provinciæ, per quam Miſſo-rum Dominicorum poteſtas & legatio extende-batur; & frequentiorem hanc acceptionem pluri-bus adſtruit & confirmat SIRMONDVS *in notis ad Capitula* CAROLI CALVI *ad Sylvacum.* PETRVS PI-THOEVS *in Hiſtoria Comitum Campaniæ* vocat *les départemens.*

Illud aliquando minus erat, aliquando majus, pro arbitrio Principum: ita tamen, ut fere ſem-per plures Pagos & Comitatus contineret. CA-ROLVS M. decem Miſſatica in ſuo regno conſti-tuit, *lib. 2. cap.* 25. Vnde palam eſt, ſub eodem Miſſatico ſex fuiſſe Comitatus & quatuor Epiſco-patus. Sed CAROLVS CALVVS totum regnum ſuum diviſit in 12. Miſſatica, *in iiſdem Capitulis.* Et ibi rectiſſime SIRMONDVS notat, ab ea diviſione Caroli Calvi Aquitaniam excipi, quod tunc ſeor-ſim regeretur; ſicut & Britanniam, quippe quæ tunc temporis rebellaſſet. Aquitania cœperat eſſe regnum ſub Carolo M. & eadem adhuc ratione gubernabatur ſub Carolo Calvo: Britannia au-tem ſub eo rebellarat, *& contra Francos ſuperio-res fuerant Britanni*, ut eſt *in* CHRONICO FONTA-NELLENSI *ad annum* 846.

Multa Miſſorum Dominicorum nomina occur-runt in laudatis utriuſque Caroli Capitulis, apud FLODOARDVM, & alios veteres: atque etiam SAM-MARTHANI FRATRES in *Gallia Chriſtiana* plures obſervant, qui fuerint Miſſi Dominici. Eos tan-tum exſcribere juvat, qui floruerint in hac no-ſtra Andegav. provincia. CAROLVS M. *lib. 2. cap.* 25. ſic habet: *Super Turonem Landrannus Archiepiſco-pus* (nempe Turonenſis) *& Rhuotbertus Comes.* Nec dubitaverim, eos etiam præfuiſſe Andega-venſi regioni; hoc indicare videtur CAROLVS CALVVS, *in Capitulis ad Sylvacum* iis verbis: *Dodo*

*Epiſco-*

*Epiſcopus*, *Hrotbertus*, *& Osbertus*, *Miſſi in Cinomannico*, *Andegavenſi*, *atque Turonico*, *Corboniſo & Sagiſo*. Dodo erat Epiſcopus Andegavenſis, qui etiam laudatur *in epigraphe Epiſtolæ* 121. IOANNIS VIII. *& Epiſtola* 84. *apud* LVPVM, *Abbatem Ferrar.* Ex eo notandum obiter, Miſſos Dominicos in ſua etiam patria ſuo illo munere fungi potuiſſe. Hoc etiam confirmat CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis ex Synodo Pontigon. cap.* 12. quod jam exſcriptum eſt *in cap.* 9. Vnde Hincmarus Rem. apud FLODOARDVM *lib.* 3. *Rem. Hiſt. cap.* 26. Luitardo illuſtri viro mandat ex auctoritate Epiſcopali, non ex Banno Regis, cujus ipſe Pontifex Miſſus erat in ſua provincia, ut ejus homines hominibus Remenſis Eccleſiæ non noceant.

In laudatis Capitulis, quinam alii fuerint Miſſi Dominici, non mihi conſtat, ſicut nec quinam pagi *Corboniſum* & *Sagiſum*. Ex iis tamen videre eſt ( quod & adhuc hodie obſervatur ) Turonenſe Miſſaticum ſub ſe ſemper habuiſſe Cænomaniam & Andegavenſem provinciam. Sæpius quidem, imo & fere ſemper duo erant in quolibet Miſſatico: ſed tamen conſtat *ex eo Capitulari*, eos aliquando tres fuiſſe: & jam docuimus, olim rebus ita exigentibus alios iis duobus additos fuiſſe. Denique cum Caroli Calvi temporibus Lotharius Frater alteram regni partem occupaſſet, & ita quilibet in ſua ditione Miſſos & Miſſaticos haberet; rebus tandem compoſitis inter utrumque placuit, *in Capitulis apud Valentianas*, *Vt ubi Miſſatici ſimul venerint*, *Miſſi ſimul veniant*: apertius forte CAROLVS CALVVS poſtea, *in Capitulis apud Sylvacum*, Miſſos Dominicos allocutus, *Vt ſicut in Miſſaticis conjuncti & deputati eſtis*, *ſimul conveniatis*. Nec illud his etiam ultimis temporibus inauditum, ut nempe cum poſt bella civilia Principes ſimul conveniunt, quidam ab iis utrinque inſtituti Officiarii, ſimul veniant, maneant & jungantur.

## CAPVT XIV.

*Iis in Miſſaticum proficiſcentibus data Capitula. Inquiſitio.*

COnſtat, Rom. Imperatores mandata dediſſe Præſidibus provinciarum, aut Legatis ſuis in eas proficiſcentibus, quæ LVCIANO ἐντολαὶ βιβλίων: Et hinc a præſtantiſſimo MERILLIO *in Not. ad paſſion. Chriſt. c.* 19. *v.* 16. didici, perſecutiones Chriſtianorum ab EVSEBIO appellari ἐντολάς, quod ſecundum mandata Principum fierent. Sic etiam Chriſtianiſſimi Reges dare ſolebant mandata Miſſis Dominicis in ſua Miſſatica proficiſcentibus, quæ paſſim dicuntur Admonitiones, Commonitoria, Inſtructiones. Capitula ad inſtructionem Miſſorum, *in omnibus Regum noſtrorum Capitulis*. Eorum multi erant articuli, multa capita, de quibus agemus ſuis quibuſque locis.

Ea ſæpius accipiebant ab ipſomet Rege, aliquando etiam a Cancellario, ut docet CAROLVS CALVVS *ad Sylvacum cap.* 11. *qui ea ſcribebat*, *& fideliter cuſtodiebat*, ait HINCMARVS REM. *in Opuſculis tit.* 14. *c.* 16. CAROLVS CALVVS *in Edicto in Cariſiaco*: *Propterea neceſſarium duximus*, *ut commendationem noſtram ex hoc ſcribere rogaremus*, *quæ ex more in Palatio noſtro apud Cancellarium retineatur*, *& inde per Miſſos noſtros dirigatur*. Illud ipſum Cancellarii munus, ( ut nempe ab eo accipiantur Capitula Regia ) deſcribit LVDOVICVS PIVS *in ſecundo Capitulari cap.* 24. *apud* SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. p.* 456.

Præcipue vero in mandatis habebant Miſſi Dominici, ut in ſuis Miſſaticis multa inquirerent, de quibus referrent ad Principem. Hic de ſola inquiſitione, ad eam inſigne *Capitulare tertium* LVDOVICI PII, quod edidit *ſub finem anni* 828. In eo titulus eſt, *Capitula ad inſtructionem Miſſorum*. Et *num.* 2. ſic habet: *Inſtruendi ſunt etiam quid inquirant*; quam in rem omnino exſcribendum, quod in *num. ſeq.* habet:

*In primis hoc maxime inquirant*, *quomodo hi*, *qui populum regere debent*, *unuſquiſque in ſuo miniſterio ſe cuſtoditum habeat*: *ut qui benefaciendo gratiarum actione digni ſunt*, *cognoſcamus*: *qui vero correctionem & increpationem pro eorum negligentiis merentur*, *omnimodis nobis manifeſti fiant*. *Inquiſitio autem hoc modo fiat*: *Eligantur per ſingulos Comitatus*, *qui meliores & veraciores ſunt*: *& ſi aliquis inventus fuerit de ipſis*, *qui fidelitatem promiſſam adhuc nobis non habeat*, *promittat etc.* De ea fidelitate fuſius ſuo loco. Et *ibidem* ſequitur ille titulus: *Hæc ſunt Capitula*, *ut diligenter inquirant*.

*Primo de Epiſcopis*, *quomodo ſuum miniſterium expleant*, *etc. quales ſint eorum adjutores*, *etc. ſimiliter de omnibus monaſteriis*, *& cæteris Eccleſiis etc. ſimili modo de Comitibus inquirant*; *etc. quales Miniſtros habeant ad regendum populum Miſſos*. Non multo poſt *n.* 3. *c.* 7. *Vt in omni Comitatu hi*, *qui meliores & veraciores inveniri poſſunt*, *eligantur a Miſſis noſtris ad inquiſitiones faciendas*. Quod etiam exſcribitur *in addit.* 4. *Capitular. cap.* 106. Sic *in eodem Capitulari num.* 10. *cap.* 6. *Volumus*, *ut omnis inquiſitio*, *quæ de rebus ad jus fiſci noſtri pertinentibus facienda eſt*, *non per teſtes*, *qui producti fuerint*, *ſed per illos*, *qui in eo Comitatu meliores & veraciores eſſe cognoſcuntur*, *per illorum teſtimonium inquiſitio fiat*. Ac tandem in *eodem Capitulari* inquirere jubentur, *quanti ſint liberi homines in quolibet Comitatu*, *quique militare poſſint*.

Denique SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. p.* 244. quædam *Capitula* CAROLI M. exſcribit, in quibus mandat ſuis Miſſis, ut inquirant de Epiſcopis & Sacerdotibus; de Abbatibus & Monaſteriis; de Decimis; de Concordia Epiſcoporum & Comitum, & Vaſſallorum Dominicorum. Et *lib.* 3. *cap.* 80. *&* 81. jubet, *ut inquirant de Beneficiis*, *de Caſatis*, *de Allodiis*: quæ omnia ſuis quibuſque locis ex profeſſo excutientur. Vnum illud addendum breviter, curare debuiſſe Miſſos Dominicos, *ut inquiſitionem ſuam per fidelium cuſtodiam ſub ſigillo ad notitiam Regis perferant*, ait CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitular. tit.* 46. *cap.* 3.

## CAPVT XV.

*Relatio ad Principem.*

IN omnibus libris Iuris, relatio alicujus negotii ad alium, eſt nota & ſymbolum majoris poteſtatis. Sæpius vero majores Magiſtratus de gravioribus negotiis ad Principem referunt, ut videat & reſcribat, quid juris ab iis conſtituendum ſit: Eo pertinet *liber decimus Epiſtolarum* PLINII *ad Trajanum*: illud paſſim occurrit apud SYMMACHVM: & in libris Iuris datur titulus *de Relationibus*. Ita etiam in Gallia Miſſi Dominici habebant in mandatis, ut de rebus majoris momenti ad regem referrent. CAROLVS M. *lib.* 4. *Capitular. c.* 56. *Summopere ſtudeant*, ( Miſſi illi ) *ut hoc*, *quod per ſe efficere non poſſunt*, *nobis notum faciant*, *& omnimodis prævideant*, *ut per ſingula Capitula tam verbis*, *quam ſcriptis*, *de omnibus*, *quæ illic peregerint*, *Regi rationem reddant*. Ea exſcripta in LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 7.

In quibuſdam *ejuſdem* CAROLI *Capitulis*, apud SIRMONDVM *tom. 2. Concil. Gall. p.* 157. *De eo, quod Miſſi noſtri providere debent, ne forte aliquis clamor ſuper Epiſcopum, vel Abbatem, vel Abbatiſſam, vel Comitem, ſeu ſuper quemcumque gradum ſit, & nobis renuntiare*: nec multo poſt: *Vt Miſſi noſtri provideant beneficia, quomodo ſint condirecta, & nobis renuntiare ſciant*. Idem fere habet in aliis *ejuſdem Capitulis*, *pag.* 245.

Sic etiam in *Capitulari tertio* LVDOVICI PII *n.* 3. *Si aliqua difficultas in qualibet re eis obſiſteret, ad noſtram notitiam deferre curent*. Et poſtea *n.* 7. *cap.* 8. *in fin. Si Comites noſtram Conſtitutionem neglexerint, hoc per Miſſos noſtros ad noſtram notitiam perferatur*. IDEM etiam videre eſt in *Capitularibus* CAROLI CALVI, *quæ in Synodo Pontigonenſi edita ſunt*, *cap.* 13. *in fin.* ubi ſic habet *de Miſſis Dominicis*, *quod ſi & ipſi hoc emendare nequiverint, ad noſtram notitiam perducant*. Nihil omnino frequentius, quam præcepta de hujuſmodi relationibus.

Huic potiſſimum fini Relationes illæ imperabantur, tum ut illi ipſi Reges emendarent ea, quæ a Miſſis emendari non poterant; tum ut per novas leges diſciplinæ publicæ conſulerent. Et ita *in eodem Capitulari tertio* LVDOVICI PII exſtat ille titulus: *Hæc ſunt Capitula, quæ propter interrogationem aliquorum Miſſorum conſiderata, & ſcripta, vel ordinata ſunt*. Sic olim Reſcripta Romanorum Principum mittebantur ad relationes Iudicum; iiſque Reſcriptis fere conſtat totus *uterque Codex*. Hinc etiam vulgare illud OPTATI MILEVITANI, *lib.* 1. *num.* 17. *Relatio miſſa eſt, Reſcriptum venit*.

Sed a Miſſatico ad Palatium reverſi, ab ipſomet Rege interrogari ſolebant de variis ad illud pertinentibus negotiis, quæ fere omnia recenſet HINCMARVS REM. *in ſuis Opuſculis cap.* 14. *ad Proceres regni §. pen.* Ad eas interrogationes fiebant nova Capitula, novæ leges, quæ iis aut aliis in Miſſaticum proficiſcentibus dabantur. SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 261. edidit CAROLI M. *Capitulare interrogationis, qui contient les faits ſur leſquels il les devoit interroger*. Et antea etiam meminerat duorum Capitularium interrogationis, *pag.* 244. ſed ea non exſtant. Et, ut ſupra diximus, *ex tertio Capitulari* LVDOVICI PII ad eas interrogationes, multa occurrunt conſtituta Capitula.

## CAPVT XVI.

*Tractoria Receptio. Conjectus ſeu Viatica.*

CVm primum a Rege deſignati erant Miſſi Dominici, & iis adſcripta Miſſatica, iis dabantur Capitula, ſeu Regiæ Ordinationes, quas in iis obſervari curarent, ut data opera videbimus ſuo loco. In ea profecturi *Tractoriam* a Rege accipiebant: Sic LVPVS, *Abbas Ferrarienſis*, Miſſus Dominicus a Carolo Calvo deſignatus, *in Epiſt.* 63. ſcribit, *ſe non prius eam legationem aggreſſurum, quam à Rege Tractoriam acceperit*; id eſt litteras Regias, quarum beneficio recipiebantur, & conjectum accipiebant ſeu tributum, contributionem, ſtipendium. Vnde *Tractoria ſtipendialis* AGOBARDO dicitur, *in libello de inſolentia Iudæorum*. Ea definire ſolebat commeatum iis præſtandum, locos, manſiones, viatica, diſpenſam. CAROLVS M. *lib.* 4. *c.* 73. diſpenſam illam præciſe definit. CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Tuſiacum cap.* 16. ait, *diſpenſam Miſſorum in Tractoria ſua contineri*. Eam recipiebant a miniſtris Comitum, qui eam exigere tenebantur ab iis, qui erant in Miſſatico, *ibidem*, & quidem non ultra quam in Tractoria contineretur. CAROLVS M. *lib.* 4. *cap.* 69. *Miſſi noſtri accipiant ſecundum quod in ſua Tractoria continetur*. Ejus formulam habemus apud MARCVLFVM *lib.* 1. *c.* 11. & ſumma erat auctoritas, utpote quæ Regio ſigillo roborata eſſet, *Can.* 71. *Concilii Meldenſis ſub* CAROLO CALVO. Atque ita, ut qui deſpexiſſet hanc Tractoriam, graviter coerceretur, ex *Conſtitutione* CAROLI M. *lib.* 4. *cap.* 30.

Ea igitur Regia Epiſtola Miſſis Dominicis aſſignabantur certa quædam viatica, honoraria, contributiones, quæ, ut diximus, *Conjecta* aut *Conjectus* dicebantur. Sed obſervandum, quod CAROLVS M. habet, *lib.* 4. *cap.* 69. *Vt Miſſi noſtri, quamdiu propter ſuum beneficium* (ſeu feudum) *fuerint*, (in LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 38. Carolus M. habet *infra ſuam judiciariam vel terminum*) *nihil de aliorum Conjecto accipiant: poſtquam vero inde longe receſſerint, tunc accipiant ſecundum quod in ſua tractoria continetur*. Præcipue notandum illud LVDOVICI PII, *n.* 10. *cap.* 1. *Capitularis tertii*: *Volumus, ut talem Conjectum Miſſi noſtri accipiant, quando per Miſſaticum ſuum perrexerint, hoc eſt, ut unuſquiſque accipiat panes* 40, *Friſcingas* 2, (id eſt, duos porcos nondum adhuc juſti incrementi) *porcellum, aut agnum unum, pullos* 4, *ova viginti, vini ſextarios* 9, *de cerviſa modios* 2, *de annona modios* 2, *& quando prope ſunt de illorum domibus, nullum accipiant Conjectum*. THEODVLFVS, & ipſe Miſſus Dominicus, *in Paræneſi ad Iudices*, ait, ſe tantum accepiſſe *parva & apta cibis*.

CAROLVS M. *eodem Capite* 30. ait, *Tractoriam dirigi propter Miſſos recipiendos, quique eos non receperint, graviter coercentur*. Huic fini certa quædam Manſionatica ordinavit, in quibus hoſpitio reciperentur illi Miſſi, ut de eo LVDOVICVS PIVS, *lib.* 2. *cap.* 17 *In omni quidem loco Imperii honorifice recipiendi erant*, ut eſt *in c.* 16. *in fin. ibid.* Sed conſtat, in quolibet Miſſatico ordinatos fuiſſe certos quoſdam locos, in quibus Miſſi hoſpitio reciperentur. SECVNDI REMENSIS CONCILII PATRES, *in can.* 42. a CAROLO M. petunt, *ne quilibet in ſuum pergentibus ſervitium ullatenus prohibere audeat*, (manſionaticum ſeu) *manſionem*, locum, in quo diverterent. IDEM *lib.* 3. *cap.* 39. *De Miſſis noſtris diſcurrentibus, vel cæteris propter utilitatem noſtram iter agentibus, ut nullus eis manſionem contradicere præſumat*. Nec dicendum eſt, in iis omnibus locis manſiones accipi pro civitatibus, & oppidis Miſſaticorum; nam conſtat, manſionis verbum proprie de domo & habitatione accipi, unde vox illa noſtra *maiſon*; & manſionem ab oppido & civitate diſtingui, *in l.* 35. *Cod. Theod. de curſu publ.* Nec tantum manſionatica iis præſtabantur, cum in præcipuo Miſſatici ſui loco morabantur; ſed etiam *in via*, ut eſt *in d. cap.* 17. ſeu cum propter utilitatem publicam hinc inde proficiſcebantur, *d. Can.* 42. *Remenſis Concilii*, iis debebantur *parata*, id eſt manſiones cum expenſis: ſicut & *veredi*, aut *paraveredi*, ſeu *paravereda*, paſſim in *Capitular.* CAROLI M. in ejus diplomate, apud SIGONIVM, *lib.* 4. *de Regn. Ital. ad an.* 802. poſterior ætas dixit *Palafredos*.

Denique unum illud ad eorum Conjecta pertinere videtur, & ad ipſa Manſionatica, quod CAROLVS M. habet *lib.* 4. *cap.* 66. *Vt Miſſi noſtri ubicumque, aut Epiſcopum, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocumque honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipſius*

rebus

*rebus vivant, quamdiu in eo loco juſtitias facere debent*. Et in *cap.* ſequenti: *Sed ibi moras faciant, ubi juſtitia, vel minus, vel negligenter facta eſt.* IDEM *lib.* 5. *cap.* 204. *Si Comes in ſuo miniſterio* (in ſuo territorio) *juſtitias non fecerit, Miſſis noſtris de ſua cauſa, vel de ſuis xeniis ſerviat, uſque dum juſtitiæ ibi factæ fuerint. Et ſi vaſſus noſter juſtitias non fecerit, tunc & Comes, & Miſſus noſter ad ipſius caſam ſedeant, & de ſuo vivant, quouſque juſtitias faciant.* De ſuis xeniis, id eſt, de ſuis honorariis, ut interpretatur LINDEBROGIUS *in ſuo Gloſſario*.

De iis Tractoriis & Manſionibus agitur etiam *in utroque Cod.* nec dicendum, *Tractorias* eſſe tributum, quod nobis hodie dicitur *les Traites*; nam *Tranſituras* appellari palam eſt, ex *lib.* 4. *Capitul.* CAROLI M. *cap.* 59.

## CAPUT XVII.

*Eorum adventus in Miſſatica. Legationis publicatio.*

DE adventu Proconſulis in provinciam agit ULPIANUS, *in l.* 4. §. 3. *D. de offic. Proconſ. & Leg.* ejus exemplo hic breviter de adventu Miſſorum Dominicorum in Miſſatica. Cum advenerant, honorifice ſuſcipiendi erant ait CAROLUS M. *lib.* 2. *cap.* 16. *in fin.* Et jubet *in cap.* 26. *Ut ſtatim Conventum habeant in duobus aut tribus locis, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire poſſint; & omnibus generaliter notum faciant, qualis ſit eorum Legatio*: vel ut eſt in *Capitulari* 2. LUDOVICI PII, *quænam ſint Legationis ſuæ Capitula, ad quid a Principe Miſſi fuerint*: quod etiam ſæpius cautum reperitur *in Capitulis* CAROLI CALVI. Sic enim cum in provinciam aliquam veniunt novi quidam Magiſtratus, palam & publice codicillos ſuos a Principe acceptos recitare, & in acta publica referre debent: tum ut de eorum poteſtate apud omnes conſtet; tum etiam, ut ita omnibus innoteſcat, quænam ſit voluntas Principis, & quam in formam, quem in modum perducenda ſit ad effectum. Unde cum Honorius & Theodoſius Impp. voluiſſent, ut Marcellinus V. C. Tribunus, & Notarius huic Collationi præeſſet, quæ Carthagine habenda erat inter Catholicos & Donatiſtas; Marcellinus ſtatim jubet recitari ſanctionem Imperialem (qua nempe Collatio illa permittebatur, & huic præficiebatur Marcellinus) ut in quem modum, in quam formam ſuſcipienda eſſet cognitio, ab omnibus poſſet adverti. Sicque non immerito Chriſtianiſſimi Reges jubebant olim, ut Miſſi Dominici Legationem ſuam notam facerent; præcipue vero Comitibus, Epiſcopis, & aliis Magnatibus, ut de eorum poteſtate conſtaret.

Cum ſemel venerant in ſua Miſſatica, hunc illuc diſcurrere non poterant; ſed certam habebant manſionem, ut ſuo loco videbimus. CAROLUS M. *lib.* 2. *cap.* 26. *Ipſi vero Miſſi non ſine certiſſima cauſa, vel neceſſitate huc illucque diſcurrant, niſi forte quando tale aliquid in cujuslibet miniſterio ad legationem ſuam pertinente ortum eſſe cognoverint, quod eorum præſentia indigeat, & ſine illorum conſilio, vel adjutorio emendari non poſſit.*

## CAPUT XVIII.

*Non ſint oneri. De eorum Subdelegatis.*

SIcut Proconſul non debet onerare provinciam, *l.* 4. *in princ. D. de off. Proconſ.* ita & LUDOVICUS PIUS *in tertio Capitulari cap.* 4. §. 1. *apud* SIRMONDUM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 466. *Primo injungendum eſt Miſſis, ut hoc omnimodis caveant, ne populo in eorum profectione oneri ſint, ne forte quibus ſubvenire debuerint, adflictionem inferant.* Ea pridem conſtituerat CAROLUS M. *in quibuſdam Capitulis*, apud *eumdem* SIRMONDUM, *ibidem pag.* 158. *Ut bona, quæ aliis per verbum ſuum docent facere, factis in ſe ipſis oſtendant.* Et mittebantur ad faciendam juſtitiam, ad ſublevandos pauperes & oppreſſos, ad cohibendam potentiorum violentiam; ut ſuis quibuſque locis videbimus. Ea nihil aliud ſpirant, quam humanitatem & clementiam; unde CAROLUS CALVUS *in ſuis Capitularibus, tit.* 1. *in princ.* vocat eos *Reipub. ſolatiatores*, quod populis ſolatio eſſe deberent. Iis adde, quæ dicturi ſumus infra *in cap. ult. & pen. & alibi paſſim.*

Sicut vero in Iure Civili Delegatus a Principe, alium ſubſtituere poteſt in ſuum locum, *l.* 5. *Cod. de Iudic.* ita & Miſſi Dominici vices ſuas aliis etiam demandare poterant, cum forte ubivis & quibuslibet negotiis illi ipſi ſupereſſe non poſſent. Sed Chriſtianiſſimi Reges volebant, ab iis non alios ſubſtitui poſſe, quam viros probos, qui nec etiam oneri eſſent Provincialibus. LUDOVICUS PIUS *in Capitulari tertio* jam toties laudato *cap.* 27. §. 3. *Ut in omni Comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri poſſunt, eligantur a Miſſis noſtris ad inquiſitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & ut adjutores Comitum ſint ad juſtitias faciendas.* Eadem ipſa exſcribuntur *in additione quarta Capitularium cap.* 106.

DE

# DE MISSIS DOMINICIS AD IVSTITIAM.

## CAPVT PRIMVM.

*Primum & nobilius eorum officium in facienda juſtitia.*

CVm de officio Iudicum aut Magiſtratuum agitur, eo nomine veniunt, quæ facere debent & poſſunt: nam officium eſt id, quod aliquis efficere debet, ait M. TVLLIVS, *lib. 1. de Invent. cap. 5.* eſt etiam ἐξουσία, *poteſtas*, ut eſt IN GLOSSIS NOMICIS. In hoc Capite videndum breviter, quodnam fuerit officium Miſſorum Dominicorum. Generaliter quidem CAROLUS M. *lib. 3. cap. 17.* exponit, quænam ſit eorum cura. *Vnuſquiſque*, inquit, *in ſuo Miſſatico maximam habeat curam ad prævidendum, & ordinandum, ac diſponendum ſecundum voluntatem Dei, & ſecundum juſſionem noſtram.* Sed nobilius & præcipuum illud eorum munus erat, ut unicuique jus ſuum redderent, aut tribuendum curarent; & hinc hodie dicuntur *Intendans de juſtice*.

In facienda autem juſtitia (iis temporibus vulgaris erat ea loquendi formula, ſicut & *diſfacere juſtitiam*, pro impedire, in *Capitularibus* CAROLI M. *lib. 3. cap. 26.*) tum primum habebant in mandatis, ut Regiam juriſdictionem tuerentur. CAROLVS M. *lib. 3. Capitular. cap. 14. in fine*: *Et Miſſi noſtri caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium ſubtrahant noſtram juſtitiam, alteri tradendo, aut commendando.*

Quantum ad quoslibet ſubditos, duobus præcipue continebatur judiciaria illa poteſtas. Primum erat, ut illi ipſi juſtitiam facerent. CAROLVS M. *lib. 2. cap. 26.* ait, *ad hoc conſtitutos eſſe Miſſos Dominicos, ut unuſquiſque per eorum auxilium juſtitiam acquirat*. In EIVS *Capitulis anni 789.* apud SIRMONDVM *tom. 2. Concil. Gall. pag. 157.* *Curent Miſſi Dominici, ut nullus glorietur per injuſtitiæ rationem, aut conquirere aliquid, aut continere.* Vetus CHRONICON MOISSIACENSIS MONASTERII *ad an. 802.* ait Carolum Magnum Miſſos Dominicos miſiſſe per univerſum regnum, *qui cuncto populo juſtitias facerent*. Cumque Pipinum filium conſtituiſſet Italiæ Regem, Legatos etiam Regios, ſeu quod idem eſt, Miſſos Dominicos in eo regno conſtituit, ad juſtitias faciendas, ait ADO VIENNENSIS *in Chronico, ætate ſexta*. Quale eſſet eorum officium, eleganter deſcribit FLODOARDVS *lib. 2. Remenſ. Hiſtoriæ cap. 18.* *Tilpinum ſequitur VVlfarius, qui ab Imperatore præfato magno Carolo Miſſus Dominicus ad recta judicia determinanda fuerat ante Epiſcopatum conſtitutus ſuper totam Campaniam.* Nec multo poſt: *Et ut undecumque neceſſe fuiſſet, tam Regias, quam Eccleſiarum Dei juſtitias, viduarum quoque & orphanorum, ſed & cæterorum hominum inquireret, ac perficeret.* Ac tandem EGINARDVS *ad an. 814.* ait, *Carolum M. in Aquiſgran. Concilio Legatos miſiſſe in omnes regni ſui fines, ad juſtitias faciendas.*

Idem etiam ſanctiſſime præſtitit LVDOVICVS PIVS. Sic enim *Ejus vita & actus ad an. 824.* *Statutum eſt juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercentes poteſtatem, juſtitiam omni populo facerent.* Idem ANNALES FVLDENSES, & THEGANVS *n. 9.* & ille ipſe, *lib. 6. Capitular. cap. 212. in fine*, meminit Miſſorum Dominicorum, quos in qualibet provincia ordinavit ad juſtitias faciendas. Ac tandem CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitulis apud Piſtas c. XI.* *Vt Comites & Miſſi noſtri pacem & juſtitiam in ſuis miniſteriis faciant, & juſte omnes ſub Dei reſpectu judicent.* *In Capitulis apud Tuſiacum, cap. 12.* *Vt Miſſi noſtri juſtitias, quantum temporis qualitas permiſerit, omnibus indigentibus faciant.* LOTHARIVS & CAROLVS CALVVS, *in Capitulis apud Valentianas cap. 1. de Miſſis directis per regnum, ut populus pacem & juſtitiam habeat.* Eo munere *Iuſtitiarii* fungebantur in Anglia, de quibus late SPELMANNVS *in Gloſſario*.

Alterum caput illud eſt, ut juſtitiam ab aliis faciendam curent. CAROLVS M. *lib. 2. Capitular. cap. 12.* jubet, *ut Miſſi Dominici inquirant, qualiter Comites juſtitiam dirigant & faciant.* IDEM *in* LEG. LONGOBARD. *lib. 2. tit. 52. cap. 2.* *Si Comes in ſuo miniſterio juſtitiam non fecerit, tunc Miſſus noſter de hac cauſa ſonare faciat.* LINDEBROGIVS ait *in veteri Gloſſario*, *ſonare*, eſſe *inquirere*, & alii volunt, eſſe *vocare*, ut eo caſu Miſſus Dominicus in eum Comitem inquirere, & eum ad ſe vocare potuerit. Addit: *Et ſi vaſſus noſter juſtitiam non fecerit, tunc Comes & Miſſus noſter in ipſa cauſa ſedeant, & de ſuo vivant, quouſque juſtitiam faciat.* *In cap. 19.* *Vt in illius Comitis miniſterio, qui bonas juſtitias factas habet, Miſſi noſtri non diutius morentur, neque illic multitudinem convenire faciant; ſed ibi moras faciant, ubi juſtitias, vel minus, vel negligenter factas invenerint.* PIPINVS *in cap. 21. ibidem*: *Vbicumque Miſſi noſtri, aut Epiſcopum, aut Comitem, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocumque honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere noluerit, vel prohibuerit, de ipſius rebus vivant, quamdiu in eodem loco juſtitiam facere debent.*

Epiſcopi ad Cariſiacum, *in Epiſtola ad Ludovicum Germaniæ Regem cap. 14. in fine* rogant eum, *ut tales Miſſos per regnum conſtituat, qui ſciant, qualiter Comites, & cæteri Reip. miniſtri juſtitiam & judicium populo faciant.*

## CAPVT II.

*Conventus aut Placita totius regni.*

VT Miſſi Dominici venerant in ſua Miſſatica, jam *ſupra* oſtendimus, ſtatim eos habuiſſe Conventum, in quo Legationis ſuæ tabulas ſub oculis omnium, & aperto velo recitari curarent. Conſtat etiam, ab iis poſtmodum plures quotidie habitos fuiſſe Conventus, ad ſuæ juriſ-

juriſdictionis exercitionem. Sed cum iis temporibus omnia fere graviora totius regni negotia expediri ſolerent in Conventibus aut Placitis, non tam forte inconveniens erit; ſi quædam de majoribus illis regni Conventibus breviter in hoc Capite præmittantur: tum vero præcipue, quod in iis ad relationem Miſſorum Dominicorum pleraque Capitula aut Edicta fierent, quæ iis tradebantur in Miſſaticis exequenda.

*In* LEGIBVS ALEMANNORVM *tit.* 36. Conventus & Placita ſic diſtinguuntur, ut illi non ita ſæpius aut frequentius habeantur, ac Placita: ſed in hoc tractatu duo illa promiſcue uſurpantur: vel forte dici poteſt, Conventum nobis eſſe hodie *l'aſſemblée des Etats du Royaume, ou d'une Province:* Placita *les Plaids ou Aſſiſes*. Quidquid ſit, in Capitularibus Regum noſtrorum, & aliis ejus ævi monumentis, vix unquam ea duo diſtinguuntur. Et tamen ſicut Miſſaticum, ita & Placitum pro iis aliquando ſumitur, quæ in eo ordinata ſunt, ut in *Capitulis* CAROLI CALVI *tit.* 20. Rem igitur altius repetere juvat, & expendere breviter, quomodo iis temporibus regni ſtatus variis illis Conventibus, aut Placitis gubernaretur. HINCMARVS REMENSIS *in admonit.* 14. *ad Proceres regni pro inſtitutione Carolomanni Regis cap.* 12. ex libro ADALHARDI *Corbejenſis Abbatis, de ordine Palatii*, ſuſius docet, quænam eſſet regni gubernandi ratio Caroli M. temporibus. Primo quidem ſapientiſſimis Conſiliariis muniebatur ſacrum Principis Palatium. Secundo, ut totius regni ſtatus conſervaretur ſecundum ſuam qualitatem, conſuetudo tunc temporis talis erat, ut non ſæpius, ſed bis in anno Placita duo tenerentur: unum, quando ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpatium, quod ordinatum non niſi urgente neceſſitate mutabatur: in eo Placito generalitas univerſorum majorum, tam Clericorum, quam Laicorum conveniebat; tam Seniorum, quam Minorum. Aliud Placitum habebatur cum Senioribus tantum, & præcipuis Conſiliariis; in quo definiebantur & ordinabantur nova illa negotia, quæ poſt generale Placitum emerſerant, aut utique imminebant, nec differri poterant in aliud tempus. In utroque illo Placito interrogabantur Miſſi Dominici, quid unuſquiſque ex illa parte regni, qua veniebat, dignum relatu, vel retractatu ſecum afferret: ſi populus in qualibet regni parte, regione vel angulo turbatus, quæ cauſa turbationis eſſet. In utroque Reges congregatis Proceribus ordinata Capitula, vel ad conferendum, vel ad conſiderandum dabant, interdum diu, uno interdum biduo, interdum etiam triduo, vel amplius, prout rerum pondus expetebat. Ea excuſſa Principi exponebant, & quidquid data a Deo ſapientia ejus eligeret, omnes ſequebantur. Et hæc totidem fere verbis excerpta ex eo HINCMARI *loco*, paucis expendamus.

Primo generalium regni Conventuum meminit. Multa ex iis ſub PIPINO & CAROLO M. habitis exſcribit SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall.* in quibus agitur de gravioribus bellis eo tempore graſſantibus; quomodo & qua ratione iis proſpiciendum; de bello decernendo contra rebelles; de diviſione regni inter Regales liberos; de utilitate regni; de ſalute patriæ; de utilitate Francorum; de infidelitate rebellium; de diſſidiis potentiorum; de civitatum munitionibus. In actis eorum Conventuum, & apud eos Scriptores, qui eorum meminerunt, illi dicuntur aliquando *Synodi regales*, *Placita publica*, *generales populi Conventus*, ut *in epigraphe Conſilii Compendienſis*, & in ANNALIBVS FVLDENSIBVS, *paſſim*. Capitula illa, quæ in iis fiebant, dicebantur *Synodalia*, ut olim ex REGINONE diximus, id eſt, in publicis Conventibus edita, ut etiam addidimus ex SIRMONDO. Multa etiam *Capitula* CAROLI CALVI ex iis Conventibus exſcripta ſunt apud SIRMONDVM, *tom.* 3. *Concil. Gall.* & in *Capitulis ejus Principis*. Generale Placitum CAROLI M. prope Noviomagum deſcribit POETA SAXONICVS *lib.* 1. *Annal. de geſtis Caroli M. ad an.* 777. Ejus etiam meminerunt METENSES FRANCORVM ANNALES *ad eum annum*. Generalis quoque Placiti meminit LVPVS ABBAS, *in epiſt.* 18. Nihil omnino frequentius occurrit in veteribus Francorum Annalibus, quam Placita publica & generalia, quam generales aut publici Conventus; qui etiam ſub prima ſtirpe Regia *ob regni utilitatem annuatim celebrabantur*, ut habet *Fragmentum hiſtoricum Auctoris incerti*, *apud* QVERCETANVM, *tom.* 1. *hiſt. Franc. pag.* 784. nec in eam rem alia congerere mens eſt.

Sæpius haberi ſolebant in Campo. EGINARDVS *ad an.* 767. ſic habet: *Pipinus Conventum more Francico in Campo egit*: quod quidam hodie vertunt, *à la Campagne*. Haberi ſolebant etiam menſe Martio: unde *Campus Martius* apud GREGORIVM TVRON. *l.* 5. *c.* 29. & FREDEGARIVM *ad an.* 761. & *Campus Madius*, aut *Campus Majus*; quod illi Conventus habiti ſint menſe Martio, in Campo, & poſtmodum menſe Majo. Sane aliquando aliis temporibus habebantur, nova quadam neceſſitate urgente; ſed ea deficiente ceſſabant, nec unquam mutabatur, quod in iis ordinatum fuerat, ut jam diximus. Ad ea vocabantur *omnes regni Optimates*, ait *Chronicon* S. ARNVLPHI, *ad ann.* 767. *Duces*, *Comites*, *tam Epiſcopi*, *quam Sacerdotes*, ut eſt in quadam *Collectione hiſtorica*, quam exſcribit HEINR. CANISIVS *lib.* 6. *in fine*. Generalitas majorum & minorum tam Clericorum, quam Laicorum, ut ſupra HINCMARVS *c.* 29.

Secundo meminit alterius ſingularis Conventus, qui *privatum Placitum* dicitur in *epigraphe Capitularis tertii a* LVDOVICO PIO *editi*, apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 463. & colloquium cum regni Proceribus, ut in *quibuſdam* CAROLI CALVI *Capitulis* occurrit. Huic aderant tantum Seniores & præcipui Conſiliarii, ait ibidem HINCMARVS *cap.* 30. In eo tractabantur ea negotia, quæ poſt generale Placitum emerſerant, nec ullam dilationem aut moram patiebantur. Ex *Capitulis* CAROLI CALVI pleraque quibuſdam hujuſmodi Conventibus adſcribuntur. Generales totius regni Conventus fere abierunt in deſuetudinem, & hodie remanſit ſacrum aut regale illud Placitum, quod conſtat tantum ex Senioribus, & præcipuis Conſiliariis, quodque nobis hodie dicitur *le Conſeil Privé*.

Denique in utroque illo Conventu, & publico & privato, interrogabantur Miſſi Dominici de ſtatu ſuorum Miſſaticorum, & ad eam interrogationem Capitula ſeu Edicta & Conſtitutiones fiebant, quæ Miſſis Dominicis dabantur, ut publicarentur & obſervarentur in Provinciis. CAROLVS M. *lib.* 5. *cap.* 254. *Si quid vero fuerit, unde dubitetur, ad proximum Placitum noſtrum, quod cum ipſis Miſſis habituri ſumus, interrogetur*. SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 467. quædam Capitula LVDOVICI PII exſcribit, quæ conſiderata, & ſcripta, vel ordinata ſunt ad interrogationem aliquorum Miſſorum, quæque fere omnia occurrunt etiam *lib.* 5. *Capitularium*. *Vita* LVDO-

VICI

vici pii apud QVERCETANVM *tom.* 2. *Hiſt. Gall*
paſſim habet, eum in publico Conventu Miſſos
Dominicos de ſtatu regni renuntiantes audiiſſe.
HINCMARVS *in admonitione* 14. *ad Proceres regni*,
*cap.* 25. *&* 36. *Cumque hujuſmodi Miſſi ad Pala-*
*tium redierant, Rex eos interrogabat, quid dignum*
*relatu ex provinciis adferrent*, &, ut diximus, ad
eas interrogationes & reſponſiones fiebant Capi-
tula, quæ a Miſſis Dominicis ferebantur in Miſ-
ſatica.

## CAPUT III.

### *De Placitis Miſſorum Dominicorum.*

ERant etiam Conventus aut Placita Miſſo-
rum Dominicorum, & quidem diverſi ge-
neris. De primo actum eſt, quo nempe ſub ocu-
lis omnium Legationem ſuam referebant in acta
publica. Poſtea quolibet anno generalem Con-
ventum indicere & habere tenebantur, de omni-
bus negotiis in eo tractaturi, quæ quoquomodo ad
publicum Miſſatici, aut Provinciæ ſtatum perti-
nerent. De eo CAROLVS M. *lib.* 2. *cap.* 28. *Ita-*
*que volumus, ut medio menſe Majo conveniant*
*iidem Miſſi, unuſquiſque in ſua Legatione, cum om-*
*nibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Vaſſis no-*
*ſtris, Advocatis noſtris, ac Vicedominis Abbatiſſa-*
*rum, nec non & eorum, qui propter aliquam in-*
*evitabilem neceſſitatem ipſi venire non poſſunt ad lo-*
*cum unum. Et ſi neceſſe fuerit propter opportunita-*
*tem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel*
*maxime propter pauperes, populi, idem Conventus*
*habeatur, qui omnibus congruat: & habeat unuſ-*
*quiſque Comes Vicarios & Centenarios ſuos ſecum,*
*nec non & de primis Scabineis ſuis tres aut qua-*
*tuor. Et in eo Conventu primum Chriſtianæ Reli-*
*gionis & Eccleſiaſtici Collatio fiat. Deinde inqui-*
*rant Miſſi noſtri ab univerſis, qualiter unuſquiſque*
*illorum, qui ad hoc a nobis conſtituti ſunt, officium*
*ſibi commiſſum ſecundum Dei voluntatem ac juſſio-*
*nem noſtram adminiſtret in populo.* Et paulo poſt:
*Si aliqua talis cauſa ad eorum notitiam perlata*
*fuerit, quæ illorum auxilio indigeat, tunc volumus,*
*ut ex noſtra auctoritate illud corrigere ſtudeant.*
IDEM *lib.* 4. *cap.* 71. *Ut omnis Epiſcopus, Abbas &*
*Comes, excepta infirmitate, vel noſtra juſſione, nul-*
*lam excuſationem habeat, quin ad Placitum Miſſo-*
*rum noſtrorum veniat: aut talem Vicarium ſuum*
*mittat, qui in omni cauſa pro illo reddere ratio-*
*nem poſſit.* Iis omnibus præerat Miſſus Domini-
cus, *c'étoit l'homme du Roy.* Ac tandem in eo
generali Conventu Miſſi Dominici juramentum
fidelitatis a populo exigebant, *lib.* 3. *cap.* 88.
ejuſque rei exemplum exſtat *in Mallo Remis ha-*
*bito*, quod exſcribit SIRMONDVS *poſt Capitula* CA-
ROLI CALVI *apud Attiniacum*. Et illi ſunt cujus-
libet provinciæ Conventus, nobis hodie *les Etats*
*de la province*, qui pertinebant tantum ad publi-
cum illius ſtatum, & publicam illius ordinatio-
nem; quæque in iis ordinata fuerant, Regi a
Miſſis renuntiabantur.

Alii adhuc Conventus ab iis habebantur ad
jus ſuum unicuique tribuendum. De iis CARO-
LVS M. *lib.* 3. *cap.* 83. *Volumus, ut propter juſti-*
*tias, quæ uſque modo de parte Comitum remanſe-*
*runt, quatuor tantum menſibus in anno Miſſi Do-*
*minici Legationes ſuas exerceant, id eſt in Hieme*
*Januario, in Verno Aprili, in Æſtate Julio, in*
*Autumno Octobrio.* Et hinc forte fluxit, quod ho-
die majores Aſſiſæ regales quater in anno ha-
beantur in multis Galliæ Conſuetudinibus, præ-
tertim in noſtra *Andegav. artic.* 64. *Cæteris vero*
*menſibus unuſquiſque Comitum Placitum ſuum ha-*
*beat, & juſtitias faciat. Miſſi autem noſtri quater*
*in uno menſe, & in quatuor locis habeant Placita*
*ſua cum illis Comitibus, quibus congruum fuerit,*
*ut ad eum locum poſſint convenire.* Illi ſolemnes
erant ſeſſionum dies, quibus Miſſi Dominici pro
tribunali ſedebant; & iis aderant aut adſidebant
Scabini ſeu Iudices civitatis, ut videre eſt in ea
*veteri Charta*, quam exſcribunt SAMMARTHANI
FRATRES, *in Mauronto Maſſil. Epiſcopo.* Et forte
quatuor illi Conventus, dies erant majorum Aſſi-
ſiarum, ut hodie loquimur, quibus adeſſe tene-
bantur *omnes Reipublicæ aut Provinciæ Miniſtri*,
*Vaſſi Dominici, Vaſſi Comitum, omnes quicumque,*
*& quorumcumque homines*, (ſujets) *in iiſdem Pa-*
*rochiis, vel Comitatibus commanent ſine ulla perſo-*
*narum exceptione, vel excuſatione*, ait CAROLVS
CALVVS *in ſuis Capitulis, ex Synodo Cariſiaca cap.* 2.
Epiſcopi admonere & demonſtrare debebant, ut
quilibet ea Placita obſervare teneretur, IDEM *in*
*Capitulis apud S. Quintinum.* Ita tamen, *ut Miſ-*
*ſi Dominici ſervos, colonos, & pauperes mallare*
*non poſſent*, ut habet EIVSDEM *Edictum in Cariſia-*
*co*, id eſt, ad eos Conventus vocare.

*Liberi etiam homines* (nobis forte *Gentils-hom-*
*mes*) *tria tantum generalia Miſſorum Placita ob-*
*ſervare tenebantur, niſi aut accuſarent, aut accuſa-*
*rentur, aut vocati eſſent ad dicendum teſtimonium*,
ait LVDOVICVS PIVS *in ſuis Capitulis anno* 15. *Im-*
*perii ſui editis*, quæ totidem verbis exſcribuntur
*lib.* 4. *Capitularium cap.* 57. Cumque ibi laudat
genitoris ſui, nempe CAROLI M. Conſtitutionem,
ea exſtat *in cap.* 51. *lib.* 3. *eorumdem Capitular.*
ubi etiam excipitur de liberis hominibus, *niſi*
*cauſam ſuam adquirere debeant, aut reſpondere.* Et
Vaſſi Comitum & Scabinei adeſſe tenebantur, &
Decani & Centenarii, ut in eodem *Remenſi Mal-*
*lo*, & alibi paſſim, id eſt, minores Iudices, qui
per Decanias aut Centenas jus dicebant ſub Co-
mitibus. Eoque forſan referri poſſunt Septenæ
Bituricenſes, & Quintenæ Andegavenſes ſub Præ-
poſitis, qui olim proprie Iudices erant Comitum.

Et ſacri Canones & Regum noſtrorum Capi-
tula prohibent paſſim, ne Placita diebus Domi-
nicis, vel feſtivis habeantur; nec in domibus &
atriis Eccleſiarum, nec in ipſis Eccleſiis, nec in
domibus Presbyterorum. Et CAROLVS M. *lib.* 3.
*cap.* 57. jubet, *ut in locis, ubi Mallos publicos ha-*
*bere ſolent, tectum tale conſtituatur, quod in hiber-*
*no, & in æſtate obſervatum eſſe poſſit.* Et hinc ho-
die in quibuslibet civitatibus exſtant Baſilicæ,
nobis *Palatia*, in quibus quilibet Iudices jus di-
cere tenentur. Eligebant quidem in quibus Miſ-
ſatici ſui locis ſua vellent habere Placita, ſed
tamen ab iis abſtinere debebant: & CAROLVS M.
*lib.* 4. *cap.* 68. addit, *ut ea non teneant in illius*
*Comitis miniſterio ſeu territorio, qui in aliquod Miſ-*
*ſaticum directus eſt, donec ipſe reverſus fuerit, ut*
*cauſa, quæ adhuc coram Comite non fuit, & is,*
*qui ſe reclamat, propter ſuam ſtultitiam aut contu-*
*maciam Comitem inde appellare noluit, iterum Co-*
*miti commendetur.* Nec enim æquum erat, jure
ſuo privari Comitem, qui ſacra vice alibi funge-
batur: & ideo rationi conveniebat, *ut ſe ab eo*
*Miſſatico excondiceret*, inquit HINCMARVS in *Epi-*
*ſtola ad Nepotem*, id eſt, excuſaretur: juſta erat
ea *ſunnis*, ut loquebantur auctores illius ævi,
quod *patria lingua* exoniam *appellari*, ait idem
HINCMARVS *in Epiſtola ad Carolum Regem*, nobis
adhuc *Exoine*.

A juridicis illis Miſſorum Dominicorum Con-
ventibus omnes fere viri docti eos fluxiſſe vo-
lunt, qui poſtmodum appellari cœperunt *Eſchi-*
*quiers*,

*quiers*, a verbo Germanico *Schicken*, *mittere*, quod ita judices mitterentur in quaſdam provincias. Sed ut ejus verbi notatio ad Miſſorum noſtrorum tempora propius accedat, dici forte poteſt, ita illud appellari *a Scacbo*, quod *in Capitulis* CAROLI CALVI, & in LEGIBVS LONGOBARDORVM eſt *adſalitura*, *deprædatio*, *latrocinium*, unde *Scacbcator* iiſdem etiam eſt *latro*, *deprædator*. Ratio conjecturæ ea eſt: quod olim Miſſi Dominici præcipue mitterentur in provincias, ut latronibus eas purgarent, qua de re ſuo loco plus ſatis; & hinc a Francis hominibus, *des Gentilshommes*, & a Centenariis ſeu minoribus Iudicibus juramentum illud exigere ſolebant, *ut iis Miſſis non celarent*, *ſed ſtatim manifeſtarent ea Scacbca*, *eos Scacbcatores*: ejus juramenti formula exſtat *in Capitulis* CAROLI CALVI *apud Sylvacum*: ita & poſtmodum in quibuſdam provinciis Scachcaria illa, *ces Eſcbiquiers*, ad tempus inſtituta ſunt, & quidem ei plane fini, ut eas malis hominibus purgarent: & hinc eidem bono publico fluxerunt tandem *les Grands jours*. Forte etiam *Scacarium* ab Anglis exportatum eſt in Normanniam (in qua frequentius occurrunt *de Eſcbiquiers*) pro fiſco vel ærario Regio, pro tribunali fiſci, apud MATTHÆVM PARIS paſſim, & in CHRONICO BECCENSI *ad ann.* 1281. ubi occurrunt *Præſidentes & Magiſtri Scacarii Paſcha apud Rotbom.*

## CAPVT IV.

### *Placita Comitum & minorum Iudicum.*

DEnique *Placita Comitum*, *& minorum Iudicum*, pertinebant etiam ad curam Miſſorum Dominicorum. Olim Comites vel illi ipſi jus dicebant, ut jampridem diximus, nec pigeat inſigne illud exemplum afferre de quodam Comite, cujus meminit AVCTOR VITÆ S. VVALARICI ABBATIS, apud QVERCETANVM *tom.* 1. *hiſt. Franc.* pag. 562. *Qui juxta ſaculi morem concioni præſidebat*, *quod ruſtici Mallum vocabant*, *& ibi jus dicebat*. Vt plurimum iis adſidebant ſeptem Conſiliarii, qui eo tempore dicebantur *Racimburgii* (vox Germanica, quaſi Iudices Burgenſes, aut Iudices civitatis apud VOSSIVM *de vitiis ſermonis lib.* 2. c. 16.) aut Scabini. Et erant *adjutores Comitum ad juſtitias faciendas*, ut eſt *in addit. quarta Capitular. c.* 106. *in fine*. Septem, inquam, ſic enim habent LEGES SALICÆ *tit.* 52. §. 2. *Tunc Grafio* (id eſt Comes) *congreget ſecum ſeptem Racimburgios*. Sic *Capitular. lib.* 3. *cap.* 40. *Vt nullus ad Placitum banniatur* (vocetur) *niſi qui cauſam ſuam quærit*, *aut ſi alter ei quærere debet*, *exceptis Scabineis ſeptem*, *qui ad omnia Placita præeſſe debent*. Et ita hodie in Curiis Præſidialibus ſaltem adſidere debent *ſeptem Conſiliarii*, ut aliquid ſummo jure & appellatione remota definiant. Vel etiam Comites quoſdam habebant Iudices, qui paſſim ab iis inſtituti eorum nomine juri dicundo præerant, *Scabini*, *Decani*, *Centenarii*, *Racemburgii*, de quibus paſſim *in Capitularibus*, *in veteribus formulis*, *& apud æquales Auctores*. Quodque obſervandum, uno tantum caſu a Comitibus ad Regem provocatio erat, *ſi juſtitiam facere nollent*: LVDOVICVS PIVS *in additione quarta cap.* 115. *in fine*. *Pour déni de juſtice*.

Comites Placita ſua iis tantum menſibus tenere poterant, quibus ſua non habebant Miſſi Dominici, CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 83. Cumque ſacri Canones, & ejuſdem Capitularia prohibuiſſent, *ne Placita in atriis & exitibus Eccleſiarum & Presbyterorum manſionibus tenerentur*, *nec Dominicis & feſtivis diebus*, *Canon.* 39. *tertii Turon. Concilii*, *& Capitularium additione tertia cap.* 91. CAROLVS CALVVS *in Capitulis ex Synodo Sueſſion. act.* 7. *cap.* 7. & *apud Cariſiacum cap.* 12. jubet, *ut Miſſi Dominici Comitibus & Reip. Miniſtris præcipiant Capitulare illud perducere ad effectum*: Et *in cap.* 8. *ibid.* addit, *ut Comites ſua Placita non teneant a quarta feria ante initium quadrageſimæ*, *nec in ipſa quarta feria uſque poſt octavas Paſcha*, *niſi de concordia & pacificatione diſcordantium*: *ſimiliter etiam a quarta feria ante Nativitatem Domini*, *uſque poſt Conſecratos dies*: *nec non in jejuniis quatuor temporum*, *& in rogationibus*. REGINO ABBAS *lib.* 2. *de Eccleſ. diſcip. cap.* 318. Capitulare illud adſcribit *Concilio apud S. Medardum*, ſed idem eſt ac ſecundum Sueſſionenſe Concilium, quod in Sueſſion. Monaſterio S. Medardi habitum eſt ſub Carolo Calvo. Quinam vero ſint dies Conſecrati poſt Nativitatem Domini, docet CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 35. nempe quatuor dies. Ita Imperatores in indiculis majorum feriarum, addunt ſanctos dies, qui præcedunt & ſequuntur, in *l.* 2. *Cod. Th. de feriis*. Et hinc obſervandum, ipſos etiam Principes conſtituiſſe olim, quinam dies feſti colerentur: Et de rogationibus, de quibus ſupra, inſigne exemplum exſtat *in homilia* AVITI VIENNENSIS *de rogationibus apud* SIRMONDVM.

Quia vero ſæpius eveniebat, ut Franci ſeu liberi homines, aut eorum Advocati varia variorum Comitum Malla & Placita obſervare tenerentur; quod forte in variis eorum Comitatibus haberent tenementa, nec ad ea omnia Malla concurrere poſſent, *Edicti Piſtenſis cap.* 32. cautum eſt ſub CAROLO CALVO; *ut alter ex iis Comitibus Mallum haberet die Lunæ*, *alter die Iovis*, & ita diſtinctis ſeſſionum diebus. *In fine* additur, *Miſſum Comitis debere ita Mallum ſuum tenere*, *ut ejus Barigildi* (*Huiſſiers*, *Sergens*) *& Advocati*, *qui in aliis Comitatibus rationes habent*, *ad ſuum Mallum concurrere poſſint*. Vult etiam *idem* CAROLVS, ut Miſſi Dominici meliores & veraciores eligant, qui adjutores ſint Comitum ad juſtitias faciendas, *in Capitulis ad Cariſiacum cap.* 11.

Obſervanda ſunt autem ea LVDOVICI PII verba, *lib.* 4. *Capitular. cap.* 28. *Minora vero Placita Comes*, *ſive intra ſuam poteſtatem*, *vel ubi impetrare potuerit*, *habeat*. Intra ſuam poteſtatem, id eſt, intra ſui territorii fines, vel ubi impetrare potuerit, nempe ab ipſo Rege: & hinc hodie *obtenir en Chancellerie lettres d'abbreviation par emprunt de territoire*, cum nempe aliquis extra ſuum feudum Placita ſua tenet. Additur: *Volumus utique*, *ut domus a Comite in loco*, *ubi Mallum tenere debet*, *conſtituatur*, *ut propter calorem ſolis*, *& pluviam publica utilitas non remaneat*. Ea exſcribuntur & laudantur in *Capitulis* CAROLI CALVI *apud Cariſiacum in fin.* ubi Mallum a Placito ita diſtinguitur, ut illud ſit publicus majorum cauſarum Conventus, Placitum ſit minorum. Et idem CAROLVS jubet, *in Capitulis poſt ſecundam Synodum Sueſſionenſem c.* 7. *Vt Comes convenientem locum conſideret & inveniat*, *ubi ſtationem ad Mallum tenendum conſtituat*. Locus ille appellatur *Mallobergium*, *in* LEGE SALICA *tit.* 56. quaſi habitatio Malli: *Bergium*, habitatio, apud SPELMANNVM *in Gloſſario*. Ac tandem Remenſis & Rothomag. provinciæ Clerici a CAROLO CALVO petunt, *ut Comites conſtituat*, *qui Placita non pro acquiſitione lucri teneant*; ea Epiſtola exſtat *in* EIVS *Capitulis tit.* 27. *cap.* 12. Ac niſi Placita ſua obſervarent in ſuis Comitatibus, ab ipſomet Principe coercebantur;

tur; *niſi apud eum præſtito juramento probarent, ea ſibi tenere non licuiſſe propter ejus ſervitium*, ut eſt *in Appendice tertia ad lib. 4. Capitul. cap. 4.*

Ac tandem Decani, Centenarii, Vicarii, *Viguerii*, & alii quidam inferiores aut minores Iudices Placita ſua tenebant ſub Comitibus. Et paſſim dicebantur *Miniſtri Reipubl.* ut nominatim docent *Secundi Cabilonenſis Concilii Patres Can. 21.* ſub CAROLOMANNO *Miniſtri Comitis, qui habebant & Regis & Comitis auctoritatem*, ait CAROLOMANNVS *in Capitulis ad Vernum Palatium, cap. 9. in fin.* Et hinc juramentum præſtabant Miſſis Dominicis, CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Sylvacum cap. 13.* ſicut & hodie Iudices Comitum, aliorumve Seniorum jurant apud Judices regios, cum ab iis recipiuntur.

CAROLVS M. *lib. 3. Capitular. cap. 79.* jubet, *ut nullus homo in Placito Centenarii, neque ad mortem, neque ad ſuam libertatem amittendam judicetur, aut ad res reddendas, vel mancipia; ſed in præſentia ſuorum Miſſorum*, ut jam olim diximus. IDEM fere *in Capitulis Aquenſibus Caroli M. anno decimo Imperii cap. 2. Ut ante Centenarium & Vicarium de proprietate, & libertate judicium non terminetur aut acquiratur, niſi ſemper in præſentia Miſſorum Imperialium, aut in præſentia Comitum.* Et ita minores illi Iudices vix de aliis rebus vel cauſis cognoſcebant, quam de actionibus perſonalibus. Petit quidem HINCMARVS REMENS. *in Epiſt. 15. cap. 15.* ut id genus Iudices plurima Placita conſtituant; ſed cum ſæpius ea tenerent propter cupiditatem & avaritiam potius, quam propter faciendam juſtitiam, LVDOVICVS PIVS *in Capitulis anno quinto ſui Imperii editis c. 12.* illud omnino prohibuit, & juſſit, *eos tantum manniri*, id eſt vocari ad ea Placita, *qui litem in iis peragendam haberent: Et ab iis, qui non venirent, manninas, aut bannos non exigerent, ſeu mulctas.* Hoc jam antea juſſerat CAROLVS M. *lib. 4. cap. 57. in fine. Ut ad ea Placita, quæ Centenarii tenent, non alius venire cogatur, niſi qui aut litigat, aut judicat, aut teſtificatur.* SIRMONDVS *tom. 2. Concil. Gall. pag. 473.* hoc refert inter Capitularia LVDOVICI PII, & in fine addit: *& quicunque hujus Conſtitutionis tranſgreſſor a Miſſis noſtris inventus fuerit, bannum noſtrum perſolvat*, id eſt mulctam regiam.

Cum ita olim minores illi Iudices Placita ſua ſæpius tenere non poſſent, & quidem propter eorum cupiditatem & avaritiam, atque etiam, ne ita ſuos homines vexarent: hinc omnino fluxit, quod ſcriptum legitur in noſtra CONSVETVDINE ANDEGAV. *articulo 64. Les Seigneurs Barons & Chatelains pourront faire tenir leurs Aſſiſes à quatre fois l'an: & les hauts, moyens, & bas Iuſticiers pourront faire ſemblablement tenir leurs Plaids quatre fois l'an, & non plus.*

## CAPVT V.

*De quibus rebus & cauſis cognoſcerent Miſſi Dominici.*

EA tantum expendere juvat in hoc capite, de quibus ſingularia capita non dedimus. Miſſi Dominici, & in ſuis Placitis, & de plano multa poterant exequi; & Provinciales apud eos agere, vel per ſe, vel per procuratorem: ſi modo illud a Principe, aut forte etiam ab iis impetraſſent. Sæpius autem cognoſcebant de gravioribus negotiis, quæ apud minores Iudices expediri non poterant.

Primo igitur CAROLVS M. *lib. 3. Capitular. cap. 79.* voluit, *ut nullus homo, vel ad mortem, vel ad libertatem amittendam, vel ad res reddendas, vel mancipia judicetur, ſed in præſentia Comitum, vel Miſſorum Dominicorum.* Hoc etiam legitur *in appendice 2. ad lib. 4. Capitular. cap. 27.* & *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib. 2. tit. 52. cap. 3.* & inter præcipua Legationis capita illud eſt, *ut juſtitiam faciant de rebus & libertatibus injuſte ablatis, lib. 4. Capitular. cap. 44.* Sicque cognoſcebant de criminibus capitalibus, de quæſtione ſtatus, & de reſtitutione ſpoliatorum: de qua ultima luculentum exemplum exſtat apud FLODOARDVM, *lib. 3. Rem. Hiſt. cap. 27. in princ.*

Secundo, de quibuſdam ex delegatione Principis, ſeu quorum definitio ad eos a Principe rejecta erat, *des renvois du Conſeil.* CAROLVS M. *lib. 2. cap. 26. Et quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſa reclamaverit, ad eos* ( Miſſos Dominicos, de quibus ibi ) *poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere.* Sic etiam ſi quis in præjudicium tertii præceptum Regium obtinuiſſet, illud examinare poterant, an juſtitiam impediret, necne, *Appendix tertia ad lib. 4. Capitular. cap. 2.*

Tertio, de judicio familiæ erciſcundæ, ſeu de diviſione hæreditatis: Vel enim ea exilis, aut minus locuples erat, vel opima. Primo caſu apud Comitem, aut ejus Miſſum facienda erat, *Capitularium lib. 4. cap. 19.* Sed ſi opima eſſet, cohæredes ipſum Principem adire poterant, qui vel ad eos exæquaret, vel inter eos divideret hæreditatem, aut eos rejiceret ad Miſſos Dominicos. Ejus diviſionis, exæquationis, & delegationis formulam exſcribit MARCVLFVS, *lib. 1. cap. 20.* & exemplum exſtat apud eundem FLODOARDVM, *lib. 2. cap. 4.* ubi Lupus, vir nobilis, frater Ducis, *multas poſſeſſiones inter liberos ſuos, æqualiter dividendas reliquit*, de ea æquali hæreditatis diviſione inter nobiles locus elegans: & addit: *De qua diviſione pari jure regenda præceptum obtinuerat regale, Partages en juſtice:* quorum etiam vetus exemplum videre eſt apud GREGORIVM TVRON. *lib. 9. c. 33.*

Quarto, de alienatione bonorum pupillarium, ut non fiat niſi ſumma neceſſitate urgente, LEGES LONGOBARD. *lib. 2. tit. 29. cap. ult.* Et de venditione ſervorum, qualiter fiat, *ibidem tit. 30.*

Quinto, de adoptionibus; ſic enim CAROLVS M. *earum Legum lib. 2. tit. 16. cap. un.* conſtituit, *ut qui legitimum filium non habeat, alium extraneum adoptare, & ſibi hæredem facere poſſit apud Miſſum Dominicum: eique adhuc in vivis agens bona ſua tradere ſub lege victus & veſtitus.* Ejus adoptionis formulam exſcribit MARCVLFVS, *lib. 2. cap. 13.*

Sexto, de iis litibus & negotiis, quæ in ſolis Parlamentis peraguntur hodie interpoſita appellatione tanquam ab abuſu, ut docet D. DE MARCA, *lib. 4. de Concord. Sacerd. & Imp. cap. 7. num. 6. & 8.*

Denique, quidam volunt, eos cognoviſſe de appellationibus a ſententiis Comitum. CIRONIVS *ad tit. de appellat. in fin. lib. 2. Decretal.*

## CAPVT VI.

*Secundum quam legem jus dicerent: & an appellatione remota.*

VVlgare eſt illud EGINARDI, *in vita Caroli M. cap. 29. Nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diverſas.* Quænam illæ fuerint, anxie diſputatum eſt; ſed tandem omnibus fere placuit, aliam eſſe legem *Romanam*, aliam

eſſe

eſſe legem *Salicam*. Hinc paſſim *in Capitularibus Regum noſtrorum*, unicuique jus dicendum eſt ſecundum legem ſuam; atque etiam unicuique licitum erat, profiteri, ſub qua lege vivere vellet, quamdiu eſſet in rebus humanis, ut fuſius docet CIRONIVS *lib. V. c.* 9. Sed potiſſimum perſonæ & res Eccleſiaſticæ ſecundum legem Romanam judicandæ erant, nec quid frequentius in *Conciliis Eccleſiæ Gallicanæ*, & in *Capitularibus*. Ac præterea quædam regiones ſolam hanc legem ſervabant; ideoque Miſſi Dominici utraque illa lege uti ſolebant in ſuis Miſſaticis. Luculentum ejus rei exemplum exſtat apud ADREVALDVM Caroli M. σύγχρονον, *lib.* 1. *de miraculis S. Benedicti cap.* 25. Vbi cum Iudices legis Salicæ, res Eccleſiaſticas ſub lege Romana conſtitutas diſcernere non poſſent, *viſum eſt Miſſis Dominicis, Placitum Aurelianis mutare, ubi adfuerunt legis* (*Romanæ*) *Doctores, cum quibus litem illam definierunt*.

Aliud exemplum exſtat apud ANONYMVM, *in vita* LVDOVICI PII *ad An.* 837. ubi omnes Septimaniæ Nobiles ab eo Imperatore petierunt, ut tales Miſſos in ſuam terram dirigeret, qui & poteſtate, & prudentia de ablatis æquo libramine penderent, & avitam iis legem conſervarent, id eſt, Romanam, ut pluribus probat DADINVS ALTASERRA, *lib.* 3. *rer. Aquitan. cap.* 9. Ac tandem cum CAROLVS CALVVS *in Edicto Piſtenſi cap.* 20. juſſit, *in iis regionibus judicari ſecundum legem Romanam, in quibus ea obſervatur*; *in cap.* 35. ſubjicit, *ſe in eas directurum Miſſos Dominicos, qui curarent eam juſſionem adimpleri*. Et *in Capitulis apud Tuſiacum cap.* 6. jubet, *ut præcepta Regia de commutationibus rerum Eccleſiaſticarum a Miſſis Dominicis ad eum mittantur ſignata, ſicut lex Romana præcipit*.

Ea plus ſatis docent, legem Romanam a Miſſis Dominicis inter eos obſervatam eſſe, qui huic ſubditi erant: quod autem inter alios, & in aliis regionibus judicare tenerentur ſecundum legem Salicam, & Regia Capitula (*quæ Franci pro lege tenenda decreverunt in generali Placito*, ait CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Cariſiacum cap.* 8) nemo ſanus inficias ire poteſt: hoc paſſim in iis videre eſt; Vnum illud pro omnibus ad utramque legem. CAROLVS CALVVS *in Capitulis ex Synodo Cariſiaca cap.* 4. *Miſſi quoque legales ſententias, ſicut eas cognitas habent, adnotent, & prædeceſſorum noſtrorum Regum, atque Imperatorum, noſtraque Capitula in unum collecta omnibus nota faciant*. Nec dubitaverim, eos etiam probe noviſſe ſacros Canones, cum eos ad effectum perducere tenerentur, ut ſuis quibuſque locis videbimus.

Denique videndum breviter, quibus lex illa Romana conſtaret iis temporibus. Sub prima ſtirpe Regia, atque etiam ſub Carolo M. ſolus Codex Theodoſianus in Gallia cognitus erat, & ſic eo ſolo lex Romana continebatur. Sed ſub CAROLO CALVO Codex & Novellæ Iuſtiniani prodierunt. Conſtat quidem, in Occidente ignotos fuiſſe Pandectarum libros uſque ad Irnerium, ſub tertia ſtirpe: ſed a temporibus CAROLI CALVI Codex & Novellæ omnium manibus teri cœperunt. HINCMARVS REM. *in Epiſtolis & in Opuſculis* eas laudat. In eam rem videndus ALTASERRA *ibidem*, CIRONIVS *in Obſervationibus Iuris Canonici*, & ANTONIVS DOMINICY *in libello de Prærogat. Allodiorum*. Imo & dici poteſt, jam ſub LVDOVICO PIO cognitas fuiſſe Iuſtiniani Novellas ex verſione Iuliani Anteceſſoris, cum ex iis quædam capita totidem verbis exſcripta ſint in ultimis Capitularium libris, qui fere toti ſunt Ludovici Pii.

Nec omittendum, ſæpius eos judicaſſe appellatione remota. LVDOVICVS PIVS *in tertio Capitulari, num.* 7. *cap.* 14. apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis cauſis ſe ad nos reclamare, niſi de quibus aut Miſſi noſtri aut Comites eis juſtitias facere noluerint*. Eadem etiam exſtant *in addit.* 4 *cap.* 115. quod nobis eſt, *ſe pourvoir contre un d.ni de juſtice*. Et ab ipſis Comitibus appellabantur Miſſi Dominici, ut ſuo loco videbimus, & ita verius eſt, eos ſummo jure judicaſſe, cum ad vicem Regis mitterentur, ut eſt *in Appendice ſecunda ad lib.* 4. *Capitular. cap.* 25.

## CAPVT VII.

### *Iudices, Scabinos, Advocatos, Notarios conſtituebant.*

IVdices & Scabini promiſcue uſurpantur paſſim: cumque in provinciis conſtituendi eſſent, Miſſis demandata erat ea cura, ut eos eligerent, iis deferrent juramentum, eos coercerent, ac deſtituerent. CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 33. præcipit, *ut Miſſi Dominici Scabinos, Advocatos & Notarios per ſingula loca eligant, & eorum nomina, quando reverſi fuerint, ſecum ſcripta deferant*. LVDOVICVS PIVS *in addit.* 4. *cap.* 105. & 106. eandem Iudicum electionem imperat Miſſis Dominicis, ſicut & CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Cariſiacum cap.* 9. & 11. Sed quod etiam hodie obſervatur, diligentiorem inquiſitionem faciebant in mores, in eruditionem, & in gentem. *In eod. cap.* 106. *Vt in omni Comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri poſſunt, eligantur a Miſſis noſtris ad inquiſitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & adjutores Comitum ſint ad juſtitias faciendas*. Vtramque hanc additionem confirmat CAROLVS CALVVS *laudato loco*, & SIRMONDVS eam tribuit LVDOVICO PIO *in ejus Capitulari tertio*. LOTHARIVS IMP. in LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 53. *cap. ult.* ſic habet: *De Iudicibus ut inquirantur, ſi nobiles & ſapientes, & Deum timentes conſtituti ſint*. Nec multo poſt: *Vbi autem tales non ſint, a Miſſis noſtris conſtituantur: quod ſi viles perſonæ & minus idoneæ ad hoc conſtitutæ ſint, ejiciantur*. Prudentiſſima lex, ut a judicandi munere vilioris conditionis homines arceantur; vix enim eſt, ut qualeſcumque tandem illi fuerint, generoſos habeant eos ſpiritus, quos bonum Iudicem habere decet. Aliquando etiam Comes ſuos Iudices eligebat & inſtituebat; & hinc AGOBARDVS *Lugdun. Archiep. in Epiſtola ad Matfredum*, eo nomine laudat Bertmundum Comitem ſuum, quod optimos Iudices conſtitueret.

Cum electi erant illi Iudices, Miſſi Dominici juramentum ab iis exigere ſolebant; vix enim injurati Iudices juri dicundo præeſſe & ſententiam dicere poſſunt. LVDOVICVS PIVS *in d. cap.* 105. *Vt Miſſi noſtri, cum electi fuerint Iudices, jurare faciant, ut ſcienter injuſte judicare non debeant*. LOTHARIVS IMPER. *in d. cap. ult. Et jurent*, (nempe Iudices) *ut juxta ſuorum intelligentiam rectum judicent, & pro muneribus, vel humana gratia juſtitiam non pervertant, nec differant. Vbi autem tales non ſint, a Miſſis noſtris conſtituantur, & idem Sacramentum facere cogantur*.

Ac tandem Miſſi Dominici malos Scabinos ita coercent, ut eos ejiciant, & in eorum locum totius populi conſenſu bonos eligant, *d. cap.* 105.

vel eos ad præſentiam Regis venire compellant, *cap.* 107. *ibid.* eadem etiam CAROLVS CALVVS *laudato loco cap.* 10.

Advocatos etiam conſtituebant, *d. cap.* 33. Et hoc non tantum de iis intelligendum, qui protectores & defenſores erant Eccleſiarum, Epiſcoporum, & Abbatum, quique a Principe poſtulari ſolebant, de quibus olim ex profeſſo egimus, *ad titulum de jure patron.* ſed etiam de cauſidicis, qui aliorum cauſas aut lites in jure judicioque orarent. Sic in utroque illo ſenſu Advocati accipiuntur *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 47. & paſſim *in Capitularibus*. Quamvis autem ita in quolibet loco eligerent Advocatos, non ideo tamen dicendum eſt, ab iis certum eorum numerum in quolibet Comitatu inſtitutum fuiſſe; nam *in Edicto Piſtenſi cap.* 32. *in fin.* Advocati unius Comitatus in alio advocatione fungi poterant. Iis temporibus nemo cauſas alterius nomine in foro agere poterat, niſi ex permiſſu Principis: Sane quilibet Procuratorem ſibi conſtituere, quem vellet, eique mandatum dare poterat, ex quo apud omnes, vel etiam apud Miſſos Dominicos negotia ſua gereret, ejuſque mandati formula exſtat *inter veteres formulas* MARCVLFI *Lib. II. c.* 31. & 178. *apud* LINDEBROGIVM. Sed ut ille Procurator in jure judiciove agere poſſet, opus erat conceſſione Principis, cujus formulam exſcripſit MARCVLFVS *lib.* 1. *cap.* 21. ad quam doctiſſimus interpres H. BIGNONIVS pleraque notatu digniſſima congeſſit. Sed ſine plagio prætermittere non poſſumus legem primam, *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 52. *Si quis cauſam alterius agere aut cauſare præſumpſerit, in præſentia Regis aut Iudicis (excepto ſi Rex aut Iudex ei licentiam dederit) de viduis, aut de orphanis, aut de tali homine, qui cauſam ſuam agere non poteſt, componat Vuirgildum*, id eſt mulctam. *Et ſi forſitan aliquis per ſimplicitatem ſuam cauſam* (hæc etiam Marculfus) *agere neſcit, veniat ad Placitum; Et ſi Rex aut Iudex prævideriṭ, quod veritas ſit, tunc debeat ei dare hominem, qui cauſam ipſius agat.*

Sicut vero inſignis ea lex non ita generaliter Iudicibus Longobardis concedit, ut omnibus permittat, quorumlibet cauſas in judicio agere, ſed miſerabilium tantummodo perſonarum, & eorum, qui per ſimplicitatem, ſeu imperitiam eas agere non poſſent: ita & cum noſtra CONSVETVDO ANDEGAV. *art.* 40. habet, *les moiens juſticiers peuvent donner procuratons par non puiſſance*, nec etiam generaliter accipienda eſt: nam quo tempore a Carolo VII. redacta eſt in ſcriptis, receptum jus illud erat in tota Gallia, *que nul en demandant eſt receu par procureur ſans grace du Roy noſtre Sire, dont il face apparoir par Lettres patentes*, ut eſt *in* SVMMA RVRALI *tit.* 10. Sed ab eo jure communi exceptio illa invaluit in Andegav. provincia, ut etiam Iudices, mediam juſtitiam habentes, iis Procuratorem dare poſſint, qui vel etiam cum præcepto Regio habere, aut invenire non poſſent. Sicque articulus ille ad eam Edicti partem referendus videtur, qua Prætor ait, ſe iis omnibus daturum eſſe Advocatum, qui vel ex certis cauſis, vel adverſarii potentia & ambitione, vel metu invenire non poſſint, *l.* 9. *in fin. D. de offic. Proconſ.* & *l.* 1. §. 4. *D. de poſtul.* Vnde in eo articulo illi Procuratores junguntur tutoribus & curatoribus, qui ab iis Iudicibus dantur ad tuendos eos, qui ſe defendere, & Procuratores conſtituere non poſſunt.

Denique Miſſi Dominici conſtituebant Notarios, *d. cap.* 33. id eſt, ſcribas, actuarios Iudicum, vel etiam hodie tabelliones, de quibus *in eod. cap. ult.* LEGVM LONGOBARD. *Similiter & Notarii legibus eruditi, & bonæ opinionis conſtituantur,* (a Miſſis Dominicis, de quibus ſtatim antea) *& jusjurandum præbeant, ut nullatenus falſitatem vel colludium ſcribant. Et qui hoc feciſſe præterito tempore inventus fuerit, præſentialiter damnetur.*

## CAPVT VIII.

*Cognoſcebant de rebus Eccleſiaſticis.*

LVculentiſſimum iſtius rei exemplum occurrit apud ADREVALDVM Caroli M. æqualem, &, ut volunt, cognatum, *lib.* 1. *de miraculis S. Benedicti cap.* 25. ubi cum de ſervis Eccleſiaſticis lis orta eſſet inter Advocatum, *advoué*, Floriacenſis Monaſterii, & Advocatum S. Dionyſii, colliguntur ab utriuſque partibus plurimi legum Magiſtri & Iudices, qui pro partibus decertarent. Præterea huic Placito aderant Miſſi a latere Regis, Ionas Epiſcopus Aurelian. & Donatus Comes Milidunenſium: ſed cum litem in eo Placito finire nequirent, eo quod Salicæ legis Iudices eccleſiaſticas res, ſub lege Romana conſtitutas, diſcernere perfecte non poſſent, viſum eſt Miſſis Dominicis, Placitum Aurelianis mutare; ut nempe ibi Doctores & Magiſtros legis Romanæ invenirent, cum eo tempore nulli eſſent Pariſiis. Aliam fere ſimilem controverſiam apud Miſſos Caroli M. agitatam continet vetus quædam Charta, quam exſcribunt SAMMARTHANI FRATRES, *in Mauronto Maſſil. Epiſcopo* 12.

Sic etiam cum eodem tempore illi ipſi Monachi S. Dionyſii quaſdam poſſeſſiones in pago Pictavenſi, Andegavenſi, & Lemovicino ſibi reddi poſtularent; Carolus M. Miſſis Dominicis juſſit, ut de ea re cognoſcerent, & eam reſtitutionem curarent. Integrum diploma exſtat apud BELIVM, *inter Probationes hiſtoriæ Pictavenſis pag.* 227. Cumque ita Clerici res Eccleſiaſticas vindicare ſolerent apud Miſſos Dominicos, jam antea conſcripta erat vetus formula ejus vindicationis, quæ inſcribitur *Notitia de terra evindicata, inter veteres formulas in Appendice* MARCVLFI *cap.* 7. ubi nominatim de rebus Eccleſiaſticis, eaque vindicatio fiebat apud eos Miſſos.

Curabant, ne contra ſtatuta ſervitium de Manſis Eccleſiaſticis (*des terres bâties appartenantes à l'Egliſe*) exigeretur, *lib.* 5. *Capitular. cap.* 100. aut aliquis cenſus contra immunitatem, CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Sylvacum cap.* 2. Apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 244. exſtant *Capitula* quædam CAROLI M. quæ Miſſis Dominicis data dicuntur: In eorum *cap.* 5. ſic habet: *De Decimis & Nonis, atque Caſtitia Eccleſiarum Dei, ut omnes dare & emendare ſtudeant.* Nefas eſſet, ea relinquere intacta. Et primo quidem de Decimis.

In Capitularibus Regum noſtrorum, & in Conciliis eorum tempore habitis in Gallia, *Decimæ*, quantum etiam ad Miſſos Dominicos, aliquando in vulgari acceptione occurrunt pro his Decimis, quas quilibet Chriſtiani ex ſuis bonis Deo & Eccleſiæ ſolvant: Vt *lib.* 5. *Capitular. cap.* 101. ubi *Si populus Decimas dare nolit, niſi quolibet modo ab eo redimantur, nec Epiſcopum, nec Comitem audire velit, aut ad præſentiam venire compellendus eſt, aut diſtringendus*, nempe a Miſſis Dominicis: nam SIRMONDVS caput illud refert inter *Capitula* LVDOVICI PII *ad interrogationem Miſſorum edita, tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 468. ubi etiam Caput

illud

illud ſextum exſcribitur, quod eſt de iis Decimis: *Quicunque Decimam abſtrabit de Eccleſia, ad quam per juſtitiam dari debet, eamque ad alteram Eccleſiam dederit, a Comite, vel a Miſſo noſtro diſtringatur, & ejuſdem Decimæ quantitatem cum ſua lege reſtituat:* quod etiam exſcriptum eſt *in addit. Capitularium c.* 100.

Sed ut nihil nobis excidat de iis capitibus; cum *in d. cap.* 101. *Populus dare non vult Decimas, niſi ab eo redimantur*, ejus rei explicatio repetenda videtur *ex lib.* 2. *Capitular. cap.* 21. *in fine*, quod etiam laudat & exſcribit LVDOVICVS PIVS *laudato loco: niſi ab eo redimantur*, id eſt, niſi Parochiales Presbyteri argumentum pro iis Decimis accipere compellantur; *ſi les Dîmes ne ſont abournées & payables en argent:* Sed *dictum Capitulum* 21. manifeſte oſtendit, illud fieri non poſſe, niſi mutuo conſenſu & Epiſcopi aut Parochi, & ejus, qui eas dare debet. Sic enim habet eô loci: *Si quis tamen Epiſcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit* ( nempe pro Decimis, de quibus ibi agitur ) *in ſua maneat poteſtate, juxta quod ei & illi, qui hoc perſolvere debet, convenerit:* Et ita inviti Presbyteri Decimas accipere non tenentur in pecunia numerata.

Verum ſæpius ac ſæpius in iiſdem Capitularibus & Conciliis Decimæ ad ipſam etiam Eccleſiam pertinentes aliter omnino accipiuntur: nempe pro cenſibus, quos rerum Eccleſiaſticarum poſſeſſores ipſis Eccleſiis præſtare tenebantur ad rationem Nonæ & Decimæ; quod quomodo evenerit, docet *Epiſtola Epiſcoporum Remenſis & Rothomag. provinciæ, a Synodo apud Cariſiacum miſſa ad* LVDOVICVM *Germaniæ Regem. cap.* 7. quam integram exſcribit SIRMONDVS *tom.* 3. *Concil. Gal. pag.* 117. & inter *Capitularia* CAROLI CALVI *tit.* 27. Norunt omnes, ſub finem primæ ſtirpis Regiæ, & initium ſecundæ graviſſima bella, & civiles tumultus exarſiſſe per totam Galliam, & Reges multas poſſeſſiones Eccleſiaſticas ſibi vindicaſſe in opem & adjutorium: atque etiam Potentiores, & Milites multas uſurpaſſe, ita ut ſenſim desererentur Eccleſiæ, & in iis divinum ceſſaret officium. De ea re ſæpius conqueſti ſunt Eccleſiæ Gallicanæ Patres. In *Concilio Liptinenſi ſub* CHILDERICO *III. ad ann.* 743. *Can.* 2. *Placuit, ut qui res Eocleſiaſticas tenerent* ( quas nondum Eccleſiæ reddere poterant Principes, propter urgentia bella ) *ſingulis annis de unaquaque caſata, ſeu de quolibet prædio ſolidum, ſeu duodecim denarios ad Eccleſiam aut Monaſterium ſolverent, unde res illæ erant beneficiatæ, ſeu in feudum acceptæ, eaſque res in precarium retinerent uſque ad finem eorum bellorum:* quod etiam ſtatuit CAROLVS M. *in quodam Capitulari, tit.* 1. apud SIRMONDVM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 230.

Aliud Liptinenſe Concilium ſub Pipino Rege voluit, ut præter eum ſolidum Nonæ & Decimæ quotannis præſtarentur ipſi Eccleſiæ, ad quam olim pertinuerant ea prædia. *Concilium apud Saponarias ſub* CAROLO CALVO, *an.* 859. *Can.* 13. Nonas & Decimas interpretari videtur, quintam eſſe partem redituum ex prædiis Eccleſiaſticis, ut docet D. DE MARCA *in ſua Bearnenſi Hiſtoria, lib.* 1. *cap.* 28. De iis Nonis & Decimis ſæpius agitur in *Capitularibus* & *veteribus Conciliis Galliæ*, nec omnino confundendæ ſunt cum iis Decimis, quas hodie vocamus *infeodatas*.

Noſtræ igitur Nonæ & Decimæ ex rebus Eccleſiaſticis pertinebant etiam ad curam Miſſorum Dominicorum. CAROLVS M. *in iiſdem Capitulis, quæ Miſſis Dominicis data ſunt, in principio* jubet, *ut curent Nonas & Decimas ex rebus Eccleſiaſticis præſtari iis Eccleſiis, unde res illæ beneficiatæ fuerant.* In aliis *ibidem pag.* 245. *de Decimis & Nonis, ut omnes eas dare & emendare ſtudeant.* In aliis *pag.* 467. *& ſeq. Vt qui eas ſolvere neglexerint, a Miſſis Dominicis ad Palatium venire compellantur.* Cumque Nonæ & Decimæ illæ eſſent potiſſimum ad reparationem Eccleſiarum, quibus debebantur, CAROLVS M. *lib.* 4. *Capitular. cap.* 40. jubet, *ut ſolvantur ex frugibus prædiorum Eccleſiaſticorum, & ex nutrimine animalium, quæ ad Eccleſiam pertinebant, ut Miſſi Dominici cura impendantur ad opus & reſtaurationem ejus Eccleſiæ.* Et *tertii Turon. Concilii Patres, in Can.* 46. petunt a CAROLO M. *ut Nonæ & Decimæ illæ cura Miſſorum Dominicorum ſolvantur ad luminaria, & ſtipendia Clericorum* ejus Eccleſiæ, ad quam res beneficiatæ pertinuerant.

CAROLVS CALVVS *in Capitulis ex Synodo Sueſſion. action.* 7. *cap.* 6. jubet: *Vt Miſſi Dominici cum omni diligentia inquirant in eas Nonas & Decimas, in earum debitores, & in eos, qui ſolvere nolint, ut ad ſuam præſentiam venire compellantur.* In *Capitulis apud Tuſiacum cap.* 10. *Vt Miſſi Dominici Capitularia Caroli M. & Ludovici Pii de iis Nonis & Decimis exequantur.* Adde *ſecundum Sueſſion. Concilium, Can.* 6. *tertium Valentinum, Can.* 10. *Compendienſe Capitulare*, quod non ita pridem edidit BALVZIVS *ad calcem operis Lupi, Abbatis.* Denique Miſſi Dominici curabant, eas ſolvi non tantum ex prædiis ruſticis, ſed etiam ex animalibus, ex ſylvis, & caſtitiis Eccleſiæ, quæ olim ab ea in precariam, aut in beneficium ſub eo cenſu data fuerant, ad quem propius accedere videntur hodierni reditus agrarii, *rentes foncieres.* Et Miſſi Dominici alios cenſus Eccleſiæ debitos curabant ei ſolvi, *in Capitulis ad Sylvacum cap.* 2. & *in Edicto Piſtenſi cap.* 2.

Secundo *Caſtitia Eccleſiarum* quidam volunt eſſe quædam ædificia ipſis Eccleſiis adhærentia, SIRMONDVS, SPELMANNVS, & VOSSIVS, & hic putat, Caſtitia ſic appellari a caſa. Sed forte conjicerem, Caſtitiam nihil aliud eſſe, quam locum munitum, & cuſtoditum, a verbo *caſtrum*. Sic enim in *Capitulis* CAROLI CALVI, *ex Synodo Sueſſion. cap.* 6. *apud* SIRMONDVM, *pag.* 89. cavetur, *ut res Eccleſiaſticæ in Caſtitiis, vel ſylvis cuſtoditis ſalvæ maneant.* Et apud EVNDEM *pag.* 127. Epiſcopi Remenſis & Rothomag. provinciæ petunt, *ut Miſſi Dominici villas Regias moderatis Caſtitiis ædificent:* & paſſim in *Capitularibus* Caſtitiæ, vel Caſtitia villis & caſis opponuntur, nec quid aliud videntur, quam caſtra, munitiones, aut ædes tutiſſimæ. Conſtat enim, Eccleſiam habuiſſe olim hujuſmodi caſtra, & quidem contra infeſtationes paganorum, prædonum, & militum, in quibus Clerici tutius agerent, & reponerentur ſacræ reliquiæ, ſacra vaſa, & ornamenta Eccleſiaſtica. Ad eas Caſtitias, ad ea caſtra pertinet *caput tertium Ex. de præb.* & receptam hanc conſuetudinem probare juvat ex ENNODIO TICIN. *in Epigram.* 110. ex FORTVNATO PICTAV. *lib.* 3. *Carminum, cap.* 10. ex FLODOARDO, *lib.* 4. *Remenſ. Hiſtoriæ cap.* 1. 13. & 19. Ejuſque rei pleraque veſtigia exſtant in hac etiam noſtra civitate, ubi omnes fere Abbatiæ rurales quaſdam habent ædes, in quas belli aut tumultus tempore olim confugiebant Monachi. Ea Caſtitia curabant etiam Miſſi Dominici, ut jam probavimus *ex cap.* 279. *lib.* 5. *Capitular.* quibus adde *Synodum Sueſſion. act.* 7. *cap.* 6. apud SIRMONDVM *tom. III. Concil. Gall. pag.* 89.

In hoc etiam Capite agendum de beneficiis, de quibus adhuc acturi ſumus, ubi de vectigalibus.

bus. Ea nihil aliud erant, quam feuda: cum que in Capitularibus Regum noſtrorum, in Conciliis eorum tempore habitis, [illegible] auctoribus, *beneficia Eccleſiæ*, *beneficia caſæ Dei*, *beneficia Eccleſiaſtica* occurrunt, hoc accipiendum non eſt de iis beneficiis, quæ Clerici hodie habent in titulum; ſed ea ſunt prædia Eccleſiaſtica, quæ vel etiam laicis data ſunt in feudum. Vnde cum in LEGIBVS ALEMANNICIS *tit.* 2. dicitur, *a Paſtore Eccleſiæ per beneficium ſuſcipere*, poſtea dicitur *ſuſcipere in feudum*: & iis temporibus non modo Paſtores aut Prælati, ſed etiam Reges, Principes Eccleſiaſtica prædia militibus dabant in beneficium, in feudum, propter operam bene navatam in regnum, in Eccleſiam, ut pluribus probant FILESACVS, BIGNONIVS *in notis ad* MARCVLFI *formul. lib.* 2. *c.* 5. & THOLOSANVS *Archiepiſc. in Syntag. Iur. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 3. Sed quia placuit tandem, ut illi beneficiarii quoſdam cenſus, puta Nonas aut Decimas, eorum prædiorum nomine præſtarent Eccleſiæ; vel etiam quia ejus intererat, eos habere & ſervare vaſſallos, ideo ſæpius cautum eſt, ut Miſſi Dominici ea beneficia curent, imbrevient, ſeu deſcribant, eorum inventaria faciant. CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 80. & 82. CAROLVS CALVVS *in Capitulis Synodi Sueſſion. act.* 7. *cap.* 3. jubet, *ut Miſſi Dominici diligenter requirant de caſis Dei in beneficium datis, atque etiam de Capellis & Abbatiolis in beneficium datis, qualis cenſus inde exeat, ut Eccleſia, de qua ſunt, exinde veſtituram habere poſſit*. In *Capitulis poſt reditum a Confluentibus, in fin. Vt Miſſi Dominici admoneant de beneficiis deſtructis, tam ex Repub. quam ex rebus Eccleſiaſticis*. Sed tandem Eccleſiæ Gallic. Patres ſæpius ac ſæpius petierunt a Regibus, ne amplius Eccleſiæ aut eorum bona darentur in beneficium.

Cognoſcebant etiam de alienationibus rerum Eccleſiaſticarum. Primo igitur cum earum commutationes, aliæve quælibet alienationes abſque licentia & conſenſu Regis fieri non poſſent, CAROLVS CALVVS *in Capitulis Synodi Sueſſion. in fin.* mandat ſuis Miſſis, *ut per ſua Miſſatica illud denuntient*. Secundo LVDOVICVS PIVS *lib.* 5. *Capit. cap.* 110. ſic habet: *Vbicumque commutationes legitimæ & rationabiles, atque utiles Eccleſiis Dei factæ ſunt, permaneant; ubicumque vero inutiles, & incommodæ, atque irrationabiles factæ ſunt, diſſolvantur*, ( nempe a Miſſis, ad quos ea Capitula miſſa fuiſſe docet SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall.* ) *& recipiat unuſquiſque quod dedit. Vbi vero mortua manus interjacet*, ( quales erant glebæ adſcripti, homines conditionales, ) *aut alia qualibet cauſa, quæ rationabilis non eſſe videatur, inventa fuerit, diligenter deſcribatur*, ( nempe a Miſſis, ) *& ad noſtram notitiam perferatur*. Ea exſcripſit CAROLVS CALVVS, *in Capitulis apud Tuſiacum cap.* 6.

Denique *in* 2. *Synodo Sueſſion. ſub* CAROLO CALVO exſtat ille titulus, *Mandata Miſſis Dominicis per regnum directis data*, & in iis fere omnibus cognitio de rebus Eccleſiaſticis nominatim Miſſis illis demandatur. Eaque omnia exſcribuntur etiam in *ejuſdem Capitulis*, *tit.* 9. & de iis adhuc *tit.* 15. nempe *in Capitulis apud Attiniacum cap.* 10. & 11. unde nihil omnino frequentius, quam ea cognitio. Quodque obſervandum, cognoſcebant tantum vel de bonis temporalibus Eccleſiarum, vel de diſciplina Eccleſiaſtica, cujus utriuſque cognitio ad Regios Iudices ſemper in Gallia pertinuit. Et ſic *Patres Synodi ad Teudonis villam*, *cap.* 4. ſcribunt, *Carolo Calvo commiſſas eſſe res Eccleſiæ ad tuendum, defenſandum, & propagandum: & ut curet de honore & cultu Dei, atque ſanctarum Eccleſiarum, quæ auctore Deo ſub ditione & tuitione Regii regiminis conſiſtunt*. Sicut & ipſe loquitur, *in Conventu in villa Colonia*, *cap.* 1.

## CAPVT IX.

### *De reparationibus Eccleſiarum.*

COnſtat, quartam partem redituum Eccleſiaſticorum ſartis tectis Eccleſiarum deputatam olim fuiſſe ab antiquis Eccleſiæ Gallicanæ Patribus; Hiſpanicæ vero tertiam: unde pars illa dicebatur aliquando *fabricalis*. Cum autem deſtructæ erant Eccleſiæ, ipſi quidem Epiſcopi in ſuis viſitationibus diligenter exquirere debebant, quibus unaquæque Eccleſia reparationibus indigeret, *Can. Decernimus & ſequentibus aliis*, 10. *q.* 1. in quibus potiſſimum ſequenda erat eorum voluntas, *lib.* 2. *Capitular. cap.* 22. Sed Chriſtianiſſimi Reges voluerunt, ut etiam Miſſi Dominici de iis inquirerent, ac cognoſcerent. In *lib.* 4. *Capitular. cap.* 40. *De opere vero vel reſtauratione Eccleſiarum Comes, & Epiſcopus cum Miſſo Dominico, quem ſibi ipſi ad hoc elegerint, conſiderationem faciant, ut unuſquiſque eorum tantum inde accipiat ad operandum & reſtaurandum, quantum ipſe de rebus Eccleſiarum habere cognoſcitur*; Tantum inde accipiat, id eſt, tantum illius operis & reſtaurationis in ſe avertat & ſuſcipiat. Addit: *Similiter & Vaſſi noſtri, aut in commune tantum operis accipiant*, ( ſuis ſumptibus faciendum, ) *quantum rerum Eccleſiaſticarum habent: vel unuſquiſque per ſe juxta quantitatem, quam ipſe tenet*. REGINO ABBAS, *lib.* 1. *de Eccleſ. diſcipl. cap.* 37. Capitulum illud adſcribit LVDOVICO PIO.

IDEM *Imperator*, *lib.* 5. *c.* 275. inſignem hanc diſtinctionem inducit de Eccleſiis deſtructis: *Vt Epiſcopi & Miſſi inquiſitionem faciant, utrum per negligentiam, aut per impoſſibilitatem deſtructæ ſint: & ubi negligentia inventa fuerit, cogantur hi, qui eas reſtaurare debuerant: ſi vero per impoſſibilitatem contigerit*, ( puta quod propter vetuſtatem, aut aliam vim majorem earum ruina prævideri & impediri non potuerit, ) *& aut plures ſint Eccleſiæ, quam neceſſe ſit, aut majoris magnitudinis, quam ex rebus ad eas pertinentibus reſtaurari poſſint, Epiſcopus modum inveniat, qualiter congrue emendari & conſiſtere poſſint*. Hoc SIRMONDVS refert inter Capitula LVDOVICI PII, *ad interrogationem quorundam Miſſorum edita*, *tom.* 2. *Concilior. Gallic. pag.* 467. & poſtea *cap.* 9. indicat, a quibus reparandæ ſunt Eccleſiæ, ab iis nempe, qui res Eccleſiarum habent in beneficium, ſeu in feudum, de frugibus terræ, & animalium Eccleſiæ, juxta quantitatem earum rerum, quas tenent: a Regiis etiam vaſſallis, qui aliquid earum rerum habent: & illi omnes aut fructus, aut pecuniam ſolvant ad arbitrium Epiſcopi, aut Abbatis, & Comitis cum Miſſo Dominico, *cum quo pretio Rector Eccleſiæ ad prædictam reſtaurationem operarios conducere, & materiamen emere poſſit*. Ea exſcribuntur *ex eod. lib.* 4. *cap.* 40. Quæ alibi occurrunt de beneficiis deſtructis, ad Eccleſias non pertinent, ſed ad feuda, ut olim diximus. Atque etiam Miſſi Dominici conſulebant deſtructis Monaſteriis, ut ſuo loco videbimus.

Ex iis duo breviter obſervanda ſunt: Alterum eſt BALVZII *ad eundem Reginonis locum*, ut qui hodie tenent Decimas infeodatas, quique conſtitutas penſiones habent ſuper Eccleſiaſtica beneficia, illi omnes pro ſua quiſque portione ad reparationes Eccleſiarum teneantur, ſaltem ad eas,

quæ

quæ per impoſſibilitatem contigerint. Nec ab iis plurimum abeſt ſententia PROBI, *ad Proœmium Prag. ſanct.* ubi Parochus ad omnes Eccleſiæ ſuæ reparationes tenetur, ſi omnes illius obventiones percipiat. Sed ſi Procuratores fabricæ bona quædam habeant, ex iis faciendæ ſunt, quod ea detracta intelligantur ex bonis Parochi, & ad eas deputata: ac tandem ſi bona fabricæ non ſufficiant, & Parochus ſit locuples, ut eas ille ſupplere debeat ex Eccleſiæ ſuæ reditibus. Alterum eſt, quod ex iis Capitulis edita videatur vulgaris ea juris noſtri regula, cum de reparationibus Eccleſiarum agitur, *illud eſſe omnino Regiæ Iuriſdictionis*: & ratio ea eſt, quia ſemper ex earum temporalibus faciendæ præſumuntur, eaque ſæpius pignori capienda ſunt, quod a ſolis Iudicibus Regiis explicari poteſt, quippe qui ſoli de beneficiorum temporalitate cognoſcere poſſint. Et hinc cum *Tridentini Patres ſeſſ.* 21. *cap.* 8. cognitionem de reparationibus Eccleſiarum dediſſent Epiſcopis, hoc in Gallia nunquam admiſſum eſt: nam Carolus VI. jam olim decreverat, eam cognitionem ſuis Iudicibus ab antiquo competiiſſe, quod a Miſſis noſtris repeti jure poteſt.

## CAPVT X.

### *De Cauſis Clericorum.*

SÆpius variarunt Romanorum Principum Conſtitutiones, an, & quando publici ſeu ſæculares aut Regii Iudices de Clericorum cauſis cognoſcere poſſint. Omnes illas leges ſigillatim expendere non eſt iſtius loci; unumque illud obiter obſervare juvat, non aliter eas revocari poſſe in concordiam, quam ſi juris progreſſus, & varia mens eorum Principum exactiſſime attendatur. Videamus breviter, an & quatenus ad Miſſos Dominicos locus ille pertineat. Statim vero præmittenda eſt inſignis ea diſtinctio, quæ hodie adhuc obtinet, utrum Clericus conveniatur, aut agat actione in perſonam, aut actione in rem. Altius ea repetenda eſt ex celeberrima Conſtitutione CAROLI M. quæ exſtat *in* LEGIBVS LONGOBARDORVM *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 11. cujus ea ſunt verba:

*Volumus primo, ut neque Abbates, neque Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi, neque quilibet de Clero, de perſonis ſuis ad publica vel ſæcularia judicia trahantur vel diſtringantur, ſed a ſuis Epiſcopis judicati juſtitiam faciant: Si autem de poſſeſſionibus, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſuis propriis ſuper eos clamor ad Iudicem venerit, mittat Iudex clamantem cum Miſſo ſuo ad Epiſcopum, ut faciat ei per Advocatum juſtitiam percipere: Si vero aliqua inter eos fuerit orta intentio, quam per ſe pacificare non velint, aut non poſſint, tunc per Advocatum Epiſcopi, qualem juſſerit, cauſa ipſa ante Comitem veniat, vel Iudicem, & ibi ſecundum legem finiatur: antepoſito ſicut dictum eſt de perſona Clericorum.*

Ex hac Conſtitutione ſtatim obſervanda eſt diſtinctio cauſarum perſonalium & realium, quam primus introduxit CAROLVS M. Ait, *Clericos de perſonis &c.* id eſt, ſi perſona Clerici obligata ſit ex ſuo delicto, vel contractu, apud ſolum Epiſcopum conveniatur: *ſi autem de poſſeſſionibus &c.* id eſt, ſi actione in rem, & clamor ſeu lis inſtituta ſit apud Iudicem, nempe ſæcularem, (ut jam pridem obſervarunt plures viri docti,) puta Comitem, qui ordinarius erat Iudex, ut ſuo loco diximus: Iudex ille clamantem, id eſt actorem, mittat cum Miſſo ſuo, id eſt, cum ſuo Legato, ad Epiſcopum; *ut faciat ei per Advocatum, &c.* id eſt, per Iudicem ab Epiſcopo conſtitutum ad temporalem juriſdictionem exercendam: *ſi vero aliqua &c.* hoc deſumptum videtur *ex Nov.* 83. & 123. *cap.* 21. ante Comitem veniat vel Iudicem, puta Miſſum Comitis: *Antepoſito &c.* id eſt, ita ut perſona Clericorum numquam ad ſæcularem Iudicem trahatur. Et ſic elegans ea Conſtitutio jubet, ut Clericus actione in perſonam ſemper conveniatur apud Iudicem Eccleſiaſticum; actione in rem, apud Laicum, ſed ab eo rejiciatur ad Epiſcopum. Et ultimum illud in minoribus Iudicibus obtinebat, non etiam in Miſſis Dominicis: eos enim de rebus Eccleſiaſticis omnino cognoviſſe, ſuperiori capite probatum eſt fuſius.

Eandem plane diſtinctionem probavit GVILLELMVS, Rex Siciliæ, *Conſtitutionum Sicularum lib.* 1. *tit.* 65. *Si quis Clericus de hereditate vel aliquo tenemento, quod non ab Eccleſia, ſed ab aliis vel aliquo per patrimonium, ſive aliunde teneat, appellatus fuerit: volumus, ut de hoc in Curia illius, in cujus terra poſſeſſionem vel tenementum habuerit, reſpondeat, & quod juſtum fuerit, faciat: non tamen, ut perſona ſua exinde capiatur, vel incarceretur.* Iam antea *in tit.* 42. ſcripſerat: *De perſonis Clericorum totius Regni noſtri volumus & jubemus, quod ſi de aliquo foris facto, de quo perſona judicari vel condemnari debeat, appellatus fuerit, non a nobis vel a Curia noſtra, ſed ab Eccleſia & in Curia Eccleſiæ, & eo quoad perſonam pertinet, judicetur.*

Duæ illæ Conſtitutiones CAROLI M. & GVILLELMI SICVLI hodiernum uſum valde illuſtrant, ex quo, juxta FRANCISCI I. Conſtitutionem, Clerici in actionibus in perſonam apud Eccleſiaſticos Iudices conveniuntur, in actionibus in rem, apud Sæculares.

## CAPVT XI.

### *De Patronis, & de Jure Patronatus.*

CAROLI M. temporibus Patroni laici ſuo jure Patronatus valde abutebantur; alii Presbyteros in ſuis Eccleſiis inſtituebant & deſtituebant inconſulto Epiſcopo; aliorum hæredes Eccleſias ipſas earumque bona inter ſe dividebant, ut olim ſcripſimus ex profeſſo, *ad tit. de jure Patron.* Cumque CAROLVS M. utramque hanc perverſam conſuetudinem probe cognoſceret, palam teſtatus eſt, ſe illam extirpaturum; Sic enim *lib.* 1. *Capitul. cap.* 104. ait, *ſe aliquando Capitula quædam editurum de Eccleſiis, quæ inter heredes dividuntur, & tali occaſione proprio honore carent; ſive de iis Eccleſiis, quæ nimium rebus propriis attenuatæ ſunt.* Capitula illa non extant, nam quod legitur *lib.* 5. *cap.* 99. non eſt CAROLI M. ſed LVDOVICI PII. Hoc elegantiſſime docet SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall.* ubi multa Regum noſtrorum Capitula per partes, & per ſua quæque tempora exſcribit, ac digerit.

In *Capitulari tertio* LVDOVICI PII *pag.* 467. proponit eum titulum:

*Hæc ſunt Capitula, quæ propter interrogationem aliquorum Miſſorum conſiderata & ſcripta & ordinata ſunt, ſive de Eccleſiaſticis cauſis, ſive de cæteris. &c.*

*Primo de eo, qui ſine conſenſu Epiſcopi Presbyterum de Eccleſia ejecerit, vel conſtituerit.*

*De his, qui ſine conſenſu Epiſcopi Presbyteros in Eccleſiis ſuis conſtituunt, vel de Eccleſiis ejiciunt, & ab Epiſcopo, vel a quolibet Miſſo Dominico admoni-*

*moniti obedire noluerint, ut bannum noſtrum renua-*
*diare cogantur, & per fidejuſſores ad Palatium no-*
*ſtrum venire jubeantur; & tunc nos decernemus,*
*utrum nobis placeat, ut aut illum bannum perſol-*
*vant, aut aliam harmiſcaram ſuſtineant.*

De iis Patronis, qui Clericos in ſuis Eccleſiis
inſtituunt & deſtituunt inconſultis Epiſcopis egi-
mus olim fuſius *ad cap. 4. Ex. de jur. Pat.* In hoc
Capitulari *bannum renuadiare*, eſt pro mulcta or-
dinaria pignus dare. *Harmiſcaram ſuſtinere*, eſt
graviorem & extraordinariam mulctam ſolvere.
Et ita Miſſi Dominici curabant, ut Patroni lai-
ci ſola præſentatione idonei Clerici uterentur,
non etiam inſtitutione & deſtitutione. *Illud* et-
iam *Capitulare* repetitur, *in addit. 4. Capitular.*
*cap. 96.*

*De Eccleſiis inter hæredes diviſis.*

*De Eccleſiis, quæ inter cohæredes diviſæ ſunt,*
*conſideratum eſt, quatenus ſi ſecundum providentiam*
*& admonitionem Epiſcopi, ipſi cohæredes eas volue-*
*rint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc con-*
*tradixerint, ut in Epiſcopi poteſtate maneat, utrum*
*eas ita conſiſtere permittat, aut reliquias exinde au-*
*ferat: & ubi ad noſtrum beneficium Eccleſia perti-*
*nentes ita diviſæ inventæ fuerint, ut deſcribantur,*
*& nobis renuntientur.*

Ea BENEDICTVS LEVITA exſcripſit, *lib. 5. Capi-*
*tul. cap. 99.* ſicut & LOTHARIVS *Imp.* in LEGIB.
LONGOBARD. *lib. 3. tit. 1. cap. 44.* & hinc deſum-
ptus eſt *Can. conſiderandum 16. q. 7.* quamvis BVR-
CHARDVS, IVO, & GRATIANVS eum tribuant Gre-
gorio Papæ, & quidem quarto, nam ille ſub
LVDOVICO PIO ſedit: Sed melius REGINO ABBAS
*lib. 1. de Eccleſiaſt. diſciplinis cap. 243.* eum Cano-
nem tribuit *Capitularibus*, & *Legibus Longobardi-*
*cis*, quem ſequuti ſunt Correctores Romani apud
GRATIANVM.

Eo loci LVDOVICVS PIVS conſtituit, ut diſſiden-
tes Patroni cohæredes *Eccleſias teneant, ſi volue-*
*rint*, id eſt, inquit *Hugutio* apud ARCHIDIACO-
NVM, *in iis jus Patronatus habeant: ſecundum Re-*
*gis & Epiſcopi providentiam*, REGINO, BVRCHAR-
DVS, IVO, GRATIANVS, & poſt eos PETRVS PI-
THOEVS, & SIRMONDVS, regalis illius providentiæ
non meminerunt, ut forte totum illud tribuant
Epiſcopali. Sed LOTHARIVS Imp. Capitulare illud
exſcribens *in* LEGIBVS LONGOBARD. ait: *Secundum*
*noſtram providentiam & ammonitiones Epiſcopi*,
apud BOERIVM & LINDEBROGIVM. Et quidem re-
ctiſſime: nam illud conſideratum & ordinatum
fuerat a LVDOVICO PIO in quibuſdam Capitulis,
quæ ad Miſſorum Dominicorum interrogationem
edita fuerant.

Additur, ut ſi cohæredes illi Eccleſias ſuas te-
nere velint ſecundum Regis & Epiſcopi provi-
dentiam, eas honorare faciant: BOERIVS *ad LL.*
*Longobard. loc. cit.* legit, *honores faciant*, quæ ver-
ba duo forte continent, ut in iis divinum offi-
cium celebrari curent, & iis prædia reſtitui. Sic
enim *honor* ſacrificium ſignificat, apud PLAVTVM,
*in Aulul. Prol. v. 16.* VIRGILIVM, *Aeneid. l. 3.*
*v. 178. l. 8. v. 102.* NONIVM: ſignificat etiam præ-
dia, in iiſdem LEGIBVS LONGOB. & alibi paſſim:
& Eccleſiæ deſeruntur a Clericis, ſicque carent
officio divino, niſi habeant prædia, *Nov. 67.* Se-
quitur, *Si cohæredes illi contradixerint &c.* De ea
re diximus *ad cap. 2. Ex. de jur. patr.*

Ac tandem Imperator agit de Eccleſiis ad ſuum
beneficium pertinentibus, id eſt, ad ſuum præ-
dium, quod fidelibus ſuis in beneficium, in feu-
dum dederit. Ita enim Reges eo tempore fideli-
bus ſuis feuda, quædam dare ſolebant, & illi di-
cebantur Vaſſalli Dominici, ſeu Regii, apud CA-
ROLVM M. *lib. 3. Capitular. cap. 82.* & *Can. 20.*
*Meldenſis Concilii ſub* CAROLO CALVO. Antea qui-
dem temporalia erant ejuſmodi feuda, ſed LVDO-
VICVS PIVS ea dare cœpit in perpetuum, ita ut
vel etiam *Regias villas ſuis fidelibus traderet in*
*poſſeſſiones ſempiternas*, ut ſcribit THEGANVS, *in*
*lib. de geſtis Ludovici Pii cap. 19.* Si ergo jus Pa-
tronatus in quadam Eccleſia huic prædio anne-
xum ſit, quod Princeps Titio dederit; & hære-
des Titii Eccleſiam illam, & ejus bona dividant;
jubet LVDOVICVS PIVS, ut Eccleſiæ illæ deſcriban-
tur, nempe a Miſſis Dominicis, ut ſuo loco vi-
debimus, & ipſi Principi renuntietur.

## CAPVT XII.

*Epiſcopos juvabant contra rebelles Clericos & Monachos.*

CHriſtianiſſimi Reges in ſuis Capitularibus paſ-
ſim adjutorium iis impendunt, qui miniſte-
rium Eccleſiaſticum adimplent, ut eſt *in cap. 271.*
*lib. 5. Capitularium. Vt ſi quid Epiſcopus corrigere*
*non poſſit, illud Regi intimet: ut qui Eccleſiaſticis*
*regulis inobediens apparuerit, per poteſtates exteras*
*corrigatur, lib. 7. cap. 399.* id eſt, per ſæculares &
Regios Iudices, *ibidem cap. 422.* Nam omnipo-
tens Deus Principes fecit eſſe *Cuſtodes Eccleſiaſti-*
*cæ pacis*, ait GREGORIVS M. *ad Mauritium Imp.*
ſcribens, *lib. 6. Reg. Ep. 6.* Nihil omnino frequen-
tius, quam de invocando brachio ſæculari adver-
ſus contumaces, rebelles, & incorrigibiles non
tantum Clericos, ſed & Monachos; ut de iis
SVLPITIVS SEVERVS *in Dialog. prim. cap. 3.* & ſuo
loco fuſius.

CAROLVS M. *lib. 2. Capitular. cap. 26.* ſubditos
ſuos monet, illud pertinere ad ſuos Miſſos, *ut*
*ſi quilibet Epiſcopus miniſterium ſuum propter quod-*
*libet impedimentum implere non poſſit, ad eos re-*
*currat, & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum*
*adimpleat: Et ſi talis cauſa fuerit, quæ per eorum*
*admonitionem emendari non poſſit, per eos ad ſuam*
*notitiam deferatur.* SIRMONDVS *tom. 2. Concil. Gall.*
*pag. 457.* caput illud exſcribit, *in Capitulari ſe-*
*cundo* LVDOVICI PII *cap. 26.* Sic etiam, cum LV-
DOVICVS PIVS Miſſos Dominicos miſit per univer-
ſum regnum, præcepit potiſſimum, ut ea corri-
gant & emendent, quæ ab Epiſcopis corrigi &
emendari non poſſunt, iiſque mandat, ut ſuos
Miſſos implorent contra rebelles.

Eadem quoque diſciplina CAROLI CALVI. Ab
eo petunt Prælati, *apud Vernum Palatium, in*
*Can. 2. Vt Apoſtolicæ diſciplinæ contemptores a Miſ-*
*ſis Dominicis coerceantur, & ut Canonum reverenda*
*auctoritas in omnibus debitum vigorem obtineat.* In
ſuis *Capitulis, in Synodo Sueſſionenſi editis, act. 7.*
*cap. 10.* jubet, *ut quos Epiſcopus per excommunica-*
*tionem adducere non potuerit, Miſſi Dominici Regia*
*auctoritate & poteſtate ad pœnitentiam, vel ratio-*
*nem atque ſatisfactionem adducant.* Ac tandem *in*
*Can. 13. Synodi Pontigonenſis* jubet, *ut quos Epi-*
*ſcopi per ſe ad emendationem conſtringere non potue-*
*runt, Miſſis Dominicis renuntient, ut ipſorum ju-*
*dicio legaliter ſecundum Capitulare avi & genitoris*
*ſui emendentur.* Sic etiam cum CAROLOMANNVS
*in ſuis Capitulis ad Vernum Palatium* multa con-
ſtituit ad regni & Eccleſiæ utilitatem, *in cap. 9.*
ſic habet: *& quia ad tantum malum funditus era-*
*dicandum, & tantum bonum plantandum neceſſe ha-*
*bet Epiſcopalis auctoritas, judiciali poteſtate adju-*
*vari: Placuit nobis noſtriſque fidelibus in commune,*
*ut Miſſi Dominici ſuis in locis ex hoc fideliter ad-*
*juvent.* Nec multo poſt: *Quoties Epiſcopi aut mi-*
*ni-*

*niſtri illorum, ſive etiam ipſi pauperes eos appellaverint*. Pleraque alia Regum noſtrorum Capitula mutuum illud auxilium Epiſcopis & Miſſis Dominicis imperant, ut ſe invicem adjuvent ad animadverſionem facinoroſorum hominum.

### CAPVT XIII.

*Oppreſſi Clerici ad eos confugiebant & reclamabant.*

CVm potentioribus pares eſſe non poſſimus, ſemper curarunt Principes, ne alios ſuo potentatu obruant, præcipue vero quos vocant *miſerabiles perſonas*; & hinc paſſim tot reclamationes ad Principem. PETRVS PITHOEVS *in Gloſſario, ad Capitularia* CAROLI M. in verbo *reclamare*, exſcribit veterem formulam Reclamationis ad Regem, qui Miſſis Dominicis jubet, ut de ea cognoſcant. LINDENBROGIVS, *in Gloſſario ad Cod. Legum Antiq.* in eodem verbo *reclamare*, aliam ſimilem formulam affert, in qua Miſſi Dominici judicaverunt. Cum enim ſæpius non ita facile Princeps adiri poſſit, voluerunt Chriſtianiſſimi Reges, ut oppreſſi ſubditi Miſſos Dominicos reclamare poſſent.

CAROLVS M. (aut forte LVDOVICVS PIVS, ut ſuperiori capite diximus) *lib. 2. Capitular. cap. 26. Vt omnis populus ſciat, ad hoc conſtitutos eſſe*, (Miſſos Dominicos) *ut quicumque per negligentiam, aut injuriam, vel impoſſibilitatem Comitis, juſtitiam ſuam acquirere non potuerit; ad eos primum querelam ſuam poſſit deferre, & per eorum auxilium juſtitiam acquirere; & quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſa reclamaverit, ad eos poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere*. Et hinc, *Les renvois du Conſeil. à Meſſieurs les Intendans.* IDEM *in Capitulis ad an.* 789. *editis cap.* 11. apud SIRMONDVM, *tom. 2. Concil. Gall. De eo, quod Miſſi noſtri providere debent, ne forte aliquis clamor ſuper Epiſcopum, vel Abbatem, vel Abbatiſſam, vel Comitem, ſeu ſuper qualemcumque gradum ſit, & nobis renuntiare.*

EGINARDVS *in ſuis Annalibus ad an.* 814. de LVDOVICO PIO: *Et habita Aquiſgrani generali populi ſui Conventu ad juſtitias faciendas, & oppreſſiones popularium relevandas, Legatos* (id eſt Miſſos Dominicos) *in omnes regni ſui fines miſit*. Idem omnino habent ANNALES FVLDENSES *ad eum ann.* De eo etiam THEGANVS *cap.* 13. *Miſit Legatos ſuos per omnia regna ſua, inquirere & inveſtigare, ſi alicui aliqua injuſtitia perpetrata eſſet: & ſi aliquem inveniſſent, qui hoc dicere vellet, & cum veriſſimis teſtibus probare potuiſſet, ſtatim cum eis in provinciam venire præcepit. Qui egreſſi invenerunt innumeram multitudinem oppreſſorum, aut ablatione patrimonii, aut exſpoliatione libertatis, quod iniqui Miniſtri, Comites, & loco poſiti, per malum ingenium exercebant*. ANDREAS QVERCETANVS *tom. 2. Hiſt. Franc. pag.* 723. 724. duas exſcribit Reclamatorias ad eundem LVDOVICVM & ejus Miſſum.

*Vetus* CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII, *ad annum* 815. de eodem LVDOVICO PIO: *Mandavit etiam Miſſis & Comitibus ſuis, ut juſtitias facerent in regno ſuo; & ſi aliqui homines injuſte privati fuiſſent de hæreditate parentum per cupiditatem Comitum aut divitum, ut reddere facerent. Nec non & ſi aliqui homines injuſte in ſervitute redacti erant, ut iterum acciperent libertatem.* ADO VIENNENSIS *in Chronico, ætate 6. ad an.* 815. *Hic* (LVDOVICVS PIVS,) *inter alia mirifica, & nimis honoranda opera ſua, in omni Imperio ſuo, ſive in Gallia, ſive in Germania, ſive in Italia Legatos dedit, qui pauperum & oppreſſorum juſtitias diligenter quærentes, & ſingulorum neceſſitates ad plenum audirent.*

Sacrum illud auxilium ipſis etiam oppreſſis Clericis patebat. CAROLVS CALVVS *in ſuo Capitulari Tholoſano cap. 1. Vt Epiſcopi nullam inquietudinem ſive exprobrationem Presbyteris, aut aperte ingerendo, aut alia qualibet occaſione machinando, pro eo, quod ſe ad nos hac vice reclamare venerunt, inferant: quia longa oppreſſio hujuſmodi itineris eo fecit ſubire laborem*. Sic inter reclamatorias litteras (de quibus ſupra) prior eſt Presbyteri cujuſdam ad LVDOVICVM PIVM. Cumque paſſim in ſacris Canonibus prohibitum eſt, ne Clerici adeant Imperatorem; CAROLVS CALVVS excipiendum indicat, niſi a potentioribus oppreſſi fuerint, ita ut a Iudicibus ordinariis liberari, & ad ſuum pervenire non poſſint.

HINCMARVS *Remenſis Archiep. in admonitione* 14. *ad Proceres regni cap.* 25. teſtatur, LVDOVICI PII temporibus ab eo Miſſos fuiſſe Legatos in omnes provincias, ut viduæ, orphani, deſolati, oppreſſi, injuſte ſuffocati, ſecundum ſuam indigentiam & qualitatem ſemper ad manum haberent, per quos ſinguli ad pias aures Principis perferre poſſent. Ac tandem, *in additione 4. cap.* 115. præcipit LVDOVICVS PIVS, populo dicendum, *ut caveat de aliis cauſis ſe ad eum reclamare, niſi de quibus Miſſi Dominici, aut Comites eis juſtitias facere noluerint.*

### CAPVT XIV.

*Animadvertebant in facinoroſos homines.*

VLPIANVS *in l. 13. D. de off. Præſ.* ſic loquitur: *Congruit bono & gravi Præſidi, curare, ut pacata & quieta ſit ea provincia, quam regit: quod non difficile obtinebit, ſi ſollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eoſque conquirat: nam & ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, & prout quiſque deliquerit, in eum animadvertere*. Iudæi Felicem, Syriæ Præſidem, eo nomine laudant, ACTORVM *cap. 24. v. 3.* & in eam rem elegantiſſima eſt *Epiſtola 1. lib. 1.* M. TVLII *ad Quintum Fratrem*. Sic in mandatis Chriſtianiſſimorum Principum illud erat præcipue, ut Miſſi Dominici malis hominibus provincias purgarent, & in eos ſevere animadverterent. CAROLVS M. *in præfatione Aquiſgran. Concilii* ait, *ſe Miſſos ſuos direxiſſe per ſuas omnes provincias, ut ex ſui nominis auctoritate corrigerent, quæ corrigenda eſſent*. Suos etiam Miſſos monet, *lib. 2. Capitular. cap. 26. Vt nihil in ſua legatione incorrectum remaneat*. Cumque *lib 4. cap.* 55. egit *de falſa moneta, de puniendis latronibus, de homicidiis prohibendis*; ſtatim *in cap.* 56. jubet, *Vt Miſſi Dominici ea omnia emendare curent: ut ea, quæ emendaverint, diligenter in ſcriptis notent, & hoc ſic peragere, ut juſte reprehendi non poſſint*. Sicut ergo Præſides provinciarum habebant acta civilia & criminalia, *l. 2. Cod. de Eden. Greffes civils & criminels*, quæ diligenter aſſervari ſciebant; ita & Miſſi Dominici habebant jus actorum conficiendorum; & ut in animadvertendis facinoroſis hominibus juſte reprehendi non poſſent, ea crimina, quæ in ſuis Miſſaticis emendaverant, *in ſcriptis notare tenebantur*: quod nihil aliud eſſe putarem, quam in acta publica referre accuſationem, elogia, depoſitiones teſtium, & ipſas ſententias.

LVDOVICVS PIVS præcepit, ut Miſſi Dominici per ſingulos Comitatus irent, qui immanitatem prædonum atque latronum, quæ inaudita emerſerat, cohiberent: & ubi eorum major vis incu-

buerat, etiam Comites vicinos, & Epiſcoporum
homines, ad tales evincendos & proferendos ſibi
adſciſcerent; *Vita & actus* LVDOVICI PII apud
QVERCETANVM *tom. 2. Hiſt. Franc.* Cumque ſæpius
accuſatores non ſatis delata crimina probarent,
& ita omnes fere Iudices ex vitio ſæculi examen
aquæ frigidæ ſæpius adhiberent ad faciendam fi-
dem, LVDOVICVS PIVS *in additione 4. ad Capitula-*
*ria Caroli M. cap. 113.* ſic habet: *Vt examen aquæ*
*frigidæ, quod hactenus faciebant, a Miſſis noſtris om-*
*nibus interdicatur, ne ulterius fiat.* Ea erat vul-
garis probatio iis temporibus uſitatiſſima, ut ſi
non omnino conſtaret, an accuſatus revera reus
eſſet objecti criminis, ligatus dejiceretur in vas
maximum aqua plenum; & in eo culpabilis ſub-
mergeretur, & ſupernataret innocens. De ea pur-
gatione multi multa, ſed præcipue IVRETVS *ad E-*
*piſt. 74. Ivonis Carnot.* Quod autem iis tempori-
bus uſitatiſſima fuerit, docent LEGES SALICÆ, CA-
PITVLA REGVM NOSTRORVM, & HINCMARVS RE-
MENS. *paſſim.* FLODOARDVS, *lib. 3. Remenſ. Hiſto-*
*riæ cap. 23.* ait, *eum ſcripſiſſe libellum de judicio*
*aquæ frigidæ ad Hildegarium, Meldenſem Epiſcopum.*
SIRMONDVS libellum hunc edidit inter opuſcula
HINCMARI *cap. 39.* Quodque obſervandum eſt, eo
loci meminit *ejus capit. 113.* quod diximus eſſe
LVDOVICI PII, nec forte inconveniens erit, ipſiſſima
ejus verba exſcribere: *Nec prætereundum, quia legi-*
*mus in Capitulis Auguſtorum, fuiſſe vetitum judi-*
*cium aquæ frigidæ: ſed non in illis Synodalibus, quæ*
*de cæteris accepimus Synodis, quod ut quidam inſul-*
*ſe dicunt, propterea fuerat prohibitum, quoniam quaſi*
*rebaptiſatur, qui in nomine Domini aquis immergi-*
*tur: Sed hoc ibidem ſcriptum nequaquam reperimus.*
Qui enim huic examini ſubjiciendus erat, multis
precibus adhibitis a Sacerdote benedicebatur, &
in nomine Domini projiciebatur in aquam, ut plu-
ribus docet IVRETVS *ibidem.* Addit HINCMARVS cir-
ca *finem: Hæc autem dicimus, non quo quemquam*
*reprehendamus, quia nec ibi ſcriptum eſt, cur hoc ju-*
*dicium non debeat fieri, ſed tantummodo dictum, ne*
*fieret.* Eadem exſcripta leguntur *in ejus tractatu*
*de divortio* LOTHARII & TETBERGÆ, *in reſponſio-*
*ne ad interrogationem ſextam in fin.* Veriſimilius eſt
autem, LVDOVICVM PIVM eam purgationem prohi-
buiſſe ad petitionem *Agobardi* Lugdunenſis Archi-
epiſcopi, & ex iis rationibus, quas ille fuſius af-
fert *in libro de divinis ſententiis, contra damnabi-*
*lem opinionem putantium, divini judicii veritatem*
*igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri,*
qua de re jampridem ad eumdem Ludovicum ſcri-
pſerat: ejus Epiſtola in eam rem inter ejus ope-
ra exſtat. Sed nec illud AGOBARDI opus, nec il-
lud LVDOVICI PII Capitulare perniciosam hanc
conſuetudinem evellere potuit, ut paſſim videre
eſt apud omnes ſequentis ævi Scriptores: eaque
illuſtrant valde Capitulum illud ejus Imperatoris.
Denique HINCMARVS contra ſuum nepotem Hinc-
marum Laudunenſem, *cap. 43.* indicat, eos tan-
tum homines huic examini oblatos & ſubjectos
fuiſſe, qui non erant liberæ conditionis: hoc et-
iam probat *Triburienſe Concilium* non multum ab
iis temporibus remotum, *in Can. nobilis 2. q. 5.*
vulgarem hanc probationem apud Ethnicos ob-
ſervatam fuiſſe conjicerem, ex iis ACRONIS, *ad*
*illud Horatii, lib. 1. Epiſt. 10. v. 10.*

*Vique ſacerdotis fugitivus liba recuſo.*

*Cum in ſervis*, inquit, *ſuſpicio furti habetur, du-*
*cunt ad Sacerdotem, qui cruſtum panis carmine in-*
*fectum dat ſingulis, quod cum aliquis ederit, mani-*
*feſtum furti reum aſſerit.* Redeamus ad facinoro-
ſos homines, de quibus cognoſcebant Miſſi Do-
minici.

Inter eos recenſebantur potiſſimum *latrones*,
qui paſſim a furibus et prædonibus diſtinguuntur,
*in Capitularibus* CAROLI CALVI; ſicut et *in d. l.*
*13. D. de off. Præſ.* Quilibet utique homines ma-
læ rei generaliter aliquando dicuntur latrones, ut
apud SIDONIVM APOLLIN. *lib. 5. Ep. 13. in*
*fin.* ſed proprie ſunt viarum publicarum obſeſſo-
res. SVETONIVS *in Octavio, cap. 32.* vocat eos
graſſatores: et *in Tiberio* graſſaturas et latrocinia
jungit, *in d. c. 32.* eos ita deſcribit: *Nam & graſ-*
*ſatorum plurimi palam ſe ferebant ſuccincti ferro,*
*quaſi tuendi ſui cauſa, et rapti per agros viatores ſi-*
*ne diſcrimine ſupprimebantur.* IVVENALIS *Sat. 3.*
*v. 305.*

*Interdum et ferro ſubitus graſſator agit rem.*

Eoque loci BRITANNICVS addit, *graſſari dicitur ſu-*
*pra modum ſævire, unde graſſari latrones dicuntur vias*
*obſidentes.* Nec multo poſt: *Agit rem*, id eſt, *la-*
*trocinium exercet, et homines ferro cædit.* Vnde
ALCVINVS, *in lib. de divinis officiis, c. 13.* ait,
*eum eſſe latronem, qui furatur & occidit.* Ideo ve-
ro graſſatores illi *latrones* appellati ſunt, quod mi-
lites (quos conſtat dictos fuiſſe latrones, quaſi la-
terones, quod latera Principum clauderent ac cu-
ſtodirent) id facere ſolerent; ut rectiſſime VOS-
SIVS *in Etymologico.* Ita enim poſt bella civilia,
imo & iis adhuc flagrantibus, milites fugitivi aut
deſertores turmatim etiam vias obſidebant, ut *paſ-*
*ſim* videre eſt apud APPIANVM *in bellis civilibus:*
ita ut ſæpius militares ſtationes per provincias con-
ſtituerentur veſtigandis latronibus, ait TERTVLLIA-
NVS *in Apologet. cap. 2.* ut hujusmodi graſſatores
inhiberentur, *d. cap. 32.* SVETONII, tuendæ pacis
cauſa, *cap. 37. ibidem.* Et hinc qui ſtationibus il-
lis præerat, dicebatur latrunculator, & Irenarcha,
nobis hodie *le Prévôt des Maréchaux*, qui tum pri-
mum in Gallia inſtitutus eſt, ut latronibus ſeu
graſſatoribus illis militibus purgaret provincias. Iis
adde præſtantiſſimum CVIACIVM, *lib. 19. obſerv.*
*cap. 11.*

Cum ergo utriusque CAROLI & M. & CALVI,
atque etiam LVDOVICI PII temporibus graviora bel-
la exarſiſſent, & in ipſa Gallia & extra eam, multi
etiam latrones graſſari cœperunt: ideoque iis ve-
ſtigandis, inhibendis, & coercendis edita ſunt Ca-
pitula, ut de CAROLO M. & LVDOVICO PIO jampri-
dem diximus. CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis*
*ad Sylvacum c. 4.* præſcribit, quibus modis veſti-
gandi & intercipiendi ſint, & jubet a Miſſis Do-
minicis ea publice denuntiari: primo, *ut nemo la-*
*tronem celet aut recipiat, ſed illum iis Miſſis mani-*
*feſtet, & ad accipiendum illum, adjutorium quantum*
*potuerit quiſque præſtet, & per Sacramentum hoc*
*Miſſi illorum firmare faciant: & ſi aliquis Miſſis*
*illorum non obaudierit, & Regis homo fuerit, per*
*fidejuſſores ad illius præſentiam perducatur*, id eſt
datis vadibus aut fidejuſſoribus promittat, ſe itu-
rum ad Regem: Frequentiſſima locutio *in Capi-*
*tularibus* CAROLI M. & *apud* GREGORIVM TVRONEN-
SEM. Subjicitur, *ſi autem alterius homo fuerit, Se-*
*nior, cujus homo fuerit, illum Regi præſentet.*

Secundo, *c. 5. Si alicui denuntiatum fuerit, ut*
*ad accipiendum latronem adjutorium præſtet, ut ali-*
*quis ſonum inde audierit, ut ad latronem accipien-*
*dum concurratur, & ſe inde retraxerit, ut ad hoc*
*adjutorium non præſtet: ſi liber homo fuerit, bannum*
*Dominicum componat: & ſi colonus fuerit, ſexaginta*
*ictus accipiat: Et ſi latro ibi occiſus fuerit, qui eum*
*occiderit, leudem inde non ſolvat, & nullus illi inde*
*faidam portare præſumat.* Quædam in iis deſide-
rant interpretationem. *Denuntiatur*, nempe vici-
nis

nis *ex eadem Centena*, *in Decreto* CHILDEBERTI *Regis ad leges Salicas*, *cap.* 12. *&* 13. id eſt, ex eodem pago: Ac ſi quis admonitus ad latronem perſequendum venire nollet, quinque ſolidis condemnatur, *in Decreto* CLOTHARII *Regis*, *cap.* 16. Aut ſi forte aliquid ſubreptum ſit, *Capitale de præſenti Centena reſtituat*, in *eodem cap.* 12. id eſt, pagus aut rem ipſam furto ablatam, aut verum ejus pretium domino reſtituat: ſic pagus *Centena* dicebatur, quod centum territoriis, aut maneriis conſtaret. Et hoc apud alias quoque gentes obſervatum fuiſſe, docet præſtantiſſimus Anteceſſor laudato loco, ut nempe Centena ſeu pagus latrones perſequi teneatur, aut res ab iis ſubreptas earum dominis reſtituere, *ex* ARISTOTELE *in admirandis*, & IOSEPHO *lib.* 2. *de bello Iud. c. II.*

Admonentur, inquam, vicini *per ſonum*, ut *in d. Capitulari* CAROLI CALVI: quod mihi non aliud eſt, quam *par le tocſin*, ut etiam Regiæ Conſtitutiones hodie permittunt, ſonum illum edi ad perſequendos latrones, quidquid ibi SIRMONDVS. *Bannum Dominicum componat*, id eſt, mulctam Regiam ſolvat: *ſexaginta ictus accipiat*, id eſt fuſtuario caſtigetur ad 60. ictus, ut in Legibus Salicis, & aliis id genus: Cætera non omiſit SIRMONDVS. Sicque Miſſi Dominiei jubebant, ut ſonus (nempe campanarum) ederetur, vel, ut eſt in *Capitularibus* CAROLI M. ſigna tangerentur ad perſequendos latrones; quique non veniebant, eos mulctare poterant.

Sed & Francos, & liberos homines, & Centenarios jurare compellebant, quod nec ipſi latrocinium facerent, nec malum illud, quod *Scach* vocant, vel *Teſcejam*. Primum rectiſſime SIRMONDVS ait eſſe latrocinium, lingua Teutonica; & hinc ludum eſſe Scachorum, *des Eschets*, id eſt ludum latrunculorum. *Teſtejam* aut *Teſcejam* VOSSIVS vertit, raptum aut latrocinium, ſic dictum *à teſquis*, aut *teſcuis*, id eſt locis nemoroſis, vel umbroſis. Sic enim PHILOXENVS *in Gloſſario*, *Teſqua vel teſcua* [illegible] id eſt *loci præcipites*, *ſpinoſi*, *&* *inacceſſi*.

Tertio, prohibet CAROLVS CALVVS *loco cit. c.* 6. ne quis latronem recipiat, maxime autem illum, qui forbannitus fuerit, id eſt proſcriptus; aut in exilium miſſus extra Miſſaticum, aut eam provinciam, in qua latrocinia exercebat. Hoc de latronum receptatoribus, qui perinde coercendi ſunt ac ipſi latrones, cum hi abſque illis diu latere non poſſint, *d. l.* 13. *D. de off. Præſ.* Et hinc CAROLVS M. *in ſuis Capitularibus lib.* 7. *cap.* 344. *Receptores aggreſſorum*, *itemque latronum*, *eadem pœna afficiuntur*, *qua ipſi latrones*; *ſublatis enim ſuſceptoribus graſſantium cupido conquieſcit*. Addit CAROLVS CALVVS *in Capitulis apud Sylvacum c.* 6. *eum receptatorem judicandum eſſe quaſi latronem*, *&* *infidelem*, *quia*, inquit, *latro infidelis eſt noſter & Francorum*, *& qui illum ſuſcepit*, *ſimilis eſt illi*; Infidelis, id eſt non amplius habetur quaſi vaſſallus Dominicus, ſeu Regis & Francorum; ſicut fidelis vaſſallum, vel etiam, ut loquimur hodie, ſubjectum ſignificat. GELASIVS I. *in Epiſt.* 4. ſic loquitur: *Legibus certe veſtris criminum conſcios*, *latrocinantiumque ſuſceptores par judiciorum pœna conſtringit*, *quamvis nihil fecerint*.

Quarto, ſicut ſacri Canones volunt, ut ſi alienus Epiſcopus fidelem a proprio Epiſcopo excommunicatum in communionem receperit, recipiens & receptus excommunicentur, *Can.*6. *Antiochenæ Synodi*: & ut omnibus innoteſceret, quinam a propriis Epiſcopis excommunicati eſſent, placuit, eorum nomina vicinis etiam Epiſcopis indicari, & pro foribus Eccleſiæ publicari, *Can. Cura II. q.* 3.

Ita & CAROLVS CALVVS *ibidem c.* 7. cavit, ut cum Miſſi Dominici latrones forbannierunt, ſeu in exilium miſerunt extra ſuum Miſſaticum, hoc & aliis Miſſis & Comitibus ſcire faciant: Quod jampridem cautum fuerat, *in Capitul.* CAROLI M. *lib.* 3. *cap.* 50. imo & CAROLVS CALVVS, *in Capitul. ad Sylvacum cap.* 7. jubet, *ut miſſi Dominici hoc ei & Comitibus ſcire faciant*. Addit: *Et ſi latro de uno Miſſatico in alium fugerit*, *ſi in vicinitatem venerit*, *pro hoc Miſſus*, *qui eum forbannivit*, *non dimittat*, *ut eum non perſequatur*, *&* *comprehendat*. Et ita *latrunculator ſupra plantam non egreditur*, inquit AMMIANVS *l.* 28. *c. I.* quamvis extra ſuum territorium latronem perſequatur, & in vicinia apprehendat. Subjicitur: *Et ſi latro longius fuerit*, *Miſſus*, *in cujus Miſſaticum fugerit*, *eum reddere debet*, *ut ibi malum emendet*, *ubi illud perpetravit*, *ut cæteri metum habeant*, quod deſumptum videtur *ex l.* 28. §. 15. *D. de pœn.*

Quinto, jubet CAROLVS CALVVS *c.* 6. *ut quilibet Franci ſeu liberi homines*, *&* *quilibet Centenarii*, *ſeu pagorum Iudices*, *jurent*, *ſe Miſſis Dominicis manifeſtaturos eſſe eos omnes*, *qui latrocinium faciunt*, *ſe illud non eſſe facturos*, *nec paſſuros*, *ut illud alii faciant*.

Sexto, in *iiſdem Capitulis ad Sylvacum cap.* 2. *Miſſi Dominici cognoſcere debent de raptoribus Puellarum*, *& Viduarum*, *& Monialium*, *& de his*, *qui Presbyteros flagellare præſumunt*. Iis enim temporibus in Gallia, & Germania, potentiores quidam tyranni graſſabantur in Clericos, eoſque inhoneſte & crudeliter habebant ac vulnerabant (quod *in d. cap.* 2. eſt flagellare.) Ideoque *apud Theodonis villam*, *ſub* LVDOVICO PIO, *habitus eſt Epiſcoporum Conventus contra Clericorum percuſſores*: & Imperator ille Canones in eo Conventu ſcriptos confirmavit in alio Conventu *Triburia* habito: utrumque hunc Conventum dedit SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 445. *ſeq.* Alia etiam Capitula jam antea ediderat LVDOVICVS PIVS, quæ generalibus Placitis reſervata dicuntur, in quibus primum illud caput eſt *de Sacerdotibus a laicis vinctis & flagellatis*: apud *eumdem* SIRMONDVM *ibidem pag.* 473.

Septimo, *ut Miſſi Dominici eos animadvertant*, *qui collectas faciunt*, id eſt, qui collecta manu nefarie vim faciunt. Sic antea *in Capitular.* CAROLI M. *lib.* 3. *cap.* 64. graviter coercetur, *qui collecta & armis ſuper Miſſum Dominicum venerit*. Et *l.* 5. *c.* 201. aliquem *per collectam adſallire*, quod adhuc occurrit *in capitularibus* CAROLI CALVI, & nobis hodie dicitur, *à trouppe & port d'armes*, Comiti vel Miſſo dominico collecta manu & armis reſiſtere. Ejus cognitionis Miſſo Dominico demandatæ luculentum exemplum videre eſt in quadam veteri charta, quam exſcribit BELIVS *in Regibus Aquitaniæ p.* 23.

Octavo, cognoſcunt de iis, qui immunitates infrigunt, *in iiſdem Capitulis ad Sylvacum cap.* 3. cumque ibi tantum agatur de gravioribus criminibus, exiſtimarem, eos appellari immunitatum infractores, qui manſionatica, ſeu manſiones & paratas ab iis per violentiam exigunt, quibus competit Regia immunitas, qualis a MARCVLFO deſcribitur, & nobis forte dici poſſunt, *infracteurs de ſauvegarde*. Ibi etiam cognoſcunt de incendiariis, ad quos pertinebat illud *Capitulare*, *lib.* 7. *cap* 345. *Si aliquis malitiæ ſtudio incendium miſerit*, *de hoc crimine convinctus pœnis graviſſimis jubetur interfici*: *quod ſi per negligentiam factum probetur*, *damnum*, *quod cuique illatum fuerit*, *res quæ incendio perierit*, *dupli ſatisfactione ſarciatur*; ut ita omnes dupli metu innocentem ignem habere curent.

Adduntur voluntaria homicidia, quæ nempe voluntarie & per inſidias admiſſa fuerint, ut *in Can.* 17. *Namnetenſis Concilii*, nobis, *faits de guet a pens*, hoc eſt, *de gue pourpenſé*, ut eſt in CONSVETVDINE NORMAN. & homicidæ illi proprie ſunt Sicarii, Arſacidæ, Aſſaſſini, quorum animadverſio ad majores Iudices pertinet. Ac tandem Miſſi Dominici de iis cognoſcunt, qui adſalituras in domos faciunt, qui aliquem in ſua domo adſaliunt, ut eſt *in* LEGIBVS SALICIS, *tit.* 44. & ad eos pertinet *titulus Dig. de effractor. & expilat.* quorum animadverſionem majoribus Magiſtratibus competere conſtat, ex *l.* 3. *D. de off. Præf. vig.* & ex *l.* 4. *Cod. de loc. cond.* Miſſi Dominici a Francis Centenariis de aſſalitura non facienda, & iis revelanda iuramentum exigebant, cujus formula exſtat in *iiſdem Capitularibus* CAROLI CALVI *tit.* 14.

Pleraque Capitula ediderunt Chriſtianiſſimi Reges de pace conſervanda, & in pacis turbatores aut violatores, *contre les turbateurs du repos public. Capitular. II. & III. an.* 805. *cap.* 1. *& lib.* 2. *cap.* 1. CAROLVS CALVVS, *in Synodo Piſtenſi cap.* 4. conſtituit, ut ſive coram eo, ſive coram ejus Miſſo dignas pœnas perſolvant, eumque Comitem, qui eos coercere, aut revelare neglexerit, honore ſuo privat; multum enim publice intereſt, paratam remanere provinciam.

Denique CAROLVS CALVVS *in Capitulis ad Cariſiacum*, *cap.* 3. de iis agit, qui ſint *clamodici & infames* (alibi, qui magnam habent *blaſphemiam*, id eſt, qui gravi alicujus criminis infamia laborant) *de latrociniis & adſalituris*, *ſi jam vita iis perdonata eſt propter aliquod malefactum*, vel, ut apertius loquitur CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 47. *Si propter eas culpas ad mortem dijudicati fuerint, & poſtea vita iis fuerit conceſſa* (nempe ab ipſo Rege, *cui ſoli licet revocare ſententias, & reum mortis abſolvere, & ipſi ignoſcere*, ait S. AVGVSTINVS *in lib. de quæſtionibus ex utroque mixtim*, *cap.* 115.) Et voluit CAROLVS CALVVS, ut in iis obſervetur, quod jam antea CAROLVS M. & LVDOVICVS PIVS ibidem ſtatuerant, ut nempe, *de iis cauſis, pro quibus iudicati fuerint ad mortem, nullam facere poſſint repetitionem; quia omnes res ſuæ ſecundum judicium Francorum in publico ſunt revocatæ*: ea totidem verbis exſcribuntur ab eodem CAROLO M. in LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 1. *tit.* 35. *cap.* 1. Ex iis duobus locis dicendum videretur, jus illud commune fuiſſe olim, ut in Francia damnatorum bona conſiſcarentur: ſed ab eo multæ Conſuetudines receſſerunt.

Additur: *Et ſi aliquid poſtmodum* (ſeu poſtquam iis vita conceſſa eſt) *cum juſtitia acquirere potuerint, in ſua libertate teneant & defendant ſecundum legem*: nempe juxta legem Rom. ex qua ſententiam paſſi, & reſtituti, omnia quidem bona amittunt, quæ ante ſententiam acquiſierant; ſed per eam reſtitutionem jus quærendorum bonorum recipiunt, *tot. tit. Dig. & Cod. de ſent. paſſ. & reſtit.* Ac tandem. *ſequent. Capitul.* 48. ſi id genus homines malæ rei, poſtquam iis vita conceſſa eſt, *aliqua mala perpetraverint, & juſtitiam reddere nolint, dicendo, quod mortui ſunt* (per triſtem ſententiam) *& ideo juſtitiam reddere non debeant, ſtatutum eſt, ut ſuperius judicium ſuſtineant, quod antea ſuſtinere debuerant*. Pleraque illa Capitula edidit CAROLVS CALVVS, a Miſſis Dominicis ad effectum perducenda contra prædones, contra raptores Virginum & Monialium, & alios quoslibet malefactores, *apud Valentinianas, apud S. Quintinum, apud Attiniacum, poſt reditum a Confluentibus*, & alibi paſſim, quæ omnia exſcribere jam tædet.

Nec tamen illud prætermittendum, quod *ſexti Pariſienſis Concilii Patres, lib.* 3. *Can.* 16. petunt a LVDOVICO PIO, *ut ejus Miſſi per poteſtatem Imperialem radicitus evellant turpiſſimam & nefandiſſimam & ipſo dictu fœdiſſimam rem, quæ admittebatur in quadam parte Parochiæ, ſeu Diœceſeos Alitgarii Cameracenſis Epiſcopi, & Rangarii Noviomenſis*. Nec etiam, quod CAROLOMANNVS, *in ſuis Capitulis, apud Vernis Palatium*, *c.* 1. *&* 2. conſtituit, *ut ſacrum Palatium in Dei cultu, regali honore, religionis habitu, & pacis ordine ſtabiliatur: ut omnes in ſacro Palatio commorantes, & illud undique adeuntes pacifice vivant. Quod ſi aliquis ex Palatinis corrupta pace rapinam exercuerit, per Regiam auctoritatem, & Miſſi Dominici juſſionem, ad Palatinam adducatur audientiam, ut ibi coerceatur*. His forte Capitulis occaſionem dedit HINCMARVS REMENS. qui non ita pridem CAROLVM CALVVM admonuerat, *ut militum rapinas coerceret, eas vero potiſſimum, quæ in ſacro Palatio, intra & infra illud fierent, & ab ipſis Palatinorum Clericorum Miniſtris*, ut palam eſt ex ejus HINCMARI *Epiſt.* 5. *&* 6. *ad* CAROLVM CALVVM. Huic Palatinæ audientiæ præerat Comes Palatii, ut docet idem HINCMARVS, *in Epiſt.* 14. nobis hodie *le grand Prévôt de l' Hôtel*.

## CAPVT XV.

*Cognoſcebant de criminibus Clericorum.*

VT ex inſtituti mei ordine doceam, de criminibus Clericorum cognoviſſe Miſſos Dominicos, ſane mihi nihil eſt, quod præciſe afferam, Quia tamen conſtat, ea non fuiſſe omnino extra plantam, aut jurisdictionem laicorum judicum, quæ atrocitatem facinoris habent, & ad læſionem publicam ſpectant; veriſimilius exiſtimaverim, ea etiam pertinuiſſe ad cognitionem Miſſorum Dominicorum, quos ſupra vidimus rebelles ac ſeditioſos emendare Clericos; & ex quorum conſilio CLOTARIVS II. Edictum edidit *ad quintum Pariſienſe Concilium*, in quo de facinoroſis Clericis, ut mox videbimus. Duo igitur in hoc Capite obſervanda ſunt, quæ in ipſis rebus agendis quotidie occurrunt.

Primum eſt, an eo jure, quod obtinebat ſub Miſſis Dominicis, Iudex publicus Clericum in atrociori crimine deprehenſum capere & in carcerem conjicere potuerit? quod mediæ ætatis auctores dicunt *diſtringere*, aut *conſtringere*. Primo quidem ſub CHILDEBERTO Rege, *quarti Aurelian. Concilii Patres*, *in Can.* 20. prohibent, *Ne Iudex laicus prætermiſſo Pontifice, ſeu Præpoſito Eccleſiæ, quemquam Clericorum pro ſua poteſtate conſtringere audeat*. Sed poſt quadraginta annos ſub CHILPERICO, *Patres primi Matiſconenſis Concilii*, *Can.* 7. prohibent, *Ne quilibet Clericus cuſtodiæ deputetur a ſæculari Iudice abſque cauſa criminali, id eſt*, inquiunt, *homicidio, furto, aut maleficio*. Et ita huic Iudici permittunt ſcelerati Clerici prehenſionem, vel etiam prætermiſſo Pontifice, aut abſque illius mandato, ut voluerunt poſtea ſummi Pontifices, *in c.* 35. *Ex. de ſent. excom.* quod in Gallia non obſervari notat MOLINÆVS *ad dict. cap.* ſicut nec *Gloſſam ad illud cap.* quæ vult huic prehenſioni Clericos teſtes ab eo Iudice adhiberi: hoc facere poteſt pro imperio & offici ſui proſpectu, & quidem, ne fugiat reus, ſicque impunitum ſit ejus crimen, *cum Reip. interſit, omnes puniri maleficos*, ait FVLBERTVS *in Epiſt.* 21.

Alterum eſt, an ex eo etiam jure Iudex laicus facinoroſum Clericum damnare potuerit: in *d. Can.* 20. eum nec diſcutere, nec damnare poteſt prætermiſſo Pontifice: in *Can.* 4. *quinti Pariſienſis* Con-

*Concilii*, *ſub Clotario ſecundo*, eum ſine ſcientia Pontificis per ſe damnare prohibetur; canon ille quartus extat *lib. 6. Capitular. cap.* 157. *in Decreto* GRATIANI *Can. nullus* 11. *q.* 1. & apud GREGORIVM *in cap.* 2. *de for. Comp.* Ex iis Canonibus Iudex laicus adhibito, ſeu vocato & ſciente Pontifice, Clericum illum damnare poteſt; ſed, quod diligentiſſime obſervandum, CLOTARIVS II. Pariſienſem hunc Canonem in multis temperavit, nam poſt illud Concilium ſtatim Edictum promulgavit, in quo omnes fere iſtius Concilii Canones (ſuppreſſo ejus nomine) ſigilatim examinat, adhibitis quibusdam temperamentis confirmat, & ipſe alias quasdam Conſtitutiones addit: Edictum illud exſcribit doctiſſimus SIRMONDVS *tom.* 1. *Concil. Gall. pag.* 474 Vnde non mirum, ſi CAROLVS VII. Biturigibus examinari, & in quibusdam ad Eccleſiæ Gallic. uſum & diſciplinam temperari curaverit Baſileenſe Concilium; & HENRICVS II. Tridentinum in Comitiis Bleſenſibus.

In eo igitur *Canone* 4. ſic habet: *Vt nullus Iudicum* (nempe ſæcularium, ut jam olim diximus) *neque Presbyterum, neque Diaconum, vel Clericum ullum, aut Iuniores Eccleſiæ* (id eſt minores Clericos) *ſine ſcientia Pontificis* (ſeu Epiſcopi) *per ſe diſtringat, aut damnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia, cui injuriam irrogare dignoſcitur, tamdiu ſit ſequeſtratus, quamdiu reatum ſuum corrigat & emendet.*

Ea ſunt Edicti verba: *Vt nullus Iudicum de quolibet ordine Clericos de civilibus cauſis, præter criminalia negotia, per ſe diſtringere aut damnare præſumat, niſi convincitur manifeſtus, excepto Presbytero aut Diacono. Qui vero convicti fuerint de crimine capitali, juxta Canones diſtrigantur, & cum Pontificibus examinentur.* Omnes ejus Edicti Conſtitutiones confirmant, & obſervari jubent Canones ex Synodo incerti loci, quos exſcribit SIRMONDVS *in notis ad illud Edictum, tom.* 1. *p.* 618.

Ait CLOTARIVS, *de civilibus cauſis*, & ita ubi Concilium generaliter prohibet, ne quis Iudex laicus Clericum ullum diſtringat, hoc quidem generaliter etiam probat CLOTARIVS, *in civilibus cauſis.* Ex hinc fluxiſſe videtur jus illud, quo utimur hodie, ut pro iis cauſis Clerici a Iudice laico non conjiciantur in carcerem.

Sed in criminalibus adhibita duplici diſtinctione Canonem illum temperat. Prima eſt, vel de crimine non capitali agitur, vel de capitali: ait enim, *qui vero convicti fuerint de crimine capitali*, ergo antea de non capitali actum eſt: Altera eſt, in crimine non capitali, vel de Presbytero & Diacono agitur, vel de inferioribus Clericis, ait enim, *excepto Presbytero aut Diacono.* Antequam Edicti mentem expendamus, ubi vulgo legitur, *niſi convincitur manifeſtus* (ſic ſane habent SIRMONDVS, PETRVS DE MARCA, & COINTEVS) affirmative legendum videtur, *ſi convincitur manifeſtus*: nam quid hoc eſt, Clericum criminis non capitalis reum a publico Iudice diſtringi poſſe, *niſi manifeſtus convincatur*; cum eo caſu omnino & potiori jure ab eo Iudice diſtringendus ſit, ne fugiat, & ita impunitum ſit illius delictum, ut jam ſupra diximus.

Si ergo inferior aliquis Clericus cujuſdam criminis non capitalis accuſetur, vult CLOTARIVS, eum a ſæculari Iudice ita demum diſtringi & damnari, *ſi convincatur manifeſtus*, ſeu quod idem eſt, ſi ἐν αὐτοφώρῳ, ſeu in admiſſo deprehenſus fuerit. Additur *excepto Presbytero & Diacono*, ut nempe propter hujusmodi non capitale crimen a ſæculari Iudice diſtringi & damnari nunquam poſſint. Et ſic Edictum illud ſolis honoratioribus Clericis (qui in aliis Canonibus dicuntur *ſacrati homines*) privilegium illud relinquit, quod non multum antea *ſecundi Matiſconenſis Concilii Patres* iis jampridem conceſſerant, in *Can.* 10. ita tamen, ut Edictum illud Subdiaconi non meminerit, quem Patres illi cum Presbytero & Diacono junxerant.

Si vero quilibet Clericus criminis capitalis reus ſit, eodem Edicto cautum eſt, ut *ſecundum Canones* (a ſæculi Iudice) *diſtringantur, & cum Pontificibus examinentur.* Et hoc valde pertinet ad hodiernum uſum, nec eum antiquis Patribus incognitum fuiſſe arguit, quo in capitalibus illis criminibus Iudex laicus, & Iudex Eccleſiaſticus accuſationem ſimul inſtruunt; ut cum ea omnibus ſuis partibus præparata eſt, uterque recedat & ſeorſim ferat ſententiam.

Denique cum in Gallia hodie contra vulgarem, & Iuriſconſultis ſolemnem loquendi uſum, crimen illud Clerici *commune* dicitur, de quo Eccleſiaſticus cognoſcit; & *privilegiarium*, de quo laicus: breviter aperienda eſt hujusce uſus ratio. Quod nempe cum in toto regno jus illud commune eſſet, ut ſoli Iudices Eccleſiaſtici de criminibus Clericorum cognoſcerent, & ab eo jure conſuetudo *capitalia crimina* excepiſſet, ut nominatim IVO CARNOT. *in Epiſt.* 101. ſenſim invaluit crimen illud appellari *commune*, cujus cognitio jure communi ad Eccleſiaſticos Iudices pertinebat: ſed cum Conſuetudo jus illud ſingulare introduxiſſet, ut de capitalibus Clericorum delictis Iudices laici cognoſcerent; ab eo jure (quod nihil aliud eſt quam privilegium) crimina illa dicuntur *privilegiaria*, non modo ſi mortem irrogent ex legibus regni; ſed etiam ſi exilium; nam & illud eſt ſæcularis jurisdictionis, non Eccleſiaſticæ, *cap.* 10. *in fin. Ex. de judic. cap.* 2. *Ex. de Cler. excom.*

## CAPVT XVI.

### *Curabant Canonica judicia in laicos.*

PRæſtantiſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus ſingularem exercitationem *de Canonicis Iudiciis in laicos* pollicitus olim fuerat *lib. ſecundo de concordia Sacerd. & Imp. cap.* 3. *num.* 7. illud ἀνεπιτέλεσμα nobis invidit fati acerbitas. Inſignem hanc quæſtionem tractatus ille noſter ſuggerit, & poſtulat, cum ea etiam judicia curarent Miſſi Dominici: ſed antequam ad eos deveniamus, res ea paulo altius repetenda eſt.

Inter Canoniſtas anxie diſputatum eſt olim, an & quomodo Iudices Eccleſiaſtici de criminibus laicorum cognoſcere poſſint? Statim vero præmittendum eſt, de iis tantum Iudicibus fingendam eſſe ſpeciem, qui a ſolo Chriſto, non etiam aliunde juriſdictionem habeant, puta ex conceſſione Principum, vel ex proprietate nobiliorum prædiorum: nam ita invaluit tandem, Eccleſiam habere poſſe jurisdictiones temporales, ex quibus deliquentes laicos animadvertere poſſit: hodie non niſi per laicos eas exercet. De iis Iudicibus non eſt quæſtio, ſed de iis tantum, qui ſolam & proprie dictam habent juriſdictionem Eccleſiaſticam: nec ullatenus agitur de foro pœnitentiali, omnes enim Chriſtianos huic ſubjacere conſtat. Ea igitur duplex conſtitui ſolet, ut alia ſit *ſpiritalis* & *interior*, alia *exterior* & *judicialis*. Primam, eamque extrajudicialem, ſtatim expendere juvat.

Rectiſſime autem *Canon* 12. *Synodi Narbon. an.* 1374. *habita p.* 323. (quam non ita pridem edidit eruditus BALVZIVS) generaliter ait, *Epiſcopum in qualibet parte ſuæ diœceſis ſpiritualem habere ju-*

riſdi-

*riſdictionem*, ut abſque forenſi ſtrepitu peccata fidelium corrigat. Vnde cum INNOCENTIVS III. *in cap. novit.* 13. *Ex. de judic.* ſcripſit: *Sed decernere intendimus de peccato, cujus ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus*: nec multo poſt: *Licet autem hoc modo procedere valeamus ſuper quolibet criminali peccato, ut peccatores revocemus a vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem*: hoc omnino ad extrajudicialem peccati correctionem; vel, ut ibi addit MOLINÆVS, *hoc ita obtinet in foro pœnitentiali duntaxat*, ut peccatoribus digna pœnitentia imponatur, non etiam in foro fori: abſurdum enim viſum eſt tandem, Iudices Eccleſiaſticos de quibuslibet criminibus judiciarie cognoſcere *propter colligantiam peccati*, ut loquitur *miles*, *in* SOMNIO VIRIDARII *lib.* 1. *c.* 14.

Ad ſpiritualem hanc & extrajudicialem delictorum coercitionem referendum eſt *Capitulare* CAROLI M. quod REGINO ABBAS exſcribit, *lib.* 2. *de Eccleſ. diſcipl. cap.* 10. *ex Synodalibus Capitulis* CAROLI AVGVSTI, *cap.* 10. id eſt ex iis, quæ CAROLVS M. edidit in Synodis, ſeu Conventibus publicis poſt adeptum imperium, ut videre eſt apud SIRMONDVM, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 244. qui caput illud reponit, *num.* 32. *Vt Epiſcopi circumeant Parochias ſibi commiſſas, & ibi inquirendi ſtudium habeant de Inceſtu, de Parricidiis, de Fratricidiis, Adulteriis, Cenodociis, & aliis.* Sic etiam *lib.* 5. *Capitular. cap.* 165. *Vt Epiſcopi inceſtuoſos puriter* (id eſt forte abſque ulla dilatione, ſicut ICtis pure, id eſt ſine die & conditione) *inveſtigare ſtudeant, omnino præcipimus, ac ſi pœnitere noluerint, de Eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.* Eodem adhuc pertinet *c.* 1. *Ex. de off. Iud. ord.* quod hic attingere non tam forte inconveniens erit; & quod ad Miſſorum noſtrorum tempora proprius accedat; & quod non minimam lucem accipiet *ex quodam Capitulari* CAROLI CALVI, de quo infra, quodque eſt de Miſſis Dominicis.

Illud ergo deſumptum eſt *ex Can.* 12. *Synodi Ravennat. ſub Ioanne IX. an. D.* 904. ad quem BARONIVS eam integram exſcribit. In principio illius Canonis damnatur pernicioſa illa conſuetudo, *ut Iudex publicus, vel miniſter, peccata populi, quæ ab Epiſcopis inquirenda ſunt, quibus animarum ſollicitudo commiſſa eſt, quaſi inquirenda vendant; eaque occaſione licenter ſceleſta vitia augmententur.* Ejus Conſuetudinis veſtigia exſtant in *Synodo Sueſſionenſi* (quinquaginta annis ante illum *Can.* 12.) quam mox dabimus: & *in capitulis* CAROLI CALVI, *ex Synodo Pontigonenſi cap.* 6. triginta annis ante *d. Can.* 12. Eo tempore omnia fere crimina a publicis Iudicibus æſtimabantur certa pecuniæ ſumma, quæ dicebatur *Fredum*, *Vvirgildus*, *Compoſitio* paſſim, *in Cod. leg. antiq.* & *redemptionis pretium*, apud HOVEDENVM *in legibus Anglicis*. Ideoque cum rei pretium illud ſolverant, non ita facile patiebantur publici Iudices, eos iterum inquiſitioni Epiſcopali ſubjacere, quaſi *non bis in id ipſum.* Sic etiam ſi Coloni (conditionales homines, ſeu adſcriptitii) eſſent criminoſi, eorum Seniores ſeu Domini eos ſibi ſuæque juriſdictioni vindicare volebant; & ita impedire, quominus Epiſcopi de iis inquirerent, ut nominatim dicitur *in d. Synodo Sueſſionenſi cap.* 9.

Ad exſtirpandam hanc perverſam Conſuetudinem *Ravennat. Concilii Patres, in d. Can.* 12. jubent, *ut Epiſcopi ſingularum urbium in ſua diœceſi liberam poteſtatem habeant, adulteria, & ſcelera inquirere, ulciſci & judicare ſecundum quod Canones cenſuerunt, abſque impedimento alicujus*, puta Iudicis publici, vel Senioris, ut ſupra notavimus. Inquiſitio illa eſt tantum extrajudicialis, ſecreta & abſque forenſi ſtrepitu, cum ad eam pertineant etiam laici. De ea elegantiſſime *Canon tertius Vernenſis Concilii ſub* PIPINO *Rege*: *Vt unusquisque Epiſcoporum poteſtatem habeat in ſua Parochia, tam de clero, quam de regularibus, vel ſecularibus ad corrigendum, & emendandum ſecundum ordinem Canonicum ſpiritualem, ut ſic vivant, qualiter Deo placere poſſint.* Pontigonenſis Canon 6. habet tantum, *Canonice dijudicare*: Ravennatenſis, *ſecundum quod Canones cenſuerunt*: Sed Vernenſis addit, *ſecundum ordinem Canonicum ſpiritualem*; ut ita doceat, ſecretam eſſe illam inquiſitionem, quam in omnes diœceſanos, vel etiam laicos habent Epiſcopi.

Eodem fere tempore, aut utique non multum antea, LVDOVICVS PIVS, *lib.* 6. *Capitul. cap.* 88. jubet, *ut ſi quis ſecularium, tam majoris ordinis, quam inferioris, peccatum fecerit, & vocatus Epiſcopi ſui auctoritate ad emendationem ac pœnitentiam venire diſtulerit; tandiu ab Eccleſia ſit exterris, & Catholicorum conſortio ſequeſtratus, quouſque quod commiſit, emendet, & reatum ſuum uſque ad ſatisfactionem Canonice diluat.* Proculdubio Canonicum & Eccleſiaſticum eſt illud Capitulare.

Secreta illa inquiſitio, & extrajudicialis ea correptio fluxit a ſanctiſſima illa naſcentis Eccleſiæ diſciplina, de qua ORIGENES, CONTRA CELSVM, *lib.* 3. *Inſtituti ſunt aliquot, qui in mores ac vivendi rationem fidelium inquirant, & ſceleratis interdicant ſacri conventus aditum*: & TERTVLIANVS, *in Apolog. cap.* 39. *Ibidem etiam* (in conventibus fidelium) *exhortationes, caſtigationes, cenſura divina: iisque præerant probati quique Seniores, puta Epiſcopi & Presbyteri.* Et ut illud in ipſis etiam pagis & vicis obſervaretur, placuit, in iis conſtitui περιοδευτάς, *circuitores, viſitatores, Can.* 57. *Laodicenæ Synodi*: *qui delicta ſpiritualia obſervarent*, ut ibi addit BALSAMON. Et poſtmodum appellati ſunt teſtes Synodales, *cap.* 7. *Extra. de teſt. cog.* quod Epiſcopus eos maturiores & honeſtiores viros in ſua Synodo conſtitueret, ut in tota diœceſi obſervarent, eique renuntiarent delicta fidelium, *Can. Epiſcopus* 35. *q.* 6. Ac tandem addiderunt *Lateran. Concilii Patres*, eam obſervationem & inquiſitionem faciendam eſſe ſimpliciter, de plano, abſque ulla juriſdictione, ſeu ſtrepitu forenſi, *cap. ſicut* 25. §. 1. *Ex. de accuſat.*

Secretæ illius inquiſitionis effectus ille eſt, ut Epiſcopus deprehenſum reum etiam laicum judicet, *ſecundum ordinem Canonicum ſpiritualem*, *d. Can.* 3. *Vernenſ. Concilii*: puta eum increpare, & monere debet, ut faciat quæ Deo placita ſunt, *d. cap.* 1. *in fin. Ex. de off. Iud. ord. Vt ſic vivat, qualiter Deo placere poſſit*, *d. Can.* 3. id eſt, omnino recedat a peccato, & ad pœnitentiam veniat: ea omnia ſedulo adhibere debet, quæ ſacri Canones, & Sancti Patres de privata correptione ſanxerunt. Reos autem rebelles & contumaces cenſuris Eccleſiaſticis animadvertere poteſt, ex laudatis Canonibus: eos excommunicare, *Can.* 1. *Andegavenſis Concilii, apud Lauriacum*, nec GRATIANVS accuſatorem deſiderat, paſſim *in quæſt.* 1. *cauſa* 2. Cumque ultra excommunicationem non amplius habeat Eccleſia quod faciat, Epiſcopus publicum Placitum convocare poteſt, *d. Can.* 12. *Ravennat. Concilii*, id eſt, publicam eorum poteſtatem implorare, qui in ſua Diœceſi publica Placita tenent: quales erant Miſſi Dominici, & Comites; ut olim diximus.

Sæculares illi Iudices eo caſu non implorantur, *ad præjudicandum, ſed ad ea, quæ Deo placita ſunt, proſequendum*, ut eſt *in d. Can.* 12. *& d. cap.* 1. id eſt, non ut cauſa cognita videant, quid rei ſit, & ordine judiciario reum peragant; nam in iis lo-

cis

cis agitur de ſola extrajudiciali correctione, in qua quæruntur tantum ea, quæ ſaluti conveniunt, *d. Can.* 12. ſed implorantur in auxilium juris, ut hodie loquimur: puta ut reum debitam Eccleſiæ obedientiam exhibere compellant comminatione ſeveritatis non defuturæ; vel etiam pignoribus captis, & prehenſione corporis: quod quomodo faciendum, aptiſſime ad hunc locum docet AVCTOR SVMMÆ RVRALIS, *lib.* 2. *tit.* 12. ubi de brachio ſæculari. Et ex iis forte fluxit, quod hodie in appellationibus tanquam ab abuſu in negotiis Eccleſiaſticis, ſæpius pronuntietur tantum de ipſo abuſu, non etiam de re principali.

Ea eſt igitur Canonica diſciplina, Epiſcopum in ſuos omnes diœceſanos, etiam laicos, ſpiritualem habere juriſdictionem, ut eorum delicta ſecundum ſpiritualem & Canonicum ordinem coerceat. Sed quæritur, an ordinariam, & exteriorem in illos habeat?

Cum ſacri Canones varia crimina variis quoque cenſuris percelunt, ad eos etiam facinoroſos laicos pertinere conſtat. Vnde ſicut Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium anathemate percuſſit: ita & paſſim Epiſcopi, juxta receptum judiciorum ordinem, quoslibet laicos animadvertunt, in Hiſtoriis & Annalibus Eccleſiaſticis, in Regeſtis & ſummorum Pontificum, & Sanctorum Patrum. Vnum illud luculentiſſimum exemplum pro omnibus. Cum Præſes quidam Lybiæ reus eſſet multorum criminum, & populum crudelius vexaret & opprimeret, S. Athanaſius, Alexandrinus Patriarcha, eum cauſa cognita, & ex ſolemni judiciorum ritu excommunicavit, & juxta *Canonem* 5. *Nicæni Concilii* eam excommunicationem denuntiavit vicinis Epiſcopis, ut palam eſt ex *Epiſtola* 61. S. BASILII. Ea eſt Eccleſiæ diſciplina, in *Can.* 6. *Antiochenæ Synodi*, & *Concilii Calchedon. Canon.* 4. quæ paſſim etiam alibi occurrit.

Et ut deveniamus tandem ad Miſſos Dominicos, hoc etiam probandum eſt ex *Capitulis* CAROLI CALVI, *in actione ſeptima Synodi Sueſſionenſis*. Ejus Conſtitutionis progreſſus ille fuit. Cum *ſecundi Sueſſion. Concilii Patres* ſub CAROLO CALVO, *Can.* 11. ita ſcripſiſſent: *Illud quoque cunctis volentibus confirmatum eſt, qui Eccleſiaſtica diſciplina noxii, ſive ingenui, ſive ſervi coercentur, nulli audeant eos tueri, & vindictam eorum in quoslibet pertinentium ad poteſtatem Epiſcoporum retorquere. Quod ſi qui deinceps præſumpſerint, & excommunicationem Eccleſiaſticam, & motum indignationis Regiæ perpeſſuros.* Ita Synodus laicos, vel ingenuos, vel ſervos ab Epiſcopis coerceri manifeſte indicat. CAROLVS CALVVS ejus Synodi Canones examinans, *in actione ſeptima* quædam Capitula propoſuit, & in eorum *Capite nono* aliquid ſuperiori Canoni addidiſſe videtur: *Vt Miſſi noſtri omnibus per ſingulas Parochias denuntient, quia ſi Epiſcopus, & miniſtri Epiſcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis, propter metum aliorum, & ut ipſi criminoſi corrigantur, cum tali diſcretione ſine ulla occaſione indebita, ſicut in Synodo collocutum eſt, ut vel inviti pœnitentiam corporaliter & temporaliter agant, ne æternaliter pereant: ſi Seniores ipſorum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos, ne diſtringantur, contendere præſumpſerint, ſciant, quia & bannum noſtrum component, & ſimul cum excommunicatione Eccleſiaſtica noſtram armiſcaram duriſſime ſuſtinebunt.* SIRMONDVS ea exſcripſit *inter Capitularia* CAROLI CALVI *ex Synodo Sueſſion.* ſed REGINO ABBAS, *lib.* 2. *de diſciplinis Eccleſiaſt.* caput illud 424. tribuit *Concilio ad S. Medardum*, ſeu quod idem eſt Sueſſionenſi; quia ut diximus, CAROLVS CALVVS ea propoſuit in eo ipſo concilio, ut ea reponeret inter mandata, quæ daturus erat Miſſis Dominicis. BVRCHARDVS, *lib.* 11. *Decreti*, *cap.* 67. & IVO CARNOT. *parte* 14 *Decreti*, *cap.* 115. noſtrum hunc Sueſſionenſem Canonem Eliberitano Concilio tribuunt; ſed quam falſo, rectiſſime docet FERDINANDVS DE MENDOZA, *in Commentariis ad Illiberitanum Concilium*, *lib.* 1. *cap.* 6.

In eo *cap.* 9. Epiſcopus colonos, nempe contumaces aut rebelles, cum virgis flagellare poteſt, quod tamen prohibet *Canon nonus circa finem*, *primæ ſecundæ Synodi*, apud ZONARAM. Sed nihili eſt ea Synodus, quam NICOLAVS I. *in Epiſt.* 8. *latrocinalem* vocat: & paſſim occurrit in ſacris Canonibus corporalis ea caſtigatio, atque etiam in veteribus Monacorum regulis. Hodie quidem ea Iudicibus Eccleſiaſticis non conceduntur, quia nec jus habent in bona, nec in corpora laicorum, ait ALMAINVS *de ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica cap.* 8. *quæſt.* 3. quidquid ſit, & dictus *Canon undecimus*, & *dictum* CAROLI CALVI *Capitulum* evincunt, facinoroſos laicos, puta colonos, ordinarie & judiciarie coerceri poſſe ab Epiſcopis; & quidem virgis, dummodo non crudeliter, ut addit GREGORIVS M. *lib.* 2. *reg. Epiſt.* 44. *Indict.* 2.

Quia vero Deus ſublimiores Poteſtates, publicosque Magiſtratus inſtituit, *qui non ſine cauſa gladium portant ad coercitionem malorum*, & præcipue laicorum, qui pleniſſime iis ſubjacent; ideo ſenſim in iis coercendis imminuta eſt Epiſcopalis poteſtas. Primo enim atrociora crimina publicis illis Iudicibus relicta ſunt; nam ut loquitur S. AVGVSTINVS *ad Prophetam Amos*, *Quædam ſunt peccata ita enormia; quod non veniant a Iudice Eccleſiaſtico punienda, ſed a ſæculari*. Secundo, veteres quidam Interpretes differentiam illam introduxerunt inter peccatum *ſpirituale*, & inter *ſæculare*, ut de priori (quod nempe ſit contra fidem aut Sacramenta) Iudex Eccleſiaſticus ordinarie cognoſcere poſſit: & ita FEVRETVS, *de appellatione* tanquam ab abuſu, *l.* 8. *c.* 2. pluribus probat, eum olim judiciarie cognoviſſe de hæreſi, ſacrilegio, & uſuris: ALMAINVS *quæſt.* 1. *cap.* 10. *ibidem* addit *adulterium*, *quod illud non ſit peccatum mere ſæculare, propter Sacramentum matrimonii*. Sed peccati pure ſæcularis (quod etiam in lege naturæ peccatum eſſet, non inſpecta divina) a laico admiſſi, cognitionem ad Eccleſiaſticum hunc Iudicem pertinere negant, niſi Iudex publicus perniciose negligat punire facinoroſum ejus criminis reum, ut excipit GERSON. *in tract. de poteſtate Eccleſiaſt.*

## CAPVT XVII.

*Emendabant. Non poterant dilatare juſtitiam.*

SIcut in Iure Civili gravior coercitio & caſtigatio, quam emendatio; ut palam eſt ex *tit. de emend. ſerv. de emend. propin. & ex Epiſtola decima* PLINII, *lib.* 1. ita & Miſſi Dominici graviora delicta coercebant, leviora emendabant. Aliquando quidem *emendationis* verbum pro graviori animadverſione accipitur; ſæpius tamen pro moderata correctione. Et hinc HOSTIENSIS, *ad cap.* 18. *Ex. de off. Iud. ord.* ait, *emendam*, *& emendare eſſe vocem Gallicam*, quæ ſignificat mulctam, nobis *amande*, quæ levis eſt delicti, & quidem pecuniaria correctio. Et ita Chriſtianiſſimi Reges Auguſti exemplo legibus ſuis emendare curabant, quæ contra eos utcumque pugnare videbantur. Cum CAROLVS M. Conſtitutiones ſuas exſcribit, in earum præfatione ſtatim ait, *ſe Miſſos Dominicos mittere, qui nominis ſui aucto-*

*ritate*

*viſate corrigant quæ corrigenda ſunt. Lib.* 3. *c.* 84. jubet, *ut Miſſus Dominicus non ſolum illud emendet, quod contra ſuam juſſionem factum invenerit, ſed etiam ad eum ipſam rem referat, qualiter ab eo inventa eſt*. In præfatione *Capitularis Aquisgran.* ait, *ſe direxiſſe Miſſos Dominicos, qui corrigerent quæ corrigenda eſſent*: rogat Prælatos, ut æqui bonique conſulant, *quod errata corrigere, ſuperflua abſcindere, & recta coarctare ſtudeat*.

CAROLVS CALVVS, *in Synodo Cariſiaca, cap.* 4. & 5. *Vt Miſſi Dominici pravos actus emendent ſecundum leges & Capitula regia, & de iis condictam vindictam ſuſcipiant. In cap.* 9. *Vt emendent rapinas & deprædationes, quas iterantes* (les paſſans) *in regno fecerint, & curent deprædatores ea omnia, quæ mala egerint, legaliter emendare, & barmiſcaram ſuſtinere, id eſt graviorem mulctam*. Rectiſſime enim obſervat *Magnus* BIGNONIVS *in Not. ad* MARCVLFI *formul. lib.* 1. *cap.* 18. apud veteres Germanos, & eos omnes populos, qui ab iis prodierint, quælibet delicta, vel etiam graviora, æſtimata & redempta fuiſſe certa quadam pecuniæ ſumma, cujus pars fiſco cedebat, & dicebatur *Vuirgildus*: altera læſo, vel ejus hæredibus, & dicebatur *Compoſitio*. Sicque delictum aliquod legaliter emendare, nihil aliud eſt, quam pro eo VVirgildum & Compoſitionem ſolvere', quod etiam dicitur *ſecundum legem emendare*, in *Capitulis* CAROLI CALVI *poſt reditum a Confluentibus*, & in *Synod. Piſtenſi cap.* 2. ubi additur, ut id genus homines *aut emendent, aut ſibi impetrent per indulgentiam perdonari. Qu'ils obtiennent remiſſion*, quæ paſſim in his Capitulis *Perdonatio* dicitur; & quidem ab ipſo Principe, qui ſolus eam indulgentiam dare poteſt; aut etiam a Miſſis Dominicis ex auctoritate Principis, ut in iisdem CAROLI CALVI *Capitulis poſt eum reditum, cap.* 6. niſi forte dicamus, eo loci *Perdonationem* eam eſſe indulgentiam, quæ rebus poſt bella civilia pacificatis a Rege conceditur, nobis *une amniſtie*; ut Miſſi Dominici eam ex auctoritate Regis quibusdam concedant, *faire joüir du bien fait de l'amniſtie octroyée par le Roy*.

Ita vero Miſſi Dominici delicta emendare, & unicuique juſtitiam reddere tenebantur, ut eam dilatare non poſſent, id eſt judicare differre, ut palam eſt ex LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 2. *tit.* 41. in cujus epigraphe *Iudices judicare differunt*; et in *cap.* 1. dicuntur *dilatare juſtitiam*. CAROLVS M. *lib.* 3. *c.* 53. *Vt nullus quilibet Miſſus noſter juſtitiam dilatare præſumat, ſi ſtatim adimpleta eſſe potuerit ſecundum rectitudinem*. Eadem exſcribuntur in *iisdem legibus lib.* 2. *tit.* 52. *cap.* 5. Regulariter quidem lites peragendæ ſunt intra metas lege comprehenſas, *l.* 2. *Cod. Th. de dilat.* & graviter olim coercebatur Iudex, qui malo more judicium differebat; ut nempe litis æſtimationem fiſco inferre teneretur, *l.* 6. *Cod. Theod. de jurisd.* aliquando tamen *differt vadimonia Prætor*, ait IVVENALIS, *ſat.* 3. *v.* 213. dummodo iis dilationibus aut res ipſa, aut ipſum judicium non pereat. Sicut enim inter privatos *dies prolatio eſt donatio*, ait CÆSAR *lib.* 3. *cap.* 32. *de bello civili*; ita & ſæpius evenire poteſt, ut dilatare aut differre juſtitiam, amittendæ rei occaſionem præbeat: ideoque prudenter omnino conſtituitur, ne quilibet Iudices juſtitiam dilatare poſſint. Et aliud eſt, *denegare* jurisdictionem, aliud *dilatare* juſtitiam, ut ſuo loco videbimus, quod veteribus erat *comperendinare*, aut *diem diffindere*.

DE

# DE MISSIS DOMINICIS AD DISCIPLINAM PUBLICAM.

## CAPUT PRIMUM.

*Ad eorum curam pertinebat diſciplina publica.*

SIcut Præfectis Prætorio data eſt plenior licentia ad emendationem publicæ diſciplinæ, *L. 1. D. de off. Præf. præt.* ita & certiſſime conſtat, datam illam fuiſſe Miſſis Dominicis: & hinc hodie dicitur *Intendant de la Police*, ejus nempe, quæ ſtatum Reip. ſpectat. CAROLUS M. *lib. 2. cap. 11.* ait, *pro qualicumque publica utilitate directos eſſe Miſſos Dominicos*. Idem habet LUDOVICUS PIUS *in 2. Capitulari cap. 11.* CAROLUS M. *in c. 28. ibidem*, eos admonet, *quantum pro communi ſalute curam ſuſceperint.* CAROLUS CALVUS, *in primo Conventu ad Marsnam, in adnuntiatione D.* LUDOVICI, ait, *cum adjutorio & Miſſorum Dominicorum conſilio inſpiciendum eſſe, quomodo melius ſecundum communem profectum & utilitatem in ante eſſe poſſit*, id eſt deinceps, aut in poſterum, nobis *dorénavant*. Ea quidem præciſe docent, iis commiſſam, aut commendatam fuiſſe diſciplinam publicam: ſed ſi per partes omnia iſtius libelli capita accurate inſpiciantur, non multa congerenda ſunt, ut illud omnino evincatur. Ita enim mittebantur in provincias, ut Abbates, Epiſcopi, Comites aliive Proceres officio ſuo fungerentur, & unicuique jus ſuum redderent; ut compeſcerent violentias, & milites redigerent in ordinem: ut per eos leges perducerentur ad effectum: ut quod ordinarii Iudices bono publico facere aut exequi non poſſent, illud vice Regia exequerentur: ac tandem, ut perſonas, res, actiones, aut judicia revocarent ad receptas juſtitiæ regulas: nec quid aliud in ſuis Conventibus, aut Placitis aggrediebantur, quam ut diſciplinam publicam foverent & curarent. Hoc elegantiſſime deſcribit POETA SAXONICUS, *lib. 4. Annalium de geſtis* CAROLI M. *ad an.* 801.

*Italiæ linquens fines Auguſtus, Aquenſem*
*Expetiit ſedem, manſitque quietus hoc anno.*
*Perque ſui partes regni direxerat omnes*
*Legatos, æquo legum moderamine mandans*
*Iuſtitias facere, & varias componere lites,*
*Reddere jus civile bonis, terrere malignos,*
*Divinas mundique pias ex ordine leges,*
*Tunc exerceri mandaverat, & renovari.*

In iis omnibus conſtat proprie diſciplina publica, ad cujus emendationem, & tutelam præcipue inſtituti fuerant Miſſi Dominici: unde & HINCMARUS eos vocat Miſſos *publicæ rei miniſtros, in Epiſtola ad Nicolaum I. apud* FLODOARDUM, *lib. 3. Rem. Hiſt. cap. 12. in fin.*

## CAPUT II.

*Eccleſiaſtica diſciplina, & canonica obedientia.*

CAROLUS CALVUS, *in Capitulis ad Tendonis Villam, cap. 2.* ſic ſtatim loquitur: *Quia bene noſtis ab illo, qui ſolus merito & Rex, & Sacerdos fieri potuit, ita Eccleſiam diſpoſitam eſſe, ut Pontificali auctoritate, & regali poteſtate gubernetur*: quod etiam ipſiſſimis fere verbis exſcribunt Remenſis & Rothomagenſis diœceſeos Epiſcopi *in ſua Epiſtola ad Ludovicum Regem cap. 15.* ex qua *titulus* 23. *Capitul. ejuſdem* CAROLI. Ea ratione Chriſtianiſſimi Reges Eccleſiaſticam diſciplinam ſemper curarunt impenſe: nihil frequentius in Conciliis Eccleſiæ Gallicanæ ſub ſecunda eorum ſtirpe habitis, quam ut Prælati ab iis petant Miſſos Dominicos, qui Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituant: nihil etiam frequentius in eorum Capitularibus, quam ut ſuis illis Miſſis Eccleſiaſticæ diſciplinæ curam demandent.

SIRMONDUS, *tom. 2. Concil. Gall.* multa paſſim exſcribit CAROLI M. Capitula Eccleſiaſtica, ſed potiſſimum, *p.* 244. ea quæ Miſſis Dominicis dedit, *An. 2. Imperii.*

1.

*De Epiſcopis & reliquis Sacerdotibus, ſi ſecundum Canonicam inſtitutionem vivant: & ſi Canones bene intelligant & adimpleant.*

2.

*De Abbatibus, utrum ſecundum regulam, & Canonice vivant: & ſi regulam aut Canones bene intelligant.*

3.

*De Monaſteriis virorum, ubi Monachi ſunt, ſi ſecundum regulam vivant, ubi promiſſa eſt.*

4.

*De Monaſteriis puellarum, utrum ſecundum regulam aut Canonice vivant, & de Clauſtris earum.*

Hæc potiſſimum ad Eccleſiaſticam diſciplinam, & ad eas perſonas, quæ huic obſervandæ mancipantur. In iis Capitulis pleraque alia ſubjiciuntur, quæ ad Eccleſiam omnino pertinent. Idem CAROLUS, aut utique LUDOVICUS PIUS, *lib. 4. Capitular. cap. 48. De honore Eccleſiarum, ut per omnia eis exhibeatur: & ut hoc Miſſi noſtri omnibus in ſua legatione conſtitutis notum efficiant.*

Antequam vero a ſuperioribus Capitulis ad alia tranſeamus, in iis jubet CAROLUS M. *quod ſi evenerit fames, clades, aut inæqualitas aeris, vel alia quæcumque tribulatio; ut non expectetur Edictum ſuum, ſed ſtatim Dei miſericordia deprecetur in loco.* Et hoc omnino de publicis precibus aut proceſſionibus accipiendum, quibus nempe omnis populus adeſſe teneatur. Eas *popularem conventum* vocat ANASTASIUS Imp. *in l. 10. Cod. de hæret.* & IUSTINIANUS *in Novellis* δημοσίαν πρόοδον, *publicam proceſſionem*. Sicut autem IUSTINIANUS earum proceſſionum formam ab omnibus obſervandam ſuis etiam Iudicibus præſcribit, *in Nov. 123. cap. 32.* ita

ita & CAROLVS M. indicat, ſæpius eas ſuo Edicto
præcedente haberi, quod tamen urgente neceſſita-
te remittit. Et ita etiam S. MAMERTVS, Vien-
nenſis Epiſcopus, rogationes inſtituere noluit,
niſi prius adiiſſet Senatum Viennenſem, *cui pan-*
*dit diſpoſitionem, indicit ordinem, exponit ſalubrita-*
*tem; ut ita inter initia vinculum Conſuetudinis aſ-*
*ſignaret*, ſunt verba AVITI, *Viennenſis Epiſcopi*, *in*
*homilia de rogationibus*. Vnde repetenda illa ro-
gationum ſolemnitas, quæ ab ea Viennenſi Ec-
cleſia in univerſam tranſiit.

LVDOVICVS PIVS generalem Conventum Aquiſ-
grani habuit, *in quo fecit componi ordinarique li-*
*brum Canonicæ vitæ normam geſtantem*, & paulo
poſt: *Quem librum per omnes Civitates, & Mona-*
*ſteria Canonici ordinis miſit per manus Miſſorum*
*prudentum, qui illum in omnibus ſupradictis locis*
*tranſcribi facerent*, ut eſt *in ejus vita* apud QVER-
CETANVM. Et SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall.*
*p.* 426. *Epiſtolam* LVDOVICI PII exſcribit, in qua
*Miſſus Dominicus curare jubetur, librum illum ab*
*omnibus Prælatis tranſcribi, ejus formulas lubenter*
*ſuſcipi, & devote adimpleri.*

Epiſcopi in *verno Palatio can.* 2. (quidam ho-
die vertunt *le Palais du Printems*, quaſi Reges eo
tempore haberent Palatia, in quibus vere mane-
rent; ſed meræ nugæ: nam occurrere deberent
etiam æſtiva & hyberna: & dicendum etiam eſſet
*Vernenſe Concilium*, vere habitum: lubens tamen
agnoſco, non mihi conſtare, quis illic ſit locus,
ſeu fiſcus Regius, ubinam Regia illa villa.) pe-
tunt a CAROLO CALVO, *ut ejus Legati ſeu Miſſi pro-*
*batæ fidei coerceant Apoſtolicæ diſciplinæ contemptores.*
Ibidem CAROLVS, *in Capitulis ex Synodo Sueſſion.*
*actione* 7. *cap.* 4. jubet, *a Miſſis ordinari, ut om-*
*nes Eccleſiæ, & Presbyteri ſecundum auctoritatem Ca-*
*nonicam permaneant.*

Quodque obſervandum, Miſſi Dominici facino-
roſos homines ad pœnitentiam publicam cogebant,
ſi quidem cenſuris Eccleſiaſticis ad eam cogi non
poſſent. CAROLVS CALVVS, *ibidem cap.*10. *Vt Miſſi*
*noſtri Regia auctoritate & poteſtate ad penitentiam*
*eos adducant, quos Epiſcopus per excommunicationem*
*adducere non potuerit.* IDEM, *in Capitulis ex Synodo*
*Piſtenſi cap.* 2. jubet, *ut Miſſi curent criminum reos*
*fideliter exequi pœnitentiam publicam ab Epiſcopis in-*
*dictam & impoſitam.* Imo & *in cap.* 4. *Vt Senio-*
*res & Potentes cogant homines ſuos Epiſcopis reddere,*
*ad agendam hanc pœnitentiam publicam.* Idem ſta-
tuit CAROLOMANNVS, *in Vernenſi Palatio, cap.* 4.
*poſt Capitula* CAROLI CALVI. Ex iis illuſtratur
& confirmatur eorum ſententia, qui aſſerunt,
contumaces pœnitentes octavo ſæculo manu mili-
tari, vel Regia coactos fuiſſe ad pœnitentiam
iis indictam.

Nec muſſitent quidam Clerici & Monachi, quod
Miſſis Dominicis, iiſque ut plurimum laicis, tot
tantaque concedantur in hoc tractatu, quæ omni-
no ſpiritualia videntur: Primo enim non illud
gratis aſſerimus, ſed præciſe laudamus auctores
probatæ fidei: Secundo, ea omnia pertinent ad
Eccleſiaſticam πολιτείαν, & diſciplinam, cujus tui-
tio & cuſtodia tota eſt in manu Regis, ut paſſim
agnoſcunt *Sacri Canones* & *Sancti Patres*.

## CAPVT III.

### *Aderant Conciliis & Electionibus Epiſcoporum.*

EPheſino & Chalcedon. Concilio Imperiales ad-
fuere Iudices, imo & Magiſtratus municipa-
les; non quidem ut judicarent, ſed ut caverent,
ne quid tumultuarie aut contra leges fieret. Ita &
Chriſtianiſſimi Reges non modo Conciliis Eccle-
ſiæ Gallicanæ ſua auctoritate convocatis adfue-
runt; ſed etiam aliquando voluerunt iis adeſſe
Miſſos Dominicos, ut in iis voluntatem ſuam &
mandata ſua exponerent. Duo exempla pro om-
nibus. Cum CAROLVS M. juſſit *Moguntiaci Conci-*
*lium haberi, an.* 813. in ejus præfatione ſtatim
occurrunt *Miſſi Dominici*. Sic etiam cum ejuſdem
juſſu convocatum eſt *ſextum Arelatenſe Concilium*,
ejus etiam præfatio nominatim habet, ei adfuiſſe
Miſſos Glorioſiſſimi & Piiſſimi Imperatoris, qui
dixerunt, *eum vigili inſtantia roborare velle ſtatum*
*Eccleſiæ, & ejus Concilii Patres obſervare, ut Ec-*
*cleſias, quas ſuſceperunt, pia prædicatione inſtruant,*
*moribus ſanctis exornent, & beata vita exemplis ædifi-*
*cent; ut pro eo & pro ejus familia preces & vota ſol-*
*vantur*. Nec ſemel occurrit, ut illi ipſi Reges in
ipſis Conciliis Capitula, ſeu mandata ſua in iis
probata ſuis Miſſis tribuant. Iis temporibus Chri-
ſtianiſſimi Reges Synodos, & Concilia ſæpius con-
vocabant, & ſecundum ſacros Canones ab Epiſ-
copis convocari patiebantur; quod ea ratione di-
ſciplinam Eccleſiaſticam foveri probe noviſſent,
Vnde cum ſub LVDOVICO PIO utcumque deſiiſſent,
*ſexti Pariſienſis Concilii Patres lib.* 1. *Can.* 26. ſcri-
bunt, *eam eſſe cauſam, cur Eccleſiaſtica & Regia*
*auctoritas dehonorationem, & detrimentum patiatur.*

Conſtat etiam, ſæpius electionibus Epiſcoporum
adfuiſſe Miſſos Dominicos. ADRIANVS PAPA, *in*
*epiſt. tertia ad Carolum M. Quia quando Sergius Ar-*
*chiepiſcopus obiit, in electione Leonis Archiepiſc. fue-*
*rint Miſſi veſtri Hucbaldus, & Pares ſui*; & ibidem
conqueſtus videtur CAROLVS M. quod Miſſi ſui non
adfuerint electioni Ravennat. Archiepiſcopi. I-
dem ADRIANVS, *in epiſt. ad Tilpinum Remenſ. Ar-*
*chiep.* apud FLODOARDVM, *lib.* 2. *Rem. hiſt. cap.* 17.
ei mandat, *ut cum Miſſis* CAROLI M. *Francorum*
*Regis inquirat de ordinatione Lulli Moguntini Epiſco-*
*pi, ejus fidem, doctrinam, converſationem, mores &*
*vitam inveſtiget*. Luculentiſſimum illud exemplum
omnino evincit, olim etiam informationes *de fide,*
*vita, & moribus Epiſcoporum* factas fuiſſe in Gal-
lia coram Prælatis Eccleſiæ Gallicanæ, & Miſſis
Dominicis, cum vel etiam Summus Pontifex de
eorum ordinatione cognoſcebat.

Cui bono electionibus illis adeſſent Miſſi Do-
minici, docet IOANNES VIII. in *epiſtola ad Hinc-*
*marum Rem.* apud FLODOARDVM *Sirmondi cura edi-*
*tum, pag.* 412. *Cui electioni volumus etiam Miſſum*
*præfati piiſſimi Imperat. intereſſe, ut ſine ſæcularium*
*ſtrepitu, omni latere talis eligatur, qui aptus ſacris*
*Canonibus eſſe modis omnibus adprobetur*. Conſtat,
iis adhuc temporibus populum electionibus Epiſ-
coporum adfuiſſe, & ideo ſæpius eas fuiſſe diſſen-
ſiones, ut ad eas ſedandas aut compeſcendas a Re-
gibus aut Imperatoribus mitterentur quidam Præ-
fecti, ut teſtatur *Vita S. Evurtii Aurelian. Epiſco-*
*pi*: ad id Chriſtianiſſimi Reges ſub ſecunda ſtirpe
Miſſos ſuos deſtinabant.

Sed & alia ratione Miſſi Dominici de electio-
ne & ordinatione Epiſcoporum cognoſcebant, quia
ſæpius huic electioni accedere debebat conſenſus
Regis, ut omnes norunt. Sæpius autem Miſſi Do-
minici ſacra vice inquirebant in eas electiones,
an rite factæ eſſent, an idoneus eſſet electus, ita
ut eum rejicere & refutare poſſent: unde cum ſub
LVDOVICO PIO Senonenſis Eccleſia ſuum elegiſſet
Archiepiſcopum, Miſſi Dominici eam electionem
refutaſſe dicuntur, in *Epiſt.* 15. 16. 17. *inter E-*
*piſtolas Frotharii Tullenſis Epiſcopi*, apud QVERCE-
TANVM, *tomo II. hiſt. Franc.* & hinc doctiſſimus
SIRMONDVS, *in Appendice ad tom.* 2. *Concil. Gall.*
inter *antiquas formulas promotionum Epiſcopalium*,
toti-

totidem verbis exſcribit tres illas Epiſtolas; & quidem ea mente, ut doceat, quænam Miſſorum Dominicorum poteſtas fuerit in electionibus Epiſcoporum.

## CAPUT IV.

*Regia vice aderant nuptiis regalium liberorum.*

LOcus ille ſingularis pertinet valde ad dignitatem Miſſorum Dominicorum, & ad illuſtrationem celeberrimæ quæſtionis de nuptiis filiorumfam. ſine conſenſu parentum. Inſignis ea hiſtoria (quæ occaſionem dedit huic capiti) omnino repetenda eſt ex FLODOARDO, *lib.* 3. *Hiſt. Rem. cap.* 12. Ex *Capitularibus* CAROLI CALVI, *tit.* 35. *cap.* 5. Ex *Epiſtolis* NICOLAI I. *ad Carolum Calvum, & ad Hermentrudam Reginam, ejus uxorem, ad Epiſcopos Synod. Sylvaneſtenſis, ad Hincmar. Rem.* & *ex ejus Epiſtolis ad Nicolaum & alios.*

Iudith, CAROLI CALVI filia, tum primum nupſit Edelulfo, Regi Anglorum; ejus coronationem exſcribunt SIRMONDUS, & QUERCETANUS. Eo Rege mortuo, Iudith venditis, quas in Anglia obtinuerat, poſſeſſionibus, ad Patrem revertitur, quæ ab eo ſub Eccleſiaſtica tuitione, & regio Mundburdo, ſeu regali tutela manere decernitur, cum adhuc minor eſſet viginti quinque annis. Balduinus Comes, ignorante Carolo patre, viduam illam rapuit, & uxorem duxit, conſentiente Ludovico Caroli fratre, & aliis Proceribus conſciis. Carolus de ea re certior factus graviter commotus eſt ob atrocem illam a Vaſſallo ſuo acceptam injuriam; convocavit regni Proceres, ex eorum conſilio ſecundum mundanas leges damnavit Balduinum, (quod quid ſit, mox videbimus) & omnia ejus bona confiſcavit. Poſt illud legale judicium Eccleſiæ Gallicanæ Prælati in Synodo Sylvanectenſi eum & Iudith excommunicaverunt: Carolus illud denuntiavit Lothario, nepoti ſuo, & inter utrumque convenit ne quis in Regno ſuo Balduinum recipiat aut immorari patiatur. Nihilominus tamen Balduinus fugit in regnum Lotharii, & humaniter ab eo receptus eſt; ſed tandem tædio affectus adiit Nicolaum I. tunc temporis ſummum Pontificem, & ab eo petiit, ut ſuis precibus molliret Carolum. Pontifex de ea re ad Carolum, & ad Hermentrudam ſcripſit, ſed fruſtra: cumque negotium illud peragere, & ad bonum finem perducere haberet in votis, ejus curam demandavit Hincmaro Remenſi, ſagaciſſimo viro. Hincmarus vicit Carolum, ab eo veniam obtinuit pro Balduino & Iudith, ut ſimul matrimonio jungerentur, eamque patri & matri præſentavit; ſed non prius utrumque deſponſare voluit, quam peracta gravi pœnitentia ſatisfeciſſent Eccleſiæ, quam læſerant: ac tandem in Altiſſiodorenſi Eccleſia exequi ſtuduerunt jura legum ſæcularium, quæ elegerant, & ſecundum leges ſæculi uxoria conjunctione copulati ſunt. Carolus Calvus huic deſponſationi, & conjunctioni intereſſe noluit; ſed permiſit, ut præſentibus Miſſis Dominicis celebraretur illud matrimonium, & honores Balduino reddidit, ſeu majora feuda, dotis nomine dedit ei Flandriam, eumque Comitem Flandriæ appellavit, ut loquitur MUTIUS *in Chronico Germanico*, *lib.* 11. unde SIRMONDUS *ad Capitularia* CAROLI CALVI, contendit, *ab eo Balduino genus & originem eſſe veterum Flandriæ Comitum.* ANNALES FLANDRIÆ *lib.* 2. *ad an.* 837. eum vocant *Balduinum Ferreum.*

Ex iis pleraque obſervanda occurrunt. Primum eſt, errare omnino QUERCETANUM, qui in Nicolao I. ſcribit, ab eo Pontifice excommunicatum & abſolutum fuiſſe Balduinum; quod tamen conceptiſſimis verbis negat Pontifex NICOLAUS *in Epiſt. ſua ad Synodi Sylvaneſt. Epiſcopos*: & ille ipſe CAROLUS nominatim etiam ſcribit, a regni ſui Epiſcopis excommunicatum illum fuiſſe. Ac tandem *ex Epiſtola Hincmari apud* FLODOARDUM *l.* 3. *c.* 12. colligi poteſt, abſolutum illum fuiſſe ab Hincmaro.

Secundum eſt, quod Balduinus & Iudith exequi ſtuduerint jura legum ſæcularium, quæ elegerant. *Eo tempore Franci duas habebant leges in multis diverſas*, ait EGINARDUS: & jam fere omnibus placuit, eam eſſe Romanam, & Salicam, cum Decretis & Conſtitutionibus ad eam additis. Atque etiam tunc temporis unicuique liberum erat, profiteri, qua lege vivere vellet, ut paſſim videre eſt *in legibus Salicis, in Capitularibus*, & *aliis hujusmodi legibus antiquis*. Ejus electionis rationem hanc affert LINDENBROGIUS, *in Prolegomenis ad Cod. leg. antiq.* quia cum variæ gentes Imperio Romano ſubditæ, & a majoribus noſtris devictæ, non ita facile paterentur legum Romanarum mutationem, ſub quibus vivebant; ne forſan excandeſcerent, iis conceſſa eſt ea electio.

Tertium eſt, quod non ſatis conſtet, quænam fuerit ea lex *mundana* aut *ſæcularis*, (ad differentiam Eccleſiaſticæ) ſecundum quam Balduinus & Iudith uxoria conjunctione copulati ſunt: nam & leges Theodoſiani Codicis nullam plane ſpem relinquunt inter raptorem & raptam contrahendi matrimonii; ne quidem ex ſuperveniente conſenſu parentum, *l.* 1. *Cod. Th. de raptu virginum*; & hoc ſequuntur Iuſtinianeæ *in l. un. Cod. eod.* & *in Novellis*; atque etiam *Capitularia Regum* noſtrorum eas leges exſcribunt & probant: nec ad eas reſpicere potuit HINCMARUS, qui & ipſe, *in Epiſt.* 16. *ad Carolum Regem cap.* 5. eas etiam laudat & commendat. An ergo lex illa ſæcularis non alia eſt, quam vetus Ius civile, ex quo nuptiæ inter raptorem & raptam conſiſtere poterant, ſi quidem ea conſentiret, eumque maritum expoſceret, *d. l.* 1. *Cod. Th. de rap. virg.* qua de re fuſius antiqui Declamatores. Nec dicendum eſt, eo tempore incognitum fuiſſe jus illud vetus: nam & quidam viri docti obſervarunt, juris illius meminiſſe CAROLUM CALVUM, & HINCMARUM. Sed forte vix eſt, ut hic ad illud reſpexerit, qui non ita pridem, apud eum ipſum Carolum ipſiſſima verba IUSTINIANI laudaverit in *d. cap.* 5.

Dicendum exiſtimarem, illud de lege Salica intelligendum, quippe quæ raptum, ſicut & aliud quolibet crimen, pecunia tantum æſtimat, ut videre eſt in ejus *tit.* 14. Sed cum ex legibus Rom. & ex Capitularibus, ultimum ſupplicium immineret; invaluit, ut raptor quibusdam ſummæ dignationis hominibus adhibitis de vita ſua componeret in certam pecuniæ quantitatem, raptam uxorem duceret, eique aliquid donaret. Luculentiſſimum juris illius exemplum exſtat apud SIDONIUM APOLLIN. *lib.* 5. *Epiſt.* 19. ubi agit de hujusmodi *compoſitione ſeu ſatisfactione*, & addit, *ne conſtringat pœna raptorem*. Ex eo iure, quod ita obtinuit, MARCULFUS *lib.* 2. *cap.* 16. de ea compoſitione formulam ſcribit, quam vocat *compoſitionalem Epiſtolam*, quæ ad vitandum mortis periculum fiat interpoſitis Sacerdotibus, aut bonis hominibus. Eadem etiam formula exſtat *inter veteres formulas juris Rom. cap.* 16. *poſt. Marculfianas*, apud SIRMONDUM: & utrumque caput illud exſcribit etiam LINDENBROGIUS *in form. cap.* 82. *et* 83. Ab eo jure non multum diſtat, quod habent Græci auctores BASILICON *lib.* 60. *tit.* 37. *cap.* 80. & BALSAMON, *ad Can.* 67. *Apoſt.* ubi raptor volentem

tem raptam uxorem ducere poteſt, ſi conſentiant parentes. Et ita cum Sacerdotes, nempe Nicolaus I. Hincmarus, & alii Proceres CAROLUM CALVUM rogarent, ut Balduino parceret, quem, teſte NICOLAO & FLODOARDO, volens Iudith ſequuta fuerat; rectiſſime NICOLAVS *in Epiſt. ad Epiſcopos Synodi Sylv.* dixit, CAROLVM CALVVM *Balduino parcere poſſe, & legaliter filiam ſuam ei dimittere in uxorem*. Cumque HINCMARVS, *Tit.* 17. ait, *permiſiſſe* CAROLVM, *ut ſecundum leges ſæculi uxoria conjunctione copularentur*, id eſt ſub conditione, (ut in ſimili loquitur Sidonius *laudato loco*) ſi ex lege Salica de vita componat; ſcribat compoſitionalem Epiſtolam, qua crimen et ejus pœnam agnoſcat; Iudith ducat uxorem, eique aliquid donet: illud ibi eſt *copulari ſecundum leges ſæculi*.

Quartum eſt, quod quamvis Balduinus raptam Iudith duxiſſet uxorem, poſtea tamen compoſitione facta, in Altiſſiodor. Eccleſia iterum uxoria conjunctione copulati fuerint. Vnde mihi conſtat, ſemper in Gallia ipſo jure nullum fuiſſe matrimonium illud, quod filiifam. ſine conſenſu parentum contrahunt, alioquin noſtrum illud male contraheretur. Simile aliud exemplum exſtat apud REGINONEM, *in Chronico ad an.* 888. ubi LVDOVICVS BALBVS abſque conſenſu Patris Anſgardam duxit uxorem, & ex ea ſuſcepit Ludovicum & Carolomanum: ea adhuc vivente pater cum matrimonio junxit cum Adela, quam prægnantem reliquit: omnes agnoverunt quaſi Regem Franciæ, filium ex ea ſuſceptum, non etiam Ludovicum & Carolomannum; quod non eſſent legitimi, quippe qui ex ea ſuſcepti eſſent, quam Ludovicus Balbus non conſentiente patre duxerat. Et facile probaverim per ætates & tempora, ſemper eam fuiſſe diſciplinam Eccleſiæ Gallicanæ. Et hinc Regiæ Conſtitutiones, & SCta declarant eas nuptias *non valablement contractées*, nequidem in foro poli, quod in iis deſit legitimus conſenſus. Et ideo HINCMARVS, *in Epiſt. quam Sirmondus ſubjicit poſt Synodum ad Tuſiacum*, ait, *Eas nuptias in ſe habere Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, quæ adhibito patris conſenſu contracta ſunt*: Sed de ea re alias.

Denique CAROLVS CALVVS nuptiis illis adeſſe noluit, ſed tantum Miſſos Dominicos deſtinavit, qui eas Regia vice comprobarent, aut utique ſuo nomine iis conſentirent. Nam non modo regales liberi abſque Regio conſenſu matrimonium contrahere non poſſunt, ſed ne quidem Regis beneficiarii ſeu vaſſalli, ut *ex vita S. Godeberta virginis* exſcribit QVERCETANVS, *tom.* 2. *Hiſt. Franc. pag.* 671.

## CAPUT V.

*Monachorum regula. Loca, in quibus Monaſteria ædificentur. Eorum clauſtra & officinæ.*

CVm Imperatores Romani Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, non multum poſtea Monachos, eorum domus, bona, diſciplinam, & mores ad ſuam curam pertinere voluerunt: tum vero præcipue, quod fidei veritatem apud eos eſſe crederent, qui factis virtutem declarabant, SOZOMENVS, *lib.* 6. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 20. & 27. Et ita VALENS, & VALENTINIANVS, *circa an.* 370. eorum moribus, converſationi & avaritiæ proſpiciunt, in *l.* 20. *Cod. Th. de Ep. & Cl.* Iidem *circa an.* 373. conſtituunt, Monachiſmo non evitari curialem conditionem, *l.* 26. *Cod. de decur.* THEODOSIUS M. *circa an.* 390. Monachos deſerta loca & vaſtas ſolitudines habitare jubet, *in l.* 1. *Cod. Th. de Monach.* biennio poſt revocat eos ad urbes & civitates, *l. ibid.* ARCADIUS *ad an.* 398. conſtituit, ex Monachis ordinari poſſe Clericos, dummodo publicis aut etiam privatis rationibus obnoxii non ſint, *l.* 32. *Cod. Th. de Ep. & Cl.* Eodem anno eorum audaciam in ſceleratis de Iudicum manu eripiendis cohibet, *in l.* 16. *Cod. Th. de pœn.* & in *l.* 57. *eod. Cod. de appell.* HONORIVS *ad an.* 401. iis concedit immunitatem ab auraria penſione, *in l.* 36. *Cod. Th. de Ep. & Cl.* THEODOSIVS IVNIOR *ad an.* 434 legem tulit *de bonis Monachorum*, quam in ſuo Cod. *ſub. eo tit.* repoſuit. MAIORIANVS, *in Nov.* 8. *de Sanctimonialibus*, ætatem definit, qua Moniales conſecrari debeant. IVSTINIANVS multas Conſtitutiones edidit, *in libris Cod.* & *in ſuis Novellis*, de Monachis, de triennali eorum probatione, de eorum moribus, converſatione, victu, veſtitu, bonis, & hæreditatibus. Denique LEO SOPHVS, *in Nov.* 6. definit etiam, qua ætate Monaſtica profeſſio emittenda ſit, ejuſque Novellæ meminit THEODORVS BALSAMON *ad Can.* 40. *ſextæ Synodi*.

Eorum Imperatorum pietati ſucceſſerunt, imo & non minimum addiderunt Chriſtianiſſimi Reges. Conſtat enim, eos innumera fere Monaſteria fundaſſe, multa recepiſſe in mundeburdum, ſeu Regiam tuitionem & protectionem, & multis ſanctiſſimas dediſſe regulas. CAROLVS M. *lib.* 1. *Capitul. cap.* 45. & 101. conſtituit, virgines non velari ante vigeſimum quintum ætatis annum: Monaſticæ probationis meminit, ut fiat ſecundum regulam, *lib.* 1. *cap.* 69. Monachis cantum dedit, *l.* 1. *c.* 74. Epiſcopis omnibus mandat, ut in ſuis Monaſteriis religionem aut regulam obſervari curent, & auxilium ſuum implorent, niſi ea obſervetur, *lib.* 2. *cap.* 4. LVDOVICVS PIVS *in addit.* 1. *Capit. cap.* 34. probationis annum indicit. CAROLVS M. LVDOVICVS PIVS, & CAROLVS CALVVS *in ſuis Capitularibus*, Regulam S. Benedicti paſſim Monachis omnibus imperant, eorumque curam egerunt exactiſſime, & per ſemetipſos, & per Miſſos Dominicos. Quæ omnia ſigillatim expendere juvat, & forte longioris ſubſellii erit ea diſquiſitio.

Et primo quidem, cum olim in Gallia plures & variæ eſſent Monachorum regulæ, modo S. Columbani, modo S. Cæſarii, modo S. Aureliani, modo quædam ſingulares in ſingulis Monaſteriis; non immerito CAROLVS M. Epiſcopos & Abbates interrogat, qua regula Monachi vixerint in Gallia, priuſquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuerit. Sed cum S. Benedictus Monachorum diſciplinam in Occidente fere collapſam reſtituit, ſolam ejus regulam in Gallia omnibus Monachis imperarunt Auguſtodunenſis Concilii Patres, *Can.* 15. *ad an.* 670. Liptinenſis, *Can.* 7. *ad an.* 743. Moguntiaci, *Can.* 11. *ad an.* 813. & alii plures. Vnde cum CAROLVS M. in quibuſdam Capitulis Eccleſiaſticis, primo ejus imperii anno editis, *cap.* 2. 3. & 4. jubet, *ut Monachi & Moniales ſecundum regulam vivant*, hoc omnino referrem ad regulam S. Benedicti: & doctiſſimus SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall. p.* 245. obſervat, ea Miſſis Dominicis data fuiſſe, ut perducerentur ad effectum.

LVDOVICVS PIVS *in* 2. *Aquiſgranenſi Concilio, cap. de vita & doctrina inferiorum ordinum, Can.* 15. ſic habet: *Hoc tamen ut non negligatur a Prælatis Congregationum, Miſſis Dominicis committatur, ut Monachi ſecundum traditam a S. Benedicto Regulam unanimiter regularem vitam in omnibus ſectentur.* Hoc mirum in modum illuſtrat *vita & actus* LVDOVICI PII, *ad an.* 817. *apud* QVERCETANVM: *Imperator generalem habuit Conventum Aquiſgrani &c.*

fecit

*fecit componi ordinarique librum Canonicæ vitæ regulam geſtantem* &c. *quem librum per omnes civitates & Monaſteria Canonici ordinis ſui Imperii miſit per manus Miſſorum prudentum, qui illum in omnibus ſupradictis locis tranſcribi facerent, debitaque & conſcripta exigerent ſtipendia miniſtrari* &c. *qui uniformem traderent cunctis Monaſteriis, tam viris, quam ſanctimonialibus fœminis vivendi ſecundum regulam S. Benedicti incommutabilem morem*. Duas ejus Imperatoris in eam rem Epiſtolas exſcribit SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 426. 675. & aliam AVBERTVS MIRÆVS, *in Cod. donat. piar. cap.* 13.

Secundo, cum S. BENEDICTVS cœnobitas duntaxat probaret, *cap.* 3. §. 1. *ſuæ regulæ*, qui nempe ſimul communem vitam agerent intra ejusdem Monaſterii ſepta; ideo Chriſtianiſſimi Reges cum eo Patriarcha diligenter curare voluerunt, in quibus locis ponerentur Monaſteria. Et hinc *Concilii Moguntiaci* ſub CAROLO M. *Canon* 20. præcipit, *Vt Miſſi Dominici cum Epiſcopis uniuscujusque diœceſis perſpiciant loca Monaſteriorum, ſi in apto & congruo loco ſint poſita, ubi commodum & neceſſarium poſſit acquiri, quo ad utilitatem pertinet Monaſteriorum, ſicut in ſancta regula dicitur*, nempe S. Benedicti. Additur: *Similiter quoque ædificia Monaſteriorum ſupradicti Miſſi, & cum iis Epiſcopi per diverſa loca prævideant, ſi apta ſint, & congruenter ſanctæ profeſſioni compoſita, vel ſi claſtrum firmum habeant*. Ea exſcripſit BENEDICTVS LEVITA, *lib.* 5. *Capitular. cap.* 143. & addidit: *Ab Epiſcopis locorum diligenter curandum, ut Monachi, Canonici, & Nonnanes, habeant condignam profeſſioni cuſtodiam, une clôture raiſonnable*, clauſtra bene firmata, in quibusdam CAROLI M. *Capitulis, des Cloîtres bien formés*.

CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis Synodi Sueſſionenſis, actione* 7. *cap.* 1. conſtituit, *Vt Miſſi Dominici congruas officinas in Monaſteriis conſtrui jubeant*; id eſt loca, in quibus Monachi quotidiano manuum operi vacare debent intra Monaſterii ſepta, ut palam eſt *ex regula Caſſiani*, apud S. BENEDICTVM, *Anianæ Abbatem, in Concordia regularum, cap.* 55. *de opere manuum cotidiano* §. 22. Ipſum quidem Monaſterium eſt *ſpiritualis officina*, inquit MAGISTER *in ſua regula cap.* 6. ſed in eo ſunt etiam deſtinata loca cotidiano manuum operi, quæ paſſim dicuntur officinæ. In eodem etiam *Can.* 15 *ſecundi Aquisgran. Concilii* committitur Miſſis Dominicis, *Vt Canonici, Monachi, Sanctimoniales, ſecundum regulam vivant in congruentibus clauſtris & domibus*.

## CAPVT VI.

*Receptio, Probatio, Votum ſeu Profeſſio Monachorum.*

SAnctus BENEDICTVS, *in regula ſua* ſcripſit *cap.* 65. *de diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum*, ad quod multi ejus ordinis Abbates multa etiam addiderunt, ut videre eſt *in Concordia regularum, quam edidit* S. BENEDICTVS, *Anianæ Abbas*. Eam impenſe curarunt Chriſtianiſſimi Reges. CAROLVS M. ſecundo Imperii ſui anno Capitula quædam Eccleſiaſtica edidit, & Sirmondus ea Miſſis Dominicis data fuiſſe notat, ut jam diximus. In eorum *cap.* 17. *apud* SIRMONDVM, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 246. jubet, *Vt quicunque liberi homines Monachiſmum induere velint, ab eo licentiam petant*: & rationem hanc ſubjicit: *quia quidem ex iis non tam cauſa devotionis, quam exercitum ſeu aliam functionem regalem fugiendo; quidam vero ab iis circumventi erant, qui res illorum concupiſcunt.* ANSEGISVS ABBAS Capitulare illud excripſit, *lib.* 1. *Capitular. cap.* 114. Ius illud diu ante CAROLVM MAGNVM in Gallia obtinuiſſe, probatur eleganter *ex vita S. Mauri Abbatis*, quod valde pertinet ad noſtram Andegav. hiſtoriam. Quo tempore S. Maurus Glannafolium venit (hodie *S. Maur ſur Loire en Anjou*) ſub THEODOBERTO I. Clodovæi filio, Florus in ejus regno ſummam obtinebat poteſtatem, & *Vicecomitis*, (ut legit QVERCETANVS *tom.* 1. *pag.* 540.) velut BENEDICTINI *in vita S. Mauri*, ab iis non ita pridem edita, *vice Comitis* in Andegavenſi pago fungebatur; ſed cum THEODEBERTVS Metenſe regnum habuerit, quomodo Florus Andegavenſem provinciam ſub eo adminiſtrare, aut regere potuit? COINTEVS *ad an.* 526. *num.* 4. & DACHERIVS, *ad eamdem vitam S. Mauri* reſpondent, quod poſt mortem Clodomeris, Aureliæ regis, THEODEBERTO, Theodorici filio, Andegavia obvenerit. Quidquid ſit, *Florus a Theodeberto rege licentiam petiit, ut ei regularem liceret ſuſcipere habitum; quam cum Rex negare nequiviſſet*, &c. Conſtat, idem juris obtinuiſſe olim in Clericis absque præcepto Regio non ordinandis, *ex primi Aurelian. Concilii Can.* 4. & ex MARCVLFI *formula* 19. *lib.* 1. ad quam magnus *Bignonius*. Sed illud Capitulare CAROLI M. pertinet tantum ad Monachos, qui ſe ad ſervitium Dei tradunt: ac potiſſimum religionem, aut Monachiſmum induere non poterant olim ſine permiſſu Principis; aut Iudicis puta Regii, & forte Miſſi Dominici, quos publicus cenſus ſpectat, ut eſt in *Synodo Remenſi, apud* FLODOARDVM, *lib.* 2. *cap.* 5.

Eodem *libr.* 1. *Capitular. cap.* 69. CAROLVS M. agit de probatione & voto Monachorum, & ut pateat, eorum Capitularium executionem datam fuiſſe Miſſis Dominicis, obſervandum eſt, omnia fere iſtius libri Capitula ab Anſegiſo deſumpta eſſe, ex Aquisgranenſi Capitulari CAROLI M. quod dicitur, *Edictum legationis in Palatio Aquisgrani datum Miſſis Dominicis, an.* 789. & hinc CAROLVS M. *in ejus Capitularis præfatione* ait, *ſe ſuos Miſſos direxiſſe, qui ea Capitula exequerentur, & corrigenda emendarent*: ſtatim ergo jubet, *in cap.* 45. *Vt virgines non velentur ante* 25. *ætatis annum*, quod omnino deſumpſit *ex Can.* 126. *Africani Concilii*; & illud adhuc exſcribit, *in cap.* 101. Ac poſtmodum *in cap.* 69. *Vt ad Monaſteria venientes ſecundum regularem ordinem primo in pulſatorio probentur, & ſic recipiantur. Et ut qui ex ſæculari habitu in Monaſterium veniunt, non ſtatim foras ad miniſteria Monaſterii mittantur; antequam intus bene erudiantur*, contra quam hodie mendicantes perperam faciunt. Ac tandem, *ut qui ſe voto vitæ Monaſticæ conſtrinxerunt, modis omnibus ſecundum votum ſuum vivere compellantur*.

Eo plane pertinet *cap.* 2. *Ex. de regular.* quod diligentius excutiendum. Et primo quidem non ſatis conſtat, undenam deſumptum ſit. In antiqua & Gregoriana Compilatione ſimpliciter adſcribitur Monguntino Concilio: BVRCHARDVS & IVO CARNOT. in ſuis Decretis *Part. VII. c.* 76. addunt: *Cui interfuit Carolus Imperator, & Riculphus Archiepiſcopus in clauſtro S. Albani, Can.* 20. Sed ANT. AVGVSTINVS *lib.* 1. *Dial.* 12. aſſerit, nullibi eum Canonem reperiri, præterquam apud eos Compilatores. SIRMONDVS Concilium illud, & 55. illius Canones edidit, ac ne verbum quidem de hoc noſtro *Can.* Sapit utique diſciplinam ejus Concilii, nam & ex ejus *Can.* 23. *in fin.* regulam hanc Raymundus exſcripſit, *in cap.* 1. *de regul. ib.d. Nullus tondeatur ſine legitima ætate, & ſpontanea voluntate*: additur in integro *Can. Vel*

cum

*cum licentia Domini ſui*. Ait ergo *d. cap.* 2. *Si quis ante annos legitimos tonſuratus eſt ſine conſenſu parentum ſuorum, ſi parentes ipſius intra annum non reclamaverint ad Principem, aut proprium Epiſcopum, vel ad Miſſum Dominicum, in clericatu permaneat. Si vero poſt legitimos annos per vim Clericus factus eſt, & nec ipſe nec parentes ejus intra annum ad memoratas perſonas reclamaverint, in clericatu permaneat*. Ex eo Canone unum illud obſervant forenſes ICti, olim, ſeu Iure Canonico, Monachum contra ſuam profeſſionem reclamare tantum potuiſſe intra annum: BRODÆUS *ad SCta Lovetii litt. C. num.* 8. Hodie ex Concilio Tridentino *ſeſſ*.25.*c*.19. intra quinquenium. Sed miror, quomodo non invaluerit eam reclamationem fieri, aut apud Principem, aut apud Miſſum Dominicum, ut in hoc *cap.* ubi perperam HOSTIENSIS, & alii veteres volunt, Principem eſſe Papam, & Miſſum Dominicum eſſe Legatum a Papa miſſum: nam certo certius eſt, ibi Principem eſſe CAROLUM MAGNUM, qui adſuit huic Concilio; & Miſſum Dominicum eſſe Miſſum Domini Regis, nam & præfatione illius Concilii, & in ejus *Can.* 20. agitur de Miſſis regalibus: hoc, inquam, miror, cum ſtatus perſonarum ſit omnino juris publici, & tam ſæpe Reges conſtituerint, ſtatum, vota, & profeſſionem Monachorum, pertinere ad ſuam, ſuorumque Iudicum curam.

## CAPUT VII.

*Monaſteriorum ſubjectio. Libertas ſeu exemptio. Reformatio. Victus & veſtitus.*

CUm olim Monachi ex primæva origine ſua eſſent omnino liberi, & exempti a poteſtate & jurisdictione Diœceſanorum Epiſcoporum, eo tandem fluxit Eccleſiaſtica diſciplina, ut iis jure communi ſubjaceant: eam quoque probarunt antiquiores Eccleſiæ Gallicanæ Canones, *Aurelianenſis primi Concilii Can.* 19. *ſub* CLODOVEO M. *Secundi Aurelian. Canon* 21. *ſub* CHILDEBERTO. *Canon* 2. *quinti Arelatenſis, ſub eodem Rege, & alii paſſim*, qui fere omnes in Capitularibus Regum noſtrorum exſtant. Sed tamen eorum temporibus pleraque Monaſteria erant prorſus in poteſtate Chriſtianiſſimorum Principum, & ex eorum arbitrio ſæpius pendebat Monaſteriorum libertas: hoc aſſerit & fuſius docet BALUZIUS, *paſſim ad Epiſtolas Lupi Ferrarienſis Abbatis*. Unde iidem Principes jus illud in iis Monaſteriis ſibi vindicarunt, ut ea, quibus vellent, ſubjicerent Epiſcopis; & ut ea ſubjectio vel aſſignatio perduceretur ad effectum, de ea litteras aut præcepta regia mitterent ad Miſſos Dominicos. Ejus rei luculentiſſimum exemplum extat in Monaſterio S. Columbæ Senonenſis Diœceſis, cum enim illud exemptum eſſet a poteſtate Senonenſis Archiepiſcopi, Uuenilo Senon. Archiep. a LUDOVICO Burgundiæ Rege CAROLI CALVI fratre, & quidem infenſiſſimo, litteras impetravit ad Miſſos Dominicos, ut eamdem Abbatiam revocarent in poteſtatem Senon. Archiepiſcopi, ut teſtatur *libellus proclamationis Caroli Calvi adverſus Uuenilonem cap.* 10. hoc etiam habet *epiſtola Synodalis ad eumdem Archip. Imputat præterea*, (nempe CAROLUS CALVUS) *quod Monaſterium S. Columbæ a Ludovico impetraveritis, & de aſſignatione ejus litteras ad Miſſos Ecbardum & Thedoricum*. Et jure querebatur CAROLUS CALVUS, quia in diviſione regni poſt Carolum M. placuit, ut ſinguli haberent certas quasdam provincias, & Epiſcopatus & Abbatias, quæ intra ſuas provincias conſiſterent, ait NITHARDUS. *lib.* 1. *hiſtor. ad an.* 838.

Sic etiam Monaſteriorum libertates, privilegia, exemptiones ſui juris eſſe, ſuæve tutelæ voluerunt iidem Principes. Quamvis enim Abbates, Monachi, Monaſteria Diœceſanis Epiſcopis jure communi ſubjaceant, ab ea tamen poteſtate & jurisdictione conſtat antiquiſſimas eſſe illas exemptiones, ut elegantiſſime probat *ſecunda ſeſſio Carthag. Concilii ſub Bonifacio Epiſcopo, ad an.* 535. quam exſcribit DACHERIUS *tom.* 6. *ſpicilegii*, expendit & adſtruit LE COINTE, *in Annalibus Eccleſ. Francorum, tom.* 3. *p.* 345. Eas olim ab Epiſcopis & Regibus datas fuiſſe, probat *prima & ſecunda Marculfi formula*. Quæque a Regibus concedebantur, non tantum eas in temporalibus obtinuiſſe, ſed etiam in ſpiritualibus, aſſerit FRANCISCUS FLORENS, *Aurelian. Anteceſſor, ad cap. auditis* 25. *Ex. de præſcript.* & poſt eum BALUZIUS, *ad Epiſt.* 12. *Lupi Ferrarien.* Earum innumera fere occurrunt, & a multis congeruntur exempla: ſed a Miſſis Dominicis non procul recedendum, de quibus præcipue inſtitutus ſermo.

Cum MARCULFUS in *d. ſecunda formula* exſcribit conceſſiones Regis ad hoc privilegium alicui monaſterio conceſſum, ſcribit eam *viris Apoſtolicis*, id eſt Epiſcopis, *& omnibus agentibus*. Eoque generali nomine Miſſos etiam Dominicos contineri putarem, quippe qui iidem eſſent fere ac olim Agentes in rebus, ut jam diximus. *Patres Synodi Tullenſis apud Saponarias, cap.* 11. CAROLUM CALVUM ſic alloquuntur: *Ut privilegium S. Benedicti* (Floriacenſis) *ratum & inconvulſum ſervare ſtudeat. Quod ſi Abbas negligens, & ſacris regulis inconveniens per directos Miſſos inventus fuerit, removeatur, & alius ſubſtituatur, & privilegii regularis auctoritas in eodem Monaſterio non deſtituatur*. Ille idem CAROLUS, *in Præcepto pro Monaſterio S. Grata Diœceſis Vrgellenſis* jubet, *Ut illud in ſua defenſione atque tuitione ſemper conſiſtat: & nullus Epiſcopus, aut Comes aut Miſſus diſcurrens ibi poteſtatem exerceat. Idem* CAROLOMANNUS *in Præcepto pro Pictavenſi Monaſterio S. Crucis*, quod exſcribit BELIUS *in Regibus Aquitaniæ, pag.* 40. 41. Addendum eſt forte, niſi Miſſus Dominicus ideo directus ſit, ut ſacra vice Monaſterium illud viſitet.

Chriſtianiſſimi Reges ſæpius etiam aggreſſi ſunt Monaſteriorum reformationem, & quidem per Miſſos Dominicos. Cum S. Benedictus Monachorum diſciplinam in Occidente pene collapſam reſtituit; ut de eo *Martyrologium Romanum*, in Gallia omnes fere Abbates & Monachi eam receperunt ad reſtaurandam normam regularis vitæ, *Capitularium* CAROLI M. *lib.* 5. *cap.* 3. Sed cum multa quotidie in variis Monaſteriis emendanda & reformanda occurrerent, *cum Canonica profeſſio a multis partim ignorantia, partim deſidia dehoneſtaretur*, ait CAROLUS M. *lib.* 1. *Capitularium cap.* 79. Capitulare illud dedit Miſſis Dominicis, *Ut per ſingulas civitates, & Monaſteria virorum & puellarum diligenter inquirant de converſatione ſingulorum; vel quomodo emendatum habent quod juſſerat de eorum lectione & cantu, cæteriſque diſciplinis ad ordinem Eccleſiaſticæ regulæ pertinentibus, lib.* 1. *cap.* 116. quod deſumptum eſt *ex ejus Capitulis anno* 6. *ad Nivomagum editis, c.* 4. Sic etiam cum *in Concilio Moguntiaco, Can.* 20 *circa an.* 813. cautum fuit, *Ut Miſſi Dominici Monaſteria Canonicorum, Monachorum, & Puellarum perſpiciant, & curent animas in iis commorantium ſub canonica, vel regulari diſciplina ſalvari*. BENEDICTUS LEVITA canonem illum exſcripſit, *lib.* 5. *Capitularium, cap.* 143. Idem etiam præſtitit LUDOVICUS PIUS in Conventu

tu

tu Aquiſgran. ut habet *ejus vita;* & in eo multa potiſſimum ad Moniales pertinent, ut mox videbimus.

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis, quæ in Synodo Sueſſion. edidit, in 7. actione cap.* 1. jubet, *Vt Miſſi Dominici per civitates & ſingula Monaſteria, tam Canonicorum, quam Monachorum, ſive Sanctimonialium, una cum Epiſcopo Parochiæ uniuscujusque, in qua conſiſtunt, cum conſilio etiam & conſenſu ipſius, qui Monaſterium retinet, vitam ibi degentium, & converſationem inquirant; & ubi neceſſe eſt corrigant*. Ea ipſa verba recentavit *in Capitulari Compendienſi, ad an.* 868. *cap.* 1. quod exſcribit BALVZIVS, *in appendice actorum veterum ad Lupum Ferrarienſem*. In eam rem elegans eſt *Epiſtola* 63. *ejusdem* LVPI, *ſub* CAROLO CALVO agentis; ex qua conſtat, eum fuiſſe Miſſum Dominicum, ut Monaſteria viſitaret, eaque Principi referret, quæ in iis emendanda eſſent.

Aliquando etiam in quibusdam Monaſteriis ea erat corruptio, ut in alium ordinem transformanda eſſent; nec illud fieri poterat abſque Principe, ut etiam in tertia ſtirpe Regum noſtrorum indicat ARNVLFVS *Lexonienſis Epiſcopus, in Epiſt.* 43. *circa fin.* ex qua conſtat, in ea transformatione inſpicienda eſſe *communia populorum vota*, & pietatis excitandæ, & in Monachos charitatis & benevolentiæ intuitu. Vnde cum S. ALDRICVS, Senon. Archiepiſcopus, Monaſterium S. Remigii reformare, & in alium locum transferre voluit, ait, *ſe illud facere cum conſilio fratrum ſuorum, videlicet Canonicorum, & Monachorum, nec non & fidelium laicorum. in Senon. Concilio ad an.* 834. *apud acta Senon. Eccleſiæ*. Sed ad eam alicujus Monaſterii reformationem ſuperius exſcriptæ Conſtitutiones volunt, ut Miſſis Dominicis adſit diœceſanus Epiſcopus; & is, qui Monaſterium tenet, id eſt Abbas, ſive ſit laicus, ſive Monachus, prout iis temporibus obtinebat: hodie ſive ſit regularis, ſive commendatarius. *Vita* LVDOVICI PII *ad an.* 817. docet, ab eo conſtitutum fuiſſe quendam Abbatem, nomine Benedictum, & cum eo quosdam Monachos ſtrenuæ vitæ, *qui per omnia Monaſteria irent ac redirent, eaque reformarent ad regulam S. Benedicti*.

Denique *in utroque Capitulari Sueſſion. act.* 7. *c.* 1. *& Compend. c.* 1. CAROLVS CALVVS jubet, *ut Miſſi Dominici victum, potum, & veſtitum Monachorum ordinent, pro qualitate & poſſibilitate loci, & neceſſitate inhabitantium*. Ejus Capitularis ratio præcipua deſumi poteſt *ex Can.* 3. *Concilii in Verno Palatio*, quod etiam exſcripſit CAROLVS CALVVS, *c.* 3. *In locis Sanctis, id eſt Monaſteriis, multos neceſſitate victus & veſtimenti a ſua profeſſione deviare comperimus, quod petimus a Miſſis Dominicis inquiri & corrigi*. In regula S. Benedicti aliud eſt caput *de menſura ciborum*, & aliud *de menſura potus*: de iis etiam, eorum menſura, & qualitate Capitula ediderunt Chriſtianiſſimi Reges. Et hic forte agendi locus eſſet de libra & hemina Benedictina, niſi vel etiam ſpicilegium abraſiſſet *doctiſſimus* AVCTOR *libri* non ita pridem editi, *de hemina*. Vnum tamen addiderim, utramque hanc ciborum & vini menſuram ab ipſius LVDOVICI PII temporibus auctam fuiſſe, ut palam eſt *ex additione prima Capitularium, cap.* 11. *in fin. & cap.* 22. *in fine*. *Vbi autem non eſt vinum, unde hemina detur, det duplicem menſuram de cereviſia bona. Et cap.* 27. *Abbas in refectorio iis omnem manducandi & bibendi humanitatem exhibeat: ſi vero propter hoſpitem voluerit ad ſolitam menſuram fratribus ſibique augere aliquid, in ſua maneat poteſtate*.

Quantum vero ad victum & veſtitum, ac præcipue Monialium, diligenter obſervandi ſunt duo Canones *ſecundi Aquisgran. Concilii*, ſub LVDOVICO PIO, nempe 12. & 13. In 12. ſic habet: *Illud namque neceſſarium viſum eſt de Monaſteriis puellarum, quæ in quibusdam locis lupanaria videntur potius eſſe, quam Monaſteria, propter negligentiam ſtipendiorum, aut certe inſolentiam Prælatorum. Vnde poſtulandum eſt, ut viri religioſi ad hoc dirigantur, & emendare ſtudeant*. In 13. *Admonendæ ſunt etiam Prælatæ Monaſteriorum, ut ſubditas moribus probis & exemplis præcedant; de neceſſariis ſubditarum victualibus ad proprios uſus ſubditis ſubtrahere non præſumant: ne & illæ inde, occaſione videlicet minorationis victus atque veſtimentorum, in laqueum incidant diaboli*.

Denique LVDOVICVS PIVS, *in tertio Capitulari, n.* 2. *cap.* 3. *&* 4. jubet, *Vt Miſſi Dominici de Monaſteriolis puellarum inquirant, in quibus nullus ordo bonæ converſationis tenetur*. Iam antea CAROLVS M. in quibusdam Capitulis, apud SIRMONDVM. *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 157. (quæ videntur appendices Aquisgran. legationis) jubet, ut Miſſi Dominici, *de Minutis Monaſteriis curent, ubi Nonnanes ſine regula ſedent ut in uno loco congregatio fiat regularis, & Epiſcopi prævideant, ubi fieri poſſit, &c*

## CAPVT VIII.

*Monaſteriorum bona. Numerus Monachorum in quolibet Monaſterio.*

QVælibet bona Monaſteriorum curæ ſemper fuerunt Chriſtianiſſimis Regibus, non tantum quod plura ex iis donaverint, ſed etiam quod cum eorum donationes ab ipſis etiam privatis factas Regia auctoritate confirmarunt, perinde eſſe putaverunt, ac ſi ea Monachi ex regia liberalitate poſſiderent, ut habet *Conſtitutio* ALEXII COMNENI, apud THEOD. BALSAMONEM, *ad Can.* 12. *ſeptimæ Synodi*. Vnde tot præcepta Regia de bonis Monachorum, quæ inſcribuntur ſæpius *Miſſis Dominicis*. Vnum laudaverim, quod eſt CAROLI M. & ex tabulario S. DIONYSII Pariſ. exſcribitur a BELIO, *p.* 227. Et hinc in *Can.* 20. *Vernenſis Concilii ſub* PIPINO *Rege, Abbas & Abbatiſſa rationes bonorum ſui regalis Monaſterii facere debent ad Dominum Regem;* cum nempe ſit plus quam patronus, ut loquuntur MOLINÆVS, D. LOVETIVS, & alii. Sic CAROLVS M. *an. ſexto Imperii*, Miſſis Dominicis dedit ea Capitula, in quibus jubet *cap.* 4. & 5. *Vt cum Abbatibus & Abbatiſſis curent & obſervent theſauros, & ornamenta Eccleſiarum & Monaſteriorum*, quod exſcribitur, *lib.* 1. *Capitular. cap.* 116. 117. Ille idem, *lib.* 3. *cap.* 82. jubet, *ut a Miſſis Dominicis beneficia*, id eſt feuda *Epiſcoporum, vel Abbatum, & Abbatiſſarum deſcribantur in breve*.

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis ex Synodo Sueſſion.* mandata illa Miſſis Dominicis dedit, in quorum *cap.* 1. ſic habet: *Inbrevient etiam*, (nempe Miſſi Dominici) *quid unusquisque Prælatus, quando Eccleſiæ prælationem ſuſcepit, ibi invenerit; & quid modo exinde ibi minus ſit, vel quid & quantum ſit ſuperadditum*. Hoc ab eodem recentatum eſt in *Capitulari Compendienſi c.* 1. ejusque deſcriptionis exemplum videre eſt *apud* FLODOARDVM, *lib.* 3. *Rem. Hiſt. cap.* 28. ubi HINCMARVS Anſelmo cuidam Monacho præcipit, *ut deſcribat omnia, quæ in Monaſterio ſuo ante ipſius Præſulis ordinationem facta & collata fuerint, & quævе poſtea: numerum quoque fratrum & famulorum iis ſervientium, & ſi qua exinde ſuo tempore diſpenſata fuerint, & in quos*

*quot uſus, vel per quas perſonas: & ita veraciter omnia deſcribantur, ut Miſſi Dominici nihil ibi falſum poſſint invenire*. Et hinc cum LVPVS *Abbas Ferrar.* eſſet Miſſus Dominicus ſub CAROLO CALVO, jubet, in *Ep.* 80. *in fin.* ut quidam Abbas ad ſe mittat *breves de facultate ſui Monaſterii*.

Ad bona Monachorum pertinent adhuc pleraque alia Capitularia: ſed potiſſimum illud CAROLI CALVI, *ex Synodo Sueſſion. actione 7. cap.* 2. 3. & 5. in quibus ſtatim jubet, *Vt Miſſi Dominici curent, ne Monaſteria in proprietatibus fundatorum ædificata, ab eorum hæredibus dividantur*: De ea diviſione jam olim diximus, *in Commentario noſtro ad cap.* 1. *Ex. de jur. Pat.* Additur *in iiſdem Capitulis, c.* 2. *de iis Monaſteriis, quæ in alodem data ſunt*, id eſt *in proprietatem*, ut ibidem ſubjicitur, ut & fuſius ſuo loco videbimus. Iis vero temporibus Reges & Principes Eccleſias & Monaſteria laicis dabant, aut in beneficium, aut in alodem. De iis, quæ beneficiario jure tenebantur, PILESACVS *in querela Eccleſiæ Gall.* paſſim D. DE MARCA *in hiſtoria Bearn. lib.* 1. *cap.* 28. AVCTOR *libri du Franc-alleu, pag.* 279. & plures alii. Ejus rei luculentiſſimum exemplum videre eſt, *in* CHRON. *Attrebat. & Camerac. lib.* 3. *cap.* 6. quædam addidimus etiam in *Proleg. ad eumdem tit. de jur. patron. cap.* 17. ubi oſtendimus, quomodo laicilli Abbates in iis Monaſteriis habere cœperunt jus Patronatus. De iis, quæ in alodem, agitur *in hoc Sueſſion. Capitulari, cap.* 2. & 5. & in *Concilio Meldenſi, Can.* 41. *ſub eod.* CAROLO CALVO, ubi ſic habet: *Providendum eſt Regiæ Majeſtati, ut Monaſteria, &c. & nunc in allodium data ſunt, quapropter omnis exinde religio funditus eſt everſa*. In Can. 42. *Monenda eſt ſolertia Regia, ut ſtrenuos & fideles Miſſos dirigat, & inveſtigent, ac diligenter inbrevient res Eccleſiaſticas, quæ in allodium data ſunt. In cap.* 5. *ejuſdem Capitularis: Vt Miſſi diligenter deſcribant, eique renuntient, a quibus, & quibus res ad Monaſteria pertinentes in alodem data ſint, & quantum exinde ſit*. Eaque ratione deſcriptio illa Miſſis Dominicis demandari ſolebat, quia ſæpius Monachi ad egeſtatem redacti oſtiatim mendicare tenebantur; cum Magnates beneficiarii, aut allodiarii omnia eorum bona ſibi vindicarent, nec quid iis præſtare vellent, ut docet LVPVS *Abbas Ferrar. in Epiſt.* 42.

Iubet præterea *c.* 3. *Vt Miſſi Dominici per ſingulas parochias, una cum Epiſcopo parochiæ ipſius, requirant de Abbatiolis ex caſis Dei*, ſeu Monaſteriis *in beneficium datis, qualis cenſus inde exeat; ut Eccleſia, de qua ſunt, exinde veſtituram habere poſſit*. Abbatiolæ ſunt prædia Monaſteriorum laicis data in beneficium, in feudum; ut probari poteſt ex AIMOINO FLORIAC. *lib.* 5. *cap.* 34. Nihil frequentius, quam ut pro terris Eccleſiaſticis in beneficium datis, cenſus quidam huic Eccleſiæ ſolverentur, unde exierant: CAROLVS M. *lib.* 5. *cap.* 198. CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis apud Sylvacum, cap.* 2. *In Edicto Piſtenſi, cap.* 2. *Concilii Francfordienſis Can.* 25. *Synodi Liptinenſis* ſub CAROLOMANNO, *Can.* 2. & alibi paſſim. Et ideo Miſſi Dominici requirebant, qualis cenſus exiret, ut ita *Eccleſia veſtituram haberet*, id eſt poſſeſſionem illius cenſus acquireret. Vnde duo fluxiſſe videntur hodie: primum eſt, quod monaſteria tot reditus fundiales, aut prædiales habeant: alterum eſt, quod de eorum poſſeſſione cognoſcant Iudices Regii.

Ea potiſſimum ratione volebant Chriſtianiſſimi Reges a Miſſis dominicis deſcribi bona Monaſteriorum; ut viderent, ne amplius in iis reciperentur Monachi, quam ratio permittebat, & in iis degere poſſent abſque neceſſariarum rerum penuria; ut eſt in *Can.* 8. *ſexti Arelat. Concilii* ſub CAROLO M. ex quo Can. deſumptum eſt *cap.* 1. *Ex. de inſtitut.* ne plures mitterentur in Monaſteria Canonicorum vel Monachorum, aut etiam puellarum, quam ſufferri poſſit. *Moguntiaci Concilii Can.* 19. *ſub eod.* CAROLO M. Nihil omnino frequentius in ſacris Canonibus, & in Conſtitutionibus veterum Imperatorum, quam ut in quibuslibet Eccleſiis certus ſit & determinatus Clericorum & Monachorum numerus, & quidem juxta earum vires aut facultates: ne ſi plures in iis inſtituantur, incidant *in cauſam mutuorum*, ait Iuſtinianus, *in Nov.* 3. *Præf.* id eſt, ne magnam pecuniæ quantitatem quotidie mutuo accipere teneantur ad eos omnes exhibendos; & ita tandem ad inopiam redigantur in opprobrium Cleri. Singularis forte occurrit ratio in Monachis, quam afferunt *Moguntiaci Concilii Patres in Can.* 20. *Vt iis non ſit neceſſitas vagandi foras ad quærenda neceſſaria, quod omnino non expedit animabus eorum; ne propter neceſſitatem victus aut veſtimenti, a ſua profeſſione deviare teneantur*. Eoque pertinet etiam *Canon tertius ſecundi Vernenſis Concilii*.

Et hinc CAROLVS CALVVS jubet, *in iiſdem Capitulis ex Synodo Sueſſion. cap.* 1. *Vt Miſſi Dominici præcipiant victum, potum, & veſtitum Monachis ordinari pro qualitate & poſſibilitate loci: ut deſcribant numerum Monachorum & Sanctimonialium uniuſcujuſque loci*: & ut addit, *ſecundum qualitatem & quantitatem loci, cum conſilio Epiſcoporum & fidelium noſtrorum, ubi minor numerus fuerit, noſtra auctoritate addamus: ubi vero indiſcretione Prælatorum ſuperfuerit, ad menſuram redigamus*. Et ſic antea CAROLVS M. *lib.* 1. *Capitular. cap.* 106. & 107. prohibuerat, *ne ſuperfluæ congregationes fierent; ſed ut quilibet Abbas tantos congregare poſſet, quantis conſilium dare poterat; & ut in monaſteriis non amplius eſſent ſervi, aut ancillæ, niſi ſecundum menſuram*.

## CAPVT IX.

*Monaſteriorum reparationes, & bonorum ad ea pertinentium. Lites, cauſæ, negotia.*

DVo ſuperſunt excutienda de Monaſteriis. Primum eſt de eorum inſtaurationibus & reparationibus. CAROLVS M. *lib.* 4. *cap.* 4. ſic loquitur: *De opere vero, & reſtauratione Eccleſiarum Epiſcopus & Abbas, atque Comes una cum Miſſo noſtro, quem ſibi ipſi ad hoc elegerint, conſiderationem faciant*. In *lib.* 5. *cap.* 143. ſic habet: *Dignum ac neceſſarium eſt, ut Miſſi noſtri per quæque loca directi ſimul cum Epiſcopis proſpiciant loca Monaſteriorum Canonicorum pariter, ac Monachorum, ſimiliterque Puellarum &c. ſimiliter quoque ædificationes Monaſteriorum ſupradicti Miſſi, & cum iis Epiſcopi per diverſa loca prævideant, &c. ubi autem aliter inventa fuerint, hoc omnimodis Epiſcopus loci ipſius faciat emendari*. CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis ex Synodo Sueſſion. act.* 7. *cap.* 1. jubet, *Vt Miſſi Dominici congruas officinas conſtrui jubeant, ubi deſunt; & ubi ſunt facta, & per negligentiam ſunt deſtructa, inſtaurari præcipiant*, & addit, *cum conſilio etiam & conſenſu ipſius, qui Monaſterium tenet*: & in ipſa Synodo adduntur ea verba, *quem volumus, & expreſſe præcipimus, ut præſens ſit*: quia cum Abbas non minimam redituum & obventionum partem capiat, æquius eſt, ut ejus etiam impenſis Monaſteria reſtaurentur, & ſarta ſint eorum tecta,

Eccleſiæ Gallic. Prælati, *in Synodo ad Teudonis villam*,

*villam*, *cap.* 5. petunt a CAROLO CALVO, *Vt in Monaſteriis locorum reſtauratio fiat Diœceſani Epiſcopi providentia, adhibito quodam Abbate viro religioſo; ut in iis proviſores inſtituantur, qui ad Regis notitiam referant, quæ corrigenda ſunt.* Caput illud conceptiſſimis verbis docet, eo tempore Chriſtianiſſimos Reges propter imminentem Reipub. neceſſitatem laicis commiſiſſe Monaſteria, ut ex eorum reditibus militaria ſtipendia perciperent, ejusque rei exempla occurrunt paſſim, apud auctores ejus ſæculi.

Alterum eſt de cognitione cauſarum, aut litium ad Monaſteria pertinentium. Sub CAROLO M. Miſſi Dominici cognoſcunt de lite inter Monachos Farfenſis Monaſterii, & Guiniſchiſum Ducem, de quibusdam piſcariis, ut videre eſt *in Chronico Farfenſi cap.* 57. *apud* QVERCETANVM, *tom.* 3. *Hiſt. Franc.* Et *ibidem* non multo poſt ſimile aliud exemplum exſtat, *pag.* 656. *ejusdem tomi*. Sub eodem Miſſi Dominici cognoſcunt de Cella S. Goaris Treverenſis, an ea pertineret ad Trevirenſem Epiſcopum, an vero ad Prumienſem Abbatem, ut videre eſt *in miraculis S. Goaris, poſt alteram ejus vitam editis*; *tom.* 2. *SCtorum Benedictin.* Sic etiam cum ſub LVDOVICO PIO lis quædam orta eſſet inter Monachos S. Benedicti Floriacenſis, & inter Monachos S. Dionyſii, de ea cognoverunt Miſſi Dominici, apud ADREVALDVM, *lib.* 1. *de miraculis S. Benedicti*, *cap.* 25.

Sub eodem etiam Imperatore, Miſſus Dominicus cognoſcit de lite inter Monachos S. Vincentii de Vulturno, & quosdam Magnates, de ſtatu quorumdam vaſſallorum, *in Chronico ejus Monaſterii*. Ac tandem, ſi Abbas prædium aliquod ſui Monaſterii evindicare vellet, hoc fieri ſolebat apud Miſſos Dominicos: ut palam eſt, *ex formula incerti auctoris*, *cap.* 6. apud *magnum* BIGNONIVM. Si damnum alicui Monaſterio, aut ejus ſervis datum fuerit, ejus Advocatus de eo agebat, apud Miſſum Dominicum: ut videre eſt, *in quadam veteri charta Nobiliacenſis Monaſterii*, quam exſcribit BELIVS *in Regibus Aquitaniæ*, *pag.* 23.

## CAPVT X.

*Curam habebant pauperum.*

OMnia Regum noſtrorum Capitula docent plus ſatis, quanta fuerit eorum charitas in pauperes, quanta eorum cura de bonis ad eos pertinentibus, quomodo iis factas donationes in protectionem ſuam ſuſceperint. Sed & huic etiam fini utebantur Miſſorum ſuorum induſtria: CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 28. jubet, *ut Miſſi Dominici ita ſuos Conventus agant ſuaque Placita, ut pauperes populi opportunitatem conveniendi habeant*: cumque in eo, & in tribus præcedentibus multa de Miſſis Dominicis propoſuit, ſtatim *in cap.* 31. jubet, *Vt orphanis ſubveniant, qui paternam aut maternam hæreditatem amiſerint, quive perperam a ſuis parentibus exhæredati fuerint*. Iampridem illud ipſum caverat, *lib.* 1. *cap.* 115. *Ne a potentioribus opprimantur pauperes aut contra juſtitiam exhæredentur*. Sed poſtea hujus Capitularis executionem ſuis Miſſis demandat, *in d. cap.* 31. *&* 32. ubi addit, illud etiam pertinere ad eorum curam, *Ne quilibet potentiores ſub mala occaſione, vel malo ingenio res pauperum emere, aut vi tollere audeant: ſed qui ex iis aliquid comparare voluerit, in publico Placito coram idoneis teſtibus, & cum ratione hoc faciat. In cap. ſequ. de cauſis viduarum, pupillorum, orphanorum, vel reliquorum pauperum; ut in primo Conventu ante medium diem* (avant midy) *illorum ratio, vel querela audiatur & definiatur: & poſt mediam diem cauſa Regia, & Eccleſiarum & potentum.*

Sic etiam cum *lib.* 4. *cap.* 44. Miſſis Dominicis mandavit, de quibus cauſis agere debeant, *in cap.* 46. ſubjicit *de pauperibus, viduis, & pupillis injuſte oppreſſis, ut adjuventur & releventur*. Ac tandem, *in addit.* 4. *cap.* 115. *Comites autem, aut Miſſi noſtri magnum ſtudium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur*, quod SIRMONDVS referet inter Capitularia LVDOVICI PII, *tom.* 2. *Concil. Gall.* in geſtis LVDOVICI PII, *ad an.* 814. *Ad juſtitias faciendas, & oppreſſiones popularium relevandas, legatos in omnes regni ſui partes miſit*. Quod etiam ad eum annum habent EGINARDVS, ANNALES FVLDENSES, & BERTINIANI; ſed vetus CHRONICON MOISSIACENSE illud rejicit *ad an* 815. THEGANVS, *in geſtis ejusdem*, *cap.* 13. *Miſit legatos ſuos ſupra omnia regna ſua, qui egreſſi invenerunt innumeram multitudinem oppreſſorum, aut ablatione patrimonii, aut exſpoliatione libertatis; quod iniqui miniſtri, Comites, & loco poſiti, per malum ingenium exercebant.*

CAROLVS CALVVS, *in Conventu ad Marſnam*, *cap.* 7. ait: *Vt in ſingulis partibus regni Miſſi idonei conſtituantur, qui querelas pauperum & oppreſſiones definire valeant*. In Capitulis ad Valentianas, in adnuntiatione CAROLI Regis, *cap.* 4. *De cavenda rapacitate, & oppreſſione rerum Eccleſiaſticarum & pauperum.* HINCMARVS *in admonitione* 14. *ad Proceres regni*, *cap.* 25. *Proceres & Conſiliarii mittebantur in provincias, ut quilibet miſeri, pauperes, & oppreſſi ad manum haberent, per quem juſtitiam acciperent*, & quos appellare ſeu implorare poſſent, ut eſt *in Capitulis* CAROLOMANI II. *ad Vernum Palatium*, *cap.* 9.

Denique non omittendum, quod SIRMONDVS refert inter quædam Capitula CAROLI MAGNI, *ad an.* 789 *tom.* 2. *Concil. Gall. cap.* 16. *De pauperibus in plateis, vel quadruviis jacentibus, ut ad Eccleſiam veniant, & eorum confeſſiones donentur*: quæ ultima verba ſic forte accipienda ſunt, ut pauperes ad Eccleſiam accedentes ei offerant litteras commendatitias, quæ olim peregrinis pauperibus dari ſolebant, ut ab aliis fidelibus eorum inopia ſublevaretur: earum meminerunt GREGORIVS NAZIANZENVS *in Orat.* 1. *contra Iulianum*, SOZOMENVS, & NICEPHORVS. Cumque peregrini illi commendatitias illas litteras afferebant, *Diaconus inquirebat, an eſſent fideles, an Eccleſiaſtici, an hæreſi quadam contaminati: & deducebantur ad locum iis accommodatum*, ut habet *auctor Conſtitutionum Apoſtolic. lib.* 2. *cap.* 58. Et ideo forte in hoc noſtro Capitulari litteræ illæ dicuntur *litteræ confeſſionis*, quod cum iis temporibus exoleviſſent confeſſores, qui olim eas confeſſionis litteras dabant lapſis; litteræ commendatitiæ dici cœperunt *litteræ confeſſionis*, quod peregrinorum veram & catholicam fidem conteſtarentur & probarent: Vnde cum pauperes in aliquam civitatem veniebant, jubebat CAROLVS M. ut ad Eccleſiam accederent, & illius Prælato, vel Diacono litteras commendatitias, litteras confeſſionis donarent ſeu offerrent; ac ſi eſſent orthodoxæ fidei, deducerentur in xenodochium, in quo recipiebantur tantum probatæ fidei pauperes ac peregrini: CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis tit.* 27.

Ac tandem CAROLVS M. *in quibusdam Capitulis*, quæ Miſſis data dicuntur, *apud* SIRMONDVM, *eod. tom.* 2. *pag.* 246. jubet, *in cap.* 16. *Vt in anno de famis inopia, unusquisque ſuos adjuvet, & ſuam non nimis annonam care vendat; & ne foris imperium vendantur alimonia.* *In cap.* 24. *a Sacerdotibus* admo-

*admoneri populum, ut eleemoſynas dent.* Easque taxant aut definiunt quidam Epiſcopi ſecundum perſonarum conditionem: ſemper tamen addunt, *juxta quod poſſibilitas eſt in Decretali precum, ibidem, pag.* 159 quod etiam exſcribitur, & Regia auctoritate confirmatur, *lib.* 5. *Capitul. cap.* 136.

## CAPUT XI.

*Scholæ publicæ.*

IAm fuſius olim docui, *ad Can. Ego Berengarius*, in Gallia diu ante Carolum M. receptam uiſſe ſanctiſſimam hanc conſuetudinem, ut in omnibus fere majoribus Eccleſiis inſtitutæ eſſent Scholæ publicæ, & divinæ, & humanæ literaturæ, ut loquuntur veteres Eccleſiæ Gallicanæ Canones: & ALEXANDRUM III. in ſuo *Lateran. concilio*, inſtitutum illud produxiſſe ad univerſalem Eccleſiam. Nunc docendum breviter, Scholas illas pertinuiſſe ad curam Miſſorum Dominicorum. CAROLUS M. *in Edicto legationis, quod in Aquisgrani Palatio datum eſt Miſſis Dominicis* (ut palam eſt ex præfatione) *cap.* 70. *in fin.* ſic habet: *Et ut Scholæ legentium puerorum fiant, pſalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcant, ſed & libros catholicos bene emendatos habeant.* Si minorum hujusmodi Scholarum cura iis demandata fuerit, veriſimilius eſt, eos etiam curaſſe majores.

LUDOVICUS PIUS, *in ſecundo Capitulari cum inſtructione Miſſorum Dominicorum, cap.* 5. *in fin. Scholæ ſane ad filios & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos, vel edocendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum eſt, ad multorum utilitatem & profectum a vobis ordinari non negligantur.* BENEDICTUS LEVITA conſtitutionem illam exſcripſit, *lib.* 2. *Capitular. cap.* 5. Sexti Pariſienſ. Concilii Patres, *lib.* 3. *Can.* 12. ab eo Imperatore petunt, ut circa eas Scholas CAROLI M. Capitula exequatur, & ſaltem in tribus Imperii ſui congruentiſſimis locis Scholas publicas inſtituat, *quoniam*, inquiunt, *ex hoc facto, & magna utilitas, & honor ſanctæ Dei Eccleſiæ, & vobis* (ipſi Imperatori) *magnum mercedis emolumentum, & memoria ſempiterna accreſcet.* Ac tandem locus ille AUREVALDI, de quo jam toties, eleganter docet, Aureliis fuiſſe Doctores legis Romanæ, quod utique Scholas importat & arguit, in quibus palam ea doceretur, teſtatur etiam, eos legis Doctores notiſſimos fuiſſe Miſſis Dominicis

## CAPUT XII.

*Pacatum Miſſaticum.*

VLPIANUS *in l.* 13. *D. de off. Præſ.* ait, *congruere gravi & bono Præſidi, ut pacata & quieta ſit ea provincia, quam regit.* & hinc Tertullus, Iudæorum orator, Felicem, Syriæ Præſidem, ab ea laude aucupatur, quod Iudæi per eum in multa pace agerent, ACTORUM *cap.* 24. *v.* 3. Sic etiam Miſſi Dominici unum illud præcipue habebant in mandatis, ut apprime curarent, quietum & pacatum eſſe ſuum Miſſaticum. CAROLUS M. *lib.* 2. *Capit. cap.* 11. generaliter omnes admonet, *Ut charitatem & pacem invicem habeant*, eique fini, *honorem exhibeant Miſſis Dominicis:* quod etiam poſtea exſcripſit LUDOVICUS PIUS, *in ſuo Capitulari ſecundo ad Miſſos Dominicos cap.* 11. Idem CAROLUS M. *ibidem, cap.* 28. jubet, *Ut Miſſi Dominici diligenter inquirant, quam concordes & unanimes ſint omnes fideles, ut officio ſuo rite fungantur.* Idem *in Capitulari Aquisgranenſi* (quod dicitur legationis Edictum Miſſis Dominicis ab eo datum) *cap.* 60. *Ut pax ſit, & concordia, & unanimitas, cum omni populo Chriſtiano inter Epiſcopos, Abbates, Comites, Iudices, & omnes ubique, ſeu majores, ſeu minores perſonas.* Ea exſcribuntur etiam, *lib.* 1. *Capit.* 59. In aliis Capitulis, quæ anno duodecimo Imperii dedit iisdem Miſſis, *cap.* 33. *Ut Eccleſiæ, viduæ, & pupilli per bannum* (ſeu Edictum) *Regis pacem habeant, & illud quomodo geſtum ſit, inveſtigent Miſſi Dominici:* apud SIRMONDUM *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 248. Ac tandem, cum in ſexto Arelat. Concilio cautum eſt, *ut pax ſit & concordia inter Epiſcopos, & Comites, & reliquos Clericos & Monachos, & Laicos;* hoc exſcripſit in ſuo Capitulari, quod iisdem Miſſis dedit, *anno* 13. *ſui Imperii*,

LUDOVICUS PIUS, *in eod. Capitulari, cap.* 2. unum illud præ cæteris ad ſuam ſuorumque Miſſorum curam pertinere putat, *ut pax & juſtitia in omni generalitate populi ſui conſervetur.* Et in *cap.* 10. *Epiſcopi vero, vel Comites* (quos Iudices fuiſſe probavimus olim) *& ad invicem, & cum cæteris fidelibus concorditer vivant, & ad ſua miniſteria peragenda viciſſim ſibi adjutorium ferant;* quod etiam videre eſt, *lib.* 2. *Capitul. cap.* 10. Patres ſexti Pariſ. Concilii *lib.* 3. *Can.* 24. rogant eum Imperatorem, *Ut ejus Conſiliarii, aliique Miniſtri concordiam inter ſe habeant.* Canonis illius ipſiſſima verba exſcribere non tam forte inconveniens erit.

*Rogamus etiam veſtram pietatem* (nempe LUDOVICI PII) &c. *quatenus Conſiliarii, & dignitatis veſtræ Miniſtri, qui debent eſſe intra regnum, aliis decus, & bonitatis exemplum, & in cæteris nationibus bonæ opinionis condimentum, caritatem, pacem, atque concordiam, omni ſimulatione, & calliditate poſtpoſita, ad invicem habeant; ut ſecundum Dei voluntatem, & veſtram honeſtatem, atque totius regni profectum communiter decertent, & veri vobis adjutores in omnibus concorditer exiſtant: verique adjutores veſtri & totius regni ſalubriter eſſe tunc poterunt, ſi unanimes extiterint, & invicem dilectionem habuerint.* Et paulo poſt: *Ubi igitur omnes diſſenſiones ac diſcordiæ dirimendæ, & omnis malitia Imperiali auctoritate eſt comprimenda, neceſſe eſt, ut quod in aliis corrigere decernit, minime ibi reperiatur.* Hoc etiam relatum eſt, *in cap.* 3. *ſecundi Aquisgran. Concilii ſub eodem* LUDOVICO PIO *Can.* 12. *& in Additione ſecunda Capitul. cap.* 28.

Singularis utique locus de diſcordia Iudicum, quæ ſæpius oritur ex conteſtatione vel controverſia juriſdictionis, ut hodie loquimur, cum nempe non ſervant juriſdictionis ſuæ formam, *in l.* 2. *Cod. Th. de re jud.* & in *l.* 31. *D. ad leg. Corn. de falſ.* cum ſupra plantam evagantur, ut de iis AMMIANUS MARCELLINUS, *lib.* 28. *c.* 1. & inter ſe ſimultatibus ortis colliduntur ad urbis naufragium, ut eſt in CHRONICO CAMERACENSI, *lib.* 1. *cap.* 70. adde & in ordinis opprobrium. Unde CAROLUS M. ſapientiſſime imperat ſupra *lib.* 2. *cap.* 28. Miſſis Dominicis, ut eas diſſenſiones compeſcant, ut pax ſit, concordia, & unanimitas inter judices; & quidem ea potiſſimum ratione, quam ipſe affert, *ut officio ſuo rite fungantur:* nam *pax & juſtitia ſe invicem oſculari debent, ut ſit gloria in terra noſtra, Pſal.* 85 *v.* 11.

CAROLUS CALVUS, *in ſuis Capitulis ad Valentianas, in adnuntiatione Domini* LOTHARII, *cap.* 1. *de Miſſis directis per regnum: Ut populus pacem & juſtitiam habeat. In adnuntiat.* CAROLI *Regis cap.* 4. *de obſervatione pacis. Et cap.* 6. *de concordia & mutuo adjutorio Epiſcopi & Comitum ad juſtitias faciendas.*

*ciendas*. In *Capitulis poſt reditum a Confluentibus*, *cap.* 1. & 3. jubet, *Vt Miſſi diſcurrentes firmitatem cum fratre habitam obſervari curent*. In cap. 8. *Vt pax omnibus modis in toto regno per eorum Miſſaticum obſervetur*. In Capitulis *in Synodo Piſtenſi* editis *cap.* 4. *Vt pacis violator juxta facinoris qualitatem, ſive coram eo ipſo Rege, ſive coram Miſſo Dominico dignas pœnas perſolvat.*

HINCMARVS REM. *in admonitione* 14. *cap.* 36. ait, inſtitutos eſſe Miſſos Dominicos, *Vt viderent, ſi populus in qualibet regni parte, regione, ſeu angulo turbatus ſit, quæ cauſa turbationis, ſi murmur populi obſtrepat, vel tale aliquid inæquale reſonet, ut Regem interrogantem de iis certiorem faciant.*

## CAPVT XIII.

*Fidelitas populorum.*

CVrabant Chriſtianiſſimi Reges, ut populus iterum atque iterum fidelitatem iis juraret, ſeu adhibito ſolemni juramento promitteret: Iſtius juramenti formula paſſim exſtat in eorum Capitularibus; & apud LINDENBROGIVM, *in Gloſſario*, in verbo *Fidelis*. Ejus exigendi cura demandari ſolebat Miſſis Dominicis. CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 88. *Vt Miſſi noſtri populum noſtrum iterum nobis fidelitatem promittere faciant ſecundum conſuetudinem jamdudum ordinatam: & ipſi aperiant & interpretentur illis hominibus, qualiter ipſum Sacramentum, & fidelitatem erga nos ſervare debeant.* Quid illud ſit, explicat HINCMARVS, *in opuſculis*, *cap.* 61. ubi etiam ſubjicit quaſdam animadverſiones in illud juramentum, quæ omnia ſunt plane longioris ſubſellii. Eleganter FVLBERTVS CARNOT. *in Epiſt.* 45. docet, jurantem vaſſallum ea ſex in memoria ſemper habere debere, *incolume*, *tutum*, *honeſtum*, *utile*, *facile*, *poſſibile*; *& dominum fideli ſuo in iis omnibus vicem reddere.*

Idem CAROLVS, in quibuſdam Capitulis, quæ Miſſis Dominicis data dicuntur, *apud* SIRMONDVM, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 157. *De Sacramento fidelitatis, quod nobis & filiis noſtris jurare debent, quod his verbis conteſtari debet: Sic promitto ego ille partibus domini mei Caroli Regis, & filiorum ejus, quia fidelis ſum, & ero diebus vitæ meæ ſine fraude & malo ingenio.* Et aliquando volebat, ut coram Miſſis ſibi filiiſque juraretur fidelitas per corpora Sanctorum, ut eſt *in veteribus Francorum Annalibus*, *apud* QVERCETANVM, *tom.* 2. *Hiſt. Franc. pag.* 5. per S. Martinum, per S. Germanum; ut *in aliis Annalibus ibidem*, ubi de Daſilone: ſuper corpus S. Dionyſii, *apud* EGINARDVM.

LVDOVICVS PIVS *in Capitulari tertio circa fin. Volumus & jubemus, ut Miſſi noſtri diligenter inquirant, qui necdum fidelitatem nobis promiſerunt, ut cum juramento nobis fidelitatem promittere faciant.* In aliis ejuſdem Capitulis *cap.* 4. eadem ipſa exſcribuntur.

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis apud Attiniacum* (ubi jubet, ut quilibet Miſſus Dominicus ea exequi procuret) *cap.* 13. *De fidelitate Regi promittenda, id eſt omnes per regnum illius Franci fidelitatem illi promittant; & qui dicunt, ſe illam promiſiſſe, aut certis teſtibus hoc adprobent, aut jurent, ſe illam antea juraſſe, aut illam ipſam fidelitatem promittant.* Idem in *Capitulis ad Tuſiacum*, *cap.* 2. & *apud Cariſiacum*, *cap.* 4. ubi ait, ſe jam illud *ſcariviſſe*, id eſt conſtituiſſe.

Denique apud MARCVLFVM *in formulis*, *lib.* 1. *cap.* 40. quod ita inſcribitur, *ut leude ſamio promittatur Regi*, præſente Miſſo Dominico, ut eſt in *eo cap.* Quis dicatur *Samius*, ſubſiſtit etiam vir magnus eo loci. Forte legerem, *ſpioni Regis*, id



eſt, exploratori Regis, ut apud PAPIAM legunt eruditi viri, unde procul dubio noſtrum illud *Eſpion*.

## CAPVT XIV.

*Regias litteras accipiebant, & denuntiabant Comitibus, & populis.*

CVm Chriſtianiſſimi Reges quaſdam Conſtitutiones ediderant, eas cum inſtructione mittere ſolebant ad Miſſos Dominicos, ut eas omnibus notas facerent; eo pertinet totum fere *Capitulare ſecundum* LVDOVICI PII, *tom.* 2. *Concil. Gall.* Eleganter etiam SIRMONDVS eo loci pleraque Capitula exſcribit paſſim, quæ Miſſis Dominicis data fuerant, ut ea Provincialibus denuntiarent. Cum enim ad Palatium reverſi erant Miſſi Dominici, eos interrogare ſolebant Principes, ut jam olim diximus; & ad eas interrogationes pleraque faciebant Capitula, quæ vel iis ipſis in Miſſaticum profecturis dabant, vel ad eos mittebant, ut publicarentur; nihil frequentius in eorum Capitulis. QVERCETANVS *tom.* 2. *Hiſt. Franc.* inter *Epiſtolas* EGINARDI quaſdam interſerit LVDOVICI PII ad Miſſos Dominicos, nempe 19. 20. 21 22. In 19. cuidam Comiti præcipit, *ut facere ſtudeat, quod Miſſus Dominicus in verbo regio faciendum injunxerit cum aliis Comitibus & fidelibus.*

Idem antea CAROLVS M. nam *lib.* 2. *Capitul. cap.* 11. generaliter omnes admonet, *ut Miſſis Dominicis honorem exhibeant, & ea, quæ per eos injungit, agere non negligant.* In cap. 27. *Vt per eos Capitula ſua omnibus nota fiant.* In *cap.* 28. ait, *ſe ſuis Miſſis dare Capitula, ut ſecundum voluntatem Dei, & juſſionem ſuam adimpleantur*, nempe a fidelibus & ſubditis, quibus ea denuntiaverint. Idem fere habet *lib.* 2. *cap.* 27. cujus ea eſt epigraphe: *De hoc, quod per Miſſos Dominicos ea, quæ per Capitula ſtatuta ſunt, omnibus nota fieri debeant.* & *lib.* 4. *cap.* 72. *Vt Miſſi Dominici, & unusquisque in ſuo Miniſterio hæc Capitula relegi faciant coram populo, & omnibus nota ſint, ne aliquis excuſationem habere poſſit.*

Ac tandem CAROLVS CALVVS, *in Capitulari Compendienſi* (quod non ita pridem edidit clariſſimus BALVZIVS *ad calcem operum Lupi Ferrar.*) jubet ſæpius, *Vt Miſſi Dominici ſuas Conſtitutiones omnibus ſubditis denuntient.* Et ut plurimum eas in ſuis Conventibus aut Placitis palam recitari & publicari curabant, in præſentia Comitum, Procerum, Iudicum & populi, ne quis earum ignorantiam obtenderet. IDEM *Capitula ſua in Cariſiaca Synodo edita*, ad Miſſos Dominicos dirigit, *ut per eos populo denuntientur, & perducantur ad effectum.* In *Capitulis poſt reditum a Confluentibus cap.* 1. & 3. jubet, *ut Miſſi diſcurrentes firmitatem, id eſt pacem cum fratre ſuo factam, Capitula Confluentibus edita, quæque antea fecerat, omnibus innoteſcant*, ſeu nota faciant. In iiſdem *Capitulis poſt reditum cap.* 3. addit: *Vt antiqua Capitula ſervent, donec alia iis annuntianda & obſervanda dederint.*

## CAPVT XV.

*Milites. Heribannus.*

QVamvis Miſſi Dominici non eſſent militares Magiſtratus, curam tamen habebant militum, & eorum fere omnium, quæ ad militiam, aut utique militarem diſciplinam pertinebant. Vnde in *Capitulis* LAMBERTI *Imperat. an.* 904. *editis, cap.* 7. apud BARONIVM *ad eum an.* occurrunt *Miſſi exercitus Imperialis*, hodie *Intendants de juſtice dans les armées*. Hinc etiam *lib.* 2. *Capitular. cap.* 14. ſic ſtatim habet: *De pace vero in exercitali itinere ſervanda uſque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damni ſibi anno præterito illati nominatim cognoſcit, ut juſtitiam de illo quærat & accipiat*. In *cap.* 15. *Vt cognoſcat unuſquiſque omnes, qui in ſuo obſequio in tali itinere pergunt, ſive ſui ſint, ſive alieni; ut ille de eorum factis rationem ſe ſciat redditurum, & quidquid ipſi in pace violanda deliquerint, ad ipſius debet periculum pertinere: ea conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, ſive coram nobis, ſive coram Miſſo noſtro dignas pœnas perſolvat*. SIRMONDVS *tom.*2. *Concil. Gall. pag.* 454. utramque hanc æquiſſimam legem LVDOVICO PIO adſcribit *in Capitulari ſecundo*, quod continebat inſtructionem Miſſorum Dominicorum.

*In tertio Capitulari pag.* 464. *Iubemus, ut Miſſi noſtri diligenter inquirant, quanti homines liberi in ſingulis Comitatibus maneant, qui per ſe poſſunt expeditionem facere: vel quanti de his, quibus unum alium adjuvet, quanti etiam de his, qui a duobus tertius adjuvetur & præparetur, ut eamdem expeditionem exercitalem facere poſſint, & eorum ſummam ad noſtram notitiam deferant*. quod etiam reperitur *in fine ejuſdem Capitularis*. Additur *in ejus c.* 7. *pag.* 473. *Hinc vero ea diligentia, & hac ratio examinetur per ſingulas centenas, ut veraciter ſciant illos, atque deſcribant, qui in exercitalem ire poſſunt expeditionem: ac videlicet ſecundus ordo de his, qui per ſe ire non poſſunt, ut duo tertio adjutorium præparent*. Ac tandem *lib.* 5. *Capitular. cap.* 341. *Si quis in exercitu infra regnum ſine juſſione dominica per vim hoſtilem aliquid prædare voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, aut pecora majora vel minora, domoſque infringere, vel incendere, hæc ne fiant, omnino prohibemus*; & ſtatim pœna in eos conſtituitur, qui huic Conſtitutioni non paruerint.

Ea fere omnia exſcribunt Patres Concilii ad S. Marcam Remenſis Diœceſis, *an.* 881. *poſt Can.* 6. ſicut & CAROLVS CALVVS *in Capitulis Synodi Cariſiacæ an.* 857. quæ Miſſis Dominicis diriguntur. Et *in Edicto Piſtenſi cap.* 27. poſt exſcriptam legem de iis deſcribendis, qui exercitalem expeditionem facere poſſunt, vel non, addit: *Vt Miſſi curent eos, qui non poſſunt, ad civitates novas, & pontes, ac tranſitus paludium operari; & in civitate, atque in Marcha vuactas*, id eſt excubias, *facere ad defenſionem patriæ*. Ac tandem HINCMARVS REMENSIS *in opuſculis cap.* 5. Carolum Calvum hortatur & orat, *ut eos mittat per ſingulas Provincias, qui militum rapinas coerceant*, & ſatis indicat, non alios eos eſſe, quam Miſſos Dominicos.

Curabant etiam *heribannum*, id eſt, mulctam non ambulantis in exercitum, vel etiam dominicam vocationem ad bellum, unde hodie *l'arriere Ban.* CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 14. *De heribanno volumus, ut Miſſi noſtri fideliter exactare debeant abſque ullius perſonæ gratia, vel blanditia, ſeu terrore ſecundum juſſionem noſtram*. In *cap.* 18. *Vt Miſſi noſtri æqualiter faciant de ſingulis cauſis, ſive de heribanno*. In *cap.* 68. *Vt non per aliquam occaſionem, nec pro Vuacta, nec de Scarra* ( Escadron) *neque de Vuarda, neque pro heribergare, nec pro alio banno heribannum Comes exactare præſumat, niſi Miſſus noſter prius heribannum ad partem noſtram recipiat, & ei ſuam partem tertiam exinde per juſſionem noſtram donet. Ipſe vero heribannus non exactetur, neque in terris, neque in mancipiis, ſed in auro & in argento, palliis atque armis, & animalibus atque pecudibus, ſive talibus ſpeciebus, quæ ad utilitatem pertinent*. Ille idem CAROLVS M. *in Capitul.* 3. *ad an.* 805. *cap.* 19. eadem fere exſcribit, & *in fin.* addit: *Vt Miſſi noſtri caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium ſubtrahant noſtram juſtitiam, alteri tradendo aut commendando*.

IDEM, *lib.* 4. *cap.* 70. *Vt Vaſſi noſtri, & Vaſſi Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, & Comitum, qui anno præſente in hoſte non fuerunt, heribannum rewadient*, ( ideſt pro banni mulcta uvadium dent ſeu pignus); *exceptis his, qui ab heribanno immunes ſunt, aut excuſati*, ut puta qui Miſſi erant ad recipiendos Miſſos Dominicos. In ſecunda appendice *ad eum lib.* 4. *cap.* 29. *De heribanno, ut diligenter inquirant Miſſi noſtri, qui hoſtem ſeu expeditionem facere potuit, & non fecit, ut bannum noſtrum ipſe componat, ſi habet unde componere poſſit*. *In cap.* 36. *ejuſdem Append. Quicumque liber homo inventus fuerit anno præſente cum Seniore ſuo in hoſte non fuiſſe, plerumque heribannum perſolvere cogatur. Et Seniores aut Comites tot heribannos ſolvant, quot homines domi dimiſerunt*, additur: *Et quia nos anno præſente unicuique Seniori duos homines conceſſimus, quos domi dimitteret ad ſuam cuſtodiam, volumus, ut eos Miſſis noſtris oſtendat*.

*Heribannus* igitur eſt mulcta non euntis in exercitum ad juſſionem Principis: ſed tamen ſi quis ex ejus præcepto aliquid aliud præſtiterit, ab heribanno excuſari poteſt. Et hinc EGINARDVS *in Epiſt.* 22. *ad quemdam Miſſum Dominicum*, apud QVERCETANVM *tom.* 2. *hiſt. Franc.* aſſerit, eum ſolvere non teneri heribannum, qui ſecundum ordinationem D. Imperatoris ad cuſtodiam maritimam fuit. Sic etiam licet Miſſi Dominici ex regiis Capitulis heribannum exigere deberent, abſque ulla perſonarum acceptione & gratia, attamen ille idem EGINARDVS *ibidem, in epiſt.* 33. quibusdam Miſſis Dominicis gratias agit, quod ſuis hominibus parceret in ipſis etiam heribannis.

Ac tandem CAROLVS CALVVS, *in Edicto Piſtenſi, cap.* 27. jubet, *Vt Miſſi Dominici ab iis heribannum exigant, qui hoſtem dimiſerint, aut non venerint ad defenſionem patriæ*. Et ita non illi tantum mulctam hanc ſolvere tenebantur, qui ad Regis juſſionem ad expeditionem exercitalem proficiſci contempſerant; ſed etiam deſertores, quique hoſtem dimiſerant, id eſt exercitum, aut exercitalem expeditionem, veteribus *l'hoſt*. Nec omittendum, quod CAROLVS CALVVS habet, *in Capitulis apud Tuſiacum, cap.* 13. ubi agens de iis, qui regnum ſuum devaſtare velint, addit: *Miſſi noſtri de ipſo Miſſatico providentiam habeant, qualiter unuſquiſque Epiſcopus, vel Abbas, ſeu Abbatiſſa, cum omni plenitudine & neceſſario hoſtili apparatu, & ad tempus ſuos homines illuc tranſmiſerit cum Guntfanonario* ( vexilli præfecto ) *qui de ſuis Paribus cum Miſſis noſtris rationem habeat*. Et ita olim Epiſcopi, jubente Rege, homines ſuos in militarem expeditionem mittere tenebantur; eamque generalem regni conſuetudinem vo-

cat

cat RIGORDVS, *in geſtis Philippi Auguſti*. Ac ſi detrectarent, eorum regalia confiſcari ſolebant; ut de Aurelianenſi & Altiſſiodor. occurrit, apud INNOCENTIVM III. *lib.* 1. *Regeſt.* 3. *Ep.* 190.

## CAPVT XVI.

### *Violentia Potentiorum, & eorum lites.*

MVlta facinora ſub uno *violentiæ* nomine continentur; quique manifeſtam detegitur commiſiſſe violentiam, non jam relegatione aut deportatione inſulæ plectitur (ut obtinebat olim ex lege Iulia *de vi publ. & priv.*) ſed capitale ſupplicium excipit, *l.* 1. *Cod. Th. ad leg. Iul. de vi publ. & priv.* Vnde BENEDICTVS LEVITA exſcripſit *caput* 386. *lib.* 6. *Capitular.* non etiam *ex l.* 6. *Cod. eod.* quippe qui nondum haberet eum Codicem Iuſtinianeum. Et *lib.* 7. *cap.* 232. *Convictus in judicio de evidenti violentiæ crimine reus capite puniatur*. Proprie quidem crimen illud ad vim publicam & privatam pertinet; ſed in hoc capite continet maxime inferiorum oppreſſionem per potentatum, & concuſſionem Potentiorum, dum nempe ab illis multa per vim exigunt & extorquent, eoſque bonis ſuis ſpoliant. De ea re jampridem quædam diximus, ubi egimus de reclamatione ad Miſſos Dominicos, & de eorum cura circa pauperes.

*Tertii Turon. Concilii Patres in Can.* 44. petunt a CAROLO M. *ſublevari pauperes, qui a Potentioribus opprimuntur*. In *Can* 49. *ſubditorum dominos admoneri, ut circa eos pie ac miſericorditer agant, nec eos vi opprimant, nec illorum ſubſtantiolas injuſte tollant*. Et hoc totidem verbis conſtituit piiſſimus ille Princeps, *lib.* 2. *cap.* 44. Et in Capitul. *lib.* 1. *cap.* 115. *lib.* 5. *cap.* 256. *lib.* 6. *cap.* 252. *De oppreſſione pauperum liberorum hominum, ut non fiat a Potentioribus per aliquod malum ingenium contra juſtitiam*. Cumque Capitula daret Miſſis Dominicis *lib.* 4. *cap.* 46. ſcripſit, *de pauperibus, viduis, & pupillis injuſte oppreſſis, ut ab iis adjuventur & releventur*.

Huic potiſſimum fini mittebantur in provincias, *ut oppreſſiones pauperum examinarent*. CAROLVS CALVVS *in Conventu primo ad Marſnam, c.* 7. *Vt iis ablata æquo libramine iis reſtitui curarent*. ANONYMVS *in vita* LVDOVICI PII *ad an.* 824. *Ne miſerabiles perſonæ Procerum potentatu opprimerentur*. HINCMARVS, EGINARDVS, THEGANVS, ANNALES FVLDENSES, *& alii*. Idem CAROLVS CALVVS *ad Valentianas, de cavenda rapacitate & oppreſſione Eccleſiarum & pauperum*. Curabant etiam, ne pauperes a quolibet Reipub. Miniſtro, id eſt, inferiori aut minori Iudice, quamcumque violentiam, vel oppreſſionem, aut exactionem paterentur; quod CAROLVS CALVVS populo adnuntiari præcipit a Miſſis Dominicis, *in Capitulis apud Sylvacum, cap.* 9. & alibi paſſim.

Ac tandem ſi Proceres querelam, litem, aut controverſiam inter ſe haberent, Miſſi Dominici eam ſecundum juſtitiam & æquitatem definiebant; ut *in appendice tertia, ad lib.* 4. *Capitular. cap.* 9. Ita et ſi lis quædam mota eſſet inter Comitem & ejus pagenſes (ſeu homines aut vaſſallos, qui manerent in eo pago, cui præerat Comes) de quibuſdam juribus aut cenſibus, inter eos Miſſi Dominici ſedebant judices, *ut in eadem appendice, cap. ult.*

## CAPVT XVII.

### *Nundinæ. Mercatus. Pondera. Menſuræ.*

COnſtat omnino, commercia, nundinas, mercatus valde pertinere ad utilitatem publicam. Vnde Imperatores Rom. multos hinc inde inſtituebant, qui eorum curam agerent; ſed præcipue Comites commerciorum, ſub Comite ſacrarum largitionum, *in Notitia Imperii, & paſſim in utroque Cod.* Sic etiam Chriſtianiſſimi Reges ſæpius ac ſæpius leges ediderunt de commercio, ejusque curam commiſerunt Miſſis Dominicis. Inter veteres formulas incerti auctoris, *cap.* 45. *apud* MARCVLFVM *in append.* exſtat indiculus regalis, ex quo manifeſte colligitur, vectigalia, telonea, tributa, quæ in mercatis præſtantur, eorumque immunitatem quibuſdam conceſſam pertinuiſſe ad curam Miſſorum Dominicorum. CAROLVS M. *in Capitulis in Aquenſi Palatio datis, c.* 18. jubet, *Vt mercata in die dominica non agantur, ſed in diebus, quibus homines ad opus dominorum ſuorum operari debent. Aux jours ouvriers.* Et SIRMONDVS *tom.* 2. *Concil. Gall.* ait, *ea Capitula Miſſis Dominicis data fuiſſe*. Idem *lib.* 3. *Capitular. c.* 6. definit, ad quas uſque provincias procedere debeant negotiatores: & *in fine* addit: *Vt arma & brunias* (ſeu loricas) *non ducant ad venumdandum. Quod ſi inventi fuerint portantes, omnis ſubſtantia eorum auferatur ab iis: dimidia quidem pars partibus Palatii, alia vero medietas inter jam dictos Miſſos, & inventorem dividatur*: quod etiam exſcribit CAROLVS CALVVS *in Edicto Piſtenſi, c.* 25. & pro *dictos Miſſos*, ſcribit *Miſſos Regios*. Idem CAROLVS M. *in Capit.* 3. *an.* 805. *c.* 6. *Et in præſenti anno de famis inopia, ut ſuos quiſque adjuvet, & ſuam non nimis annonam care vendat: & ne foris imperium noſtrum vendatur aliquid alimoniæ*. Ea Miſſis data ſunt, ut diximus.

AGOBARDVS, Lugdun. Archiepiſcopus, *de Inſolentia Iudæorum* agens, apud LVDOVICVM PIVM queritur, *quod Miſſi Dominici mercata tranſmutari præceperint, quæ in ſabbathis Iudæorum fieri ſolebant, & quibus diebus deinceps frequentari debeant, in eorum optione poſuerint*. Sic etiam CAROLVS CALVVS *in Edicto ad Cariſiacum*, & *in Edicto Piſtenſi* ſuis Miſſis mandat, *Vt curent bonos tantum denarios in mercatis exponi, & ſolvi, nec eos recuſari*. Iubet etiam, *ut Miſſus Reip. curam rei monetariæ habeat in mercatis*. In eodem *Edicto ad Cariſiacum*, jubet, *a Miſſis Dominicis conſtitutionem ſuam in mercatis relegi, adcognitari, & obſervari. In Piſtenſi, cap.* 19. *Vt unuſquiſque Comes de Comitatu omnia mercata inbreviari faciat, & ſciat nobis dicere, quæ mercata tempore avi noſtri fuerint, & quæ tempore Domini & genitoris eſſe cœperunt, vel quæ illius auctoritate conſtituta fuerunt, vel quæ ſine illius auctoritate facta fuerunt, vel quæ tempore noſtro convenire cœperunt; ut decernere poſſimus, quatenus neceſſaria, & utilia, & quæ per auctoritatem ſunt, maneant*. Et ita etiam hodie nullus mercatum, aut nundinas habere poteſt, niſi ex conſenſu & auctoritate Regis: quod a jure Civili deſumptum eſſe conſtat.

Cum autem & ſacræ paginæ & ſacri Canones ſæpius ac ſæpius jubeant, juſtas & æquales eſſe menſuras, æqualia pondera, de iis quædam Capitula ediderunt Chriſtianiſſimi Reges. CAROLVS M. *in Aquiſgran. Capitulari*, ſeu in Edicto legationis, quod & dedit Miſſis Dominicis, *cap.* 74. *apud* SIRMONDVM: *Vt æquales menſuras & rectas, & pondera juſta & æqualia omnes habeant, ſive in*

Civi-

*Civitatibus*, *ſive in Monaſteriis*, *ſive ad dandum in illis*, *ſive ad accipiendum*. Idem fere *in alio Capitulari Aquiſgran. cap.* 72.

*Sexti Pariſienſis Concilii Patres*, *lib.* 1. *Can.* 51. LUDOVICO PIO indicant elegantiſſime, quanta mala pauperibus pariant injuſtæ menſuræ, injuſta pondera, doloſæ ſtateræ, cum Clerici & Laici minorem modium & ſextarium in vendendo atque commodando habent, & majorem in recipiendo. Et *in fin.* addunt: *Quamquam perverſæ conſuetudines non facile corrigantur*, *hac tamen conſuetudo inæqualium modiorum*, *& injuſtorum ſextariorum*, *atque ponderum doloſorum*, *neceſſe eſt ut principali metu corrigatur*. Et *lib.* 3. *Can.* 3. agnoſcunt, *menſuras modiorum & ſextariorum vix unquam perduci poſſe ad certam correctionem*, *quod in diverſis provinciis diverſæ ab omnibus pene habeantur*: *ſed tamen ab eodem Imperatore nullus duplices menſuras in ſua dominatione habeat*, *aut habere poſſit*.

CAROLUS CALVUS *in Capitulis ad Tholoſam cap.* 2. vult: *Vt menſura ſit publica*, *probata*, *generalis*, *legitima*, *per civitatem*, *pagum*, *& vicinitatem*. In *Edicto Piſtenſi cap.* 20. jubet: *Vt Comites ac Miniſtri Reip. curent*, *quatenus juſtus ſit modius*, *& æquus ſextarius*; *& ut menſuram ſecundum antiquam conſuetudinem de Palatio Regis accipiant*. Vnde & in Gallia omnes fere menſuræ ad Regiam referuntur, a qua etiam omnes illæ prodierunt & conceſſæ ſunt. Et ibidem CAROLUS CALVUS in eos multa conſtituit, *qui menſuras adulterant*, *vel minuunt*.

## CAPUT XVIII.

*Aggeres fluminum. Pontes. Naves. Via publica.*

CUm Reip. interſit, itinerantes & ripas habere munitas, & illæſos pontes; ea etiam ad ſuam, ſuorumque Miſſorum curam pertinere putarunt Chriſtianiſſimi Reges. CAROLUS M. *lib.* 4. *cap.* 10. *De aggeribus juxta Ligerim faciendis*, *ut bonus Miſſus eidem operi præponatur*, ( hodie, l'Intendant des Turſies & Levèes : ) *& hoc Pipino per noſtrum Miſſum mandetur*, *ut & ille ad hoc Miſſum ordinet*, *quatenus prædictum opus perficiatur*, & hinc etiam hodie, *les Levées de la riviere de Loire*. CAROLUS CALVUS, *in ſuis Capitulis apud Attiniacum*, *cap.* 3. quæ ſuis Miſſis dedit, *de viis per aquas*, *videlicet*, *ut ubi noviter clauſæ erant*, *aperirentur*, *ſicut antiquitus fuerunt apertæ*; & hinc hodie non ita paſſim licet in publicis fluminibus clauſas facere, ſic dicuntur *lib.* 5. *cap.* 279. nobis *des Eſcluſes*.

LUDOVICUS PIUS, *in ſecundo Capitulari*, *cap.* 20. *apud* SIRMONDUM, *tom.* 2. *Concil. Gall. Vt ubi Pontes antiquitus fuerunt*, *& in iis locis*, *ubi tempore genitoris noſtri*, *ipſo jubente*, *diverſarum neceſſitatum cauſa facti ſunt*, *omnino abſque ulla dilatione ab his*, *qui eos tunc fecerunt*, *reſtituantur & renoventur*: *ita ut ad Miſſam* (id eſt ad diem feſtum) *S. Andreæ reſtaurati fiant*; *niſi forte aut ipſa operis magnitudo*, *aut aquarum in quolibet inundatio hoc prohibeat*: *& volumus*, *ut Miſſi noſtri nobis illud renuntient*. Hoc exſcriptum legitur *lib.* 2. *Capitularium*, *cap.* 20. Idem *in cap.* 11. *lib. quarti*, *De duodecim pontibus ſuper Sequanam volumus*, *ut hi pagenſes*, *qui eos facere debent*, *a Miſſis noſtris admoneantur*, *ut eos celeriter reſtaurent*; *& ut eorum vanæ contentioni non conſentiant*, *quando dicunt*, *ſe non alibi eoſdem pontes facere debere*, *niſi ubi antiquitus fuerant*: *ſed ibi*, *ubi nunc neceſſe eſt*, *eoſdem pontes facere jubeantur*. In *cap.* 12. *De omnibus pontibus per regnum noſtrum faciendis*, *in commune Miſſi noſtri admoneant*, *ut ab ipſis reſtaurentur*, *qui eos facere ſolebant*. In *cap.* 43. *Volumus*, *ut Miſſi noſtri per ſingulas civitates una cum Epiſcopo*, *vel Comite Miſſos*, *vel noſtros homines ibidem commanentes eligant*, *quorum cura ſit*, *pontes per diverſa loca emendare*, *& eos*, *qui illos emendare debent*, *ex noſtra juſſione admonere*, *ut unuſquiſque juxta ſuam poſſibilitatem*, *& quantitatem eos emendare ſtudeat*, quod etiam a CAROLO M. *in* LEGES LONGOBARDORUM, *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 32. relatum eſt. In *cap.* 60. *Vt pontes publici*, *qui per bannum* ( ſeu per Edictum regium ) *fieri ſolebant*, *anno præſente in omni loco reſtaurentur*. Ac tandem *in tertio Capitulari*, *cap.* 11. ad Miſſos Dominicos jubet. *Vt qui publicos pontes reparare aggreſſi fuerint & neglexerint*, *ad præſentiam ſuam venire teneantur*, *reddituri rationem*, *cur eos non repararerint*. Ea etiam cura Comiti aliquando demandabatur; ac ſi negligens eſſet, a Rege vel a Miſſo Regis judicandus erat, LEGUM LONGOBARDORUM *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 42. *in fine*.

CAROLUS CALVUS, *in ſuis Capitulis apud Attiniacum*, *ad Miſſos*, *cap.* 4. *De pontibus reſtaurandis*: *videlicet*, *ut ſecundum Capitularia avi & patris ſui*, *ubi antiquitus fuerunt*, *reficiantur ab his*, *qui honores illos* ( ſeu feuda illa, majora illa prædia ) *tenent*, *de quibus ante pontes facti*, *vel reſtaurati fuerant*: quia in eorum præcipue utilitatem & commodum exſtructi tum primum intelliguntur, quod ſumme notandum: ſicut & curam pontium Miſſis Dominicis demandari cum Epiſcopo; nam Eccleſiaſtici homines cum reliquo populo pontes reſtaurare tenentur, ut eſt in LEGIBUS LONGOBARDORUM *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 42. quia pontium reſtauratio eſt munus reale, quod Clerici etiam agnoſcunt. *In Edicto Piſtenſi cap.* 27. *Vt qui ad pontes operantur*, *a Miſſis Dominicis heribannum ſolvere*, *aut in expeditionem militarem proficiſci non compellantur*.

In *Capitulis apud Attiniacum*, quæ Miſſis data ſunt, ut ea in ſuis Miſſaticis exequi procurarent. *cap.* 2. *De maritima cuſtodia*, *ut ſecundum conſuetudinem vigilanter diſponeretur*. In *Capitulis apud Tuſiacum*, *cap.* 14. *Vt Miſſi noſtri cum Epiſcopis*, *& Comitibus*, *& vaſſis noſtris*, *qui ſuper aquas commanent*, *per quas infideles noſtri ad regnum noſtrum tranſeant*; *ordinent*, *qualiter illæ naves cuſtodiantur*: *& per jus neglectum naves poſtea bene cuſtoditæ non fuerunt*, *nobis renuntietur*. Cumque ad navium compoſitione indicta erat quædam exactio pro regni ſalvamento, mandabatur Miſſis Dominicis, ut ea moderata eſſet, *in Edicto*, *in Cariſiaco*.

Ac tandem viæ publicæ ad eorum curam pertinebant. CAROLUS M. *lib.* 2. *Capitular. cap.* 17. jubet, *Vt Miſſi Dominici locos illos curent*, *ubi modo via ordinata eſt*. Et *lib.* 5. *cap.* 353. *Ne quis viam publicam*, *aut lithoſtrotum*, *claudat contra legem*; id eſt viam lapidibus ſtratam, ut interpretatur PITHOEUS, quales in Imperio Rom. plures fuiſſe conſtat, ex doctiſſimo libro *des grands chemins de l'Empire*. Curabant etiam vias per aquas, apud CAROLUM CALVUM, *in Capitulis apud Attiniacum*, *cap.* 3. Viam exercitalem ſeu militarem. In Capitulis ex *Synodo Cariſiaca*, quod deſumptum eſt ex *lib.* 2. *Capitul.* CAROLI M. *cap.* 14. tranſitus paludium, in *Edicto Piſtenſi*, *cap.* 27.

## CAPVT XIX.

### *Paſcua. Sylvæ.*

SIcut Imperatores Romani curabant diligenter, ne paſcua publica & privata illicite depaſcerentur, ac ne in iis poſſeſſores aut domini vexarentur, aut paterentur moleſtiam, ut videre eſt *in tit. utriuſque Cod. de paſcuis;* ita & Chriſtianiſſimi Reges eadem ad curam ſuam pertinere putarunt. CAROLVS M. aut utique LVDOVICVS PIVS, *lib.* 5. *cap.* 201. prohibet, *ne quis defenſionis tempore herbam tollere præſumat, niſi in hoſtem pergat, aut ſit Miſſus Dominicus*. Eadem exſcribuntur *in* LEGIBVS LONGOBARD. *lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 3. defenſionis tempore, id eſt, eo tempore, quo pratum defenditur, ut eſt *in* LEGIBVS VVISIGOTHORVM, *lib.* 8. *tit.* 3. *cap.* 12. CAROLVS CALVVS *in Capitulis ad Sylvacum*, *cap.* 13. (quod exſcribit nominatim *poſt reditum a Confluentibus*) jubet, *Vt Miſſi Dominici curam habeant, ne quilibet vicinos ſuos majores & minores æſtatis tempore deprædentur, quando ad herbam caballos mittunt: vel tempore hiemis, quando Mareſcalcos illorum ad fodrum dirigunt*. Præterea ſicut VALENTINIANVS in *l.* 3. *Cod. Theod. quibus equor. uſus conc. eſt*, curat, ut regiones Vrbicariæ ab aſſiduis abactorum rapinis quietæ ſint: ita & CAROLVS CALVVS *in d. cap.* 13. curat, ut elapſo defenſionis tempore, puta æſtate, caballi ſeu equi tuto & ſecure ducantur ad paſcua, & hieme cum Mareſcalci ad fodrum mittuntur: ſeu cum equorum ſervi (ut ita loquar) illud enim verbum deducitur a verbo *Marach*, quod Germanis eſt equus, & a verbo *Schalk*, quod iisdem eſt ſervus, mittuntur ad fodrum, *au fourage*, ad quærenda equorum pabula.

Sic etiam cum veteres Galliæ Reges foreſtas, aut majores ſylvas maxime curarent & haberent in deliciis, quædam de iis mandarunt Miſſis Dominicis. CAROLVS M. *lib.* 4. *cap.* 65. *De foreſtibus noſtris, ut ubicumque fuerint, diligentiſſime inquirant* (Miſſi Dominici) *quomodo ſalvæ ſint & defenſæ; & ut Comitibus denuntient, ne ullam foreſtem noviter inſtituant: & ubi noviter inſtitutas ſine noſtra juſſione invenerint, dimittere præcipiant*. Et ita hodie in Gallia non omnes habere poſſunt foreſtam, *Foreſt ou breil de Foreſt*. LVDOVICVS PIVS *in Appendice* 3. *ad lib.* 4. *Capitular. cap.* 3. *De Foreſte, quam Autharius Comes habere vult, ubi ea prius non fuiſſe dicitur; volumus, ut Miſſi noſtri rei veritatem inquirant, & juxta quod juſtum invenerint, ex noſtra auctoritate definiant*. Imo & CAROLVS CALVVS *in Capitulis ex Synodo Sueſſion. Act.* 6. *cap.* 6. voluit, *ut Miſſi Dominici cuſtoditas ſylvas ad Eccleſiam pertinentes curarent*. Et in *Capitulis poſt reditum a Confluentibus in fine, Vt eum admoneant de ſylvis venditis*.

## CAPVT XX.

### *Moneta.*

CErtiſſime conſtat, *cudendæ jura Monetæ* inter regalia recenſeri; ideoque quilibet Principes ſemper exiſtimarunt, eam pertinere ad ſuam curam. CAROLVS M. *lib.* 2. *Capitul. cap.* 18. conſtituit in toto regno unam eſſe Monetam, & alias omnes ceſſare, hoc ſingulis Comitibus primo dedit in mandatis, & addidit, *ſe per ſingulos Comitatus miſſurum eſſe ſuos Miſſos, qui diligenter inquirerent, an Comites in ea re functi eſſent officio*: SIRMONDVS eam Conſtitutionem reponit inter Capitula LVDOVICI PII, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 455. Idem LVDOVICVS, *lib.* 4. *cap.* 32. jubet, *Vt quilibet homo denarium merum* (id eſt, ex ſolo argento), *& bene penſantem recipere nolit, mulctetur: ac ſi ſit ſervus, Miſſo Dominico repræſentetur ab eo puniendus*. Hoc SIRMONDVS reponit in Capitulari tertio ejuſdem LVDOVICI, & addit, *vel in emptione, vel in debiti ſolutione fiat*. In *cap.* 55. ejuſdem libri, *ut Miſſi Dominici obſervent, & cognoſcant de nova & falſa Moneta: ac ſi Comites eam Conſtitutionem neglexerint, Miſſi Dominici hoc ad Regiam notitiam perferant*.

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis apud Attiniacum, cap.* 9. *De monetis, & falſariis fabris; videlicet, ut diligenter inquirantur & emendentur*: nempe a Miſſis Dominicis, quibus data ſunt ea Capitula. Cumque illius temporibus Nortmanni Galliam infeſtarent, & ideo certam pecuniæ quantitatem iis dare vellet, ut regno recederent; ejus exactionem & Clericis & Laicis impoſuit, ut quilibet tot denarios præſtare teneretur. Ejus exactionis formulam ac definitionem exſcribit SIRMONDVS *in Notis ad Capitul.* CAROLI CALVI, *tit.* 52. & ex eo QVERCETANVS, *tom.* 2. *Hiſt. Franc. pag.* 460. Sed cum quidam exactores bonos denarios, id eſt meros & bene penſantes, rejicerent, iiſque aliquando faverent Miſſi Dominici; contra eos omnes *Edictum* edidit *in Cariſiaco*, ubi graviſſimas pœnas inſtituit adverſus eos, *qui vel in civitatibus, vel in mercatis denarios illos rejicerent*. Sic enim & vexabant populum, cui alia moneta non ſuppetebat, & impediebant *conjectionem* ſeu *contributionem*, quam ſinguli facere tenebantur in eam rem.

In *Edicto Piſtenſi* rem monetariam fere totam aggreditur, & multa ejus Capitula Miſſis Dominicis demandat. In *cap.* 8. jubet, *Vt denaris ex omnibus monetis meri ac bene penſantes in omni regno non rejiciantur: & ut non niſi meri ac bene penſantes accipiantur uſque ad miſſam, (ſeu diem feſtum) S. Martini: & ab ea die per totum regnum non accipiantur alii denarii, quam meri & penſantes, & quidem novæ illius monetæ, quam cudi curaverit*. In cap. 15. *Vt qui ab eo tempore novos illos denarios non acceperint, mulctentur, ac ſi ſint ſervi, offerantur Miſſis Dominicis*. In cap. 21. *Vt bannum ſolvatur, quod pro rejectione bonorum denariorum renuadiatum erat*, ſeu pro cujus ſolutione datum erat pignus.

# DE
# MISSIS DOMINICIS
# AD VECTIGALIA.

CAPVT PRIMVM.

*Miſſi Fiſcalini. Vectigalia.*

NOn minimum erat munus Miſſorum Dominicorum, ut vectigalia curarent; cumque fiſco debeantur, ac præſtentur, ideo dicebantur *Miſſi Fiſcalini*. Olim ſpectabiles Iudæorum Patriarchæ ſub primis etiam Imperatoribus Chriſtianis habebant Apoſtolos, qui nempe ab iis mittebantur in varias Imperii Romani provincias, ut tributa quædam exigi, & ad eos exportari curarent, *l. 4. Cod. Th. de Iudæis*, Apoſtolos, id eſt Miſſos ad rem tributariam, quales fuerunt Miſſi Fiſcalini. Sane in veteribus libris, atque etiam in regiis Capitularibus occurrunt *Fiſcalini homines*, qui nempe ſunt de familia dominica vel fiſcali; nec alii ſunt quam Vaſſalli Dominici, ſeu regales. Sed ideo Miſſi Dominici dicebantur Fiſcalini, quod rem tributariam curarent, quæ fiſco defertur: eo inquam ſenſu dicebantur Fiſcalini, ut in LEGIBVS LONGOBARDORVM *lib. 2. tit. 52. cap. 9.* ubi ſic loquitur CAROLVS M. *Vt Miſſi noſtri Fiſcalini de qualibet cauſa non exigat fredam*, id eſt compoſitionem, aut mulctam fiſco debitam, quod vectigalia curarent. Ejus rei antiquiſſimum exemplum videre eſt apud GREGORIVM TVRON. *lib. 5. cap. 29.* ubi cum CHILPERICVS Rex deſcriptiones novas & graves in omni regno ſuo fieri juſſit, & Lemovicinus populus in Calendis Martiis congregatus eum interficere voluit, quia ea vectigalia exigebat CHILPERICVS de latere ſuo perſonas miſit, qui rem illam curarent, & GREGORIVS TVRON. eos vocat *Miſſos regales*.

CAROLVS M. *lib. 2. cap.* 19. jubet, *Vt Miſſi Dominici de injuſtis Theloneis inquiſitionem faciant. lib. 3. cap. 12. de Theloneis: Placet nobis, ut antiqua & juſta a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quam de navigiis, ſeu mercatis. Nova vero ſeu injuſta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus ſub pontibus tranſitur, ſeu his ſimilia, ut non exigantur. Similiter etiam nec de iis, qui ſine negotiandi cauſa ſubſtantiam ſuam de una domo ad aliam, aut ad Palatium, aut in exercitum ducunt, thelonium nullatenus ab iis exigatur*, & *lib. 5. cap.* 254. *Si quid vero fuerit, unde dubitetur, ad proximum Palatium noſtrum, quod cum Miſſis habituri ſumus, interrogetur*. Sic etiam cum *lib. 4. cap. 44.* præmiſit *de legatione Miſſorum Dominicorum, de quibus cauſis agere debeant*; *in cap. 47.* ſubjicit: *De injuſtis occaſionibus & conſuetudinibus noviter inſtitutis, ſicut ſunt tributa, & Thelonei in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde injuſte cenſus exigi poſſit; vel ubi naves ſubtus pontes tranſire ſolent, ſive in medio flumine, ubi nullum obſtaculum eſt, ut auferantur: antiqua autem ad noſtram notitiam deferantur*. Sicque Miſſi Dominici antiqua potiſſimum vectigalia curabant, nec ita favebant novis.

LVDOVICVS PIVS *in Capitulari* 2. *cap.* 19. exſcribit patris ſui Conſtitutionem, quam retulimus ex ejus *lib.* 2. *cap.* 19. Et *in Capitulari* 3. *cap.* 15. prohibet, ne tributum, quod *inferenda* vocatur, majoris pretii exigatur, quam a Miſſis Dominicis conſtitutum fuerit: Illud alibi vocatur *illatio*, ut apud AIMOINVM, & FREDEGARIVM. In additione quarta, cap. 116. *Quicumque Vicarii, vel alii Miniſtri, tributum, quod inferenda vocatur, majoris pretii a populo exigere præſumpſerint, quam a Miſſis genitoris noſtri conſtitutum fuerit, hoc eſt duos ſolidos pro una Vacca: hoc, quod injuſte ſuperpoſuit, & abſtulit, ſibique retinuit, his, quibus hoc tulit, cum ſua lege reſtituat, & inſuper fredum noſtrum componat, & miniſterium amittat.*

CAROLVS CALVVS, *in Capitulis, apud Attiniacum ad Miſſos Dominicos cap. 5. De navibus, quæ vadunt ſub pontibus, videlicet, ut inde Theloneum non exigatur*. In *Bertinianis Francorum Annalibus, ad an.* 877. vectigalia quædam Clericis indicit & imponit, quæ accipiantur ab Epiſcopis, & Miſſis Dominicis reddantur: non diſſimiles hodiernæ decimæ Clericis impoſitæ. Iis temporibus erant Aſſeſſores *in vita S. Sulpitii Pii Bituricenſis Epiſcopi, num. 24. tom. 2. SCtorum Benedictin.* qui nempe tributorum impoſitionem & collectam curabant, unde nobis *les Aſſeeurs*. Nec ſine plagio prætermittendum eſt ſanctiſſimum ejuſdem CAROLI *Edictum in Cariſiaco*; ubi pro regni ſalvamento, ad navium compoſitionem; & propter Nortmannorum infeſtationem indixiſſet aliquam exactionem, & quidam Miſſi Dominici quaſdam adinventiones intromitterent ad populi perniciem; *Cum*, inquit, *in eo, quod ad regni utilitatem jubetur & agitur, non privata contra generalem utilitatem commoditas, neque aliquod turpe lucrum, quod in Chriſtiana Religione, & in Regia dignitate, aut in Miſſorum fidelium ſinceritate non condecet, ſe debet ullo modo miſcere*. Vnde commendationem ſcribit ad ſuos illos Miſſos, *Vt moderate & miſericorditer cum populo agant, ut omnes cognoſcant; quia non quæſtum inhoneſtum, ſed publicam regni utilitatem quærit*. Aurea & omnino Evangelica Chriſtianiſſimi Regis verba, quorum meminerint velim omnes exactionibus publicis profecti.

CAPVT II.

*Cenſus. Beneficia. Caſata. Regiæ Villæ.*

COnſtat ex *utroque Cod.* ex *Notitia Imperii*, & ex *Hiſtoria Auguſtæ Scriptoribus*, Romanos Imperatores habuiſſe olim res privatas, res ſacri patrimonii, & res ſacrarum largitionum, & earum omnium ſingulos habuiſſe Comites: ad ultimas pertinent tributa & vectigalia, de quibus *ſuperiori cap.* Nunc ad alias, quæ forſan hodie generali appellatione *domanii* veniunt, quod *indominicatum ſuum* vocat CAROLVS CALVVS, *in ſuis Capitulis ad Tuſiacum, cap.* 3. & alibi *proprium dominicum*-

Statim a cenſibus incipiendum. Illi dicuntur *cenſus regii*, in *Edicto Piſtenſi*, *cap.* 34. ubi etiam *Regi debentur a Francis, vel ex capite ſuo, vel ex ſuis reſcellis*, in *cap.* 28. ex *ſuis rebus*: unde *terra tributaria*, *terra cenſalis*, *lib.* 4. *Capitul. cap.* 37. *&* 39. & omnes illi cenſus pertinebant ad curam Miſſorum Dominicorum.

CAROLVS M. *lib.* 3. *Capitular. cap.* 85. *Vt Miſſi noſtri cenſus noſtros perquirant diligenter, undecumque ad partem Regis exire ſolebant; ſimiliter & freda: & nobis renuntient, ut nos ordinemus, quid de his in futurum fieri debeat.* CAROLVS CALVVS *in iisdem Capitulis ad Tuſiacum*, *cap.* 8. *Vt miſſi noſtri de omnibus cenſibus, vel paraveredis*, (ſeu equis) *quos Franci homines ad Regiam poteſtatem exſolvere debent, inquirant; & ubi per negligentiam dimiſſum eſt, exſolvi faciant: & diligenter de ſingulis Comitatibus cuncta deſcribant, & nobis renuntient. Similiter & de cæteris cenſalibus, & de rebus ad caſas Dei traditis, unde cenſus ad partem Regis exivit antiquitus. Et ſi aliquis auctoritatem Regiam inde oſtenderit, ad noſtram præſentiam ipſam auctoritatem deferri faciant.* Et cenſus illi nobis hodie dicuntur *Cens, Rentes, & Devoirs du Domaine.*

Miſſi etiam Dominici curabant *Beneficia*. In Capitulis Regum noſtrorum, & in Conciliis eo tempore habitis, paſſim occurrunt beneficia regalia, beneficia fiſci, Comitum, Vaſſorum Dominicorum; atque etiam beneficia Eccleſiarum, Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum; nec aliud erant, quam feuda. Olim erant beneficia regalia tam de rebus Eccleſiæ, quam de cæteris rebus, *Capitularium lib.* 1. *cap.* 126. Et Reges noſtri prædia ſua, atque etiam Eccleſiaſtica militibus dabant in beneficium, ſeu in feudum, ut fuſius probat Magnus BIGNONIVS *ad Marculſum*, *lib.* 2. *cap.* 5. Hic tantum de beneficiis regalibus, quæ nempe ſint ex regalibus prædiis: cum autem Principes ſæpius amitterent eorum proprietatem, ut innuit CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 19. *&* 20. ſæpius in eorum Capitulis cautum eſt, ut Miſſi Dominici ea beneficia deſcribant.

CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 80. *Miſſi noſtri diligenter inquirant, & deſcribere faciant, unusquisque in ſuo Miſſatico, quid unusquisque de beneficio habeat.* In *cap.* 81. *Quomodo eadem beneficia condricta ſint*, vel ut legit SIRMONDVS, *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 158. *condirecta*, a condirgere, ut *in veteribus formulis*, *cap.* 147. pro condirigere: quomodo condricta nobis forte, *comme ils ſe pourſuivent & comportent*. In *cap.* 82. *Vt non ſolum beneficia Epiſcoporum, vel Abbatum, Abbatiſſarum atque Comitum, ſive vaſſorum noſtrorum, ſed etiam fiſci noſtri deſcribantur in breve: ut ſcire poſſimus, quantum etiam de noſtro in uniuscujusque legatione ſeu Miſſatico habeamus.*

LVDOVICVS PIVS, *lib.* 4. *Capitular. cap.* 2. jubet, *Vt Miſſi Dominici ſine Sacramento per veraciores homines inquiſitionem faciant de rebus, aut mancipiis, quæ dicuntur a ſuo fiſco fuiſſe occcupata, ſur le fiſque*: mancipia, quæ nempe fundi partem faciunt, ut de ſervis ruſticis apud Iuſtinianum, *cap.* 38. *ibid. quicumque ſuum beneficium occaſione proprii deſertum habuerit, & intra annum, poſtquam & a Comite vel Miſſo Dominico notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipſum beneficium amittat.* Eaque nominatim exſcribuntur *ex Capitulari tertio* LVDOVICI PII.

Iis temporibus propria, & beneficia plurimum differebant: *propria* erant perpetuo & hæreditario jure; *beneficia* autem ad tempus: Ita vero beneficia deſerebantur & amittebantur occaſione proprii, quod beneficiarii de ſuo beneficio acquirebant quasdam proprietates; & ipſi benoficio regali ſervientes, ipſis proprietatibus ſervire faciebant, ut *in d. cap.* 19. *lib.* 3. *Capitular.* vel etiam regale beneficium ad alios homines reddebant in proprietatem, ut *in d. cap.* 20. *ibid.* quod a Miſſis Dominicis cavendum dicitur in iis duobus locis; ne ſcilicet beneficiarii Principis ex rebus beneficiariis proprium hæreditarium, allodium ſibi facerent; quod ſæpius aut neceſſitate cogente, aut per obreptionem eveniſſe docet CAROLVS CALVVS *in Capitulis in villa Sparnaco*, *cap.* 20. Ac tandem LVDOVICVS PIVS, *in Appendice* 2. *ad lib.* 4. *Capitular. cap.* 31. agit *de beneficiis deſtructis*. Et CAROLVS CALVVS, *in Edicto poſt reditum a Confluentibus*, *in fin.* jubet, *Vt Miſſi Dominici eum admoneant de beneficiis deſtructis, ut qui ea habent, emendare procurent.* Sic etiam *Meldenſis Concilii Patres in can.* 20. petunt a CAROLO CALVO, *ut ejus Miſſi omnia inbrevient, ſeu deſcribant, quæ in Vaſſallorum Dominicorum beneficiis fuerunt*: quod etiam exſcriptum legitur, *in ejusdem Capitulis in Villa Sparnaco*, *cap.* 20. Sicque Miſſi Dominici diligenter curare tenebantur beneficia ſeu feuda regia eorumque inventaria, brevia, deſcriptiones diligenter facere, ne amitterentur. De beneficiis Eccleſiaſticis egimus ſupra, ubi de rebus Eccleſiaſticis.

Denique Miſſi Dominici curabant regales Caſatos, & Regias Villas. *Caſati* ſunt homines, ſeu Vaſſalli inſervientes adhuc intra caſam ſeu villam regiam, *lib.* 3. *Capitular. cap.* 37. CAROLVS M. *ibidem cap.* 80. jubet, *Vt Miſſi Dominici diligenter inquirant, & deſcribere faciant, unusquisque in ſuo Miſſatico, quos Caſatos homines in ipſo beneficio habeant.* Villæ Regiæ ſunt prædia ſacri patrimonii, *terres du Domaine*: plures huiusmodi Villæ occurrunt in Capitulis CAROLI CALVI; quæ hodie non exſtant, & in quibus olim plures habiti ſunt Conventus, multæ Synodi. Epiſcopi Remenſis ac Rothomag. Provinciæ a LVDOVICO Rege petunt, ut *bonos Iudices, ſeu Proviſores villarum regiarum conſtituat, & illud Miſſi Dominici curent.* In *Edicto Piſtenſi cap.* 5. *Vt Miſſi Dominici curent ſuas villas indominicatas, ſeu ſui dominicatus, ſuæ dominicaturæ.* Et obiter obſervanda eſt ratio eorum Epiſcoporum, *in Capit.* CAROLI CALVI *tit.* 27. *c.* 14. *ut habeatis, unde ſufficienter & honeſte cum domeſtica corte veſtra poſſitis vivere, & legationes Palatium veſtrum adeuntes recipere.*

## CAPVT III.

*Regia Servitia. Allodia. Nonæ & Decimæ.*

CVm *Synodi Belvacenſis*, & poſtea *Meldenſis Patres Can.* 20. a CAROLO CALVO petiiſſent, ut Miſſi Dominici per ſingulos Comitatus ab eo mitterentur, *qui omnia diligenter inbreviarent, quæ eſſent ſpecialiter in regio ſervitio, & in Vaſſalorum Dominicorum beneficiis*: CAROLVS CALVVS *eodem anno* 846. *in Capitulis in villa Sparnaco*, *cap.* 20. in eam rem edidit ſpecialem Conſtitutionem eorum Patrum petitioni congruam. Regia illa ſervitia nihil aliud erant quam feuda. Cum enim feudis impoſita ſint multa, & quidem diverſa ſervitiorum genera, cum iis promiſcue uſurpari cœperunt, quamvis ea eſſent omnino contra naturam feudorum, ut pluribus docet doctiſſimus ALTESERRA *in origine feudorum*, *cap.* 9. Et ſic dominica ſeu regia feuda pertinebant ad curam Miſſorum Dominicorum, qui ea inbreviarent & conſervarent, ne ſenſim amitterentur aut perirent.

Idem etiam de Allodiis; ea ſunt bona hæreditaria & libera, ſeu quæ ad hæredes tranſeunt, & ab omni cenſu, canone, vel præſtatione libera ſunt. Olim quidem ea dicebantur *Allodialia*, quæ erant hæreditaria; & quidem ad differentiam feudorum, quæ cum perſona ipſa expirabant: ſed cum feuda cœperunt etiam eſſe hæreditaria, ea prædia cœperunt appellari Allodia, quæ libera erant, nec ulli cenſui, aut qualicumque præſtationi obnoxia. Sicut vero Imp. Romani ſuos patrimoniales fundos vendebant aut donabant certo canone impoſito, ut obſervare licet ex *tit. Cod. de fund. patrim.* & *ex tit. de om. ag. deſer.* ita & poſtmodum Chriſtianiſſimi Reges quoſdam ex ſuis patrimonialibus fundis dabant, aut in beneficium ſeu feudum, aut in cenſum, aut etiam in allodium, ut paſſim videre eſt apud ſcriptores mediæ ætatis. Sic etiam & Eccleſiæ & Eccleſiaſtica bona militibus aut Monaſteriis in allodium dari cœperunt ſub ſecunda ſtirpe Regum noſtrorum: imo & ea ipſa Monaſteria potentioribus laïcis dabantur in allodium, ita ut ſenſim Religio in iis periret. *Can.* 41. *Meldenſis Concilii:* ſicut & apud eos auctores, qui utroque idiomate ſcripſerunt de allodiis, ubi multa ejus rei exempla congerunt.

Quia vero plurimum intererat Chriſtianiſſimorum Principum, ne patrimoniales fundi etiam in allodium dati, aut deſtruerentur, aut non amplius dignoſcerentur; intererat, inquam, propter fidelitatem & militiam: jubet CAROLVS CALVVS *in Capitulis in villa Sparnaco*, *cap.* 20. *Vt Miſſi Dominici eos omnes diligenter imbrevient ſeu deſcribant*. In *Capitulis apud Tuſiacum*, *cap.* 7. *Vt Miſſi Dominici diligenter eos omnes inquirant & deſcribant, qui plus in Allodiis a Rege acceperint, quam iis datum fuerit*. In *Capitulis poſt reditum a Confluentibus*, *cap.* 4. *&* 5. *Vt Miſſi Dominici curent præcepta regia exhiberi*, *les lettres patentes*, quibus olim data aut facta ſunt allodia.

Erant etiam *allodia privata*, quæ nec erant ex rebus aut bonis Principum, nec ex bonis Eccleſiæ: & tamen Miſſi Dominici habebant in mandatis, ut eam inquirerent, ac deſcriberent; & quidem huic fini, vel ut ſi quid eorum domini peccarent in Principem, ſi ab eo vocati venire nollent, pignori caperentur a Miſſis Dominicis, *in Capitulis* CAROLI CALVI *ad Valentianas*, *cap.* 3. *apud Sylvacum*, *cap.* 2. & *apud Cariſiacum cap.* 4. vel ſi quid contra fidem ac fidelitatem Principi debitam facerent, vel in aliquam mulctam inciderent: ut iis captis coercerentur, & bannum dominicum, id eſt mulctam aut compoſitionem a Rege indictam ſolvere compellerentur, *in Edicto Piſtenſi cap.* 22. ac ſi forte inter privatos de allodio privato lis mota eſſet, de ea cognoſcebant Miſſi Dominici, ut docet vetus quædam Charta apud BELIVM, *in Regibus Aquitaniæ*, ſtatim *in principio*.

Ac tandem erant *nonæ* & *decimæ dominicatæ* ſeu regales, quæ a Parochialibus diſtinguuntur, *in Can.* 75. *Meldenſis Concilii ſub* CAROLO CALVO: ſolvebantur ex Dominicis ſeu regalibus prædiis, quæ olim ad eum cenſum data fuerant. Quod ſi quis agros dominicatos habens ad eum cenſum, eas nonas & decimas non ſolviſſet, cura Comitis aut Miſſorum Dominicorum per fidejuſſores ad Palatium venire compellebatur, ut eſt in quibuſdam *Capitulis* LVDOVICI PII, *cap. ult.* apud SIRMONDVM, 1 *Concil. Gall. pag.* 469. quod etiam exſcriptum eſt *lib.* 5. *Capitular. cap.* 278. ubi legitur, *contemptor aut Comitum, aut Vaſſallorum noſtrorum*, ſeu melius forte SIRMONDVS habet, *aut Miſſorum noſtrorum*, ad quos ea Capitula mittuntur. Aliquando Reges decimas illas dabant Eccleſiis aut Monaſteriis; ut palam eſt *ex Epiſtola* 60. EGINARDI *Abbatis*. Ac ſi forte quidam eas, aut non ſolverent, aut eriperent Eccleſiis, ſub præſentia Miſſorum Dominicorum iis reſtituere jubentur, *in præcepto* CAROLI CALVI apud FLODOARDVM, *lib.* 3. *Rem. Hiſt. cap.* 4. *C'étoient rentes foncieres dûes au Domaine*. De aliis decimis ad Eccleſiam pertinentibus jam ſupra egimus, ubi de rebus Eccleſiaſticis.

## CAPVT IV.

### *Advenæ*.

ADvenæ pertinebant etiam ad curam Miſſorum Dominicorum: cumque bona aut hæreditates eorum ſæpius fiſco manciparentur, non tam forte inconveniens erit, ſi de iis caput illud interſeratur, inter alia de vectigalibus, & aliis ad fiſcum pertinentibus. *Advenarum* nomine aliquando ſignificabantur illi omnes peregrini, qui a patria ſua fugerant in Galliam, & quidem ad tempus, & ad ſuos lares reverſuri poſt oppreſſionem, ut in *Capitularibus* CAROLI CALVI *ad Sylvacum*, *cap.* 9. poſt afflictionem in patria ſua graſſantem, ut *in ejuſdem Capitularibus apud Attiniacum*, *cap.* 6. Sæpius etiam pro iis accipiebantur, qui a patria egreſſi Galliam inhabitabant, in eam transferebant ſtationem rerum ſuarum, in ea conjugati erant, & nobis hodie dicuntur *Aubains:* undenam multi multis jampridem docuerunt.

CAROLVS M. *lib.* 3. *cap.* 18. agens de Miſſis Dominicis, addit, *de advenis volumus jamdiu conjugatis per ſingula loca, ut ibi maneant; & ſine cauſa, & ſine aliqua culpa non fiant ejecti:* quæque ibi ſequuntur, docent, eos tantum haberi tanquam advenas, qui ſint liberi homines, & integræ frontis, ſeu nullorum criminum rei: *fugitivi vero, ſervi, & latrones redeant ad propria loca*. In appendice ſecunda ad *lib.* 4. *Capitular. cap.* 2. ſic habet *de adventitiis* (idem eſt ac de advenis) *ut cum Miſſi noſtri ad placitum venerint, habeant ſcriptum, quanti adventitii ſunt in ſuo Miſſatico, aut de quo pago ſunt, & nomina eorum, & qui ſunt eorum Seniores*.

CAROLVS CALVS *in allatis Capitulis*, & *in Edicto Piſtenſi cap.* 31. jubet, *Vt benignius excipiantur, ut nullam violentiam, vel oppreſſionem, aut exactionem patiantur, & ut iis liceat redire ad ſuos*. Ideoque forſan advenæ apud Miſſos Dominicos nomina ſua profiteri, & edere cogebantur, ne in numerum civium irreperent abſque auctoritate Principis: atque etiam propter eorum hæreditatem, quæ fiſco deferebatur deficientibus legitimis hæredibus, ut jam ſuis temporibus obtinuiſſe docet CASSIODORVS *lib.* 9. *variarum*, *cap.* 14. Illud hodie in quibuſdam Conſuetudinibus immutatum eſt, ut in *noſtra Andegavenſi cap.* 41. Ac tandem ex dictis CAROLI CALVI Capitulis conſtat, eos proprie haberi advenas, qui de alio regno in regnum Galliæ venerint, non etiam de uno Comitatu in alium.

*FINIS APPENDIX TOMI XVII.*

# SACRORUM
# CONCILIORUM
## NOVA,
## ET AMPLISSIMA COLLECTIO.
### *TOMUS DECIMUS OCTAVUS.*